NAZIONALE
1
12 K
4
ROMA
CENTRALE V. E. II

ANGELI POLITIANI

OPERA, QVAE QVIDEM EXTITERE HACTENVS, OMNIA, LONGÈ EMENDATIVS QVÀM uſquàm antehac expreſſa: quibus acceſsit Hiſtoria de Coniuratione Pactiana in familiam Medicam, elegantiſsimè conſcripta: quorum omnium ordinem poſt Politiani elogia inuenies: addito unà Indice memorabilium copioſiſsimo.



Τῆς ἐπιμελείας δοῦλα πάντα γίνεται.

BASILEAE

APVD NICOLAVM EPISCOPIVM IVNIOREM, M. D. LIII.

CLARISSIMO IVRISCONSVLTO, D. CAROLO HARSTO, PRINCIPIS GVILHELMI, *Ducis Cliuenſis, Iuliacen. &c. Conſiliario, Domino ſuo uenerando, Nicolaus Epiſcopius iunior*

S. D. P.

CVM AD eam ætatem Dei benignitate uentum ſit, uir ornatiſs. qua decet pro ſua uirili quemque prodeſſe uitæ communi, & honeſto quæſtu aliquo tueri rem domeſticam, uiſum eſt parentibus, & amicis, ut me applicarem ad typographicam, ne quid degenerem à paterna auitaq́ industria. Itaque inſtitutam officinam ab hoc Opere auſpicari placuit, idq́ ſub tuo nomine inuulgare, quòd id paſsim deſiderari animaduerterem: & ſpero has noſtri conatus primitias hoc conſilio tam fore gratas omnibus regionibus, quàm ipſum nomen tuum notũ ac gratioſum eſt, propter luſtratas Europæ partes omnes propemodũ: uel cùm iunior uiſendis hominũ moribus ac urbibus parabas tibi, qua nunc polles, prudentiam: uel cùm matura iam ætate uarijs legationibus exerceris in illuſtriſsimi Iuliacenſiũ Cliuenſiũq́ ducis Gulielmi principis laudatiſsimi negotijs; cui es ob expertã integritatẽ ac ſolertiã chariſsimus, ſicut & magnis regibus, quos legatus adiſti, tum notus, tum charus ob dexteritatem & facundiam. Datũ eſt igitur hoc meũ præſens officiũ, partim libri cõmendationi, ut dixi, partim meę gratitudini: cuius monumentũ extare cupio, agnoſcẽs me tibi deuinctũ non ſimpliciter: primũ ante aliquot annos in ædibus tuis Louanij peramanter, & planè hoſpitaliter habitus, quæ cõiunctio priſcis fuit ſanctiſsima, adeò ut eam conſecrarint Ioui Xenio, & memorabile illud diluuiũ prodiderint, non ob aliud ſcelus inductũ, quàm ob uiolatum hoſpitium: deinde quia nobis intercedit & aliud beneuolentiæ uinculũ, inueterata tua cũ meis maioribus & cognatis amicitia, præſertim cũ parentibus & FROBENIIS inchoata iam tum quando propter DES. ERASMVM noſtrum, uirũ æterna dignũ memoria, hæc patria uiſebatur ab eruditis & candidis: quos ille, ceu magnes ferrũ, ad ſe attrahebat occulta quadã *συμπαθείᾳ*, ſtudiorũq́ in quibus excellebat, ſimilitudine. negari certè nõ poteſt, affulſiſſe tum ſidus quodpiã feliciter, nõ ſine diuina prouidẽtia, ut affectus iſti mutui, iamdudũ inchoati feliciter, auctiq́ pòſt multis officijs, durent hodieq́, non intermorituri quoad Deus hac luce nos frui uoluerit. Orſus ſum autem hanc negotiationẽ literariam optimo iure ab eo, qui ſi non primus, certè cum primis rem literariam, per mille annos peſſundatam à Barbaris, tanta ſua

cum laude cœpit reſtituere integritati priſtinę hoc noſtro felice ſeculo, ut cum patrum ætate unà cum Hermolao Picoq́ꝫ maiore triumuiratus honorem adeptus ſit omnium eruditorū calculis, ita ut pro impudente alienoq́ꝫ à Muſis ſimul & Gratijs exploderetur quiſquis cōtrà mutire auderet, eam exiſtimationē etiam fato functus retineat apud poſteros: & quamuis in hodiernum uſq; ſecuta ſint multa præclara lumina, tamē cōſtanter ſuum gradum teneat, & inter primores cenſeatur. tanta fuit uis illius nati feliciſsimè ingenij, quod ardenti perpetuaq́ꝫ contentione diſcendi docendiq́ꝫ, & aſsidua cum doctis, uel priſcis, uel æquæuis conſuetudine, accedente fauore Mœcenatis non ſui tantum, ſed cōmunis omnium in hoc genere clarorum, ad ſummū euaſit faſtigium. De quo non libet hic plura dicere, cum hoc ipſum uolumen tam uariū ſatis declaret, quid ille in utraq; lingua, quid in diſciplinis omnib. liberalibus ualuerit, daturus meliora, grauiora, cumulatioraq́ꝫ, ni mors hominem cum expectatione applauſuq́ꝫ cunctorum bonis literis fauentiū multa molientē intercepiſſet: quo auidius frui debemus his reliquijs, in quas illa nullum ius habet, uictúris quoad uiuent ipſæ literæ. Tu certè frueris, cui cæteriſq; ſimilibus, hoc eſt, uiris doctis, integris, candidis, ſi ſatisfacio, cœpti me nunquam pœnitebit. Bene uale, uir ornatiſsime. Baſileæ, Calendis Septembris. Anno ſalutis humanæ, M. D. LIII.

CENSVRA DOCTORVM ALIQVOT DE ANGELO POLITIANO.

EX PAVLI IOVII ELOGIIS ILLVSTRIVM VIRORVM ueris imaginibus appoſitis excerpta.

POlitianus à prima ſtatim iuuēta admirabilis ingenij nomen adeptus eſt, quum nouo illuſtriq́ poemate Iuliani Medicis equeſtres ludos celebraſſet, Luca Pulcio nobili poeta, omnium confeſſione ſuperato, qui Laurentij fratris ludicrum equeſtris pugnæ ſpectaculum, ijſdem modis & numeris decantarat. In id enim è Græcis atq; Latinis delectos flores populo ſtupendos contuliſſe cenſebatur. Nec multo pòſt Iuliano à Pactijs in templo immaniter interfecto, eius uindicatæ coniurationis hiſtoriam latinè ornatiſſimeq́ perſcripſit. Profeſſusq́ demùm in Gymnaſio græcas pariter latinasq́ literas, tantos de ſe excitauit clamores, fauente iuuentute, ut Demetrius Chalcondyles, uir græcus, præſtantiq́ doctrina, uti aridus atq; ieiunus à diſcipulis deſereretur. Exinde Herodianum Romanè loquentem publicauit, cunctis haud dubiè erepta laude, qui id generis munus antè ſuſceperint: quanquã æmuli eam translationem, uti nos à Leone pontifice accepimus, Gregorij Tifernatis fuiſſe dicerent, quòd paſſim inducto fuco, & falſis neuorum coloribus interlita alieni ſtyli habitum mentiretur. Sed eadem præcellenti ſtudiorum omnium ubertate florentem, poſt editam Miſcellaneorum Centuriam, publicataq́ latina poemata immatura mors oppreſſit. Erat diſtortis ſępe moribus, uti facie nequaquam ingenua & liberali, ab enormi pręſertim naſo, ſubluſcoq́ oculo perabſurda, ingenio autem aſtuto, aculeato, occulteq́ liuido, cùm aliena ſemper irrideret, nec ſua, uel non iniquo iudicio expungi pateretur. Non ſine graui Muſarum iniuria, doloreque ſeculi, feſtinante fato ereptus eſt. Vix enim quadrageſimum quartũ ætatis annum attigerat. Sed eo præpropero uitæ exitu profectò felix fuit, quòd imminentem conuulſæ Medicæ domus ruinam effugerit. Tumulo autem hoc carmen Crinitus diſcipulus affixit.

PETRI CRINITI.

Hic hic uiator paululum gradum ſiſte.
Vatem potentis ſpiritus uides clarum,
Qui mente promptus acri, & arduum ſpirans,
Ac ſumma quæq; & alta conſequi ſuetus.
Is ille ego Angelus Politianus ſum.
Fouit benigno me ſinu Flora, & illic
In fata ceſſi, Parthenopeos reges
Cum Gallica arma irruerent minabunda.
Tu uale, & hoc ſis meriti memor noſtri.

EIVSDEM CRINITI MONODIA DE laude Ang. Politiani.

Siren relicto Daunio
Quærebat ubi conſiſteret:
Diuq́ uagula deuolans
Acceſſit amnem laſſula

Arni fluentis leniter:
Et cõmorata ſatis,iter
Parabat inceptum ſequi.
Sed ecce dum uaga ſubuolat,
Audit repentè rem nouam,
Nouosq; numeros,& noua
Carmina canentis Angeli:
Itaq; ſtatim in labra conuolat
Dulci lepore perlita:
Et,inquit,hic libet agere,
Hic hic morabor ſedulò:
Vbi Gratia, Decor,& Venus
Tam blanditer ſimul canunt:
Carmenq; ſundunt aureum.
Tu nunc ualebis Daunie.

EX ERASMI ROT. CICERONIANO.

Fateor Angelum Politianum prorſus angelica fuiſſe mente, rarum naturæ miraculum,ad quodcunq; ſcripti genus applicaret animum: ſed nihil ad phraſin Ciceronis, diuerſis uirtutibus ſuſpiciendus eſt.

EX STROZII FILII EPIGRAMMATIBVS.

Quis Lycias ſortes? quis Phthiæ carmina uatis?
Tranſmiſſos Deli quis neget huc tripodas?
Quippe huc aſſiduè Phœbus, Muſæq; parentant,
Et charos lacrymis ſæpe lauant cineres.
Quin ſi fata uelint,tegerentur numina,ſub qua
Angelus obdormit Politianus humo.

INCERTI CVIVSDAM.

Politianus in hoc tumulo iacet Angelus, unum
Qui caput,& linguas,res noua,tres habuit.

CATALO-

CATALOGVS OPERVM ANgeli Politiani.

Epiſtolarum libri duodecim.	Pag. 1
Miſcellaneorum liber.	213
Herodiani libri octo, è græco latinè redditi.	314
Epicteti Stoici Enchiridion.	394
Alexandri Aphrodiſei problemata.	409
Magni Athanaſii in Pſalmos opuſculum.	440
Platonis Charmides de Temperantia.	449
Lamia. Prælectio in priora Ariſtotelis Analytica.	451
Panepiſtemon. Prælectio Politiani.	462
Quòd ira in pueris optimæ ſæpe indolis eſt argumentum.	474
Oratio in expoſitione Homeri.	477
Oratio ſuper Fabio Quintiliano, & Statij Syluis.	492
Præfatio in Suetonij expoſitionem.	499
Oratio pro Oratoribus Senenſium.	506
Oratio pro Oratoribus Florentinorum.	510
Oratio pro Prætore Florentino.	511
Prælectio in Perſium.	512
Dialectica.	517
Sylua, cui titulus Nutricia.	531
Sylua, cui titulus Ruſticus.	548
Sylua, cui titulus Manto.	560
Sylua, cui titulus Ambra.	569
Elegia, ſiue Epicedion.	583
Liber Epigrammatum Latinorum.	588
Liber Epigrammatum Græcorum.	624
Hiſtoria de Pactiana coniuratione.	636
Eorũ quæ grecè paſſim admixta ſunt interpretatio, per quendã ſtudioſum.	644

INDEX EORVM QVI IN HOC OPERE SCRIBVNT epiſtolas, & ad quos ſcribit Politianus.

Angelus Politianus
Antonius Codrus Vrceus
Auguſtinus Maphæus
Aldus Manutius Romanus
Baptiſta Guarinus
Barptolemæus Scala
Baccius Vgolinus
Barptolemęus Chalcus
Callimachus
Cæſar Carmentus
Franciſcus Puccius
Franciſcus Picolomineus, Cardinalis Senenſis
Georgius Merula
Hermolaus Barbarus
Hieronymus Donatus
Ioannes Picus Mirandulanus
Iacobus Antiquarius
Ioannes Franciſcus Benedictus
Innocentius papa VIII.
Iacobus Cardinalis Papienſis
Ioannes, Dei gratia, rex Portugalliæ
Lodouicus Odoaxius
Lucius Phoſphorus, pōtifex Signinus
Laurentius Medices
Ludouicus Maria Sfortiá, dux Mediolanenſis
Marcus Antonius Sabellicus
Marſilius Ficinus
Macarius Mutius eques
Matthæus Veronenſis, Canonicus regularis
Michael Acciarius Vtianenſis
Nicolaus Leonicenus
Pomponius Lætus
Philippus Beroaldus
Paulus Corteſius
Petrus Crinitus
Scipio Carteromachus
Tydeus Acciarinus.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER PRIMVS.

ANGELVS POLITIANVS PETRO Medici ſuo S. D.

EGISTI mecum ſæpenumero, magnanime Petre Medices, ut colligerẽ meas epiſtolas, & in uolumẽ redactas publicarem. Collegi, ne non in omnibus obſequerer tibi, quo ſunt in uno ſpes omnes, opesq; meæ ſitæ. Neq; collegi tamen uniuerſas: id enim laborioſius, quàm Sibyllæ folia. Non ſcripſerã uidelicet ad hoc, ut in unum corpus referrentur: ſed ad uſum præſentẽ duntaxat, oblatis argumentis, non quæſitis. Ita nec exempla mihi retinui, niſi quarumdam, puto minus feliciũ, quæ diu iam cum blattis & tineis rixabantur. Veruntamen ut inſtar uoluminis efficerem, nonnullas etiã miſſas ad me, ſed à doctis duntaxat, inſerui, quæ marcentem quaſi ſtomachũ lectoris excitarent. Eſt autem omnino ſtylus epiſtolarum mearũ ipſe ſibi diſpar: quo nomine multũ quoq; ſcio reprehendar. Nam nec eadẽ mihi ſemper uoluntas, nec idem cuiq; uel perſonæ, uel materiæ congruebat. Non deerunt ergo qui dicãt, ubi tam uarias epiſtolas legerint (ſi qui modò legerint) iterũ me Miſcellanea, non epiſtolas compoſuiſſe. Sed inter diuerſas opi- *Epiſtolarum*
niones & præcipientium de epiſtolis, & epiſtolas ſcribentium, ſperaui fore profe- *ſtylus.*
ctò necubi mihi patrocinium deeſſet. Occurret aliquis forſan, qui Ciceronianas eſſe neget: huic ego dicã (nec ſine autore tamẽ) in epiſtolari ſtylo ſilendum prorſus eſſe de Cicerone. Rurſus alius hoc ipſum culpabit, quòd æmuler Ciceronem: ſed reſpondebo, nihil mihi eſſe magis in uotis, quàm ut uel umbrã Ciceronis aſſequar. Optaret alius ut Oratorem Pliniũ ſaperem, quòd huius & maturitas, & diſciplina laudatur: ego contrà totum illud aſpernari me dicam Plinij ſeculum. Sed & ſi Plinium cuiquam redolebo, tuebor ita me, quòd Sidonius Apollinaris, non omnino peſſimus autor, palmã Plinio tribuit in epiſtolis. Symmachum ſi cui referre uidebor, non pudebit, ut cuius & breuitas celebretur, & rotunditas. Abeſſe rurſus à Symmacho ſi cui credar, negabo mihi ſiccitatẽ placere. Longiores quædam dicentur epiſtolæ: tales Plato ſcripſit, Ariſtoteles, Thucydides, Cicero. Dicentur aliæ contrà nimis breues: obijciã tunc ego Dionem, Brutũ, Apollonium, Marcum, Philoſtratum, Alciphronem, Julianũ, Libanium, Symmachum, ſed & *Lucianus.*
Lucianum, quem falſò Phalarim uulgò putant. Damnabit alius me, quòd argu- *Phalaris.*
menta non ſint hîc epiſtolaria: damnari me patiar, ſed cum Seneca. Nolet aliquis in epiſtolis ſententias: prouocabo rurſus ad Senecam. Poſcet alius rurſum ſententias: huic ergo pro me Dionyſius reſiſtet, ac pertinere ſententias ad epiſtolã negabit. Stylus eſſe nimium dicetur apertus: hunc tamen laudat Philoſtratus. Dicetur obſcurus: at eſt ad Atticum talis M. Tullij. Neglegens erit: at epiſtolis neglegentia eſt ipſa pro cultu. Rurſus erit idem diligens: conuenit maximè, quoniã pro munere mittuntur epiſtolæ. Si cõcinnitas ibi ſit, aſſeretur à Dionyſio: ſi deſit, ab Artemone. Tum quoniã Romani quoq; ſunt Atticiſmi quidam, ſi nõ erit Attica, de-

cebit hoc ipſum:nam quo alio damnatur Herodes,quàm quòd Atticus homo nimis Atticiſſet? Sin contrà nimis Attica:Theophraſtus hîc proferetur,in hoc notatus ab anicula,licet homo non Atticus. Non erit feſtiua:me uerò ſeueritas delectat.Nõ erit ſeuera:ſed ego delicijs capior.Figuras habebit: hos ergo ipſos quaſi geſtus amat epiſtolà ſermoni propior.Carebit figuris:at hoc ipſum carere figuris, figurat epiſtolam.Promet indolem ſcribentis:id quoq; præcipitur. Non promet: non ſcilicet quæſiuit, ut quæ carere ambitione debet. Circulo claudetur: hoc & Græci faciunt. Aberit circulus:nec hoc Philoſtratus improbat. Soluta erit,& incompoſita:non diſplicet Aquilæ.Pedes habebit,& iuncturã: non diſplicet Quintiliano.Non aget:non eſt enim dialogus.Aget:eſt affinis dialogo. Cõmuniter dicis, inquit alius, quæ communia: nouè, quæ noua: cum ſtylo res igitur congruit. Imò autem cõmuniter noua dicis, nouè cõmunia: nempe quoniam memor ſum præcepti ueteris τὰ μὲν κοινὰ καινῶς, τὰ δὲ καινὰ κοινῶς.Ad hunc igitur modũ poſſe uſquequaq; ſpero tergiuerſari. Sed tamen ipſi uiderint. Tibi uerò mi Petre ſuauiſſime, certò ſatisfaciam uel in epiſtolis, ſi bonæ fuerint: uel in obſequio, ſi non bonæ. Vale.

ANG. POLITIANVS PETRO MEDICI SVO S. D.

De ciuitatis Florentinæ origine.

CVm ſæpe ex nobis audiſſes Florentiam, qua tu in urbe principem locum,ſicuti diu maiores tui,meritò tenes, aliam prorſus habuiſſe originem, quàm quæ ab hiſtoriæ noſtræ ſcriptoribus prodatur: rogaſti humaniſſimè, quod ſemper ſoles, ut quicquid ea de re cõperti haberem, literis mandarem.Fore enim aiebas,ut mihi ciuitas omnis iure deberet, quòd parentes ei ſuos demonſtraſſem:præſertim qui tales extitiſſent,ut ſi ſumendi ex quacunq; hiſtoria fuiſſent,præſtantiores omnino deligi non potuerint.Ego igitur mi Petre,cùm ut ciuitati gratum faciam, quæ me benignè ſemper, humaneq; tractauit,tum ut tibi honeſta poſtulanti,quo nihil mihi gratius in terris uiuit,obtemperem:breuiter hac epiſtola complectar,quid in literarum monimentis de urbis huius autoribus inuenerim, tum de nomine ipſo pauca ſubnectam. Quoniamq; ſatis conſtat etiam Fæſulanos in partem ciuitatis fuiſſe acceptos, unde appellatas quoq; crediderim Fæſulas,exponã. Deduxere igitur Florentiam Coloniam Triumuiri,Caius Cæſar,qui deinde Auguſtus, Marcus Antonius, & Marcus Lepidus,etiam Pontifex Maximus. Coloni autem deducti Cæſariani milites, quibus

Iulius Frontinus.

aſſignata ducenta iugera per cardines, & decumanos. Quod ego apud Iulium Frontinum reperio celeberrimum ſcriptorẽ, qui Neruæ ætate floruit, in libro de Agrorum menſuris, quem tu librum domi habes Petre Medices uetuſtiſſimum. Ita,quod nulli unquam contigit, à tribus Imperatoribus, quorum unus omnium ſummus,alter etiam Pontifex Maximus,orta eſt Florentia. Ciues autẽ primi Florentini uiri illi fuerunt,quorum uirtuti nulla nec arma, nec munimenta, nec robora reſtiterunt.Explorata origine,cauſam quoq; nominis indagemus.

Romæ triplex nomen.

Triplex Romæ urbi fuiſſe nomen proditur: unum hoc, quod diximus, peruulgatũ: alterum, quod arcanũ fuit,unde Amaryllida ſuam,quæ amorem propriè ſignificat, in Bucolicon carmen Poeta detorſit: tertiũ ſacrificijs debitum,de quo uocabulum Flo-

Anthuſa.

ralibus impoſitũ,quod Anthuſam Græcè Philadelphus interpretatur, homo doctus,à quo hæc accepimus. Hoc tu Latinè uel Florentem uertas, uel aptius Floram fortaſſe,aut Florentiam.Scimus autem populi Romani Colonias quaſi effigies paruas eius, & ſimulachra fuiſſe. Conſtat etiam Florentiam conditã ad Romæ imaginem,quod(ut alia prætercam)nomen quoq; adhuc Capitolij,& regionum quarundam teſtificatur. Idem autem fuiſſe Anthuſæ uocabulum Conſtan-

tini urbi poſitũ,quæ noua Roma diceretur,tam Philadelphus idem, quàm etiam doctiſſimus Euſtathius tradiderunt. Inde igitur productum nomen, unde urbs quoq; ipſa producta. Nam apud Plinium uel corrupta uoce Fluentinos legi, pro *Fluentini.* Florentinis: uel ita olim ueteres populos, qui profluentis Arni ripas incolerent, appellatos crediderim,qui tamẽ deinde in Florentinos condita urbe, deductaq; Colonia còmmigrauerint, ut edictum quoq; Deſiderij Longobardorum Regis Fluentinos appellantis,ad utramuis redigi cauſam facilè poſſit. Ptolemæus certè (ut quidam ueteuſti fatentur codices)Florentiam dixit. Idemq; libro Hiſtoriæ naturalis quartodecimo Plinius, quanquàm uulgatis codicib. mendoſiſſimus omnino ſit locus. Meminit & Paulinus Ambroſij diſcipulus Florentię, qui noſtro etiam Præſuli Zenobio locupletiſſimum ſanctitatis teſtimonium perhibet. Indicat & Procopius quàm etiam tum ualida hæc urbs,& præpotens fuerit, quæ tentata ſæpius à Gotthis, expugnari non potuit. Vnum antiquitatis in ea ueſtigium pulcherrimum extat adhuc, templum hoc mirifica ſtructura olim Martis, nunc Præcurſoris titulum gerẽs. Etenim Martem Romani originis autorem, Martem Cæſariani potiſſimum colebant milites, orbis terrarum uictores,Martem præcipuus ueſtræ urbis cõditor Auguſtus,ut cui Romæ quoq; medio foro cognomento Vltori poſuit templum. Quo minus mirandum Florentinã iuuentutem,quamuis patrio more abſtineat armis, ludicris tamen adhuc certaminibus, etiam inter milites exercitatiſſimos, excellere. Nam de te, Petre, nihil hoc loco mihi dicendum, qui tot palmas nuper paucis diebus toties uictor abſtuleris: ne fortè noſtra hac epiſtola tui laudandi captaſſe occaſionem cuiquam uidear. Fæſulæ reſtant, quas ab Atlante illo cœlifero conditas,& uetus fama fert,& homo,ut illis temporibus,doctiſſimus Ioannes Boccatius confirmat: quæ nc diutius tamẽ uacillet autoritas, Heſiodum citare poſſum uetuſtiſſimũ Poetam, qui Fæſulam fuiſſe unam, ſed & primam Nympharum declarat, à quibus Hyadum, ſeu Latinè Sucularum ſydus exprimitur,quarum ſcilicet poſitum luna repræſentat, quod adhuc inſigne Fæſulanis eſt:niſi potius ob id lunam geſtant, quòd ultima erraticarum uerticem ipſum Atlantis cœlum fulcientis potiſſimùm premit. Sed audi iam uerſus Heſiodios,quos ex libro ipſius, cui titulus Aſtræa, partim grauis autor Theon,partim Zezes ille Grammaticus repetit in epiſtolarum ſuarum commentarijs, incomparabilis memoriæ uir,atq; infinitæ penè lectionis.

Zenobius Præſul Florentiæ. *Mars.* *Feſulæ à quo conditæ.* *Zezes.*

Νύμφαι χαρίτεσσιν ὁμοῖαι
Φαισύλη ἠδὲ Κορωνὶς, ἐϋστέφανός τε Κλέεια,
Φαιὼ θ' ἱμερόεσσα καὶ Εὐδώρη τανύπεπλος.
Νύμφαι ἃς ὑάδας καλέουσι φῦλ' ἀνθρώπων.

Vides ut Fæſulam nominat Heſiodus inter Hyadas potiſſimam, quod apud Euſtathiũ quoq; reperias,quamuis in eo mendoſis codicibus Aeſula ſit. Sed & Ammonius Grammaticus Fæſulę meminit, ut unius è Bacchi nutricibus. Hyadas autem fuiſſe Atlantis filias, & eaſdẽ Bacchi nutrices, nullus credo paulò humanior ignorat. In ea uerò ciuitate fulminum claros interpretes uetere Hetruſca diſciplina fuiſſe,docet ita Silius: Affuit & ſacris interpres fulminis alis Fæſula. Cui quoniam ſemper ego neſcio quo pacto plus cæteris faui,tacere illud non poſſum,totius etiam Italiæ ſalutem referri acceptã Fæſulanis oportere, uidelicet in quorum iugo Radagaſius olim Gotthorum rex immaniſſimus, cum ducentis hominum milibus orbem terrarum uaſtantibus diuinitus concluſus,exceptus, trucidatusq; fuerit. Hæc ſunt, mi Petre, quæ de Florentia, & Fæſulis intacta noſtris annalibus, apud reconditos quidem, ſed idoneos tamen autores inuenerim: quæ,niſi fallor,

Radagaſius Gotthorum rex.

ciuibus noſtris,tibiq́ gratiſſima eſſe debent. Ego certè nihil hoc maius homo ſtu dijs deditus literarum præſtare uobis potui,qui me in ciuitatem aſciueritis,quàm ut labore, induſtriaq́ mea parentes aliquando ueſtros, tam multis adhuc ſeculis ignoratos,celebres,illuſtresq́ uiros agnoſceretis. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA ANGELO PO-LITIANO SVO S. D.

Muſæ Pici Mirandulæ.

CVm Muſas tenues meas, quibus dum per ætatem licuit de amoribus meis iocatus ſum,in libellos quinq́ digeſſerim,mitto ad te illorũ primum,miſſurus & alios,ſi in hoc uno amicum experiar te,non aſſentatorem:ea enim lege ad te ueniunt,ut caſtigentur, ut uapulent, ut erratorum pœnas & ungue,& obeliſcis luant. Adhibe igitur te illis æquum iudicem, non iniquum,hoc eſt,ſeuerum,non indulgentẽ.Nam quæ maior iniquitas,quàm amicum fallere de te ſibi omnia promittentẽ? Non eò uſq́ ingenio delicato ſum, ut amici hominis lituras faſtidiam. Quin fortè nec tu, nec quiſpiã crederet, quàm hæc mea mihi non ſatisfaciant,quàm in his etiam, quæ magis placent,metuam tamen ne ſim,ut inquit ille, Suffenus. Quare operam tuam quæſo in re honeſta,& liberali,amiciſſimo homini ne deneges. Vale.

ANGELVS POLITIANVS IOANNI PICO MI-RANDVLAE SVO S. D.

Amor.

NAE tu homo es lepidus, qui me cum tuis amoribus committere tentes, quiq́ adeò ſeuerè, & tetricè à me homine haud ſanè rugoſæ frontis, tam bellos accipi pueros poſtules. Vnus (aiunt) Amor Pana deũ palæſtra prouocatum ſupplantauit. Tu me concertare cum toto Veneris grege,qui putas poſſe? ſed tamen hoc tu exigis: tu inquam Pice, cui denegari quicquam ſit planè nefas. Quare aliquot exoraui ex ijs, ut ſe à nobis uexari

Momus.

paulum paterentur.Neq́ ego iudicis (ita me ſemper ames) ſed Momi perſonam indui, quem ferunt ſandalium Veneris tandem culpaſſe, cùm Venerem nõ poſſet.Confodi igitur uerſiculos aliquos,non quòd eos improbarem, ſed quòd tanquam equeſtris ordinis,cedere reliquis,ueluti ſenatoribus uidebantur, atq́ patricijs. Plebeium nihil offendi, ſed & in his non tam iudiciũ tibi, quàm uoluntatem defuiſſe certò ſcio,quando & Naſoni tuo decentior (ut aiunt) facies uidebatur,in qua neuus eſſet.Remitto ad te eos,atq́ addo Stoicum comitem, quem utinam talione tantum referiant ipſi, ac non planè habeãt ludibrio. Vtcunq́ erit,habet ſenecio hic ſuperciliosus ubi patientiam ſuam exerceat.Non erit iam quod clamet, ὦ ζεῦ βρέξον τὰς πισάσεις. Non Bithus & Bacchius melius compoſiti, Reliqui, quos petis,negant ferre lucem. Tu me ama,id quod mutuò facies. Vale.

IOANNES PICVS ANG: POLITIANO S. D.

NEc urbanius unquàm, nec hilarius acceptos ſe amores mei prædicant, quàm his proximis diebus apud te,& quòd amicè quidẽ confoſſi ſunt, cùm ſibi gratulantur maximè, tum tibi plurimum debent. Quis enim nolit ab iſto enſe mori? Dolent tamen indulgentius id factũ eſſe, quàm oportebat:atq́ in eo ſunt,ut dubitent amore ipſo in amores te cæcutientẽ factum

meos,ac

meos,ac ita demum dubitant,ut iudicio tuo,alioqui grauiſſimo, in ſua cauſa non
ſatis confidant.Confidunt tamen,& iam ſeſe uinculis aſſerũt, domi eſſe neſciunt,
libertatem, & publicum ſecurè poſtulant. Sed quid de Epicteti tui feſtiuitate di-
cam? O rem iocoſam,& riſu dignam Catoniano,uix erat in limine, cùm pandens *Riſus Catonianus.*
ſinus en,inquit,obelos, en ſagittas, ſi neſcitis Græcè. En me, ſi ex ueſtris quiſquã
audax fuerit, paratum referire. Quis cachinnis temperaſſet, cùm Stoicus homo
tam lepidè iocaretur? Abſtinuimus profectò telis, & quòd interminatus erat re-
poſiturum ſeſe iniuriam, & quòd ita cutis occalucrat, ut tam leues ictus non ad-
mitteret. Qua igitur ueneratione debuimus, ſenem excepimus: qui ut demum a-
pud nos conſedit,philoſophari cœpit de moribus,& id quidem Latinè, non tam
ob id,quòd apud Latinos erat,nam & erant in eo conſeſſu, qui Græca nouerant,
quàm quòd Latinè ipſe beneficio tuo luculentius ſaperet. Sed nec operam perdi
dit,quandoquidem non prius loqui deſijt,quàm nos ex peripateticis Stoicos fe-
cerit,& apathiam illam omnes approbauerimus: ut iam uidere ſit paulò antè de- *Apathia.*
licatos homines,iam factos omnium tolerantiſſimos: qui laceſſiri quidem poſſi-
mus ab alijs,lædi à nobis tantũ:qui fato reluctemur nunquàm,& quæ noſtra non
ſunt,ſic fieri demũ uelimus,ut dij uolunt, & eos nec culpemus unquàm, nec accu
ſemus:nihil doleamus,nihil expoſtulemus:ſeruire,uinci neſciamus: re, nõ oratio
ne philoſophemur:& qui nouitij ſumus,nos ipſos ut aduerſarios obſeruemus:ali
orum de nobis opinionẽ,atq; id genus alia, quæ externa ſunt,negligamus potius
quàm reijciamus: ad diẽ curemus, ut hoſpitiũ uiatores: habeamus ea deniq;,non
habeamur: ſilentium amemus, ne quicquam euomatur non concoctũ: & nobis
alij raro,& nos alijs nunquã riſum pariamus:& ut uno Epictetũ totũ uerbo com-
plectar,& ſuſtinere aduerſa, & abſtinere uoluptatibus abũdè didicerimus. Vide *Suſtine, & abſtine.*
quàm ſigillatim ad Epictetũ tuum effinxerimus uitam noſtrã: uide quàm & citò,
ne hac quoq; parte Stoici non eſſemus,qui nos admonitos uolũt,tandiu deficere
hominem,quandiu non proficit.Id quod quanquàm in cęteris admiratus ſum,in
me tamen uno uel maximè, qui cum ſemper in Lycio, uel Academia, nunquàm
in porticu ſim uerſatus,ita uictus ſum oratione ſenis,ut in eius ſententiam non pe
dibus modò,ſed manibus quoque,& toto corpore diſceſſerim. Vale.

ANG. POLITIANVS IOANNI PICO MIRANDVLAE S. D.

TAnti mihi ſunt literæ tuæ mi Pice,ut nullo pacto credam poſſe me illis reſcribendo ſatisfacere.Tanta rurſus tua eſt humanitas, ut te boni conſulturum quicquid à nobis proficiſcatur,exiſtimem.Si uerba ſuppeterent animo, laudare pro merito ingenium, literas, eloquentiam tuam conarer.Sed uereor ne laudes cogar tantas, ut Flaccus inquit, culpa deterere ingenij. Quare imitabor Timantem, quodq; exprimere penicillo nõ poſſum, uelo contegam.Quòd ſi mihi hortandus eſt,qui ipſe omnibus exemplo ſit, ita ego meum Picum,ut ille Mycenæus Teucrum hortabor βάλλ' οὕτως. Tibi autem debere me multis nominibus intellego,quæ ſingula enumerare non eſt conſiliũ; ſed acceſſit meritis erga me tuis Manuelis noſtri uiri docti elegans epiſtola, Hymettio illo,unde ſcilicet eam lêgit,melle,atq; omni nectare dulcior. Eũ nos planè Glaucum reddidimus, χάλκεα χρυσείων commutantes. Quis enim neſcit quàm illi ἐπιχώριοι τοῖς ἕλλησιν ἀττικισμοὶ degenerent citra mare? Sed tamẽ hoc ipſo minus eius obelos metuimus,quòd in Latio nati ſumus, Sicut Latina cum ſcribimus perpe-

ram,hoc nos tuemur,quòd Græciſſare putamur:atq; ut ueſpertiliones,dum neq; mures,planè neq; aues ſumus,utriſq; tamen nos probare tentamus. Vale.

ANGELVS POLITIANVS IOANNI PICO MIRANDVLAE SVO S. D.

AVdio te uerſiculos amatorios, quos olim ſcripſeras, combuſſiſſe: ueritum fortaſſe,ne uel tuo iam nomini,uel aliorũ moribus officerent.Non enim puto,quoniam minus exierint aptè,ſicuti Plato ſuos dicitur.Nam quantũ repeto memoria,nihil illis terſius,dulcius,ornatius. Quos quia uocabas amores tuos,placuit mihi nuper,uelut in amores ipſos abs te crematos, ita ludere Græcis uerſibus.

Πολλάκι τοξευθὰς, φλεχθὰς θ' ὑπὸ Πῖκος ἐρώτων,
Οὐκ ἔτλη πλεῦ τόσῳ, πάντα δ' ἀφείλεθ' ὅπλα
Τόξα, βέλη, φαρέτρας. καὶ νηήσας τά γε πάντα
Ἧψεν ὁμοῦ σωρὸν λαμπάσι λαϊδίοις.
Σὺν δ' αὐτοὺς μάρψας, ἀμφωλένια χερύδρια δῆσεν
Ταῖς νευραῖς, μέσσῃ δ' ἔμβαλε πυρκαϊῇ,
Καὶ πνεῖ φλέξε τὸ πῦρ. Τί δ' ὦ ἄφρονες αὖ τὸν ἔρωτες
Τὸν Πῖκον, μουσῶν εἰσποτέ δὴ πρόμον.

IOANNES PICVS MIRANDVLA ANGELO POLITIANO S. D.

QVòd proximis literis tuis me tantopere laudaris , debeo tibi tantum, quantum ab eo abſum , ut meritò lauder.Id enim debetur cuiq; , quod gratis dat, nõ quod perſoluit. Quare & ipſe id totum tibi debeo,quod de me ſcribis,cùm in me tale ſit nihil: cùm id mihi ipſe nullo pacto deberes,id totum tuæ fuit humanitatis, & ſingularis in me beneuolentiæ. De cætero ſi me examinaris, nihil inuenies niſi tenue, humile, anguſtum. Nouitij ſumus, atq; tyrunculi,qui ex inſcitiæ tenebris pedem modò mouimus, promouimus ferè nihil . Benignè nobiſcum agitur, ſi inter ſtudioſorũ ordines referamur . Habet docti nomen quiddã aliud,quod ſit tibi,& tui ſimilibus peculiare : mihi tam grandia nõ conueniunt,cùm eorum,quæ in literarum ſtudijs ſint præcipua , nihil non ſolum exploratum habeam,ſed nec adhuc etiam niſi per tranſennam uiderim.Conabor quidem,id quod nunc ago,talis eſſe aliquando, qualem nũc me prædicas, & eſſe aut iudicas,aut certè uelles. Interea imitabor te Angele, qui te Græcis excuſas, quòd ſis Latinus: Latinis, quòd Græciſſes . Simili & ego utar perfugio, ut poetis,rhetoribusq; me approbem,propterea quòd philoſophari dicar:philoſophis,quòd rhetoriſſem,& muſas colam. Quanquàm mihi longè aliter accidit,atque tibi.Quippe ego dum geminis ſellis (ut aiunt) ſedere uolo, utraq; excludor, fitq; demum (ut dicã paucis) ut nec poeta,nec rhetor ſim, neq; philoſophus . Tu ita utrunq; imples,ut utrum magis,haud ſatis conſtet,qui & Græcam,& noſtram Mineruam ita pulchrè amplectaris, quaſi Cinnus utriuſq; linguæ, ut quæ inſititia ſit,quæ genuina nõ facilè diſcerni poſſit. Nam ut de Latinis taceam (de his enim cui è primo loco ceſſeris?) quis credat,ut de Hadriano ille,Romanum hominem tam Græcè loqui? iurabat Emanuel noſter, dum tuas legeret , non eſſe tam Atticas Athenas ipſas. Is es mi Angele (faceſſat adulatio) cui ex noſtris unus, aut al-

ter,ne

ter, ne dicam nemo, conferendus ſit. Quòd ſi plures eſſent tales, non haberent hæc ſecula cur inuiderent antiquitati. Incumbe quæſo, & literas quantum potes à ſitu recipe, ne nitor ille Romanæ linguæ iniuria temporum penitus obſoleſcat. Excude ſemper aliquid nouum quod rem Latinam adiuuet, & illuſtret. Et quæ domi habes, fac tandem exeant in communem ſtudioſorum utilitatem. Vale.

HERMOLAVS BARBARVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

POſt diſceſſum tuũ Venetijs ad te ſcripſi numquam, de te ſæpe: nec ſcripſi modò ſæpe, ſed etiam locutus ſum de te quoties incidebat: incidebat aũt cùm uolebam, uolebã ſemper. Omnino mihi multus in ore Politianus eſt, eritq; dum uixero. Nam quantum ipſe de te conceperim, cum primum te cognoui, quantum porrò de doctrina tua literæ ſibi ſperent & ſpondeant, facilius cogitare poſſum animo, quàm dicere. Poſtulo autem à te quaſi meo iure duo. Primum, uti uiuere diu ſtudeas, non tibi, ſed & tibi ſanè, dum literis primum, & bonis artibus, quibus hercule ſuccurrendum eſt ruinoſis, & nutantibus, breuiq; caſuris, niſi per ſolertiſſimos homines ope ſumma proſpiciatur. Alterum uti aut tu me ſocium in hæc adhibeas, aut à me adhibitus æquo animo patiare. Sin grauaris, in famulatu ero tibi cùm iuſſeris. Vltro nomen do, profiteor inuocatus, & maximè uoluntarius. Ardeo cupiditate iuuandi recta ſtudia. Nullus eſt tam magnus labor, nullum munus in literis tam ſordidum, quod defugiã: quanquàm omnis ferè functio, quæ pertinet ad literas, non poteſt eſſe non honeſta, non ſplendida, non magnifica. Vale.

ANGELVS POLITIANVS HERMOLAO BARBARO SVO S. D.

TV uero Hermolae ita mihi omnia, uel præſenti prius, uel deinde abſenti præſtitiſti, ut (ſi officia duntaxat, non autem animum, atque uoluntatem remetiamur) ingratus proculdubio ſim moriturus. Et quidem ea cauſa eſt, cur tibi nec agam gratias, nec egerim hactenus; quòd intellego non orationem modò noſtram, ſed planè facultatem omnem imparem eſſe tuis erga me meritis. Nam quòd mihi in tua epiſtola tantum tribuis, quantum ego nec agnoſco, nec fateor, uel ob id certè mihi gratum eſt, quòd amicius, quàm uerius ſentiens, magis fortaſſe nos diligis. Verba porrò quibus uelut me militem bonus imperator hortaris, ut rectis ſtudijs utroque quaſi cornu laborantibus ſuccurram, eò minus mouerunt, quòd ſanè quàm paucos tui ſimiles uideo, quos duces ſequar. Vt enim non dubitat Agamemnon, quin ſit breui Troiam capturus, ſi decem dentur συμφράδμονες Neſtoris ſimiles: ita ſi Hermolai mihi dentur decem, ſub quibus meream, facile ſperem literas cùm Græcas, tum Latinas, è barbaria media receptum iri. Te tamen & laudo, & admiror, qui adeò acciſis rebus, atque afflictis ſpem tibi aliquam feceris adhuc reliquam. Quapropter mihi etiam, uel ob id audentem extrema cupido eſt certa ſequi. Vale.

ANG. POLITIANVS HERMOLAO BARBARO SVO S. D.

QVòd ad te iandiu nihil Hermolae dederim literarum, non tam meis uelim, quàm tuis occupationibus adſcribas. Occupationes autē non minus equidem ſtudia ipſa literarum, & ſapientiæ, quibus uſquequaq; inuigilas, quàm iſtos accipio diſcurſus obeundæ legationis, & rei gerendæ publicæ. Quid igitur uel ineptius, uel inhumanius, quàm aut Muſarum ſacris operanti obſtrepere, aut agenti rem ſeriam trichas uelut intempeſtiuas obijcere? Neq; uerò cauſa fuit cur timuerim, ne (quod eſt apud Ariſtotelē tuum) noſtram quoq; amicitiam ſilentium dirimeret. Nō enim ſic in amore mutuo languemus, ut ſimus inter nos machinis retinendi. Sed nec ſilentium quiſpiam interpretetur, ubi neuter ceſſat honorificè de altero & loqui, & ſcribere. Caue enim putes Hermolae, non diem dixerim, ſed horam penè ullam præterire, in qua non ego de ingenio, de literis, de prudentia, de conſilio, de humanitate, de candore, de ſtudijs deniq; tuis propè declamitē. Teſtis Medices Laurentius meus, teſtis hic item Mirandula Picus, heroes (arbitror) duo, non uiri, quos aut auditores habeo laudum tuarum attentiſſimos, aut beneuolentiſſimos prædicatores. Iam apud eruditam iuuentutem, & familiarium cohortem, tantum de te loquendo profecimus, ut unus utiq; habeare, non ſolum doctiſſimus, ſed & humaniſſimus, & prudentiſſimus. Porrò autē ut epiſtolas, ut orationes omiſerim, in queis de te ſemper à nobis illuſtris mentio facta, uel hæc ipſa, quæ mox edentur, Miſcellanea noſtra, cùm quidam (ut Horatius inquit) dignus uindice nodus incidiſſet, te ſcilicet unà cum Laurentio, Picoq; iudicem ſibi contra rudem inſcitiam nuncupauerunt. Neq; uerò tu quoq; otioſus, aut occaſionibus imparatus in me ſemper etiā ultrà fortaſſe quàm patior ornando, extollendoq;, ſic ut temet pulcherrimè, ab hoc epiſtolarū ſilentio, crebris de me ſermonibus redemeris. Non igitur amicitiā noſtram blandimentis iſtis & aſſentationibus indecoris, & ineptis, atq; optimo cuiq; maximè ſuſpectis, addo etiam uulgaribus, fouemus. Non tamen ullo loco, uel ſtudio deſumus alter alteri uel officio. Specioſa iſta & popularia beneuolētiæ oſtentamenta, quaſiq; fucum, & præſtigias, neq; tu arbitror deſideras, & ego abominor. Vino, aiunt, uendibili ſuſpenſa hedera nil opus. Et nos ergo faciem, ſtrepitumq; omnem (ſic doctos decet) aſpernemur, atq; amicitiæ (quod dicitur) perſonam detrahamus. Ceterùm, ut eò tandem deueniam, qua gratia tibi hanc epiſtolam ſcribere inſtitueram; cùm Franciſcus Gaddius Florentinus, qui paulò antè legatus iſthic agebat, uir utriq; noſtrum coniunctiſſimus, fortè (ut fit) in ſermone apud Laurentium Medicem nuper inieciſſet deſiderare te uolumen, ſi quòd hîc emendatum Dioſcoridis haberemus, ſtatim nobis Laurentius (ut eſt homo tui ſtudioſiſſimus) pro more autoritateq; mandauit, ut eam rem quàm primùm quàm diligentiſſimè curaremus. En tibi igitur librum mi Barbare, ſatis emendatum (ni fallor) certò ueterem. Tu cùm fueris uſus, ad me remittes, non tam (quæ tua eſt diligentia) incolumem, quàm doctiſſima iſta notatum manu, quò pretium uolumini aliquod ex te, atq; autoritas accedat. Vale.

Adagium. *Franciſcus Gaddius.*

HERMOLAVS BARBARVS ANG. POLITIANO SVO S. D.

Innocuas & ſimplices locutiones.

SI ſurdis etiam, brutiſq; rebus amicitiæ & inimicitiæ ſuæ non aliunde quàm à cœlo conſtant, quò & affectus cæcos, & quæ Græci *ἀναιτιολόγητα* uocant, referimus accepta, quid ni ſentiat hac uim & homo? quanquàm intereſt, quòd ſtolida illa, & muta ſemper inter ſe pro natura quæque ſua diſſident, aut concordant unius cœli merito, ſed hominem homini

mini plerunq; mores, & iudicia conciliant, nec minore glutino, quàm iſthæc ſyderum defluuia ferruminant: huiusq; generis eſt amor, qui nos inuicem innexuit, & Herculeo nodo iunxit. Nihil mirum ſi nec ſpacio temporis excutitur, nec locorum intercapedine conuellitur, nec officiorum ſilentio polluitur, nec alia quauis negligentiæ rubigine decoloratur. Certa opinione uirtutis, & doctrinæ tuæ natus, eadem opinione conſeruatur, alitur, augetur: te uolente, nolenteq; perennat. Tandiu Hercule futurus, non dico me quandiu ames, ſed quandiu amare cogas, & iſte ingenij, & eruditionis tuæ fulgor obuerſetur oculis. Tũc amare potero deſinere, cùm tu rem Latinam deſerere. Sed de hoc ſatis. Dioſcoridem accepi, gratias & tibi, & Gaddio noſtro tam multas ago, ut quas Laurentio meo agam homini clariſſimo, humaniſſimo, doctiſſimo non habeam, habeam quas non agò: atq; utinã quandoq; poſſim referre. Multis nos magnus ille uir in dies & ſtudijs accumulat, & officijs adobruit. Ego contrà diu, noctuq; retracto, ac recogito, nõ quemadmodum rationem cum eo parem faciam (quis enim poſſet hoc, niſi alter Hercules, aut certè alter Laurentius?) ſed quemadmodũ planè intelligat, me apud eum eo loco eſſe cupere, quo qui magnitudinem æris alieni & profeſſione nominis, & magnæ fidei compenſatione redimunt. Vale.

ANG. POLITIANVS HERMOLAO BARBARO SVO S. D.

Hermolaus Barbarus patriarcha Aquileienſis.

EXplicare non poſſem literis Hermolae, quanta mihi lætitia prandenti nuper ſecum Laurentius Medices te Patriarcham factum eſſe Aquileienſem nuntiauerit. Ego uerò tantò ſum ex ea re gaudio, tantaq; uoluptate perfuſus, ut in ipſo quoq; diſcubitu (quid enim manifeſta negẽ?) geſtierim, exilierim, lætum, felicemq; nuntium, uix ipſe me capiens proclamauerim. Et nunc gratulor tibi, gratulor doctis omnibus, gratulor ſeculo Hermolae: Tibi, quòd hoc etiam tuarum uirtutum præmium dixerim, an teſtimonium, publicè acceperis. Nam quamuis antea quoq; multis, magnificisq; fueris ornamentis affectus, tamen hoc unum procul excellit atq; eminet, non modò quia maius, aut quia genere diuerſum, ſed quòd per eum quaſi gradum breui putaris altius aſcenſurus. Doctis uerò, quòd is uir ad maximas proueheris dignitates, cui ſemper hoc hominum genus, atq; hæc ſecta uitæ plurimum placuit. Etenim ſummo loco natus, amplis opibus innutritus, egregijs honoribus perfunctus, & faſtigiũ diſciplinarum propè omniũ tenes, & profeſſores, ac ſtudioſos artium bonarum (quamuis humili fortuna pleriq; ſumus) ita complecteris, & amas, ut æquè cunctis tuæ quaſi maieſtatis faſces, ac uexilla ſubmittas. Seculo autem, quòd inſigne aliquod habet, quo iam ſtare audacter aduerſus & uetuſtatem poſſit, & poſteritatem: ſcilicet quia ueluti recuperaſſe nunc oculos cęca prius fortuna uideri poteſt, dum cumulare honoribus eum geſtit, in quo uirtutum penè omnium quaſi quidam concentus exauditur. Tu igitur etſi uirtute ipſa clarior es, atq; (ut puto) lætior, quàm uirtutis præmio, debes tamen hanc & temporibus, & literis diligentiã, ne fortunæ deſis, nec uota noſtra deſtituas, ſed incumbas, inſtesq; fauori quantum potes, non quidem ambitu infami, qui philoſophum dedecet, ſed his potius artibus, quæ te charum bonis, admirabilem propè uniuerſis reddiderunt. Equidem, quod ad me attinet, quando aliter ſuffragari non licet, illud uſquequaq; præſtabo, nequam occaſionem uel tui celebrandi nominis, uel conciliandæ tibi, colligendæq; beneuolentiæ prætermittam. Vale.

HERMOLAVS BARBARVS ANG. POLITIANO SVO S. D.

QVòd ex ſecundis rebus meis lætitiam incredibilem conceperis, neq; nouam rem feciſti, nec mihi non præuiſam, imaginationeq; præſumptam. Noui quanta propenſione, atq; adeò inductione animi prouinciam duram, & inexplicabilē ſuſceperis ornandi, & tollendi nominis mei: quàm conſtans, pertinax, & addictus in eo fueris: quàm rem tuam uidearis agere, cùm meā agis. Itaq; nihil ſum miratus, quòd rationibus tuis conſultum putaueris, cùm meis eſt prouiſum. Habeo tibi, & ſemper habebo gratias, non ſolum ut amico, & beneuolo, ſed ut Politiano, id eſt, ut homini doctiſſimo. Plus enim eſt à Politiano, quàm ab amico laudari. Teſtimonium, & iudicium amici fallitur, Politiani etiā amantis non fallit. Laurentio nō minus principi tuo, quàm meo in dies plura, & maiora debeo. Teſtis eſt ipſe. In magno uerſor periculo, ne in tantò meritorum eius erga me cumulo, & ingratus, & barbarus eſſe uidear. Vale.

POMPONIVS LAETVS ANG. POLITIANO SVO S. D.

SErius quàm opinabaris ab amiciſſimo fieri, diſtuli ad te mittere, quod ſummopere legere optabas. Cauſa fuit neſcio quis, qui ſe intra paucos dies daturū Quintilem & Sextilē mihi pollicitus eſt: remq; is longius opinione mea traxit. Ipſe tandē ut creditori, qui uel præcipuus es ſatiſfacerem, quæ apud me erant, diligentiſſimè exſcripſi. à Venuſia Apulorum adlata ſunt marmorea in tabula: obſcuro loco ibi latebant. fragmenta aliarū tabularū, ubi annus integer erat coniungi nequiuerunt, quòd multa deerant, illinc tranſlata Arianum: ſumma cura, quæ supereſt tabula, ſeruatur. Mitto & quædam monimenta rerum eodem in loco reperta, & placitura tibi (ut exiſtimo) amatori uetuſtatis. Romæ ferè idem, ſed multò antè, uerùm fine caret: ſi habere cupis, reſcribe: quanquàm quid hoc dixerim? cùm facile intelligam te plurimum id quærere: ſed uidebatur optabilius, ſi popoſceris. Scias omnia, quæ apud me ſunt, tua eſſe. Duo à te ſum petiturus, alterum ſtudio, alterum autoritate conficies. Illud eſt apud Valerium Flaccū in quinto libro, cùm loquitur de Chalybibus populis, apud quos ferrum repertum eſt: quid ſibi uelit, indigena. Quod ſequitur corruptū eſt: & ſtatim duo carmina, quæ ſequuntur fabulam habent mihi incognitam. Fortè Apollonius aliquid de ea re ſcribit. Tuum limatiſſimum iudicium expecto, quod, mea ſententia, quicūq; profitemur literas, ueneremur neceſſe eſt. Sed de ingenio ſcio quid ſcripturus ſum. Illud alterum erat, ut unicis literarum fautoribus Laurentio, ac filio me cōmendes. Ab Laurentio tua opera obſecro, impetres literas non uulgares, ſiue ad Ioannem Tornabonum, ſiue ad oratorem Florentinorum, in commendationem Fabritij contubernalis mei, qui, ut prędicat, notiſſimus eſt Laurentio, aliasq; Florentiæ negotia Reguli Fauentini egit. In præſentia cùm ſit expediturus quædam honeſtiſſima in Curia Romana, autoritatem Laurentij (quæ plurima eſt) uehementer accedere cupit. Effice tu homo non minus literatiſſimus, quàm integerrimus, ut uoto fruamur. Bene ualeas. Romæ, decimoſexto Calendas Aprilis. M.CCCCLXXXVIII.

ANG. POLITIANVS POMPONIO LAETO S. D.

QVas à te nuper accepi literas, ita gratas habui mi Pomponi, ut me ab ijs putem immortalitate donatū. Sed & ſemenſtre Calendarium mirè fuit gratum, & quam ais tabulam bello Marſico factam: quæ ſi eadem eſt quam Romæ obiter legerim, uereor ut ſatis ex fide ſit exſcripta. Siquidem

quidem Aimilius nõ Aemilius erat in ſaxo. Quam eandem diphthongum etiam ſuper ipſa Panthei teſtudine adnotaueram. Quòd uerò etiam (ſi dijs placet) de obſcuris poetarum me conſulis, homo omnis literaturæ conſultiſſimus, atq; id mihi ex amore tribuis, quod tibi ex uero debetur: intelligo quàm tibi debeam, quàm mihi faueas, quantum oneris ſuſtineam. Dicam tamen quod ſentio, tibiq; ſi non rem ipſam, ſtudium certè meum, uoluntatemq; probabo. Verſiculi ipſi, quos uerè mendoſos putas, hi ſunt uidelicet:

Indigena æterni rupem Iouis, hinc tibi Mauors
Dant uirides poſt terga lacus, ubi deſide mitra
Fœta legat, partuq; uirum fouet ipſa ſoluto. — Locus Valerij Flacci lib. 5.

Hos equidem ita legendos arbitror:

Inde Genetæi rupem Iouis, hinc Tibarenûm
Dant uirides poſt terga lacus, ubi deſide mitra
Fœta ligat, partuq; uirum fouet ipſa ſoluto.

Vt ſit ſenſus: poſt Chalybas promontorium Genetæi Iouis, dant poſt terga, hoc eſt prænternauigant. Tum uirides lacus Tibarenorum: uirides, ſcilicet, quoniã pecore abundant, atq; ob id paſcuis, quibus ſcilicet Tibarenis mos eſt, uti à parturientibus, iamq; etiam partu liberatis uxoribus, uiri in lecto mitrati collocentur, & ipſi uice puerperarum foueantur, curenturq;: quod ex Apollonio mira breuitate tralatum, cuius in libro ſecundo ſunt hi uerſus. — Tibarenorũ mos.

Τοὺς δὲ μετ' αὐτίκ' ἔπειτα Γενηταίου Διὸς ἄκρην
γνάμψαντες, σώοντο παρὲξ Τιβαρηνίδα γαῖαν.
Ἔνθ' ἐπεὶ ἄρ κε τέκονται ὑπ' ἀνδράσι τέκνα γυναῖκες,
Αὐτοὶ μὲν στενάχουσιν ἐνὶ λεχέεσσι πεσόντες,
Κράατα δησάμενοι· ταὶ δ' εὐκομέουσιν ἐδωδῇ
Ἀνέρας, ἠδὲ λοετρὰ λεχώϊα τοῖσι πένονται.

Addunt interpretes Apollonij, ſcriptum id etiam à Nymphodoro in Tiſinomis, tum Genetæũ promontorium à Genete fluuio uocatũ, in quo templum ſit hoſpitalis Iouis, quem Xenion appellant. Idem eodem libro ſic ſcribit Apollonius: — Genetæum promontorium. Iupiter ξένιος.

Ἄγχι δὲ ναιετάουσι πολύῤῥηνες Τιβαρηνοὶ
Ζηνὸς εὐξείνοιο Γενηταίην ὑπὲρ ἄκρην.

Quo loco πολύῤῥηνες ab agnorum copia dicti. Vnde uirides lacus eruditè dixit Valerius, ob paſcua, ut arbitror. De Tibarenis etiam Orpheus in Argonauticis poſt Chalybas meminit ſtatim: & eoſdem Strabo libro XII. Tibarnos appellat. Quod autem de Eribote quæſieras: fuit is filius Teleontis, de quo ſic idem ſcribit Apollonius libro primo. — Tibarni. Strobini. Eribotes.

Εἵπετο δ' Εὐρυτίων τε καὶ ἀλκήεις Ἐριβώτης
Υἷες ὁ μὲν Τελέοντος, ὁ δ' Ἴρου Ἀκτορίδαο.
Ἤτοι ὁ μὲν Τελέοντος ἐϋκλεὴς Ἐριβώτης,
Ἴρου δ' Εὐρυτίων, σὺν καὶ τρίτος ἦεν Ὀϊλεύς.

Literas contubernali tuo commendatitias ad Oratorem Florentinum, paulo negotio impetrabimus à Laurentio Medice: qui ſi mihi quaſi uni è minutioribus literatis, nihil non indulget, cur quicquam tibi literarum principi deneget? Vale, & ſi quid te dignum ex antiquitate habes, participa quæſo nobis, tui cupidiſſimis. Et Vaſinio dic ſalutem meis uerbis. Florentiæ, IIII. Calend. Martij. M. CCCCLXXXVIII.

POMPONIVS LAETVS ANG. POLITIANO S. D.

IAm tempus appetit eruditiſſime, & candidiſſime Italorũ, ut Lucretij
libros remittas, ut uir integer fidẽ ſoluas. Dabis ferendos ad urbem Pe
treio, homini fidei ſummæ, qui celebritatẽ tui nominis cum cæteris no
ſtri ordinis amat, colit, ueneratur. Nam quiſquis eſt, qui de ſe bene ſen
ſerit, gratulari plurimũ debet ſeculo noſtro, cùm tales habeat uiros, quales maio-
res noſtri in ſumma gloria habuiſſe duxiſſent. Data opera Florentiã ſe confert, ut
te ſæpius uiſat, & ut totus ex lima tua pendeat: utinam & mihi liceret. Cùm de alti
Graculatim & ſturnatim. tudine tui ingenij cogito, non poſſum non admirari, cur noſtri graculatim & ſtur
natim (ut ita loquar) ad te non aduolent. Legi opus tuum, in quo apertiſſimè do-
ctrina quadã ſingulari ueteres ab inferis reuocaſſe uideris. Sed parcius in præſen
tia, prædicatione mea non indiges, ſatis enim tuo labore clarus es. Verũ quoti-
es de aliquo ſublimi interpretatio eſt, unus Politianus occurris. Ego quid de per
ſpicaciſſimo ingenio tuo ſentiam, una epiſtola, & longa quidem, explicui, quan-
quàm in ea re quid longum eſſe poteſt? Credo diſtuliſti carmina Lucretij remittẽ
re, propter uariarum diſciplinarum occupationẽ. Obſecro, atq; obteſtor, effice ut
ad ſuum Quirinum redeant. Habeo quadã uetuſtiſſima monimenta, quæ cùm ui
deris obſtupeſces, admirabe→iſq;, quòd nuper effoſſa, erutaq;, & inuẽta, in illa tua
obſeruatione reperiantur. Qua de re diuinitatẽ quandam in te eſſe intellego, ut
uerè animus tuus ſit de cœlo ſumptus ignis. Dij te ſeruent. Cõmenda me Medici
bus, patri & liberis literarum patronis. Deinde plurima ſalute Demetriũ imper-
tias. Vale. Romæ, ante v. Calendas Iunij.

ANG. POLITIANVS POMPONIO SVO S. D.

LVcretium Petreio dedi, quẽ tibi iam redderet. Vah, tam ſerò, inquis?
Fateor: ſed non plus negligentia mea, quàm tuæ humanitatis fiducia,
dũ alia ex alijs in quibus opera ponatur, occurrunt, dilatus hic in qua-
driennium liber eſt, qui uel triduo poterat abſolui. Cæterum ego Pom
ponij mei menſor, qui quidem neſcit offendi, à Politiano præſertim, prętuli auda-
cter officio commodum. Petreio nondum frui licuit, ut optabam, probo, & anti-
quis moribus homine. Iam tum peregrè aberam, cùm ille Florentiam, ſtatimq;
peregrinationem meam ruſticatio excepit. Spero tamen dierum paucorum iactu
ram, ut in urbem reuerterimus, inrupta (quod aiunt) copula ſarciet. Quas in me
laudes conſers, quanquàm agnoſcere ſalua fronte non auſim, tamen ob id gratiſ-
ſimas habui, quoniam cùm nec irriſio in iſtos mores, nec adulatio cadat, neceſſe
eſt laudatio hæc aut ex amore in me nimio, aut ex uero proficiſcatur: quorũ cùm
ſit utrunq; mihi glorioſum, alterum diu in uotis, alterum etiam ſupra uota eſt. Mo
nimenta illa, quæ narras antiquitatis, iamiam tractare, complecti, adorare geſtio:
per fortunas imperti, ſi quid habes, quod excellat. Medices noſtri unicè tibi fa-
uent. Demetrius autem ſalutem ſibi à te dictam totidem uerbis remuneratur. Va
le. In Fæſulano ſexto Idus Auguſti. M. CCCCXCI.

BAPTISTA GVARINVS IOANNI PICO MIRANDVLAE S. D.

NOndum concedo ſecundum te litem dari oportere: nam facilè poſſum
Retorquere. turas iſtas captiones in te *ἀντιστρέφειν*. Si tibi præceptor ſum, cur mihi nõ
obſequeris? Si non ſum, cur me præceptorem appellas? Neq; ideo no-
men hoc recuſo, quòd te diſcipulum ſpernã, quem mihi præceptorem
aſſero, ſed quòd tuam doctrinam & ueneror, & prædico, in qua te neq; unguium
meorum nota, neq; tranſuerſi calami ſigno, neq; miniata cerula, neq; obeliſco de-
niq;, aut aſteriſco, tantũ promouiſſe mihi conſcius ſum. Sed in nouum quoddam
uindiciarum

uindiciarum genus(ut uideo)incidimus,dum tu mihi eam poſſeſſionem aſſerere contendis,qua ego cedere conor. Quæ unquam Rhetorum cauſa huius generis actorem, aut reum habuit? Ego, mi Pice, nunquã in hac pugna tibi herbã porrigam,niſi prius bona cũ gratia compoſuerimus(ut quando aliter non ſuccumbis) uterq; noſtrum alteri præceptor pariter,& diſcipulus iudicetur. Sed omiſſis iocis ſeria agamus:& Heptaplus tua,& tuipſe tibi meritò placere potes,cùm omnia doctorum hominum puncta ita ſis aſſecutus,ut ne in tabellæ quidẽ latebra liuor ullus appareat.Idem in reliquis ſcriptis facilius tibi datum iri ſperandum eſt,cùm uſus etiam acceſſerit,qui ſolet in ſcribendo magiſter haberi optimus. Quod ad me attinet,gaudeo uehementer laudato uiro,& ab omnibus,ac ubiq; laudando Laurentio me in ore eſſe, addito præſertim Politiani calculo: cuius ego copioſam, & arcanam multiplicis diſciplinæ lectionẽ ita complector, ut admirer, ita admiror, ut cõmendare non deſinam. Quo fit ut extra doctrinæ aleam me ab illo poni, triumphi inſtar exiſtimem. Quòd librorum meorum indicem petis,id mihi & laborioſum eſt,& inutile.Satis erit,ſi pro tempore poſtulatis meis inſeruies. Nũc Martianum Capellam, & Senecæ quæſtiones naturales opto, ſi modo emaculati ſint codices:Nam qui apud nos ſunt,opera Sibyllæ indigent.Eos ſi impreſſos emere poſſim,gratius mihi erit:ſin minus,non longo poſtliminio tui ad te redibunt. Vale ſpecimen bonarum diſciplinarum,meq; amare perge. Ferrariæ,Non.Decemb. M.CCCCLXXXIX.

Vſus in ſcribendo magiſter.

ANG. POLITIANVS BAPTISTAE GVARINO SVO S. P.

OStendit epiſtolã mihi nuper ad ſe tuam Ioannes Picus Mirandula,princeps omni laude cumulatiſſimus: in ea cùm tu mihi multum tribueres ex recenti Miſcellaneorũ fœtura, tum uerò ſeorſum in ſcheda ſyllabas notaſti aliquas,in quibus meam nonnihil diligentiam requirebas. Sed hoc poſterius tamen ita cunctanter, ita ſuſpicioſe feciſti, quaſi deniq; metuiſſes, ne me lędi grauius putarem,ſicubi abs te non doctiſſimo ſolùm uiro, ſed optimo quoq; redarguerer. Ego igitur quanquàm diſſimulare non poſſum, laudationem mihi tuam fuiſſe pro eo ac debuit omnino gratiſſimã,tamen ut eam quoq; plauſibilius exciperem, cauſa fuit in primis, quòd abundè fidem blanditijs illis tuis comes addita libertas, ne dixerim caſtigatio faciebat. Etenim non ego auidius refellam,quàm refelli me patiar,& opinionum fallacijs,quaſi morbis animi præcipuis, multò etiam libentius ipſe carcam,quàm cæteros liberem. Tuum uerò mihi omnino,quaſi pro lapide Lydio, iudicium debet eſſe. Nam ut illo purum dinoſcitur aurum ab adulterino,ſic apud me de tua facilè ſententia uerum uidetur poſſe, falſumq; diſcerni. Nec eſt in quo tam bene de proprijs mihi ſtudijs ſpondeam,quàm quòd ita diſputare ſoleo de ambiguis,ut plus inuento uero gaudeam, ꝙ uictoria. Quanquàm autem abs te tantæ autoritatis homine prouocatio non eſt, tamẽ pro tua ſingulari humanitate quæſo benignè audias quid ad iſta reſpondeam. Negas probare te quòd imolare prima breui, quòd item matutinus prioribus correptis ſyllabis enuntiauerim. Ego uerò tametſi rudis in primis, non adeò tamen obtuſi ſum pectoris,in uerſibus maximè faciundis,ut ſpatia iſta,moraſq; non ſentiã. Verùm cùm mihi de Græco penè ad uerbum forent antiquiſſima interpretanda carmina,fateor affectaui equidem,ut in uerbis obſoletam uetuſtatem,ſic in menſura ipſa,& numero gratam quandã,ut ſperaui, nouitatem. Nec autem putabam fore, ut cùm Vergilius, acerrimi uir iudicij, uerſus aliquoties Homeri uatis exemplo caudam trahentes effinxerit, non etiam mihi tale quippiã, præſertim Græca uertenti concederet. Quocirca uerſiculos feci de induſtria prominuli quaſi uentris,

Lapis Lydius.

qui medij pedem quaterna tempora ſuperantem caperent, ex argumento προκελ-λιυς appellatos. Qualis apud Homerum puta ſit ille: πατρόκλε πολέων ἀνδρέστατε καὶ φίλος ἡυ. Sed quoniam quod ego ſtudio nouitatis quæſiueram ſyllabarum ſcilicet ignorationi plerıq; tribuebant, mandaui ſtatim, quibus maximè potui, amicis, ad quos ulla modò exemplaria perueniſſent, ut uerſiculos eos uelut in quadram redigerent, ad hoc exemplum: Luce feri, nam lux ſuperis gratiſſima diuis. Et item: O puerae, emicuit rubor haud mora, matutina Quem roſa, etc. Cuius enim ſtultitiæ, uel cuius potius improbitatis fuiſſet agere diutius, etiã bonã fabulã, quàm continuò populus exſibilaret? Itaq; magnopere à te peto, cures mihi primo quoq; tempore, non auſim dicere tua, ſed ſcholaſtici alicuius manu locum ſic utrunq; in omnibus quotquot iſthic erunt exemplaribus emendandum. Nam ut tibi poteſtas uenalium quoq; fiat, ipſi continuò per literas cauebimus. Iam uerò, *Liquere prima breui.* quòd liquentibus prima correpta dici uix permittis, equidem in eo Vergiliũ ſequebar, cuius illa certè ſunt notiſſima: Principio cœlum, ac terras, campoſq; liquentes. &, Ignemq;, horribilemq; feram, fluuiumq; liquentem. Nec me fallunt autem, liquentia mella, ſic apud eundem poſita, ut quantum ſcilicet in tempore, *Orichalcum ſecũda breui.* tantum ſit in intellectu diſcriminis. Sed & orichalcum breui ſecunda dictum reprehendis, quæ tamen ſyllaba diphthongo notatur. Ad hæc illo ipſo quem tum *Callimachus.* locũ interpretabar, οὐδ' ἐς ὀρείχαλκον dixerat Callimachus, unus mihi tum quidem *Statius.* præ cæteris ſequendus, quanquam aliàs quoq; grauiſſimus autor. Nam quòd Statius aliter uſurpat iure ſuo, uidelicet una diphthongum litera defraudat: quod & *Bœotia.* in Pleiadum uocabulo non reformidat. Poſtremò quæris idem, ut cur & Bœotia *Boetia.* ſcribam: ſed enim quærere ego quoq; uiciſſim poteram, cur tu Boetia potius, nullo ſcilicet in has uocales Græcorum tranſitu, quem modò uel præcepta tradide-*Vulgus.* rint, uel rationes perſuaſerint, uel autoritas comprobauerit: niſi fortè uulgus imperitum reſpicimus, nullo prorſus habendum numero apud eruditos, quorum te principem ſemper exiſtimauimus. Adde, quò hanc noſtram uocis iſtius ſcripturam, ſicut è Græco primùm demigrauit, intemeratã ſeruant exemplaria quæcunque adhuc incorruptæ uetuſtatis indole cenſentur. Hæc igitur habui nunc quidem, quæ pro mea cauſa dicerem. Verùm quando tu unus omnium ætatis noſtrę *Pyrrhonij qui, uide apud Aul. Gel. lib. 11. cap. 5.* profeſſorum celeberrimus aliter ſentis, nihil iam credo mihi, ſed ad Pyrrhonios planè deficio: nec eſſe prorſus aut affirmo poſthac, aut nego quicquam, ſicuti nobis uel à ſenſibus ipſis, uel ab animo denique repræſentatur. Cupio tamen & de cæteris quid ſentias audire, tanto maiorẽ tibi habiturus quotidie gratiam, quanto ab erroribus me uel ſæpius, uel liberius, uel poſtremò etiam ſeuerius uindicaueris. Vale.

BAPTISTA GVARINVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

GAudeo mirificè, interprete Pico noſtro Palladio magis quàm Martio, datam eſſe nobis occaſiunculam, ut de cõmunibus ſtudijs aliquid per literas colloquamur. Sic enim fore ſpero, ut amor in doctrinam tuam meus, amicitiam inter nos conflet. Quòd autem ita cunctanter, & meticuloſe ad Picũ ipſum nonnulla de aureolo Miſcellaneorũ tuorum libro ſcripſi, id neutiquam mirari debes: ita ſunt horum temporum mores, ut ſi quis liberius quid proferat, bellicum ceciniſſe uideatur. In me, Angele mi ſuauiſſime, ut nullus eſt loliginis ſuccus, ita eſt candida, & ſine labe ſimplicitas. Doctos omnes amo, coloq;, & nouos neſcio quomodo magis etiam, quàm ueteres admiror. Quippe cum hoc tempore & librorum iactura, & morum aliquorum ignoratio, & multarum

tarum rerũ deſuetudo anxiam,laborioſamq́; pariat emergendi difficultatẽ: quare ignoſces mihi, ſi ex alijs animum ſpectaui tuum. Quia tamen te maximè diligebam,ut hominem eruditiſſimum,cupiebamq́; ſine exceptione ab omnibus poſſe laudari,ideo quæ ſentiebam à liuidulis ſortaſſe notatum iri,ea tibi clandeſtina aliqua uia nota fieri deſideraui. Delectatus ſum uehementer tua iſta probitate, qua neq; tuliſti ægrè te commoneri,& rogaſti, ut de cæteris idem facerem: quia eis te gratiam habere profitearis,qui ab erroribus te uindicauerint. Nõ ego tantũ mihi arrogo,ut quod tu ignoraueris,ego id me ſcire credam. Sed ſcribentib. omnibus id uſu uenire ſolet,ut in ſcriptis ſuis(dum noua ſunt)relegẽdis, uel obaudiant,uel conniueant,ut taceam opiniones nõnullas,quarum inuentionibus applaudunt. Quod ni ita eſſet,non in præceptis haberemus: Nonumq́; prematur in annum. Si quid autem à me bene dictum uideatur,Terentianum illud, non tamen aſſentatoriè reſpondebo: Ridiculum,non enim cogitaras. Cæterùm idem iſthuc tutè melius quanto inueniſſes? Vt aliquando ad rem ueniam,dabo operam,ut qui reſidui ſunt apud mercatorem libri tui, nõ niſi ex tua ſententia exeant. Ego ſumptu meo habueram librum ipſum apud me hoſpitem: poſteaquam tamen etiam gratis alterũ fratrem in contubernio eſſe uoluiſti, uſus ſum tua liberalitate,ut ego munificus eſſe poſſim,& ut tibi plus debeam. Leoniceno & Pictorio munus tuũ tradam,cum abs te reſponſum accepero. Magnificis Laurentio & Pico me cõmendes rogo. Vale. Ferrariæ,quarto Calendas Ianuarias, M.CCCCLXXXIX.

ANG. POLITIANVS BAPTISTAE GVARINO SVO S.

Bene habet. Amicos undiq; Miſcellanea nobis aut comparant,aut excitant. Vndiq; epiſtolæ ad nos, uel de nobis excellentium uirorum plenæ ſtudij,plenæ laudum. Vel proximæ duæ abs te, ꝙ ingenuæ, bone deus, quàm ſimplices,quàm liberales,quantis poſtremò,& quibus aſperſæ amoris notis: mitto enim quàm elegantes, & doctæ. Proprium uidelicet hoc eius domus, in qua duntaxat etiam ipſa bonarũ artium ſunt incunabula. Quos igitur mihi tanta iſta ſeu iudicia, ſeu ſtudia ueſtra admouete aculeos, imò uerò quos ad ſcribendum ſubdere ſtimulos debent? Iam facilè contemno, quas & contempſi tamen ſemper,ineptias maleuolorum,& nugas uerè dixerim abortiuas (prius enim penè emortuæ quàm editæ) tuis mihi ſuffragantibus epiſtolis, etiã phœnice uiuacioribus.Ego uerò alacer iam doctorum clamorib. adiutus ad huius calcem curriculi propero.Quin (ſi modò tu non aſpernaris) curabo extet ad poſteros in reliquis meis ſcriptis perpetuum,non dixerim doctrinæ tuæ, quo quidem minus eges, ſed certè beneuoli inter nos animi teſtimonium. Vale: Pictorium que noſtrum, candidiſſimum hominem, ſaluere iube meis & Pici uerbis. Florentiæ, quinto Idus Ianuar. M.CCCCLXXXIX.

BAPTISTA GVARINVS ANGELO POLITIANO S. D.

Nolim exiſtimes maxima eſſe tuarum laudũ præconia, quæ ad te in epiſtolis perſcribuntur. Multo enim maiora ſunt, quæ ſtudioſi humanitatis in animis ſuis ex libro tuo taciti concipiunt,aut cum in cœtu ſunt,de te colloquuntur: uno ore omnes omnia bona dicunt, doctrinam tuam prædicant, extollunt, admirantur. Nemo eſt qui precio deterreatur, quo minus Miſcellanea domi habeat, unde diſcat. Hæc ſunt uera eruditionis teſtimonia, in quibus nulla eſt placendi adulandi'ue ſuſpicio. Quo magis miror dubitari à te, an cupiam ſcriptis tuis famam meam immortalẽ fieri,quaſi cornea mihi ſit fibra: non id ego quoq; expetam, in quod fertur humanæ naturæ procliuitas. Illud tamen monuiſſe, aut ſaltem rogaſſe uelim, ut & morſibus uiuentium, & laudationibus

(non enim adulationes appellauerim) quàm minimè in ſcribendo utaris. Nam prætèrquàm quòd ea res dignitati ſcribentis officit, multi ſunt qui magis affectionibus animi id ſcribendi genus, quàm uero iudicio acceptum referant. Non temerè hoc dici putes: audio enim perſæpe quæ de reliquis circumferantur, & tamen liberum tibi in hiſce rebus examen relinquo, quem etiam plus uidere arbitror. Salutem tibi Pictorij noſtri uerbis dico: tu uerò magnificis Laurentio & Pico me commendabis. Vale. Ferr. XVI. Cal. Ian. M.CCCCXC.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER SECVNDVS.

ANGELVS POLITIANVS PHILIPPO BEROALDO SVO S. D.

LEGIT epiſtolam mihi nuper ad ſe tuam Picus hic Mirandula noſter, planè flos illibatus ingeniorum, cuius in extrema clauſula noſtri quoq; ſic honorificam mentionē faciebas, ut in quodam ueluti literatorum conſeſſu, proximos uidelicet ab illo mihi gradus aſſignaueris. Hanc igitur ego tuā (ſi modò ita uocetur) ſententiam, quamuis audire citra ruborem, gnarus inſcitiæ meæ, nō poteram, tamen quòd ab inſigni quadam beneuolentia proficiſcebatur, ita gratanter accepi, ut uix tantundē fuerim uoluptatis habiturus, ſi mihi eſſe illa, quæ de me pronunciabas, uera perſuaſiſſem. Nam quāuis teſtimonio conſcientia repugnet, lætor tamē alicui talem me uideri poſſe, qualem tua me fingit, hoc eſt, hominis eruditiſſimi, prædicatio. Quare ſtatim dictaui hanc tibi epiſtolā, Beroalde, qua docerem quantopere mihi tuum tale laudationis officium blandiatur, ſimulq; darem fidem nulli me prorſus occaſioni defuturum, rerumq; poſthac, & temporū planè omneis articulos excuſſurum, donec tibi pro ſtudio erga me tali, & animo tandem quoquomodo referam gratiam. Vale, Florentiæ, XVII Calend. Febr. M.CCCCLXXXIX.

PHILIPPVS BEROALDVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

PErlegi oppidò quàm libens literas illas, quas ad me nuperrimè dediſti, & quia tuæ ſunt, & quia literatæ. Miſcellanea tua doctiſſimum te eſſe teſtantur, epiſtolæ humaniſſimum. Turpe eſt uinci eruditione, humanitate uerò turpiſſimum. Inde fit, ut mihi non minutula labecula inſpergatur, ſed maxima labes, & ea quidem ineluibilis inſigatur, cum abs te uincar in utroq;. Aſſurgebat iam primùm literatio noſtra tuæ politiſſimæ literaturę, neq; id diſſimulanter, iam uerò & illa quoq;, quæ in me alioqui non improbari ſolet humanitas, tuæ cedit humanitati, adeò ut tibi comparatus poſſim meritò inhumanus iudicari. In aliena tibi epiſtola ſalutem tranſeunter adſcripſeram: tu (quæ tua dexteritas eſt) eueſtigiò me per epiſtolam reſalutaſti, quæ ſua planè politura Politianum oſtentat artificem, totaq; eſt officij beneuolentiæq; refertiſſima. Cui ut breuiter reſpondeam: non opus eſt mi Politiane, ut mihi gratias agas, ob meū de ſingulari tua uirtute uel teſtimonium, uel iudicium. Etenim ſi nolo uideri mēdax, & uanus, id faciam, quod facio, neceſſe eſt. Præterea perſuaſiſſimum habe, me in primore fronte animum geſtare, nec à labijs diſſentire præcordia: concordat in me ſcriptio cum mente, lingua cum pectore, & de promptuario noſtro ſyncera promun-

promuntur citra omnem fucatam ſimulationem. Eruditio tua illa interior atq; politior, à nemine non paulo humaniore ſuſpicitur, à me & ſuſpicit & amatur. Hoc in præſentia fit, hoc idem fiet in poſterum: Sum & ero tuarum laudum, ſi non idoneus, ſaltem beneuolus buccinator. Olim iſthic iecimus amicitiæ inter nos mutuæ fundamenta: quæ cùm id temporis à nobis glutino literario fuerint ferruminata, ſupereſt ut eodem deinceps ferrumine immiſſo, ad faſtigium extollantur. Quod ad amuſſim fiet, & libellam, ſi epiſtolæ inter nos ultro citroq; diſcurrerint, ſi fuerit inter nos, ſi non quotidiana, ſaltem hebdomadica literarum reciprocatio. Quæ in fulturis amicitiæ ſtabiliendis laterculorum, aut calcis haud dubiè uicem repræſentant. Patefactæ ſunt amicitiarum fores, quarum me futurum ſubinde hoſpitem polliceor. Vale decus literarum, & quod Pico Polyhiſtori meo nomine debes, eidem meo nomine reſoluito. Vale.

NICOLAVS LEONICENVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

Vnus Miſcellaneorum tuorũ, quæ tuo nomine Baptiſta Guarinus nuper mihi tradidit, ingenti me uoluptate affecit. Nam etſi à politioris humanitatis ſtudijs iampridem feriatus ſim, gaudeo tamen à doctiſſimis atq; amiciſſimis hominibus mihi aliquando occaſionem pręſtari ad ea ſtudia redeundi, quæ me in adoleſcentia maximè delectarunt. Quanquam (ut uerum fatear) poſtquam opus id perlegi, uiſus ſum non in alienis agris cum diſpendio, ſed in proprio ſolo, magna cum utilitate uerſari. Inueni in eo non modò quæ ad literaturam, ac poetarum & oratorum cognitionem plurimùm conferunt, ſed & medicorum & philoſophorum ſententias doctè atq; eleganter abs te explicatas, & in ueriorem lucem eductas, quàm in aliorum libris perlegantur. Quæ res non mediocrem mihi ſpem affert, fore ut aliquando philoſophia uniuerſa, quæ iampridem apud barbaros barbarà facta eſt, Angeli Politiani opera Latinè loqui incipiat. Habuiſti (ut ſcribis) à teneris annis præceptores præſtãtiſſimos, ſub quibus & Platonicam & Ariſtotelicam diſciplinam imbibere potuiſti: nunc uerò, ut ex tuis ſcriptis accepi, frueris conſuetudine Pici noſtri, principis nunquam ſatis laudati: cuius doctrinæ imitatione ſummum ſapientiæ culmen, quemadmodum iam in oratoria ac poetica facultate eminenniſſimum obtines locum, breui attingere poteris. Niſi utrũq; amarem, utriq; plurimum deberem, inuiderem felicitati ueſtræ, quibus in præclariſſima Italiæ ciuitate, ſub Laurentio Medice, ac Petro filio, eximijs ætate noſtra uirtutis, atq; ingeniorum patronis, per ſummũ otium ingenuè philoſophari contigit. Vtinam ego is eſſem, quem uos tertium ſocium tantis rebus adiungere non indignum iudicaretis. Si facultas daretur uobiſcum uiuere, uobiſcum emori uellem. Nam quid ſuauius, quid conducibilius eſſe in uita poteſt, quàm cum amiciſſimis, ijſdemq; & integerrimis, & undecunque doctiſſimis, quales uos eſtis, uiuere? Sed erit (ut ſpero) ut reliquum iam ingraueſcentis ætatis meæ uobiſcum traducam, non modò propter conſuetudinis ſuauitatem, ſed etiam ut cõmentemur quo'nam modo pereunti doctrinæ, ac uitæ hominum potius, quos multorum inſcitia ἄϊδι ποϊάματα, conſulamus. Vale. Magnifico Petro tuo, in cuius olim pueri, dum Florentiæ eſſem, me gratiam inſinuaſti, nunc iam iuueni, atq; una cum ætate uirtutibus ac dignitate, ut audio, aucto, ſi tibi uidetur, me plurimùm cõmendabis. Ex Ferraria,

v. Calend. Februarij.

ANGELVS POLITIANVS NICOLAO LEONICENO SVO S. D.

NOn tu munus accepiſti, quinimò dediſti potius, ut qui dignum me habueris, cuius etiam nugas lectitares. Niſi magis iniuria ſit hæc, florales agentem ſpectari à Catone. Feriatum diu te dicis à literis politioribus: at ego, ſi talem ſcribere epiſtolam qui feriatur, poteſt, qualem tu miſiſti nuper omnium elegantiſſimam, cenſeo eſſe mihi quoq; quacunq; occaſione feriandum. Sed ita eſt profectò, bonæ iſtæ artes, literæ, philoſophiæ que ueſtræ non prius tenentur ſingulæ, quàm ſimul omnes. Omneis uerò ætate noſtra, tu, ſi non ſolus, certè cum paucis, hoc eſt, cum uno aut altero ad ſummum tenes. Sed de reliquis aliàs. Galeni uerò commentarios uidi nuper, quos tu planè Latinos feciſti. Auguror, nec puto me fallit augurium, plurimùm poſteritati collaturos. Nam ſeculo etiam huic noſtro nondum audeo ſperare, quoniam praua conſuetudine ſic penè quidam homines obbrútuerunt, ut glandem adhuc defendant repertis frugibus. Similesq; mihi Gryllo uidentur illi qui cum Vlyſſe diſputat apud Plutarchum, nec ullis adduci rationibus poteſt, ut è ſue rurſus in hominem redire uelit, quem prius ex homine Circe mutauerat in ſuem. Gratulatio tua quòd philoſophiæ me totum dediderim, quantum mihi bonæ ſpei addidit. Perſeuerabimus igitur, præſertim cum bene ceſſerit adhuc quod hactenus publicè ſpecimen dedimus, non modò docendo, ſed etiã diſputando. Facit animos credo Picus hic noſter, qui cum diu comparem ſibi non inueniat in arena, certanti mihi, laborantiq; tamen unicè fauet. Isq; cum mihi tale quiddã fortè, quale Glauco illi Caryſtio pater acclamauit τὴν ἐπ' ἀρότρω, terram mediusfidius ipſam ſubijcere uidetur Antæi pedibus. Atq; utinam tu quoq; nobiſcum uiueres eodem cõtubernio, crederem fore, ut & Muſæ huc omnes (ſi modò ullæ uſquam ſunt Muſę) cum ſuis & nemoribus & fontibus, ne dixerim cum ſua modò ſupellectile, commigrarent, & indoctorum barbarorumq; phalanges, quæ totum ferè orbem ſignis poſitis exultantes tenent, facilè te & Pico ducibus, fugarent. Laurentius Petrusq; Medices, hoc eſt, cum filio ſuauiſſimo pater humaniſſimus certatim te diligunt, occaſionemq; ſibi dari uolunt, qua beneuolentię ipſorum aliquãdo erga te uberiorem fructum, plenioremq; percipias. Vale.

NICOLAVS LEONICENVS ANG. POLITIANO SVO S. D.

QVemadmodum non multum dolẽter ſero ab hominibus illaudatis uituperari, ita plurimùm gaudeo à uiris nunquam ſatis laudatis cõmendari. Nam etſi illi aut odio aut inuidiæ liuore obcæcati omnibus detrahunt, hi uerò plura quandoq; amori ac beneuolentiæ tribuunt, quàm ueritati, non parum tamen intereſſe cenſeo, hoc ne an illo affectu quicquam agatur. Quis enim Therſiti maledicenti, ac nemini parcenti credat: Neſtori uerò, à cuius ore melle dulcior diſtillat oratio, non aſſentiatur? Ego ſanè, etſi nihil me eſſe ſciam, tuæ tamen orationis perſuaſione ac lepôre ductus, aliquod iam nomen ac decus cenſeo poſſidere. Neq; in animum inducere poſſum, quin tuum de me iudicium nonnulli ſint approbaturi. Si non illi, qui (ut in tua elegantiſſima epiſtola ſcribis) iam obbrutuerunt, & à glande neſciunt deſueſcere, ſaltem ij, quos rectæ ſtudia delectant, exigui ſanè numero, ſed bello uiuida uirtus. Horum armis atque auxilijs fretus, barbarorum phalanges, atq; eorum qui à nobis ad illos defecerũt, impetus inſolentiasq; contemnam. Tu modò, mi Politiane, eum te mihi exhibe, qui ſemper fuiſti erga me, hoc eſt, mei honoris ac dignitatis acerrimum defenſorem. Laurentium uerò ac Petrum Medices, hoc eſt, cum patre filium humaniſſimum in

mum in

mum in me dilectione certantes, quandoquidem tu ille fuiſti, qui mihi quodcūq;
hoc regni, qui ſceptra, Iouemq; tua apud illos autoritate ac gratia conciliaſti, ſtu-
deas in eodem erga me amore conſeruare. Vale.

ANG. POLITIANVS NICOLAO LEONICENO SVO S. D.

DIctata illa tua, Nicolae, quibus Auicennæ refellis inſcitiam, doceſque *Auicenna.*
medicos iuniores quanta in caligine rerum uerſentur, neſcio plus ne
mihi uoluptatis an doloris attulerint. Nam & gauiſus mirificè ſum res
eas, quibus hominum uita salusq; continetur, ab eo potiſſimum uiro
editas eſſe in lucem, quem quidem ego ſemper ingenij diſciplinarumque meritò
plurimi fecerim: & indolui rurſus generis humani uicem, quòd in ſe graſſari tam
diu impunè triſtem hanc inſcitiam patiatur, atque ab ijs interdum uitæ ſpem pre-
cio emat, unde mors certiſſima proficiſcatur. Quis enim nō uideat plus eſſe à me- *In medicos im-*
dico, quàm à morbo periculi: ſiquidē & morbus alius pro alio curetur, & alia pro *peritos.*
alijs remedia afferantur? Quòd ſi te priſca illa, Nicolae, tuliſſet ætas, in qua pro
meritis præmia reddebantur, ne deorum quidem honoribus caruiſſes: niſi fortè
maius eſſe credimus, unum aut alterum (quod Aeſculapius fecit) à morte quàm *Aeſculapius.*
omneis pariter homines (quod ipſe facis) à mortis etiam periculo eripere. Qua-
re perge obſecro; qua inſtituiſti uia, ſcilicet ut una opera & immortalem tibi glo-
riam parias, & omnibus uerè hactenus mortalibus ægris uitam ſalutemq; conci-
lies. Quòd autem Plinium quoq; redarguis noſtrum, quaſi ciſthon pro hedera *Plinius.*
acceperit, in hoc ego, ut liberè agam, & amicè, longè à te diſſentio. Nec autem ue-
rebor eius uiri patrociniū ſuſcipere audacter, qui fuerit de uita & literis tam præ-
clarè meritus, præſertim aduerſus te, hoc eſt, aduerſus eminentem philoſophum,
cui nihil ueritate ipſa debeat eſſe antiquius. De ueſtris enim illa ſunt ſcholis; ami- *Veritas.*
cus Socrates, amicior ueritas: & item, amici ambo, plus tamen habendum hono-
ris ueritati eſt. Plinius igitur, ut quidem tu ais, perinde atq; Auicenna ciſthon ab *Plinij & Aui-*
hedera non diſtinguit, errore (ſi quidem ita ſit) maximo, quando ciſthos ab hede- *cennæ error*
ra plurimum & figura & colore & uiribus differat. Addiſq; mirandum de Plinio *circa ciſthon*
magis quàm de Auicenna, quoniam Græcæ linguæ peritus ſecernere à ciſſo, hoc *& hederam.*
eſt, ab hedera, ciſthon debuerat. Argumentum affers quamobrem alterum ab al-
tero non ſeparet, quòd in libro Naturalis hiſtoriæ decimoſexto diuidat in marem
ac fœminam, floremq; utriuſq; ſimilem dicat eſſe roſæ ſyluestri. Tum idem lib. IIII
& XX ciſthon quoq; illam, ſub qua naſcitur hypociſthis, in marem diuidat & fœ-
minam, mariq; roſaceum, fœminæ album tribuat florem. Poſtremò, quòd etiā ci-
ſthi huius feciſſe inter hederas mentionē ſe dicat. Quocirca ſic uideris poſſe col-
ligere: cum Plinius libro IIII & XX mentionē ſe de ciſtho inter hederas feciſſe
doceat, cuius tamen uocabulum nuſquam ſuperius inter hederas citetur, facilis
coniectura eſt, ciſthon ab eo hederæ nomine cōprehenſam, præſertim qui ſic he-
deram, quemadmodum & ciſthon in marem fœminamq; partiatur, & in hederis
florem deſcribat ciſthi. Iam quoniam quid tibi uideatur expoſui, quid ego contrà
opiner diſſeram. Nego uſquam à Plinio inter hederas ciſthi mentionem factam, *Defendit Pli-*
præterq; lib. IIII & XX ubi illam præclarè diſtinxit ab hedera. Nam quod tibi ſu- *nium.*
mis quaſi Plinij teſtimonium, alibi eum de ciſtho inter hederas locutum, hoc ego
neutiquā cōcedo. Mihi enim, ubi hoc ait, in IIII & XX ſcilicet libro, diſſerere de
ciſtho aduſq; illam tantum clauſulam uidetur, quæ ſic eſt apud ipſum: Sub his na-
ſcitur hypociſthis. Poſt id autem ſtatim interpungitur, ac de integro ſic uerba in-
cipiunt: Quam inter hederas diximus ciſſos erythranos, ab eiſdem appellatur
ſimilis hederæ. Nec autem uereor (quæ tua eſt in literis elegantia) quin figuram

agnoſcas,cuiuſmodi apud Ouidiũ eſt: Quam legis à rapta Briſeide littera uenit.
Et iterũ: Quam niſi tu dederis,caritura eſt ipſa,ſalutem Mittit Amazonio Creſ-
ſa puella uiro. Quòd ſi illud, quam, referre ad id malis, quod antegreditur, co-
geris ad hypociſthida potius (hæc enim ſtatim prior) quàm ad ciſthon referre.
deq; hypociſthide tacet omnino ſuperius,hoc eſt,libro decimoſexto inter hede-
ras,cum de erythrano tamen loquatur. Quid? quòd nec ciſthon alibi uſquã no-
minat inter hederas, nec maris fœminæq; diſcrimen tam ciſthi proprium, quàm
omnium planè arborum uirgultorumq; uidetur,quod nec idem Plinius diſſimu-
lat. Quid? quòd flos quoq; diuerſus perhibetur, in hedera quidem maris & fœ-
minę concolor,in ciſtho autem planè diſcolor. Nam quòd hederaceum ſylueſtri
roſæ comparat, non tam colorem inſinuari,quàm lanuginẽ puto, qualis intra ro-
ſas eſt. Vnde etiam hederæ florem χνοώδη Theophraſtus appellauerit. Satis igi-
tur (ut arbitror) apparet,nihil eſſe quod nos fateri cogat Plinium libro XVI. ci-
ſthon inter hederas retuliſſe, qui tamẽ idem libro IIII & XX ſic hederæ ciſthon,
quemadmodum & chamęciſſon adnexuit: nõ quia ciſthon hederamq; eſſe idem
crediderit, ſed quòd eam Græci uicino (ſic enim inquit) uocabulo appellent.
Quare ne quenquam ſimilitudo uocabuli falleret, ibi potiſſimum diſtinctiones
adhibuit,ubi confuſionis occaſio naſcebatur: nec eo contentus,etiam ciſthi pro-
prietates prorſus ab hedera diuerſas adiecit. Nuſquã enim hederam ſic antè de-
ſcripſerat,ut aut maiorẽ thymo,aut ocymi folijs, aut poſtremò albo eſſe flore do-
cuerit. Quamobrem quis iam dubitet ſecundum Plinium pronunciari oportere,
quem ne ſuſpicio quidẽ ulla iſtius erroris attingat? Illud obiter mirari me fateor,
quid ita tibi in mentem uenerit,ledon herbam, ſeu tu ladam mauis,unde & lada-
num uocetur,Latinam uocem arbitrari prorſus,quaſi non & Dioſcorides, & alij
ueteres Gręci paſſim ut patria,uernaculaq; utantur, tam Hercules quàm & Lada
no.Hæc habui, mi Nicolae,quæ tibi pro Plinio (uera'ne an falſa neſcio, ſed mihi
tamen ueriſimilia) obijcerem.Quæ ſi tibi doctiſſimo homini probabuntur,læta-
bor equidem Latinum autorem non in eadem eſſe alea, qua barbari. Sin minus
expecto iam quid ad hæc noſtra qualiacunque reſpondeas. Etenim cum grauiſſi
ma ſit apud eruditiſſimum quemq; Plinij autoritas,aut non tentanda fuit, aut ali-
quanto fortius,quàm certè adhuc feciſſe uidearis,conuellenda. Vale.

NICOLAVS LEONICENVS ANGELO POLI-
TIANO SVO S. D.

GAudeo plurimùm, Angele uir doctiſſime, ſtudium meum in refellenda
inſcitia barbarorum,qui de medicina ſcripſerunt, abs te nunquam ſatis
laudato uiro probari. Non enim ego id de te ſentio, quod fortè pleriq;,
qui in ea hæreſi ſunt, hominem eloquentem non poſſe de alijs diſci-
plinis iudicare: quaſi earum peritia carere ſit neceſſarium ei qui bonarum litera-
rum, ac politioris humanitatis ſtudijs fuerit imbutus. Noui ego tuum perſpica-
ciſſimum ingenium, noui feruens iam inde à pueritia ſtudium,non minus ad phi
loſophiæ doctrinam, quàm ad oratoriam atque poeticam capeſſendã: in quibus
omnibus tantum profeciſti, ut tua te patria inclyta Florentia omnium liberalium
artium utatur præceptore. Nec ſanè mirandum te unum eſſe perpaucorum, qui
ætate noſtra eloquentiam cum ſapientia iunxerunt, cum in eiuſdem ſapientiæ ſtu
dio habeas ducem, ac comitem diuino uirum ingenio, Ioannem Picum Miran-
dulam noſtrum, cum quo dies ac noctes in omni doctrinarum meditatione uer-
ſaris: ac præterea tibi omnia ad ingenuè philoſophandum adiumenta ſuppeditet
fauor ac gratia Laurentij Medicis, maximi hac tempeſtate ſtudiorũ patroni, qui

miſſis per uniuerſum terrarũ orbem nuncijs, in omni diſciplinarũ genere libros
ſumma ope cõquirit, nulli ſumptui parcit, quò tibi ac reliquis præclaris ingenijs
bonarum artium ſtudia æmulantibus, inſtrumẽta abundantiſſima paret. Audiui,
te referente, uocem illam præclaram ex Laurentij ore prodijſſe, optare tanta ſibi
abs te, ac Pico noſtro ad libros emendos præſtari incitamenta, ut tandẽ deficien-
tibus ſumptibus, totam ſupellectilem oppignerare cogatur. Cum igitur omnia &
animi & fortunæ bona in te cumulatiſſima ſint, nihil eſt quod Angelo Politiano
pro me contra barbaros pronunciante, quempiam deinceps timere debeam, qui
illorum patrocinium ſit ſuſcepturus. Quòd autem, ut iure à me barbaros repre-
hendi iudicaſti, ita non approbas, quòd Plinium de uita ac literis optimè meritũ,
intra eandem cum barbaris aleam poſuerim: cuius tanta ſit apud peritiſſimum
quemque autoritas, ut aut eam tentare non debuerim, aut ſi omnino conuellen-
dam duxeram, fortius id à me fieri, quàm adhuc feciſſe uidear, oportuerit: Si me
fortè hiſce uerbis (ut qui mecum amicè omnia potes) temeritatis atq; impuden-
tiæ tacitè accuſas, qui tantæ exiſtimationis uirum præclarum iam quodammodo
deprehendere quæſiuerim, habeo iam excuſationem mihi ex tua epiſtola para-
tam. Fateris enim uera eſſe, quæ in ſcholis noſtris lectitantur: amicus Plato, ma- *Amicus Plato, amica ueritas.*
gis amica ueritas: ſed cum ambo ſint amici, pium eſſe ueritatẽ in honore præfer-
re. Cum igitur ego ita ſentirem, Plinium non minus quàm cæteros in hederæ de-
ſcriptione, alterius plantæ, quæ apud Græcos κισθὸς appellatur, nominis uicinita-
te deceptum, quoniam hedera à Græcis κισσὸς dicatur, indicia non ſine errore mi
ſcuiſſe, nolui, quantum in me erat, pati ueritatem ipſam in obſcuro iacere. Quòd
autem fortius atq; euidentius hunc à me errorem indicari oportuiſſe cenſes, ſcito
non fuiſſe tunc animi mei propoſitum, Plinij autoritatem peſſundare. Nam cum
illa dictabam, præcipua erat mihi contentio cum barbaris. Atq; ideo cum de he-
dera ſermo haberetur, cuius naturam non ſatis Auicennæ cognitam fuiſſe pro-
bare contendebam, obiter, ac ueluti quodam in tranſcurſu Plinium quoque in a-
liorum mentione nominaui. Quem tamen non dixi unà cum Auicenna ac reli-
quis erraſſe, ſed uideri in eodem cum alijs errore uerſari. Vide quàm modeſtius
de Plinio, quàm de alijs tunc ſim locutus, quos non uideri eodem errore deuiare,
ſed planè aberraſſe aſſeueraui. Quòd ſi is mihi animus tunc fuiſſet, aut nũc etiam
eſſet, Plinij errata in lucem patefacere, potuiſſem & tunc, & nũc quoque poſſem
integrum de eiſdem implere uolumen. Pauca tamen è multis hoc in loco cenſui
aperienda, ut intelligas me non temerario iudicio, ſed certiſſimis rationibus ad-
ductum, ut exiſtimarem Plinium in hederæ deſcriptione, quemadmodum in mul
tis alijs ad medicinam pertinentibus, aberraſſe. Illud uerò mihi primùm tecum
conueniat, tam apud Græcos, quàm apud Latinos, atque etiam barbaros, Dio- *Dioſcorides.*
ſcoridem eſſe ſummum autorem, atque præcipuum, cui in herbarum ac fruticum
deſcriptionibus fides ſit adhibenda. Nam & Plinius ipſe non minus hunc quàm
Theophraſtum in hac parte ſecutus uidetur, ut qui utramque linguam, & Græ-
cam & Latinam nouerit, ſententias integras Dioſcoridis, quaſi uerbum ex uer-
bo, à Plinio translatas agnoſcat. Galenus præterea, homo cùm in omnium libe- *Galenus.*
ralium artiũ, tum in medicinæ præſertim diſciplina præcipuus, in ſuo de ſimplici-
bus medicamentis libro, ſe à deſcribendis herbarũ imaginib. ſuperſediſſe fatetur,
quoniã abundè in hoc ſtudio fuerat à Dioſcoride ſatisfactũ. Nec Serapio Arabs *Serapio.*
herbas deſcribere aggreſſus, alijs eas notis indicauit, quàm Dioſcorides: quãuis & ip
ſe, nõ rectè in omnib. imitando Dioſcoridẽ, libros ſuos innumeris impleuit erro-
ribus. Quos niſi ſperarẽ aliquando in lucem fore detegendos ſtudio ac diligẽtia

inclyt

inclyti præſulis Hermolai Barbari, patriarchæ Aquileienſis, uiri omniũ diſciplinarum peritiſſimi, libentius ſanè aliquando notarē, quàm hoſce Plinij in præſentia ſim recitaturus, tum quia magis me iuuat contra homines barbaros, quàm Latinos agere, tum quia maius humano generi ex Serapionis inſcitia, quàm ex Plinio periculum imminet. Siquidem ętate noſtra omnes ferè medici in ſimplicium medicaminum cognitione Serapionem ſequuntur: Pliniũ autem nec legendum quidem exiſtimant, quòd eum in numero grammaticorum, uel oratorum, nõ autem philoſophorum aut medicorum habendum iudicent. Ego uerò, etſi non inficias eo Plinium omnium doctrinarum ſtudia excoluiſſe, multa tamen, de quibus in ſuis de naturali hiſtoria libris conſcripſit, non ſatis illi comperta atq; explorata fuiſſe crediderim. Ex quo illud ſecutum eſt, ut cum non ea ſcriberet, quæ ipſe nouiſſet, ſed quæ potius à diuerſis autoribus uariè ſcripta collegiſſet, ſæpius diuerſa pro eiſdem, atq; eadem pro diuerſis retuliſſe uideatur. Quam quidē rem me tibi homini doctiſſimo facilè probaturum ſpero, ſi paululum ſepoſito affectu, nõ tanquam Plinij patronus, ſed potius iudex, hæc quæ in Plinio notaturi ſumus errata, diligentius perpendere atq; examinare uolueris. Vale.

ANGELVS POLITIANVS IOVINIANO PONTANO S. D.

ETſi magnum te dolorem Ferdinandi regis interitu cepiſſe nõ dubito, propterea quòd in illo & autoritas & ſapiẽtia tanta fuit, quantam uix in rege unquam alio meminimus, tamen cum mecum ipſe conſidero, quis ei regi rex ſuccedat, penè eſſe nefas arbitror, uel te, uel quenquã ex ijs, qui rebus ueſtris fauent: quorũ de numero nos quoq; ſumus, maiore aliquo in luctu mœſtitiaq; uerſari. Nam cũ uobis regni hæres (quod felix fauſtumq; ſit) Alfonſus alter maximus natu filius obtigerit, cuius excellens ingenium, ſingularis uirtus, incredibilis ſapientia, bello & pace claruit, ingrati profectò fuerimus, ſi non quantum relictũ, ſed quantum ſit ademptum, reſpexerimus: præſertim cum ſubſidijs tot tantiſq; regnum fulciatur. Dux enim ſuffectus Calabris Ferdinãdus alter Alfonſi filius, quem & ipſum nobis fama refert omnibus corporis, animiq; dotibus excellere, ſic ut multis magniſq; rebus non dubium iam regiæ cuiuſdam indolis ſpecimen dederit. Accedit eò Federicus magna prudentia, magna dexteritate, magno uſu rerum, ſed maiore in regem fratrem beneuolentia, fide, pietate. Mitto neceſſitudines alias, opes, exercitus, duces, ſocios, ſtudia, popularium præſidia, munimenta, propugnacula, quæ nullis penè humanis uiribus labefactari poſſe uideantur. Opem uerò diuinam quis rogo uel ſperare, uel polliceri ſibi magis poteſt, quàm qui Turcas impios ferro igniq; ſequens, non tam ab oppido Hydrunte, quàm (ut mihi uidetur) ab Roma ipſa, quam primùm petebant, atq; adeò à ſanctiſſimis illis altaribus expulerit. Quapropter tametſi magna omnino facta eſt iactura Ferdinandi obitu, tamen quoniam uigiliam quaſi ſuam filio tradidit, regem'que pro ſe, quem potiſſimum uoluit, reliquit in omni genere laudis excellentem, non debetis ullo pacto, mi Pontane, quicunque inter officia regis eſtis, mœrori uos dedere, ſed animo præſenti, quod equidem te facere arbitror, præſtò eſſe, diligentiam'que omnem ueſtram, uidelicet ad eum (quantum quidem fieri poteſt) cura, labore, moleſtia'que leuandum conferre. Te uerò etiam ſeorſum gratias agere deo maximo conuenit, quòd eum quem in hanc ſpem à tenero educaſti, quem diſciplinis ornaſti, quem præceptis inſtituiſti, regem iam uides: atque ita regem non modò ut regno pulcherrimo iſto quidem, atque opulentiſſimo

lentiſſimo, ſed ut etiam orbis terrarum imperio digniſſimus habeatur. Hæc ego ut ad te ſcriberem, præcipuus quidam meus erga te, principesq́ tuos, amor impulit. Sed & multum quoq; adhortatus eſt alumnus hic meus, idemq́ patronus, noſtræq́ reipublicæ columen Petrus Medices, excellenti iuuenis & animo & ingenio, quo nihil fieri poteſt, mi Pontane, tui amantius. nam regi ipſi tuo, quàm ſeſe idem totum, penitusq́ tradiderit, nihil attinet ſcribere, præſertim ad te, cui nota ſunt omnia. Sed tamen ita de illo ſemper & honorificè loquitur, & amanter, ut cęteris penè reliqui nihil faciat. Atq; hæc hactenus. Quòd autem ſuperioribus diebus excuſaſti diligenter occupationes tuas, propterea quòd epiſtolæ cuidam noſtræ non reſponderas, nimis officioſus homo es (ut uideo) nimis humanus. Me enim, quamuis omnino equidem literas tuas gratiſſimas haberē, nihil delectare poteſt, quod cum tua ulla moleſtia tribuatur. Tantum illud ignoſcas uelim, quòd dum ſtudio in te meo, & amori obſequor, non ſum ueritus, ſemel iterumq́ tuis occupationibus obſtrepere. Licet autem per me tibi (dummodo amare non deſinas) non ſolum non reſpondere ad literas meas, ſed ne legere eas quidem, ſi ita ſit commodum. Vale.

HIERONYMVS DONATVS IOANNI PICO MIRANDVLAE S. D.

QVæ meæ partes eſſe debuerant, eas omnes tibi ſumpſiſti, Pice doctiſſime, teipſum apud me negligētię inſimulans, & in eo crimine, cuius ego apud te maximè reus ſum, excuſationem quærens. Parum tibi uidetur alios ingenio & eruditione præcellere, niſi modeſtia quoq;, & humanitate uincas non ſolum alios, ſed teipſum. At uerò obſecro, harum uirtutum munera ita amplectaris, ut nobis quoq; aliquam obeundi officij noſtri occaſionē relinquas: ne dum harum omnes tibi partes uendicas, nos inhumani atq; inciuiles habeamur: qua ego in re (quæ mea eſt impudentia) iam non excuſo negligentiā, ſed accuſo humanitatem tuam. Quòd ſcribis te non temporariam meců, ſed perpetuam amicitiam ſtatuiſſe, nō ſolum ea cauſa tibi me plurimū debere intellego, uerumetiam rectè mihi amicitiam definiſſe uideris: quæ temporaria cum ſit, iam amicitia eſſe non poteſt. Illud ſcito, me eam in meorum ornamentorū delectu ſepoſuiſſe. Quid enim mihi accidere poteſt præclarius, quàm à tanto uiro non laudari ſolum, ſed etiam amari? Hermolaus noſter incredibilem doctrinarū tranquillitatem, & ſtudiorum φιλοπονίαν curat maxima utilitate eruditorū: uideo eſſe ſummum, ac ratum quiddam, quod ſperare poſſunt literæ, eo incolumi. Eius ego conſuetudinem, quam mihi tantopere inuides, eadem penu ſeruo, qua & amicitiam tuam. Nihil præterea adeò θαυμαστὸν cenſeo, quod aſſequi ingenio & eruditione non poſſis, præſertim quia audio te τῆς ἰταλικῆς παιδείας χάριν iſtuc demigraſſe. Quod ego conſiliū ita laudo, ut magis laudare non poſſim. Nam τὸ δ' ἦν γλυκύτερον ἢ πᾶν εἴργαι. Ego Politianum tibi inuideo, hominem fertiliſſimi & facundiſſimi ingenij, cuius Ruſticum nuper legi: uiſus eſt mihi ſplendor ætatis noſtræ, & τῶν ἐπ' ἀληθείᾳ πεπλασμένον ἐκ Διὸς ὄρνος. Cui ea de me polliceri te meis uerbis poſtulo, quæ ab homine amiciſſimo expectare poteſt. Vtor autem te internuncio, in auſpicanda mihi cum eo beneuolentia, cum fretus humanitate tua, tum quòd τῷ μουσῶν ἱεπυρῷ σόματι per te, qui eruditiſſimus es, me conciliari cōuenit. Vale, & puta nihil mihi tuis literis eſſe iucundius. Plura laxiore ocio ad te ſcribam. Venetijs XVII. Calend. Ianuarij, M.CCCCLXXXIIII.

ANGELVS POLITIANVS HIERONYMO DONATO SVO S. D.

Iudicium amici.

IN epiſtola quadam tua ad Picum noſtrũ, cùm me pleraq; delectaſſent, tum ut ad te ſcriberem ſubinuitauit iudicium, quod affers de Ruſtico: utinam quidem tam uerum, quàm honorificum. Quod ego tamẽ non iudicium adeò de me, ſed ſtudium potius in me, ac beneficium interpretor. Neq; enim ita mihi ſum inexploratus, ut tibi amiciſsimo homini, atq; ob id minus integro iudici, plus de me credendum ſtatuam, quàm ipſe mihi: niſi forrè ita me ludit illa poetarũ (quod Horatius inquit) amabilis inſania, ut nunquam congrediar mecum, nunq; de tergo in pectus manticam reuocem. Quòd ſi poeticen ſequitur, uelut umbra corpus, cæcus ille amor ſui, qui φιλαυτία dicit̃, quæq; pleroſq; infatuat, attollens uacuum plus nimio gloria uerticem: fateor iam nunc piget me candidatum poetices haberi tam ingrata uice, tam triſti ac pœnitenda mercede. Alioqui ne Lycius quidem ille me ſtultior χρύσεα χαλκείων demutauerit ἑκατόμβοια ἐννεαβοίων. Cæterùm nihil minus debemus tibi, uel ſentienti de nobis, uel ſentiri ab alijs poſtulanti, quæ nec agnoſcat cõſcientia noſtra, nec ferat pudor. Siue enim ut cæteros fallas, ne tua quidem ornamenta, hoc eſt, laudum tuarum ſupellectilẽ mihi inuides: ſiue ipſe fallaris potius, meaq; te uel uitia delectãt: utrunq; amoris eſt, & quidem non uulgaris: ſiquidẽ Achilles quoq; Patroclo ſua arma induit, & Alcæum uatem næuus etiam in articulo pueri delectabat. Quare ſi me amas, id quod ſcio, iam ſcilicet dubitare non potes, quin ego te redamem. Siquidem aiunt amorem nullo magis emi, quàm ſeipſo. Neq; tamen, ſicut amantem mutuò amo, ita laudantem uiciſsim te laudo. Quippe in reponendis beneficijs lex eſt illa Heſiodi cuſtodienda, ut eadem menſura reddas, aut etiam cumulatiore, ſi poſſis. Sed cum tu, quas habes orationis diuitias, cum tu, inquam, iſto ingenio uir, iſtaq; doctrina, in me unum è medio homunculum laudes tantas ipſo (quod aiunt) horreo cõgeſſeris, qui poſſum ego de reditu maligni, incultiq; ſoli, ſaltem alterum tantum tibi, nedum plus aliquid remetiri? niſi tamen uelut Echo illa tuas tibi uoces regeram atq; refundam. Sed uereor, ne ſi quæcũq; dederis, reſignauero, tibiq; laudes tuas, quas precariò poſſideam, remiſero, nudum ipſe me ſtatuam, & ut illa Aeſopi cornicula, plumis ablatis, moueam riſum. Atqui tamen nec illud ſaltem me potes ingrati reum peragere, cùm uicariam pro me ſolutionem ſponte ſuſcipiat, ac meas parteis ſubleuet ſacer hic Picus, dicã, an phœnix? cuius tu ſemper in ore illo es Muſarũ, Gratiarumq; pleno. Quo ſcilicet inſpirante nos quoq; impellimur ad te, ſuprà etiam quàm ualemus, ſed tamen adhuc infrà quàm cupimus, efferendum. Nam par quidem tanto perferendo oneri ipſe ſolus. Nos autẽ de eo ſic pendemus, ut de magnete Platonis annuli ferrei. Ipſeq; in nos uim quandam arcanam depluit, quaſiq; ἐνθουσιασμόν, qui plus etiam poſſe nos cogit, quàm ſponte poſſumus. Ipſe quaſi Pauſarius modos, & incitamenta dat nobis laudandi tui, laudandi unà tecum Hermolai Barbari, hominis, ut mihi quidem uidetur, unius ex reliquijs aurei ſeculi, quãuis ipſe longè doctior, & nõ illi ſanctiores. Sed ingreſſos plerunq; nos ſuper uobis aliquid ῥαψῳδιῶν tam multa in cœlũ aura leuat, ut Icarium quandoq; caſum formidemus. Vides autem nũc quoq; me quaſi νυμφόληπτον etiam in epiſtola neſcio quid exhibere διθυραμβικώτερον. Quid tu igitur frontem obducis? An ſcilicet te fugit indulgendum hoc mihi, quicquid eſt furoris? uel quòd omnis paulo humaniores iuxta adamo, ac ſim (quod dicit̃) amuſſis alba: uel quòd tibi quoq; non abhorrẽs uideor à Muſis, Picoq; item ipſi, & fortaſſe Hermolao, triumuiris ſcilicet literarijs: qui ſi me uel tantillũ probatis,

Lex Heſiodi in beneficijs reponendis.

iam nunc medium oſtendo digitum nõ popello tantum,& literatoribus,ſed philoſophis adeò ipſis,ne excepto quidem Platone,ſed Florentino. Vale.

HIERONYMVS DONATVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

EGo uerò,Politiane doctiſſime,tui erga me amoris fructus gratiſſimos & iucundiſſimos cepiſſe me ſentio, neq; aliunde uberiores honorificentioresq; prouentus expecto. Nam & in amicitia reſpondiſſe te uideo, αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον, & te, id quod nunquam dubitaui,non Politianũ modò,uerùm & πολιτικώτατον eſſe percipio,ſociata tam rara, exactaq; eloquentia infinitæ propè humanitati atq; modeſtiæ. Quòd ſi rationes negotiorum meorum excuſſero, atq; inuicem retulero, nihil me ab eo die quo ad Picũ nouiſſimè ſcripſi,præſtantius lucrifeciſſe comperiam tua hac epiſtola,dij boni,quantum Attica,erecta,exculta,quantum deniq; amabili,ut in ea ſummus amor, ſummaq; eruditio cõtendere uideantur: neq; facilè utrum excellat dignoſci poſſit. utriuſq; rei euidentiſſimas cauſas cõiectari facillimum eſt. Eruditio enim diuino ingenio, ſtudio infatigabili,tota ex te ipſo ſumma eſt: beneuolentia uerò,nõ ingentiſſima eſſe non poteſt, qua me, Pico autore,complexus es. Ego tamen iam antea amare te cœperam,ſed defuit illa, εἰς τοιαύτην συνάγουσα ὁμιλία, qua tamen in poſterum beneficio literarũ non indigebimus. Attamen meminiſſe te ſuſpicor,ferè enim quinquennium agitur,cum apud nos uerſabaris, te Hermolao, ac mihi tunc parentis & patrui morte ſqualido ac pullato carmen illud aureum de ſacrilega ac ſanguinaria Iuliani cæde recitaſſe. Ex quo nunquam apud me eruditorum hominũ mentio facta eſt,quin mihi ex omnibus primus occurreres. mox in tua illa Ruſtico elegantiſſima, magnus à me ſemper habitus, maior inuentus es. Quamobrẽ id tibi perſuaſum uelim,ea te mecum amoris & officij fundamenta ieciſſe, ut nullo caſu ruere,nulla ui conuelli poſſint. Cuius fructus candidiſſimos, & mihi omniũ longè gratiſſimos,hoc eſt,literas tuas,expecto. Neq; ſolum literas,ſed interdũ quoq; amœniſſimas Muſas: quæ cum ad me uenerint, tunc maximè Theocriti carmen illud ſuauiſſimum cantabo: *De cæde Iuliani.*

Τᾶς μοι πᾶς εἴη πλέος δ᾽ ἐμὸς, ὅτι γὰρ ὕπνος,
Οὔτ᾽ ἔαρ ἐξαπίνας γλυκερώτερον, ὅτι μελίσσαις
Ανθεα ὅσσον ἐμοὶ μοῦσαι πωλιτιανοῦ φίλαι.

Vale,& me ama, à quo amaris plurimùm. Venetijs v t. Idus Iunij M.XIID.

HIERONYMVS DONATVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

SAlue Politiane mi. Tandiu humaniſſimis literis tuis reſpõdere diſtuli, ut putẽ me nunc potius ad te ſcribere quàm reſcribere. Imputabis ſiue occupatiões publicas, ſiue priuatam deſidiam,modò abdices omnem aut obliuionis aut arrogantiæ ſuſpicionem. Equidẽ Politiane mi,nullum ego theſaurum cõparari poſſe cenſeo amico,qui & probus & doctus ſit, nec aliunde homini locupletior felicitatis prouentus accedit, quàm ex uera incorruptaq; amicitia,quam uirtus probitasq; cõciliat. Quo fit, ut ego ſæpiſſimè ueſtram iſtam ſub parente patriæ Laurentio academiam abſens mirari, & amare maximè ſoleam. In qua præclara ſimul optimarum artium morumq; precia contra pertinaciſſimas animi ſordes,uirium atq; inſcitiam conſpirauerunt. Quorſum hæc? ut facilè tibi perſuadeas me quanq; tardius reſcripſerim, ſummopere tamen delectatum eſſe humaniſſimis & eruditiſſimis literis tuis. In ijs præclarum iſtud ueſtrum otium intueri licet,& doctrinarum quietem uobis inuidere. Nam nos & publica *Amicitia.*

 & pri-

& priuata diſtringunt, & noſtra ferè ſunt temporis furta, non ſtudia. Gratulor uobis amœniſſimas Muſas, literatiſſimum otium, quibus abſens impēſe faueo, ſubſcribo, & bene opto, cùm ueſtra, tum bonarum artium cauſa. Sed hæc ſatis. Scio iſthic apud uos eſſe complura Alexandri Aphrodiſei uolumina in uarijs generibus doctrinarum, præcipuè uerò in philoſophia naturali. Sunt item apud me hic nonnulla illius opera mirè erudita, & grauia. In his habenť duo uolumina, περὶ ψυχῆς, quæ per hos dies perlegi. Alterū ex his uoluminib. principiū habet eiuſmodi, περὶ ψυχῆς, τί τ' ἐστὶ, καὶ τίς αὐτῆς ἡ οὐσία. Is libellus apud me ferè poſt principium mutilus eſt. Cupio me certiorem reddas, nunquid apud uos in delectiſſima iſta Medicum bibliotheca totus atq; incolumis ſit. Quòd ſi (ut ſpero) illæſus & integer, mihi gratiſſimum facies, ſi primum huius libri caput tranſcribi feceris, & ad me mitti curaueris: ſi negotium librario commiſeris, neq; præceleri, uix horam abſumet. Vale. Picum meum ſaluere iube. Cum dico Picum, doctos etiam omnes intellego. Iterum uale. Mediolani, pridie Cal. Aprilis, M.CCCCLXXXX.

ANGELVS POLITIANVS HIERONYMO DONATO SVO S. D.

ETſi literarum tuarum ſemper incredibili deſiderio teneor, propterea q́ mihi ex eruditione fructus, ex elegantia uoluptas, ex authoritate ſummus honos conciliatur, facilè tamen id ego differri nonnunquam patior, uel ne te à ſtudijs auocem potioribus, uel certè ut exemplum mihi tuum ſexcentas iam debenti epiſtolas patrocinetur. Roges cauſas tanti debiti. Nō inficior deſidiam eſſe primam, quæ mihi ſemper, neſcio quo pacto, fuit in delicijs. Sed tamen & occupatiunculæ, uel trichæ potius ineptæ quædam, moleſtæq; nimis, otium omne meū penè inter ſeſe ſcripulatim partiuntur. Nam ſi quis breue dictum, quod in gladij capulo, uel in anuli legatur emblemate: ſi quis uerſum lecto, aut cubiculo, ſi quis inſigne aliquod non argento dixerim, ſed fictilibus omnino ſuis deſiderat, ilicò ad Politianum curſitat, omnesq; iam parietes à me quaſi à limace uideas oblitos argumentis uarijs, & titulis. Ecce alius Bacchanalib. Feſcenninorum argutias, alius conciliabulis ſanctas ſermocinationes, alius citharæ miſerabiles nænias, alius peruigilio licētioſas cantilenas efflagitat. Ille mihi proprios amores ſtultus ſtultiori narrat. Ille ſymbolum poſcit, quod ſuæ tantum pateat, cæterorum fruſtra coniecturas exerceat. Mitto ſcholaſticorum garritus intempeſtiuos, uerſificatorum nugas, ſeq;, & ſua de more admirantium, quæ quotidie cuncta demiſſis auriculis perpetior. Quid plebeculam dicam, uel urbanam, uel agreſtem, quæ me tota urbe ad ſuū negotium, quaſi naſo bubalū trahit? Ergo dum proteruè inſtantibus negare nihil audeo, cogor & amicos uexare cæteros, & (quod moleſtiſſimum eſt) ipſius in primis Laurentij mei Medicis abuti facilitate. Quare adeò mihi nullus inter hæc ſcribendi reſtat, aut commentandi locus, ut ipſum quoq; horarium ſacerdotis officium penè (quod uix expiabile credo) minutatim concidatur. Poſtremò cum nihil faciam, nunquam ſum tamē otioſus, imò dum cuiuſuis eſſe compellor, nec meus eſſe planè, nec cuiuſquam poſſum.

Horariū officium.

Proinde ſicubi diſtulero poſthac, aut omiſero ad te reſponſum, ſcito me ſtatim, ſicuti ſoleam, nugas agendo fuiſſe occupatum. Laurentius Medices noſter uel ex epiſtolis tuis, quas ei ſemper honoris mei cauſa recito, uel ex huius magni Pici teſtimonio, qui tibi plurimùm tribuere ſolet, ita te iam diligit, ut nobiſcum ferè contendat. Hermolaū uerò ipſum Romę, hoc eſt, quàm oculatiſſimo loco, legatū fore, mirè gauiſus eſt, etiā ſtudiorū nomine. Quem ſic expectamus auidè, ut ſpe iam totum penè contriuerimus. Quòd ſi ſemel in itinere exceptus abire à nobis properabit,

perabit,

perabit, iam nunc dico atq; edico, uæ hominis togæ, uæ lacinijs. Alexandri uerò quos ais de anima libros, nullos ipſi prorſus hîc habemus, ſed nec extare quidem ſuſpicamur, quod ex indice quoq; ipſo, quē Seraticus ad te miſit, animaduertes. Quin rogamus ego & Picus, ut cum Venetias (quod propediem fore nunciant) remeaueris, eius deſcribendi copiam Laurentij Medicis librario facias. Equidem nonnullas Alexandri huius peracutas in philoſophia quæſtiones, anno iam tum ſuperiore Latinas feci. Sed & te quæpiam ſcriptoris eiuſdem narrat Seraticus interpretari. Tum Grimanus proxima æſtate miſſurum ſe mihi exemplar alterum, quod tibi pridem cōmodauerat, ultrò eſt pollicitus. Qua de re cōiecturam facio, potuiſſe illud accidere, ut eundem uterq; forte fortuna librum cōuerterimus. Hoc ſi non falſò ratiocinor, iam ſcilicet ſpongiam cogito, rogoq; mihi de eo quàm primùm ſignifices, ut ipſum ſaltem limæ laborem lucrifaciam. Vale, me'que Iacobis duobus, Volaterrano & Antiquario, hoc eſt, humanitatis ac probitatis geminis exemplaribus cōmenda. Florentiæ, X. Cal. Maias, M.CCCCLXXXX.

HIERONYMVS DONATVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

ACcepi Miſcellanea, percurri: iucundiſſima lectio, in qua delectari & iuuari uel doctiſſimus quiſq; poſſit. At, inquies, præceps iudiciū eſt, quod obiter fertur. Sed cum de re literaria agitur, iudicare de te poſſumus abdicatis iuris ſolennibus, etiam ſtantes, adeò cuiq; ſecurum eſt de eruditionum controuerſijs cum Politiano in tenebris quoq; dimicare. Mihi autem in eo opere tantum tribuis, quantum nec agnoſco, nec poſtulo. Perge (quod facis) iuuare bonas artes, neq; formides blateratorum, & ſciolorum aculeos: nunquam caruere inuidia egregij forteſq; conatus. ἀλλ' ὅμως (κρέσσων γὰρ οἰκτιρμῶν φθόνος) μὴ παρίει καλά, νώμα δικαίῳ πηδαλίῳ, Latinas literas. Fortaſſe enim hi maximè ex eo opere profecturi ſunt, quibus id magis ſordeſcere uidebitur. Vale, Mediolani XI Cal. Nouemb. M.CCCCLXXXIX.

ANGELVS POLITIANVS HIERONYMO DONATO SVO S. D.

NOn eſt is autoritatis meæ rigor, ut inuidentium flatus quaſi uentorum tutò poſſit excipere, ni ueſtris paucorum teſtimonijs, uelut adminiculis, ipſa per ſe decidua fulciatur. Equidem multorum accepi literas, ex quo Miſcellanea publicaui, laudantium ſcilicet (ut fit) & gratulantiū. Sed neſcio q̃ pacto de tuo, de Barbari, de Pici, de iſtiuſmodi perpaucorū iudicio, ſic ipſe me cenſeo, ut tum deniq; ſtare uidear, cum puncta omnia tulerim ſuffragij ueſtri. Quanquam etiam iſthinc reddita mihi nuper epiſtola eſt Iacobi Antiquarij, mirè grauis & erudita: quem mihi uirum minimè alioqui facie notum, ſæpenumero tamen Laurentius Medices meus à literis, à moribus, à prudentia commendauerat. In ea profectò epiſtola nec honeſtam indolem, nec expreſſam quandam uetuſtatis imaginem, nec textum illud operoſius, quale ueſtrum eſt, nec ullū denique ſtyli cultioris ornamentū requiſiueris, ut admitti, ni fallor, in iſtam quaſi prærogatiuam tribuum iure debeat. Sed de hoc ipſi uideritis. Epiſtolam uerò ad me tuam idem legit Laurētius, & quidē nō incurioſè, lectamq; uerbis exquiſitiſſimis laudauit, ſic ut mihi quoq; apud illum magna acceſſerit de tuo felici calamo commendatio. Nam quanquam mihi ille uir plus meritis ſemper tribuit, tamē ut tuas legit literas, uiſus eſt neſcio quo pacto fauere propēſius iudicio de me ſuo, & pluris aliquantò me poſt eam diem facere, quàm antea cōſueuiſſet. Iam'ne igitur ſentis, quantopere iſto literarum nomine debeam tibi, per quem factū ſit, ut ſibi iam

Laurentius ipſe placeat, quòd ego non diſpliceam? Quare te rogo, cum tibi à republica otium fuerit, ſcribas aliquando ad Politianum tuum, puteſq; te non epiſtolas ad ipſum, ſed ſtipendia mittere, ſed ſacerdotia, ſed honoris titulos, omniaq; deniq; uitæ humanæ commoda. Quorum cum ſemper autor ei Laurentius unus extiterit, tanto ſubinde potiora collaturus uidetur, quantò eundem gratiorem uobis, hoc eſt, religioſiſſimis artium bonarum cenſorib. intellexerit. Ioannes Picus Mirandula, lux omnium doctrinarũ, ſalutem tibi adſcribit: & ut item Merulæ Putcolanoq; nuncies, uterq; rogamus. Vale, Florẽtiæ, Cal. Decẽb. M.CCCCLXXXIX.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER TERTIVS.

ANGELVS POLITIANVS CALLIMACHO SVO S. D.

ETSI uideo quæ tu de me ſentias, prędiceſq;, amicius multò, ꝙ uerius & ſentiri, & prædicari, tamen gaudeo ea mihi tribui abs te, quæ ipſe in memet neutiquam agnoſcam. Quid enim non gaudeam me etiã præſtigia quadam ſenſum iſtum, prædicationemq; tuam lucrifacere? Nam haud dubiũ mihi quidem eſt, quin tu tibi quę ſcribis, etiam uera eſſe perſuaſeris, quando neq; tu ex ea nota es hominum, quos Homericus ille heros tantopere ſe peroſum cõfirmat, aliud in lingua promptum, aliud cluſum habentes in pectore: neq; ulla eſt cauſa, cur Politiano Callimachus palpum obtrudere poſtulet. Nõ fallis itaq; me, ſed ipſe abs te magis falleris: atq; adeò non falleris, uera ſentis, uera de me prædicas. Gratulare igitur iudicio de nobis tuo, atq; iſthanc opinionem perpetuò obtine, dum amorem, dum beneuolentiã obtineas: quin lauda me quoq; ut cœpiſti, ut ego ille laudatus uir, laudari me cum Næuiano Hectore gaudeam. Fiam autem, te laudatore, uendibilis potius, ꝙ uænalis. Neq; enim ſum unquã dominũ mutaturus, quare quicquid mihi aſtruxeris, tibi accreuerit. Sum quippe in tuo ære, & forſitan locellos iſthinc uſq; ad me miſiſti, gratiq; ſunt, ſcilicet quia feſtiui, quia tui. Sed gratias nõ ago, tutè enim beneficiũ dando accepiſti, nõ quia digno, ſed quia tuo, imò tibi (amicus ẽm alter ipſe eſt) atq; ob id digno, hoc eſt, Callimacho ipſi dediſti. Vale.

CALLIMACHVS ANG. POLITIANO S. D.

EA quæ mihi obijcis in principio literarum tuarum, adeò ſubinde argutè purgas, & eleganter, ut reſpondendi facultatẽ ſimul & cauſam mihi interceperis, planeq; indicaueris id quod prioribus literis meis aſſeueraui, diuinũ ingenium tuũ omnia poſſe. Itaq; omiſſis illis quæ neq; melius neq; ſubtilius dici pro me poſſunt, ꝙ dicta ſint à te, affirmo amicè, ſed & uerè, (neq; enim illud, niſi & hoc) quòd niſi iampridẽ mihi propè unicus uiſus eſſes, cuius carmen utile dulci cõmiſceat, nunc certè uolentẽ adduxiſſet me in eam ſententiam. Ruſticus tuus ſanè urbaniſſimus, doctrinaq; & elegantia plenus, & qui uerè ex fumo clariſſimam lucem efferat, atq; ob id eo titulo indigniſſimus. Vidi, & legenti placuere multa ſcriptorum noſtri temporis, ſed Ruſticũ hunc non ſatis eſt uidiſſe ſemel, iuuat uſq; morari, & conferre pedem: nihilq; in eo nõ ſummè placet, niſi quod deſinit, cum tamen deſit nihil, ut tam multa nemo alter, quàm tu afferre potuerit pro materia. Habeo itaq; tibi gratias, quòd locellos meos tanti duxeris, non poterant uendi carius, cũ donare inſtituiſſem: uoluiſti, ut in cæteris omnibus, etiã liberalitate me ſuperare, in qua hoc genere cõpenſandi uinci & cupio & patior. Vale literarũ decus, & doctrinæ. Leopoli, IIII. Cal. Octob. M.XVD.

LODOVI

LODOVICVS ODAXIVS ANG. POLITIANO SVO S. D.

Niſi mihi de liberaliſſimis moribus, & humaniſſimo ingenio tuo conſtaret, hanc nuper ad te ſcribendi prouinciam nō deſumerem, potiusq; in antiquo ſilentio perſiſterem. Mirum enim tibi fortaſſe uidebit, cur ego tecum exigua admodum, & quatuor horarum ſpatio contracta familiaritate deuinctus, qui plurimas tribus abhinc annis ad te ſcribendi occaſiones omiſerim, quas undequaq; aucupari debueram, nunc ad te potiſſimū ſcribere uoluerim, meamq; (ut opinor) temeritatem incuſabis, quòd nunc ſcribam, uel negligentiam, quòd antehac non ſcripſerim. Cæterùm quia non tam ex aliorū ſermone, quàm ex mea opinione mihi perſuaſi, te eum eſſe, qui omnes tibi ac uirtuti tuę deditos, nullo unquā tempore reijceres, ea propter has nunc ad te literulas amoris duntaxat atq; obſeruantiæ in te meæ teſtes eſſe uolui, quas ob ſubitam opportunitatem cuiuſdam iſthuc proficiſcentis exaraui. Quanquam igitur me prorſus ab omni uel ignauia, uel ruſticitate pręteriti ſilentij non excuſo, ſpero tamen fore, ut reliquum meum erga te ſtudium boni conſulas. Nam præter hanc ſcribendi diligentiam, qua ego iampridē initam Patauij familiaritatem confirmare debui, nullum à me cùm beneuoli, tum obſeruantis amici officium prætermiſſum puto. Siquidem à ſuperioribus annis, quo primùm tempore tua mihi uel doctrina uel humanitas innotuit, fui ſemper honorum, ac dignitatis tuæ ſtudioſiſſimus, ac ſæpiſſimè cùm apud alios eruditiſſimos uiros Venetijs & Patauij, tum hic apud principes meos de te ſum honorificentiſſimè locutus, effeci que (ut opinor) præconio meo, ut claritati tuæ maius quippiam ſplendoris adderetur. Quo fit, ut non dubitem me abs te in eorum amicorum numero collocari poſſe, qui (ut Iſocrates tuus aſſerit) non tam præſentes amicos uenerantur, quàm abſentes etiam amplectuntur. Principes ſanè mei, quibus cum de te frequentiſſimum ſermonem habui, de moribus atq; eruditione tua optimè ac magnificè ſentiunt. Quid ita? quia ego in eam opinionem adductus ſum, ut exiſtimem eum te fore, qui literarum ſtudioſis emolumentum, tibi uerò gloriam immortalem ſis allaturus. Cuius rei periculum feciſſes, ſi unà cum præſtantiſſimo diſcipulo tuo Roma diſcedens ſuperioribus diebus, Vrbinum ex condicto ueniſſes. Quòd ſi me nudiuſtertius audire potuiſſes de te uerba facientem unà cum Nino Bononienſi ſedecimuiro, homine mea quidem opinione plurimi faciendo, ſi nobilitatem, ſi diuitias, ſi liberalitatem morum, ſi literaturā inſpicias, profectò intellexiſſes ea præterquàm ab amantiſſimo homine dici, aut excogitari non potuiſſe. In eam confabulationem ueneramus, ut de uiris hoc tempore doctiſſimis loqueremur. In quibus facilè tu principatū obtinere uiſus es. Nec me amor, aut adulandi ſtudium fallit, à quo ſemper tanquam inteſtino morbo abhorrui. Sed quorſum hæc tam multa de officio erga te meo? Nempe ut intelligas me tibi eſſe, ac fore deditiſſimum, & ſi magno montiū ac regionum interuallo ſecludamur, teq; habere neminem, à quo maiori uel beneuolentia uel obſeruantia fouearis. Quòd ſi ulla unq; mihi occaſio euenerit, ut quapiam in re tibi morem gerere poſſim, id uerò in primis mihi iucundiſſimum erit. Quam quidem occaſionem abs te actutum pręueniri cupio, ne me in pollicendo quàm in præſtando liberaliorem autumes. Demetrium uerò uirū eruditiſſimum, Petrumq; in primis diſcipulum tuum elegantiſſimæ atq; ampliſſimæ ſpei adoleſcentem nomine meo ſaluos facito: cui librum ex Plutarcho traductum, unum ex multis ineptiarum mearum monumētis, dedicaui multos iam menſes, miſiſſemq; hactenus, ſi dignum putaſſem, qui in manus ueſtras eruditiſſimas perueniret: mittetur tamen clementia ueſtra potius allectus, quàm iudicio deterritus. Vale.

Ang. Polit.

ANG. POLITIANVS LODOVICO ODAXIO SVO S. D.

DEprehenderunt me in actu literæ tuæ, ideoq; lectas paulum in præſens ſepoſui, diligentius dein per otium recogniturus, ad eaſq; (ut par erat) cum primùm poſſem, reſponſurus. Id ſi ſerius quàm aut tu pateris, aut ego uoluiſſem, contingit: eſt tamen humanitatis tuę quicquid hoc eſt, quod facimus, boni conſulere. Neq; enim tam opellam aliquam alter ab altero, q̃ ipſum animũ requirimus. Neq; eñ continuò parũ amat, qui parũ officioſus eſt. Quare ne illud quidẽ in epiſtola tua ualde ꝓbo, ꝙ te tam ſcrupuloſe excuſas, cur aut antea nihil ad me ſcripſeris, aut nũc demũ ſcripſeris. Si eñ amamus ex animo inter nos, ſicuti certè amamus, quicquid alteri cõmodat, ꝑfectò utriq; cõmodat. Quare neq; diſſoluere, ſed nec laxare uolũtates noſtras, quaſi nodo Herculaneo cohærentes, aut ſilentium poſſit, aut ulla officij, præſertim nõ neceſſarij intermiſſio. Quò autem amicis iſta literarum uiciſſitudo? cùm ad abſentes tantum miſſitentur: amor autem uerus etiam abſenteis præſenteis faciat, niſi uel ipſis teſtãtur, uel alijs oſtentant mutuam uoluntatem. Sed neque teſtibus eget amor ſyncerus, quippe oculeus totus, ac lynceus, & qui Momi quoq; iudicium de poſitu humani corculi deſpuat: neq; ſe populo iactat, cum ſint amici κατ' ἐπίκαιρον, ſatis magnũ theatrũ alter alteri. Quin iſtam quoq;, penè dicam, ſuperſtitioſam probationem amoris in me tui totam tibi remitto. Eſt enim mihi, eſt eſt ad manum ſemper amicitię examen. Eſt & Hecatonis amatorium, quo te uel ingratis ad amandum compellam. Sed nec te monebo, ut principibus me tuis inſinues, neq; inuicem moneri me patiar, ut patronis te meis adiungã. Quoquò enim tu irrepſeris, ego ſequar. ubi ubi ego me adglutinauero, inde ſcilicet tu pendebis. Vt enim militem, cuſtodemq; eadem catena, ita par legitimum amicorum una tenet copula. Plutarchum Latinè iam per te loquentem ego atq; adoleſcens meus auidi expectamus, nihil mè quidem dubitãtes, quin ſit abſolutiſſimus futurus, uel ob id certè, ut alicui ex ueteribus Græcis τὰ δίδακτρα referas, quando ita Gręcè ab eis didiciſti, ut nouos docere iam omneis poſſis, & quod dicitur ἀντιπελαργεῖν. Vale.

LODOVICVS ODAXIVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

PLutarchi libellus ad te uenit, qui ſi ullam potius elegantiam quàm beneuolentiam profiteretur, erubeſceret profectò, nec ad exactiſſimæ eruditionis officinam ſeſe, niſi uerecundè, conferret. Nunc autem lætus & ſecurus accedit, humanitate tua magis quàm ullo ornamẽto ſuo fretus. Proinde meretur, ut eum ad te proficiſcentem benignè ſuſcipias, illiq; primariam amoris operam ſedulò impertiaris. Siquidem ego illum, quem alioqui friuolum, abiectum, & uile munus exiſtimarem, non indignum tamen putaui, qui ad exhibendum ſtudij atq; obſeruantiæ in uos meæ pignus adueniret. Vtcunq; erit, & quanticunq; erit, in bonam accipias partem rogamus, obſecramusq;. Nudiuſtertius ab Hermolao Barbaro, & Petro Cõtareno, qui duo uel nobiliſſimi uel ornatiſſimi, uel eruditiſſimi ſunt, Venetijs mihi literæ uenerunt, in quibus admoneor, ut ſi unquam ad te ſcripturus ſum, eorũ te nomine ſaluum eſſe iubeam. Memini me autumno ſuperiore, cũ Venetijs eſſem unà cum his, de te perinde ac doctiſſimo homine ſermonem habuiſſe. Illi aũt ſe familiaritatem tuam inijſſe aſſerebant, cum triennio aut quadriennio proximò uiſendæ ciuitatis gratia eò conceſſiſſes. Digni homines ſunt, qui à te quoq; diligantur. Vale igitur, & me ama. Igubij, quinto Calend. Iulias,

M.ÇÇCCLXXXV.

ANG. POLITIANVS LODOVICO ODAXIO SVO S. D.

PLutarchi lepidum nouum libellũ, quem tu ſcilicet latinè interpretatus adoleſcenti meo nuncupaſti, uidi, cepi, legi, & quidem ſimul omnia adeò cupidè, ut prius penè ad calcẽ præ ſtudio perueniſſe, quàm ex carcerib. promouiſſe me ſenſerim. Illex mihi fuit ſtatim ſuauis odor quidam uerborũ tuorum planè ambroſius, tum ſententiarũ uel uti ſapor quidã auſterus & dulcis, nõ ſecus illecebris orationis tuæ, q̃ myrothecíj condimentis imbutus, ita (quod dicit̃) palatũ irritauit, ut quaſi helluo aliquis, uix cõmanſas epulas has tam lautas, tam opiparas deuorauerim. Et ſum profectò miratus, ſic latinè Plutarchum loqui didiciſſe iam mortuũ, cui uiuenti quondã (ſic enim ſcribit ipſe) adeò ſermo Romanus repugnabat. Videri enim poteſt non tam obíjſſe, quo die obíjt, q̃ ſeceſſiſſe ad ſtudiũ Romanæ linguæ, ut qui Græcorũ Latinorumq́ uitas illuſtriũ hominũ inter ſe contulerit, cum quo ipſe ſe conferat, non inueniat. Nam ſeſe conferre ſibi in utriuſq; orationis facultate certè non auſit, quia ſcilicet in noſtra præponderat. Quòd aũt princeps iſte tuus, atq; adeò noſter (noſter enim eſt profectò; qui literarũ ſtudioſus eſt) quòd, inquã, bonas artes cõplectitur, atq; ad omneis parteis bene audiendi ſe cõparat, parentisq́; ſui abſolutiſſimi hominis ueſtigíjs inſiſtit, dici non poteſt ut gaudeam, ut exultem atq; triumphem, ut tibi q̃q; gratuler mi Lodouice. Duos mihi uiros tuliſſe ætas noſtra uidebatur, qui rem literariam, nõ quidẽ cunctando, ut ille uerrucoſus, ſed multa agendo potius reſtituerent, Federicum Vrbinatem, principem olim tuũ, & Laurentiũ Medicem patronum ſemper meum, utinamq́; ſemper. Hi duo (ni fallor) auſi in tantis ſeculi huius tenebris lucem ſperare, quaſiq́; contra torrentem peſſimorũ morum brachia dirigere: ergo & librorũ pulcherrimã ſupellectilem ſibi cõpararunt, & doctos iuuerunt, et ipſi ſtudia tractarunt. Nam ut de principe tuo taceã, de quo longiore ſubſellio agendũ puto, dicam aũt de Laurentio meo, caue putes quenq; eſſe ex noſtro (ut ſic dixerim) ſeminio, hoc eſt, ex íjs qui omnem ætatem in literis conſumpſerunt, cui cedat hic uel acumine in diſputando, uel prudentia in iudicando, uel in explicando quæ ſentiat, facilitate, copia, uarietate, gratia. Acer illi ſermo, & grauis, & cum res poſtulat, ſalibus ſcatẽs, ſed ex illo mari collectis, in quo Venus eſt orta: exempla, & hiſtoriam ueterem ſic habet ad manũ, ut eis perinde uti ſemper atq; ſuis ſtipatorib. uideatur, ſic ut ingeniũ habere in numerato, & eſſe quaſi promum, condũ (ut Plautino utar uerbo) totius antiquitatis facilè credas. Extincto igitur duce illo tuo, cum uiderẽ noſtras iam artes unica ſpe niti, fateor, uereri cœpi, unius ut hominis uires tanto perferendo oneri pares eſſe poſſent. Quare cum oſtẽdis rediuiuam illam uirtutẽ Federici reſurgere in filio, íjſdemq́; adoleſcentem artibus quib. olim clariſſimũ patrem delectari, reddidiſti mihi quidẽ animũ atq; aquam (quod dicit̃) aſperſiſti. Quare gaude tuo tanto bono, gaude tuo labore & diligentia, & (quod facis) perge protinus exercere principem noſtrũ in ſtadio Muſarũ. Aſſueſcat iam nunc à tenero amare literas, fouere literatos, cõplecti & colere. Scis autem meſſem plerunq; reſpõdere ſementi, tibiq́; potiſſimùm primitias frugum deberi ab hoc agro: quippe (ut ille inquit) Morũ quos fecit præmia doctor habet. Sed & Petrus nunc ſtudíjs acriter incumbit, & humanitati. Habet indolem paternam, habet ingenium, ludit & ipſe nunc uerſiculis, nunc ſoluta oratione, & libera. Græcis plurimùm delectatur. In ſumma, dignus qui ſit principi tuo charus, quia ſimilis. Similis autem, qua ratione parua magnis componuntur. Is nunc, ſcribente hanc epiſtolam me, alteram ſeorſum commentatur epiſtolam. Quæ cuiuſcuimodi erit, etiamſi minus aptè exierit, mittetur tamen ad te,

ut ipſius ingenioli deguſtationem uelut aliquam accipias. Amat autẽ plurimùm te de munere hoc, & cupit ſanè occaſionem ſibi aliquam dari, qua gratiam reponat. Si ad Hermolaum, Petrumq́; Contarenum Venetos reſcripſeris, uelim utriq; agas meo nomine gratias, utriq; me cõmendes nõ uulgariter. Ad ſuperiores tuas literas neſcio an reſponſum acceperis noſtrum, cupio ſignifices, ut in ratione lati atq; accepti poſſim tecum paria facere. Vale.

MARCVS ANTONIVS SABELLICVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

ERam ego aliunde noſtram auſpicaturus amicitiam, ni ſubitus Atlantis conterranei tui hinc digreſſus noſtrum in ea re conſilium præuertiſſet. Fuit is annũ, & amplius Venetijs, ac quãdiu fuit, & domi & foris etiam frequens mecum eſſe perſeuerauit. Nullius unquam cõſuetudine ſum magis delectatus. Siquidem præter morum elegantiã, ſingularemq́; modeſtiam, patrio ſermone, Thuſcaq́; illa ſua urbanitate breui cõſecutus eſt, ut eo uno nemo eſſet mihi iucundior, nemo in hac urbe gratior. Omnia, præter tempus, ſecunda habui, in illius amicitia fruenda. Etenim tunc potiſſimùm ei uiſum eſt hinc abire, cum maximè in ſui erexiſſet admirationem. Sed in eo uiſus eſt mihi omne uetuſtum amicitię exemplũ æquare, quòd in tam tumultuario digreſſu, ſine meis ad te literis uenire identidem recuſauit, ratus certiſſimum ſe noſtræ futuræ amicitiæ pignus ſecum in patriam deferre, ſi apud te uirum clariſſimũ, cui ꝙ chariſſimus eſſe cupit, ipſius mores & ſtudia cõmendarentur: quaſi ita uelit euenire, ut cum uterq; noſtrûm de ipſius moribus idem ſentire cœperit, non infirmus ad amicitiam gradus (ut Criſpo placet) factus uideatur: ſed rectè ille. Nos uerò ſcribendi conſuetudinem, maioribusq́; officijs illam ijs modicis principijs ortam, locupletiorem (ut ſpero) in dies faciemus. Nunc Atlantem ipſum tuę dignitatis ſtudioſiſſimum, maiorẽ in modum cõmendarem, niſi urbaniſſimus poeta moneret, peccare eum, qui ſuos putet cuiquam cõmendandos. Gratulor igitur (quod ſupereſt) tibi lepidiſſimi adoleſcentis reſtitutam cõſuetudinem, quam tantiſper etiã inuidere pergam, donec in utriuſq; cõplexus uenero. Vale Thuſci nominis decus, & Marcũ Antonium iamhinc amare incipe, qui te ob tuas ampliſſimas uirtutes amat, colit, obſeruat. Venetijs, Idibus Iulijs, M.CCCCLXXXVIII.

ANGELVS POLITIANVS MARCO ANTONIO SABELLICO S. P. D.

SOlebat Atlas quòndã ſuo mihi nomine redire tam gratus, ut recepto cõtentus amico, nullum ultrà officium deſiderarem. Nunc aũt tuarum nomine literarum, quas fideliter reddidit, tam mihi iucundus redijt, ut eius penè pręſentiam non requirerem, atq; haberet Atlas quippiam ſecum, quod planè plus à me quàm Atlas expeteretur. Nunc idem iſtuc reuertitur cum literis meis, quas tibi arbitror fore gratas, non tam ſuo, quàm tabellarij nomine. Noram quidem antea quoq; quantum ingenio & literatura, quantũ etiam ſtylo facundiaq́; polleres. De humanitate nihil ſanè adhuc inaudierã, ſed eam tua mihi nunc epiſtola deliniauit, Atlas uerò penicillo & coloribus expreſſit. Aucupabar ſanè iampridem occaſionem quampiam ineundæ abs te gratiæ, cum tu ſcilicet hoc agentem præueniſti, non ob id humanior modò, quòd prior, ſed quòd minore quoq; propoſito præmio. Quare danda mihi opera eſt, ut quemadmodũ ineunda tecum amicitia poſterioris tuli, ſic eadẽ tuenda colendaq́; prioris feram. Vale. VI. Calend. Septemb. M.CCCCXCVIII.

ANGELVS POLITIANVS IOANNI LAVRENTIO VENETO SVO S. D.

IN ad te reuertitur Phędrus, utriuſq; noſtrûm homo ſtudioſiſſimus: cui tu ſcilicet aliquot ab hinc menſes literas ad me dediſti, plenas amoris erga me, rectas, elegāteis, qualeſq; deniq; à te uno poterant proficiſci. Reſpōdebo ad eas quàm breuiſſimè. Laudas me Ioannes quaſi unum ex numero eruditiſſimorū, & tui ſimilium. Laudas, inquam, tu me unus omnium quos uiderim, quos audierim longè eruditiſſimus. Ego igitur, etſi memet haud ignoro, tamen fero æquiſſimè, te aut ipſum decipi amore in nos nimio, aut alios item uelle deceptos. Non eſt aūt quod paria coner cōferre. Nam cum tu mihi uix leuem umbram aſſequenti doctrinæ, humanitatiſq; tuæ, tantum tamen tribueris laudum, quantæ demum tibi iure debeantur, ſi coner ipſe inuicē laudes regerere, reſtituenda erunt, & reſignanda tibi illa ipſa uerba, quæ abs te acceperam, uſuraria: ut iure rideatur egeſtatis noſtræ ſiniſtra quædā ambitio, illi ipſi diuitias oſtentans, unde ſcilicet emēdicauerit. Libellos tuos, atq; item quos ex bibliotheca iſta codices habemus, remittemus cū primū iſthuc orator noſter Florentinus ſe contulerit. Pauſaniam uerò expectamus, cum tibi erit commodum. Vale, Fæſulis Idibus Octobribus, M.CCCCLXXXVI.

LVCIUS PHOSPHORVS PONTIFEX SIGNINVS ALEXANDRO CORTESIO S. D.

POlitianas epiſtolas legi Alexander accuratiſſimè, ſummaq; cum uoluptate, quorum utrunq; propè neceſſarium fuit, & quòd ad hominē amiciſſimū, & quòd ab homine eruditiſſimo erant ſcriptæ. Video os probum, iam interpellas & obſtrepis: apage tu, uis ſcire quid ſentiam? uide quid agas, an ego iudicare poſſim? ne ultra crepidas ſutor, ut in Gręco adagio eſt. Pergis urgere? reſpondebo, ne ſuperbus uidear. Memento tamē me cum homine familiari tanquam mecum loqui: ſcio inuidioſam rem eſſe huiuſmodi iudicia, etiam recta, nedum mea, qualiacunq; ſunt. Accipe igitur in aurem uelut μυστικὰ, caute enuncies. Ego Politianum noſtrum, mi Alexander, ſummopere amo, & admiror, atq; ei omnia ſumma tribuo. Et ut liberè quod ſentio dicam, non magis iſtum damnandum cenſeo, quàm illos laudandos, qui quadringentis abhinc annis papyros & chartas uelut maculis prætextas, & encauſticas tabellas inuſſerunt potius, quàm ulla egregia forma atq; imagine illuſtrarunt: præter unum aut alterum, Laurentium Vallam, me puero, & nuper Domitium Calderinum: quos quidem non laudare, ac admirari nefas, & planè impium duco. Cæteros autem (ut apud Ciceronem inquit uel Antonius, uel Craſſus) non dubitabo inertiæ, & proſus inſcitiæ condemnare, tametſi illos quoq; excuſatos habeo. Sum enim æquus iudex: ſiquidem id quod poterant, præſtiterunt. Neq; enim omnes Catones, aut Scipiones, aut Lælij (ut ait M. Tullius) poſſumus eſſe: quamuis nonnulli (ut ait idem) ſiue felicitate quadam, ſiue bonitate naturæ, rectam uitæ ſecuti ſunt uiam: præclarè tamen actum cum eis exiſtimo, qui id quoquomodo tentauerunt, etiamſi non ſunt conſecuti. Adde quòd non tam ipſis quàm temporibus acceptum eſt referendum, bonarum literarum, & magiſtrorum penuria. Quis enim ignorat, iam inde ab diruta urbe, amiſſo imperio, Italia à barbaris occupata, Romanam eloquentiam, atque adeò omnem literaturam, & omnes artes perijſſe? Sic Cæſari tuo placuit, qui hæc omnia peſſum, & planè perditum ijt. Sed emerſit tandem aliquando ingenium, & uelut ex cineribus ac carbonibus rediuiuus ignis

De Angelo Politiano iudicium.

effulxit, unde hi tanquam lumina nobis illuxerunt. Quod cum ita ſit, dulciſſime Alexander, gratulemur ſeculo noſtro, & eo magis, quòd iam iſtud par impar factum eſt, ænigma tibi propono, ego iſtos pares impares reddo. Non intelligis? quin Apollinem, quin uatem Cumæam, quin Hãmonem, quin Hetruſcos tuos, quin quicquid eſt ariolorum conſulis? At non eſt opus. Ecce tibi ſolutum ænigma, Laurentio Vallæ, Domitio Calderino, Angelum Politianum adijcio, & quaſi triumuiratum creo. Ego ſic ſentio, ſic cenſeo, ſic iudico, in aurem tuam inſuſurrans. Sed libet exclamare, ſic inquam pro tribunali ſententiã fero, & omnibus bonis doctisq; uiris, atq; adeò toto orbe terrarum audiente proclamo: Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni poſſum oſtendere literas, uenite, ut ait lepidiſſimus poeta. Habes meum, Alexander, de Politiano iudicium: neque hoc adulationi datum quempiam arbitrari uelim, quippe qui alteros iam mortuos, & ſenſibus orbatos conciliare mihi nequeo: alterũ nondum noui uiuum, quanquam fateor me id uehementer optare, & talia iacere fundamenta amicitiæ, ut ea nulla unquam temporum iniuria poſſit abolere. Quod ut facias, ô noſter Alexander, maiorem in modum à te peto, ut inſinuatione tua me uoti compotem facias, & principi literarum me concilies ac planè dedas. Ipſum uerò Politianum (audin' tu uir doctiſſime? tecum mihi res eſt) oratum uelim, ut quod ab alijs beneficij loco accipit, à me rogatus non aſpernetur, ut in amore ac beneuolentia reſpondeat, ſimul ut uiro clariſſimo, & ciui primario Laurentio Medici me cõmendatum reddat. Aliquot enim aguntur anni, ex quo tam magno amico, & præpotẽti me dicare ſummopere cupio, & in clientelam ac uoluntariã tradere ſeruitutem. Vale, III. Idus Mart. M.CCCCLXXXV.

ANG. POLITIANVS LVCIO PHOSPHORO PONTIFICI SIGNINO S. D.

MIſit ad me Alexander Corteſius, homo utriq; noſtrûm amiciſſimus, epiſtolam quandã tuam ad ipſum ſcriptam. In qua tu mihi multa tribuens, cupere poſtremò affirmas, per eum ipſum nobis, per me autem Laurentio Medici conciliari. Eam epiſtolam cum legerem, dici nõ poteſt, quantopere ſim delectatus. Nam ita & uerbis & ſentẽtijs & cõcinnitate erat abſoluta, ut planè appareret Muſis eam dictantibus fuiſſe exceptam. Cogita igitur tu quàm mihi nunc placeam, quamq; ipſe me mirer, qui ſim Muſarum κανηγῷ σώματι laudatus. Sed tamẽ uereor, ne ita me tuæ iſtæ puellæ ornandum ſuſceperint, ut Iſocrates Buſirin, Therſiten Libanius, Muſcam Lucianus, Fauorinus etiã quartanam febrim, ad ingenij modò periclitandas uires, artemq; oſtentandam laudauerunt. Sunt enim in fabulis totæ, ſunt in mendacijs atq; præſtigijs, mihi tamen libet hoc loco uerum locutas. Quis enim damnet ſua uota libẽter? Quòd ſi in hoc erro, libenter (ut Cicero inquit) erro. Eſt enim idipſum lucro apponendũ, quòd decipimur. Quippe uoluptatem certè aliquam falſa quoq; opinio nobis cõciliat. Scis Stratoclem illum oratorem deuictis prælio Atheniẽſibus, ſuamq; fortunam ignorantibus, uictoriam nunciaſſe, re autem poſtmodum ſic ut erat intellecta, ita indignantibus popularibus reſpõdiſſe: Quî uobis ciues mei (inquit) iniurius fui, ſi bidui triſtitiam me autore lucrifeciſtis? quare ego quidẽ falli me ſinam, & quod eſſe uerum maximè cupio, uerum eſſe facilimè patiar. De te autem (amoto ioco) ſic ſentio mi Phoſphore (malo enim te Phoſphorum homo in literis agens, quàm ut uulgus reuerendum patrem appellare. hoc enim literarum atque humanitatis, illud nomen dignitatis eſt: nos autem ex literis te, & humanitate, ſi pateris, magis quàm ex dignitate pendimus) ſed ita mi Phoſphore ſentio, te eſſe hominem

nem

nem plenum humanitatis. Humanitatē cum dico, non magis φιλανθρωπίαν quàm etiam παιδείαν intellego: utrumq; enim Latinè quidem ſcientibus ſignificat. Itaque ne cornu quidem copiæ, aut uirgulam diuinam pluris quàm tuam amicitiam fecerim. Esq; tu iam nūc meo infixus cordi, & quidem trabali clauo: daboq; operam, quantum quidem præſtare potero, ne tu auidius quàm prudētius me tibi aſciuiſſe amicum uideare: & quando longius abs te agitare contigit, quàm ut ſubſeruire uſibus tuis queam, fauebo certè laudibus: omniq; (ut aiunt) pede in te honeſtando conſiſtam. Epiſtolam certè ipſam tuam, non tam epiſtolam, quàm Venerium illud cingulum amoribus medicatum, nunquam à me amittam, quin potius quaſi imaginem animi tui identidem contemplans, ita meum deſiderium conſolabor. Cæterùm nunc demum intellego quantum iacturæ fecerim, quòd te prius haud cognouerim, cum tanta mihi te cognito uoluptas arriſerit. Nos ad Laurentium Medicem, qui nunc balneis dat operam, exemplum epiſtolę tuæ mittemus, ſimul ut animū erga ſe tuum ex ea perpendat, ſimul ut nos ex tuo teſtimonio pluris aliquantò faciat, quàm fortaſſe facit: quamuis multo etiam pluris faciat, quàm digni ipſi nobis uidemur. Vale.

LVCIVS PHOSPHORVS PONTIFEX SIGNINVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

OFficioſe quidem, & amicè fecit Alexander, qui neſcio quas literulas meas ad te miſit. Sed hominem certè nimium amantem mei fefellit id quod amatores fallit. Solent enim aliqui præ nimio amore zelotypia laborare: ſic enim appellant quandam nimij amoris ſiue ſedulitatem ſiue ſuſpicionem. Quod ideo accidit, quoniam ea quæ ſibijpſis tantopere placent, eadem omnibus placere credunt, ac uix tutum hominum intuitum arbitrantur. Simile aliquid Alexander noſter fecit, qui dum mea extollit, prædicat, amat, admiratur, eadem alijs placere putat. Quod fortaſſe cum Tarentinis & Cōſentinis, aut cum Lælio Decimo (ut ille inquit) optimè factum eſſet: ſed cum Perſio omnium doctiſſimo, hoc eſt, cum Politiano, uereor ne imprudens fuerit, & inconſideratū, feliciter tamē cecidit, quando illæ meæ (ut ſcribis) puellæ pro uno amatore duos ſortitæ ſunt, & ego ex uſura (inquit Plinius) ſortem feci. Vellem illas eaſdem non quidem fucatas, aut unguentis delibutas tanquam ad mœchos, ſed quaſi ornatas matronas cum muliebri mundo, & dote ad uiros iuiſſe. Nam quis aut repudium, aut certè repulſam non formidaret? Sed mehercule extra iocum, nec μικροψύχως Politiane non minus horrui, quàm lætatus ſum, cū illas literas ad manus tuas perueniſſe audiui. Me potius tecta oratione, ac præparata, & comperendinata, ad te ſcripſiſſe oportuit, ac decuit, & ita amicitiam petere. Sed illas literas ad Alexandrum dedi, ut eo ueluti legato, & caduceatore uterer, cum quo tibi ueterem amicitiam intercedere ſciebam, & hoſpitalitatem. Tu pro tua ſapiētia ac facilitate, ſi quid illic obiurgandum, aut parum aut te aut me dignum offendiſti, condonabis amori noſtro, & nimiæ familiaritati. Eſt eñ Alexander planè alter ego, & ego alter Alexander. Quòd ſi tu conditionem non reijcis, tertius accedes, & ne unquam à triumuiratus magiſtratu diſcedas, quando proximis comitijs te triumuirum literarum creauimus, comitijs futuris te triumuirū amicitiarum creabimus. Suſtuliſti digitū, bene habet, non perhorreſcam poſthac. Nunc uolo te aliquantulum uellicare. Cur tamdiu nobis ignotus fuiſti? Parum piè, mi Politiane, & planè crudeliter feciſti. Nūc demū poſt tot annos ad nos uenis? Me miſerū, tā lōgo tempore Politiano caruiſſe? ſine eius literis egiſſe? non ſcripſiſſe? non legiſſe? non recitaſſe? præſertim quando & Romæ fuiſti, & ad multos iſthinc ſæpe ſcripſiſti.

Sed quid ago? quaſi uerò ego quoq; non eandem nauim conſcenderim, & in eadem culpa ſim, qui de te nõ ſciſcitarim. Hernicis meis refero acceptũ. Nam poſtquam ijs ſacris initiatus fui, in illa ſaxa me conieci, ubi ne nomen quidẽ clarorum uirorum audiebam, ſed nec literis uacabam, cum pecoribus & glebis res gerebatur, tanta erat ſatietas, uel potius faſtidium curiæ & fori. Rurſus nunc mutata uoluntate, conſilium noſtrum totum eſt Ciceronianum, qui ad Ruffum ſcribens: Vrbem, inquit, mi Ruffe, cole. & ex Sicilia reuerſus, ſtatuit ab oculis ciuium nõ diſcedere. Sed dico Ciceronianum? imò Alexandrinum. Alexander enim eſt, qui me retinere nunquam deſiſtit. Hic fiunt homines, & ut eſt in quadam eius: Hic caput, hic ſedes, hic fortunarum alea. Quid quæris? uehementer his uerbis ſum incenſus, & planè confirmatus. Quare, iucundiſſime Politiane, demus operam, ut tam diuturni temporis iacturam reſarciamus, & tanto impenſius recentem amicitiam colamus, quanto ſerius eſt cœpta. Ego tuas expecto ſingulis hebdomadibus per tabellarios, qui trapezitis Medicibus tuis rationes afferunt. Genus literarũ erit non de republica, quę nulla eſt: non de imperio, quod iamdiu amiſimus, quo dolore maximè crucior infelix, ſed de philoſophia, de bene beateq; uiuendi ratione, de ſtudijs artibuſq; noſtris præclariſſimis, & de illorum feliciſſimorũ temporum cõtemplatione. Nam in his nihil eſt, quod pro magnitudine animi noſtri ſpectare poſſimus, niſi fortè te Samarobrinæ & Bataui delectant. En quò diſcordia ciues perduxit miſeros. An hoc ita fato datum erat, & de nihilo nihilum? nollem potius unquam factum, quamuis tanta nobis monumẽta reliquerint illi uiri, literarum, rei militaris, artificiorum, ædificiorum, uirtutum deniq; omnium, tamẽ neſcio quomodo deſiderium illud ferre non poſſumus, & fuiſſe felicem miſerius eſt, quàm ſemper infelicem: & nunquã patrem, quàm orbum eſſe: & mori, quàm non naſci. De ijs igitũ uelim ad me ſcribas accuratè, ut ſoles, ac elegantiſſimè. Cum Laurentio naua mihi operam, per fortunas, Politiane, admiror iſtum principem ciuitatis, & amo planè, ut eum ſæpe cum Magno Pompeio cõparare ſim ſolitus, etſi feliciorem exitum & opto & ſpero. Vale, Romæ duodecimo Cal. Maias M.CCCCLXXXV.

ANGELVS POLITIANVS LVCIO PHOSPHORO PONTIFICI SIGNINO SVO S. D.

NIhil peccauit Alexãder meus, qui mihi epiſtolam miſerit, quæ mihi debebatur. Peccaſſet magis nulla expiandus uictima, ſi meas mihi laudes inuidiſſet, quanquam non meæ illæ, ſed tuæ potius laudes ſunt, atq; ob id etiam meæ, κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων, ſed tu perſonam ex nobis mutuatus, teipſum ſcilicet in ſcenam detuliſti. Nam ut ego libenter hunc amicorum, ita tu iure illum literatorum expleueris triumuiratum. Quòd autem cõquereris parum ſcriptas diligenter eas fuiſſe literas, aut me ludis, aut omniũ es homo feliciſſimus, qui promas de ſummo, quod uix quiſpiam de imo pectore. Non eſt autem quòd aut ruri urbem, aut rus in urbe deſideres, ſi ipſe habitas tecum, ſi quocunque is, te ſequeris, magnum tibi in quauis ſolitudine theatrũ, magnam ſolitudinẽ in quouis theatro facturus. Officium porrò epiſtolarum, quod requiris, hac lege polliceor, ut tu inuicem pollicearis, illo etiam (cum res tulerit) intermiſſo, nullam tamen amoris inter nos iacturam factum iri. Ita enim ſum aliquando diſtrictus & occupatus, ut non liceat: ita triſtis, & nauſeabundus, ut non libeat ſcribere. Tu igitur (ut uetus eſt dictum) amici uitia noueris, non oderis. Vale.

LVCIVS PHOSPHORVS PONTIFEX SIGNINVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

VBi ſunt iſti qui obloquuntur & allatrant? en quò redacti ſumus, ô Politiane, ut imperiti iudicent. Mihi Miſcellanea tua, atque adeò quæcunq; ſcribis, magnopere placēt, garriant iſti quid uelint, quòd portenta uerborum loquaris, ego te planè Latinum eſſe iudico. Nam illud ne inimici quidem negāt te ſuprà ꝙ dici poſſit curioſiſſimum ac diligentiſſimū eſſe, & omnes forulos excuſſiſſe, teq; doctrinę quidem ſingularis hominem fatentur, eloquentiæ uerò nullius, quaſi poſſit aliquis eloquens eſſe, niſi idem ſit doctus. Ridiculi æſtimatores, & critici noſtrorū temporum. Quid quòd & de Pico tuo, uel noſtro potius, tot laudes, quot ſcribis, cum audiunt, ſtomachantur, & (ſi dijs placet) faceti eſſe uolunt, afferentes illud Aeſopeum, nihil reliqui alijs eſſe, quib. quid poteſt eſſe uerius? Is enim unus eſt, in quo natura omnia bona congeſſiſſe, et ubi omnes ſuas uires exercuiſſe uidetur. Sed tu ridere debes. Volo tibi narrare quo erga illos adagio utor. Videte, inquam, quid agatis boni uiri. nam iſte piſcis paucorum hominum eſt, ut ille Scipioni dixiſſe fertur. Quod ita transfero: Politianus paucorum, id eſt, doctiſſimorum eſt, non turbæ literatulorum, ac pædagogorum, & uulgi. Ergo omnes docti te unum admirantur, & fatētur te omnes qui ſexcentis abhinc annis ſcripſerunt, facilè ſuperare, hoc eſt, te illos, non illos tè, ne quis me reciprocis argumentis uti, aut amphibologicè loqui credat, & doctrinā & eloquentiā in te eſſe coniunctas. Nō enim quis non eloquens dici debet, ſi ſuo quodammodo utitur ſtylo, cum complura & uaria ſint genera dicendi. Sed epiſtolam plicabo, quoniā feſtinat tabellarius: mox plura audies. Hæc ſcripſi tumultuariè, cum in Pauli Corteſij domum diuertiſſem, qui eſt planè tuus, & omnē impetum aduerſariorum ſuſtinet. Tuum erit ſcuto & parma tela ſuſcipere, & in eoſdem retorquere, niſi mauis, ut ſuprà dixi, irridere. Vale. Pridie Idus Februarias.

ANGELVS POLITIANVS LVCIO PHOSPHORO PONTIFICI SIGNINO S. D.

IRaſceris obtrectatoribus noſtris, eruditiſſime Phoſphore, quòd in Miſcellaneis portenta me loqui uerborum dicant, & ut hominem (quod ais) doctum fateantur, ita negent eloquentem. Tum quòd illud etiam criminentur, tantas me in unum Picū laudes contuliſſe, ut alijs omnino nullas fecerim reliquas. Me uerò iſta, Phoſphore, nihil mouēt. neq; enim ulla ſermonum taliū noua mi facies, inopina'ue ſurgit. Omnia præcepi, atq; animo mecum antè peregi, quin ad ea ne reſpōderem quidem, niſi te ita uelle ſentirem, cui negare nihil poſſum. Portenta igitur uerborū quæ uocent iſti, fateor ignoro: niſi portenta credunt, quæ ipſi noua nunc primùm uocabula uel audiunt uel intellegunt. Nam ego nec uerba ulla peperi cinctutis non exaudita Cethęgis, nec ullos habeò, niſi receptiſſimos autores. Non tamen ex eorum ſum numero, qui ceſſare latinam linguā magna ex parte patiuntur, dum quiſq; illa reformidat, quæ uulgò hactenus ignorata ſunt. Siquidem eò res redijt, ut ne magnorum quidem autorum lingua tutò loquamur, quoniā uulgò minus innotuerit. Itaq; barbaris uti malumus, quàm Romanis uocibus: & cum ſiligineus domi ſit panis, emendicato furfure magis ueſcimur. Quòd autem mihi eloquentiam ſic adimunt, ut doctrinam concedant, nō modò equidē non ſuccenſeo, ſed & gratias ago. Noli quæſo amori erga me tuo nimis indulgere Phoſphore, nec parum laudari putes, ſi Marci Varronis exemplo lauder, quem & ipſum ueteres ſcientiæ multæ, nullius eloquentiæ eſſe crediderūt. Ego ſanè, mi Phoſphore, nec eloquentiā mihi uindico,

nec doctrinam agnoſco. Si cui tamen in Miſcellaneis; etiam citra eloquentiam
ſciolus uideor, bene habet, uici: nam iſthuc ipſum quærebã. Quò enim eloquen-
tia mihi in hoc opere non ad perſuadendum, ſed ad docendum parato? Quod au
tem de ſtylo ſcribis, utiq; uerum puto, non continuò peius eſſe quod uariet, cum
ſit ipſius eloquentiæ non uultus, non color unus. Quapropter nec adhuc quiſq;
ſuffragijs eſt omnibus habitus eloquens, ſiue quòd ſibi quiſq; præ cæteris placet,
ſiue quòd alios alia dicendi forma plus capit. Demoſthenem cogita, & Cicero-
nem, illius quibuſdam ſicca oratio, Demadi lucernam olere, Aeſchini etiã (ſi dijs
placet) barbara uidebatur: hunc Caluus exanguem & tritum, Brutus fractum &
elumbem, quidam ieiunum atq; aridum: contrà alij tumentem & inflatũ, nec ſatis
preſſum, exultantemq; ſupra modum, & ſuperfluentem: alij frigidum in iocis, alij
parum antiquum, quidam etiam in dicendo uiro molliorem, ſuperſtitioſumq;, &
peregrinis quaſi legibus nimis addictum putauerunt. Neq; uerò hęc ideo refero,
quò me putem cum talibus conferendum. non enim ſic inſanio, Phoſphore, ſed
utendũ magnis nominib. fuit, ut ſtomacho iſti tuo potius occurrerem. Nam quid
ego de Pico Mirãdula dicam? Hi ſunt inuidię nimirũ, Phoſphore, mores. Sed ui-
uat ille, uiuat modò, nec eat alio deinceps, quàm quo pede iam cœpit, etiã liuor ipſe
fatebitur non modò eum nõ ſupra modum, ſed longè etiam infra modum fuiſſe à
nobis laudatum. Cuius tamen præconium non uideo quid aliorum titulis offece
rit, quos in hoc ipſo Miſcellaneorum libro concelebramus. Reliquum eſt, ut tibi
agam Phoſphore gratias, qui me hominem tenuiſſimæ fortunæ, neq; multæ ad-
modum literaturæ, ne uiſum quidem tibi adhuc, ita diligas ipſe & pontifex & do
ctiſſimus, ut etiam contentiones honoris dignitatiſq; meæ cauſa ſuſcipias. Sed &
Picus debere ſe tibi plurimùm ſentit, ſalutemq; tibi & Corteſio ſuo nomine iuſſit
adſcribi. Laurentius quoq; Medices noſter uiſus eſt epiſtola tua magnopere de-
lectari, quem ſcito eſſe hominem tui ſtudioſiſſimum: quod eſſe uerum tum deni-
que agnoſces, cum periculum feceris. Vale, Florentiæ pridie Calend. Martias,
M.CCCCLXXXXI.

ANGELVS POLITIANVS LVCIO PHOSPHORO PON-
TIFICI SIGNINO S. D.

ACcepta epiſtola tua, ſtatim ad Laurentiũ cucurri. Expoſui quid opta-
res, grata uolũtas, gratus illi tuus animus. Deniq; pro munere accepit,
quod pro munere poſcis. Quam ad eum dediſti epiſtolam, nondum
mihi quidẽ legendam dedit, ſed tamen ut et doctam laudauit, & amo-
ris erga ſe pleniſſimam, ac ſi per occupationes liceat, reſponſurum ſe tibi uel ho-
die promiſit. Vale. Florentiæ, prid. Idus Maias, M.CCCCLXXXXI.

ANGELVS POLITIANVS CASSANDRAE FIDELI VENETAE
PVELLAE DOCTISSIMAE S. D.

ODecus Italiæ uirgo, quas dicere grates, quas'ue referre parem, quòd
etiam honore me tuarum literarum non dedignaris? mira profectò fi-
des, tales proficiſci à fœmina (quid autem à fœmina dico?) imò uerò
à puella & uirgine potuiſſe. Non igitur iam Muſas, non Sibyllas, non
Pythias obijciant uetuſta nobis ſecula, non ſuas Pythagorei philoſophantes fœ-
Mulieres literis pollentes.
minas, non Diotimam Socratici, nec Aſpaſiam, ſed nec poetrias illas Græca ia-
ctent monimenta, Teleſillam, Corinnam, Sappho, Anyten, Erinnem, Praxillam,
Cleobulinam, & cæteras: credamusq; faciſle Romanis iam Lælij & Hortenſij fi-
lias, & Corneliã Gracchorum matrem fuiſſe matronas quantumlibet eloquẽtiſ-
ſimas. Scimus hoc profectò, ſcimus, nec eum ſexum fuiſſe à natura tarditatis aut
hebetu-

hebetudinis damnatum. Sedenim ueterũ ſeculorum talis iſta pene publica laus fuit, ut in quibus etiã uiliſſimos ſeruos ad extremum perueniſſe quondam uel literarũ uel philoſophiæ faſtigiũ reperiamus. At uerò ætate noſtra, qua pauci quoque uirorũ caput altius in literis extulerunt, unicã te tamen exiſtere puellam, quę pro lana librum, pro fuſo calamum, ſtylum pro acu tractes, & quæ non cutem ceruſſa, ſed atramento papyrũ linas: id uerò non magis uſitatum, nec minus rarum, aut nouũ, ꝙ ſi de glacie media naſcãtur uiolæ, ſi de niuibus roſæ, ſi de pruinis lilia. Quòd ſi conatus ipſe pro miraculo iam cernit, quid de profectu ſtudiorũ tanto dicemus? Scribis epiſtolas, Caſſandra, ſubtiles, acutas, elegãteis, latinas, & quanquam puellari quadam gratia, uirginali quadam ſimplicitate dulciſſimas, tamen etiam mirè graueis, & cordatas. Orationẽ quoq; tuam legimus, eruditã, locupletem, ſonoram, illuſtrem, plenamq; lætæ indolis. Sed nec extemporalẽ tibi deeſſe facultatem accepimus, quæ magnos etiam oratores aliquando deſtituit. Iam uerò in dialecticis implicare nodos inenodabiles, explicare ab alijs nunquam ſolutos, nunquam ſoluẽdos diceris. Philoſophiam uerò ſic tenes, ut & defendas acriter quæſtiones propoſitas, & impugnes uehementer, audesq; uiris cõcurrere uirgo, ſic ſcilicet in doctrinarũ ſtadio pulcherrimo, ut non ſexus animo, nõ animus pudori, nõ ingenio pudor officiat. Et cum te laudib. nemo nõ attollat, ſummittis ipſam te tamen, & temperas, nec minus ad humum modeſtè cunctorum de te opinionem, ꝙ uerecundè uirgineos oculos, reuerenterq; deijcis. O qui me igitur ſtatim ſiſtat iſtic, ut faciem uirgo tuam caſtiſſimam contempler, ut habitum, cultum, geſtumq; mirer: ut dictata, inſtillataq; tibi à Muſis tuis uerba quaſi ſitiẽtibus auribus perbibã: deniq; ut afflatu inſtinctuq; tuo conſummatiſſimus repentè poeta euadam, nec me carminib. uincant aut Thracius Orpheus, aut Linus: huic mater quamuis, atq; huic pater adſit, Orphi Calliopea, Lino formoſus Apollo. Mirari equidem antehac Ioannem Picum Mirandulam ſolebam, quo nec pulchrior alter mortaliũ, nec in omnibus (arbitror) doctrinis excellẽtior. Ecce nunc etiam te Caſſandra poſt illum protinus cœpi, fortaſſe iam cum illo quoq; uenerari. Tibi uerò tanta incœpta Deus Opt. Max. ſecundet: & cum receſſeris à parẽtibus, is autor contingat, & conſors, qui ſit iſta uirtute non indignus: ut quæ nunc propemodum ſua ſponte naturalis ingenij flamma ſemel emicuit, ita crebris deinceps aut adiuta flatibus, aut enutrita fomitibus effulgeat, ut à noſtrorum hominum præcordijs animoq; nox omnis, geluq; penitus & languoris in literis, & inſcitiæ diſcutiatur. Vale.

IACOBVS ANTIQVARIVS ANG. POLITIANO S. D.

PErgens nuper ex uitæ inſtituto ad ſcribarum Mediolanenſium decuriam, cõplureis adoleſcentes, qui ibi uerſantur, remiſſo aliquantiſper principis negotio, certatim intentos offendi ad legendum diſpertitũ, quem in manibus habebant inter ſe librum. Roganti quid nam operis noui emerſiſſet; Miſcellanea, inquiunt, Politiani. Conſcendo, ac inter eos ſedeo, tum unà incipio auidiſſimè legere. Quippe delector ingenijs ætatis noſtræ, quæ non ſolum manca non ſit, ſed iam planè in Romanæ antiquitatis ueſtigia abeat. Verùm cum parum temporis impendere liceret, ex bibliopolę taberna codicem requiro. Affertur à puero meo ſtatim cum domi eſſem, eum intentius euoluo: in primis uerbis, imò in ipſa inſcriptione, quòd in Laurentij Medicis nomine liber apparuerit, animus ualde cœpit delectari. Tum ipſa pręfatio multam literis ſpem oſtendere, ſpecimenq; quoddam pulcherrimum præ ſe ferre uiſa eſt. Capita ſubinde libri excurro, ubiq; ſumma eruditio, ubique faſtidij expultrix blanditur ua-

rietas.Et(quod plurimum ingenij ac laboris poſtulauit)tot tantorumq; auctorum
teſtimonio res agitur, ut quicunq; ſuggillare aliquid ex iſtis lucubrationibus tuis
tentauerit,canis latrator haberi poſſit, non demorſor.Nollem cum Domitio tan
quam cum larua (quando olim inter mortales deſijt eſſe)pedem te ſæpius cõfer-
re.Iuuit enim,quantũ potuit,rem literariam,inter primos ſitum, & puluerem ue-
teribus excutere ſtuduit: politiora in dies Politiani æmulatiõe,uel exemplo præ-
ſtiturus,ſi uixiſſet.Non tamen aliter eum abs te peti arbitror,quàm primi pili ho-
minem . Mors illum (ut ſcis)immatura præripuit,emendaturũ fortaſſe,ſi quid in-
conſideratius exciderat . Satius eſt(ut tu inquis)candidatum, ut autem ego,phi-
loſophiæ uirum conſularẽ aliorum errata notatis locis coarguere, nomini autem
parcere . Verùm in hanc ipſam ſententiam ambiguus tendo, quia pugnis aerem
creditur uerberare,aut cõmentitia nugamenta ſectari,extantem qui nullũ habet,
in quem ſuſcepta uideatur oratio. In hac tamen opinionis ambiguitate uacillan-
tem,certũ in ea parte me eſſe ſentio,qui prodeſſe uoluerunt, diem capitis illis di-
cendum non eſſe.Fuit inter nos Domitius, & monimenta reliquit famæ non poe
nitendæ.Te æternitas manet,ſincipitio capillo eam prehendiſti.Cupio,& pro hu
mano iure abs te peto, ut cũ in ijs Miſcellaneis quæ edidiſti , centurionem te eſſe
uolueris,iam in reliquo opere,quod inter manus (ut arbitror) multiplex & eru-
ditum eſt,tribunum,aut planè poſitis caſtris legatum te facias,& imperatorem.
Nam quibus centum capita placuerint , ij longè maiore numero delectabuntur.
Idibus Nouemb. M.CCCCLXXXIX.

ANGELVS POLITIANVS IACOBO ANTIQVA-
RIO SVO S. D.

VTinam quas in me confers epiſtola tua laudes,ita ueras eſſe,nec ab hu
manitate magis,quàm à iudicio profectas, alijs mihiq; perſuaderes, ut
ego ſtatim de hac ipſa epiſtola tua,iudicium ſemper grauiſſimum Lau
rentij Medicis agnoui . Nam cum tibi ille ſummus hominum in omni
uſu plurimùm ſermonib. ſuis deferat,tum ſe uidere ait neminẽ, cui tu literis , pro-
bitate,prudentiaq; concedas.Crederem uerò facilè,quæ ſic ex animo,quaſiq; di-
cam uero uultu de me ſcribis,ac proprijs omnino laudibus fauerem,niſi teſtimo-
nio iſti,præter conſcientiam meam,fama quoq; ipſa publicè in omnes tuæ huma-
nitatis obſtreperet . Quare totam quidem ſic accipio laudationem,non ut illam
meis meritis,ſed ut tuis morib. aſſignem,tanto plus tibi me debere ſentiẽs,quan-
to ipſe minus mihi debeam . Quod autem ad Miſcellanea noſtra attinet, aut ego
fallor,aut nihil in eis æquè fructuoſum , quàm libertas illa ; & ſimplicitas incauta
fortaſſe,ſed & ingenua tamen, ac ſi minus à prudentia , certè à charitate profecta
cõmunium ſtudiorum,quę prima uidelicet in huius ſeculi ſcriptoribus deſideraſ.
Nam quòd me pedem conferre cum Domitio nolles , equidem quid ſpectes in-
tellego,nec ego non aliquid iſtiuſmodi iam tum uidebam, cum perſonam mihi il
lam cenſoris odioſiſſimam imponebam,diligentiamq; penè improbam,iactatiõ
uerborum,cantilenæq; cuilibet expoſitam,neglectis cautionib. affectans,ad ſar-
cienda literarũ damna, ſolertiam omnem pro uirili parte dirigebam . Semper au-
tem ſum ueritus , quam deniq; in partem meum tale conſiliũ, non dico ab obtre-
ctatoribus raperetur,ſed à prudentiſſimis etiam hominibus, iiſdemq; cautiſſimis
acciperetur.Quanquam autem omnino conuenire mihi tecum , id eſt , cum uiro
amiciſſimo doctiſſimoq; neceſſe eſt, tamen quia ſuo cuiq; corde quædam perui-
Cũ mortuis an decertandum. dentur,dicam ad ea nonnihil , quæ mihi in hac epiſtolæ tuæ parte ſapienter obij-
cis,& amicè. Cum mortuo negas quaſi cum larua decertandum, Mihi uerò con-
trà uideri

trà uideri ſolet. Etenim quod aduerſus mortuos pronunciamus, pro uero accipi tam ſolet, quàm debet: ut item quod aduerſus uiuenteis, plerunque odij uel inuidiæ ſuſpicione laborat. At iuuit ille rem literariam. Quis neget? An nõ iſto nomine ſic à me laudatur, ut à nemine magis, & quidem in eadem ipſa pagina, qua & reprehendítur? Sed erat, inquies, emendaturus ea, ſi diutius uixiſſet. Quî ſciam uerò iſthuc? An uſquequaque de ingeniorum profectu bene ſperare eſt? aut non huius ipſius poſtrema quæque mendoſiora? Quid? quod futurus in dies ambitu honorum minus otioſus, opinione quoque ſui magis inflatus? Sed fac emendaturũ fuiſſe. Num igitur ob id inter ſcriptores omneis, unus à cenſoria uirgula Domitius aſſereť? unus erit iſte (ſi dijs placet) gallinę filius albæ? Iam cur diſſimulari quoque nomẽ oporteat, cuius in autoritate uenenum, ſi quod eſt ipſius cõmentariorum, uelut anguis in herba deliteſcat? Ego uerò ſic Domitium ſtudioſis quaſi foueam uiatoribus oſtendo. Nec autem obliuiſci uideor humanitatis, quin potius (ut iam non ſperare modò, ſed etiam explorate uideor iudicare poſſe) melius aliquantò de uita merebor cenſura iſta mea, quàm forſan alius indulgentia. Adde quòd illuſtribus factũ id quoque exemplis, niſi cui tamen leuis eſt autor Horatius, Ennium, Plautum, Lucilium, Doſſennium, totamque illam cohortem poetarũ ueterum ſemel iugulans, & quidem reclamante populo. Quid? nõ in Senecã quoque Aulus Gellius magna libertate uerborũ incurrit? Non eundẽ Quintilianus atro notat calculo? Nõ Marino Ptolemæus diem dicit? Eratoſtheni Strabo? Theſſalo Galenus? Hermagoræ Cicero? Non omnes denique philoſophorũ ſcholæ maximè cũ prioribus digladiantur? Nec cuiuſquã ſanè parcitur nomini, dum pro ſe quiſque certat publico bono. Sed iſta, inquies, grauiora. Fateor: at idem cur non liceat in leuioribus? Certè Plato philoſophorum princeps, etiam ſine præfatione honoris nugari dicit Aeſchylum, tragœdiæ ſummum (ſi quidẽ Ariſtophani credamus) autorem, quòd in leuicula re diſſenſerit ab Homero. Nec ego tamẽ cauſam Domitij damnaui totam, ſed ut iam decuriatus hominem, ſic ipſum neutiquã negligenter expendi critica lance, diſſimulaturus in plenum, ſi non aliquo certè habendum numero credidiſſem. Et uidebatur ita mihi rectum ſanè tum cum illa meditabar. Qui tamen idem facilè iam, libenterque muto factum, te diſſentiente, cuius mihi protinus ut debet, etiam pro magnis rationibus eſt autoritas. Cæterùm quoniam de eo nobis integrũ non eſt, ubique diuulgatis exemplaribus, & quidem pluribus, quàm ut ullo modo retexi queant, uelim tu tibi de cætero, ſecundũ reliquũ candorem tuum contrarias parteis in mei gratiam ſumas, & ut homo doctus homini non indoctiſſimo fauens, eloquẽtiæ tuæ blanditijs impetres, ut hanc aduerſus Domitium (quando ita uis) pugnam tam cæteris uidear nõ ab inſectandi ſtudio proteruiter aut maleuolè, quàm me ſcio à certo ſenſu, & uero, ſimpliciter & ſedulò ſuſcepiſſe. Quod ſi feceris, maximo mihi fueris inuitamento, ad cætera quoque edẽda, quæ domi quotidie, nec (ut quidem ſpero) minus elaborata proximis, excuduntur. Vale. Ioannes Picus Mirandula nullius homo magis, quàm ſui ſimilli mus, ſalutem tibi à me ſuo quoque nomine iuſſit adſcribi. Florentiæ, pridie Calẽd. Decemb. M. CCCCLXXXIX.

In Domitium Calderinum.

Horatius in ueteres poetas.

IACOBVS ANTIQVARIVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

SCripſi ad te optima fide, ſciens fore, ut literæ meæ pari candore animi acciperentur. Quod factum non muto, & ita contigiſſe ſicut optabam, ualde lætor. Superuacua eſt in Domitiũ excuſatio, in quem omnes (ſic enim dixerim) uehellas utilitate publica diſcentiũ, à te ſuſceptas fuiſſe

arbitror. Neq; eas à me uel minimo uerbo repunctas eſſe uelim, uel notatas contraria cenſura. Sed optaſſem, quod amplius opere edito liberum non eſt, temperatum eſſe frequentius à perſona, dum rem inceſſeres. Vtcunq; tamē id ſtudium ſuſceperis, more optimi agricolæ, quicquid ſentium occurrebat, ſulcis tuis penitus cum radicibus extirpatum iri te uoluiſſe nō dubito. Nec uetus adhiberi exemplum oportuit, ubi negotium præſens nō caret laude: Equidē ſcriptis tuis deeſſe id tantum ſentio, quòd priſcam ætatē non uixeris, cum qua memoriam omnium ſeculorū conſecutus eſſe uideris, induſtriæ ac laboris ſimilitudine. Hoc teſtimonium qui non dederint, infelici nati ſunt Muſarum partu & adulterino. Noli igit longi incubatus fœtura nos in expectatiōe macerare, ſed accepto etiam in tui nominis ſecuritatem, ſponſore Pico, cuius tota uita gloriarū plena eſt, à quo in amicorum gregem per te receptum iri omnibus uotis expeto, cuius ueſtigia ſemper adoro, quicquid ex altilium cohorte domi naſcitur, ſpectandum, legendum, ediſcendum emittas, detenturus eos omneis in fidibus tuis, qui aliquo uirtutū ſimulachro aut harmonia ducuntur. Vale. Chalcus tibi ſalutem dicit, tuus eſt, & Antiquarius tuus eſt, uterq; uelut dexteræ tuæ digitus haberi cupit. Mediolani, v. Id. Decemb. M.CCCCLXXXIX.

IACOBVS ANTIQVARIVS ANG. POLITIANO S. D.

PVdorem nuper mihi fecit Hieronymus Donatus, qui receptam à Republica perſonam magno apud hunc principem æſtimatu agens, officium meū ſingulari humanitate præuertit. Sed tu quoq; in cauſa. Nam ad eum ſimul, & ad me ſcribens, ita inter ſeſe utramq; epiſtolam cōmiſiſti, ut maiorem meritis de me opinionem tuam apud illum teſtatus, plus pignoris (quod aiunt) depoſueris, ꝙ mea pecunia poſſit redimi. Vnde ſtatim legēdum miſit, quod (pace tua) falſò prædicabas. In mea itidem epiſtola demōſtraſti illum eſſe dignum quem ueneremur, cumulata optimarum artium laude. Equidē inſtitueram ad eum quod ſcripſeras deferre, ſed mei ingenij remiſſa natura, quaſi perendinandi ius uſurpans, ſpatium dedi homini præſtantiſſimo, ut iſtiuſmodi uerecundia me conſpergeret: quam longè tamen æquiore animo fero, quàm teſtimonium tuū, quod magnis uerbis, nullo alioqui ad ueritatem cōfinio pertinentibus, ita confercis, ut nihil potius agere coneris, ꝙ ut inter dulce reſonantes tibias carmen aliquod demeruiſſe uidear. Equidem prolotos digitos me habere non ſentio, quibus myſterium philoſophiæ ab iſtis ſanctiſſimè ac penitus tractatū contingere liceat: profanus ſum, & procul limen adoro. Satis eſt tale arcanum inter eorum manus uerſari, quos idoneos perſpeximus ad reſtituenda humana & diuina animorū exercitamenta: quæ paulo antè ex diſciplinis diſciplinæ cenſebanī, congeſta barbaricè terra in oculos miſeræ, & toto orbe in unam ſepulturam redactæ philoſophiæ. Mihi certè in partem felicitatis tribuo, quòd hoc ſeculo naſci contigit, in quo uelut è cœlo delapſi homines expultricem immunditiarum curam literis adhibentes effecerunt, ut ubi picus, phœnix, & id auium genus auſpicatiſſimum eſt, obſtrepere anſer amplius non debeat. Licuit Hermolaū de facie cognoſcere, licuit eum diſſerentem audire de fato, de fortuna, de caſu. Quæ res ut populari captu difficilis eſt, & inprimis à Peripateticis operoſè tractata, ita ab eo reddebatur perſpicua, ut omnem illam cœleſtium cauſarū ſeriem, ueluti catenā quandam ante oculos ponere uideretur. Sæpe ad pacem, ſæpe ad gratiam, in quæ templa uterq; noſtrûm diuinæ rei cauſa pergebat, cōuenimus. Mira in eo comitas, lepor multus totam mentem ad afflatū diuinū refert, cuidam terreſtri numini ſimilis. Cum Hieronymo nondū frequens cōgreſſus, quoniam etſi cultura literarum

in eo

In eo eminentiſſ plurimùm inuitat, ut ei fiam q̃ familiariſſimus: quod tam facilè futurum perſpicio, q̃ cum uiro in officium ſemper expoſito, & obuio, negotij tamē publici ratio, quæ nuſquam ſuſpicione uacauit, me deterret, & ab eius honeſtiſſima ac frugifera conſuetudine retrahit. Vnde dolor, ira & indignatio frequenter macerant animum meum, ut in ſingulari, ac diu alioqui, multiſq; rebus perſpecta fide alienam delationem cauero oporteat, iucundiſſimi in uita fructus amiſſione atq; iactura. Verùm propius eum intueor, quoties in regiam uenit, delect orq; amœnitatibus ingenij, quas prudentia & grauitate cōdiuit, qualem in ampliſſima Repub. opportuna ad honores ſubſellia ſortitū eſſe decet. Sed ſolicitudine quadam pungor (id ſcilicet curat homuncio) ne per quos linguæ latinæ ornamenta reſtituuntur, per eoſdem aliquando Italicum imperium in unam Rempub. cedat. Veneti enim in omni tempeſtare ſapientes uiri, quòd ſuperbiā ſuam nimis infenſam omnibus eſſe intelligerent (ampulloſa namq; quorundam imperitia & oſtentatione id accidebat) nouato nuper in melius more, eos legatos circummittunt, qui & molliant animos quibus cum agunt, & familiarius cōmercia miſceant, atq; patefacto, quod prius ſenioribus tantum licebat, etiam iuuentuti & gliſcenti philoſophiæ aditu honoribus & præmijs ornant. Incredibile eſt, quantum iſti proficiant. Sed quoniam imperiū non niſi fato dari cernimus, quid ſit euenturū, alij uiderint. Nos interea cōmunibus ſtudijs gratulamur, quæ aſſertores uos habēt maximos, & primæ claſſis uiros. Bene profectò nobiſcum agitur, ꝙ lucernam à uobis anteferri contigit, quotidie aliquid excuditur poſteritate dignum. Id magnopere ad mei animi lætitias pertinet. Illud tantū mea intereſſe ut putes uelim, quòd quam operam præſtare nequeo, in aliorū induſtria libenter intuear: ultrà onerari non patior, q̃ hominē poſtremæ tribus, ſine prærogatiua ferentis ſuffragia. Vale, & Pico omniū qui uiuunt, laudem ſupergreſſo, me ſæpius & iterum cōmenda. Mediolani, XVI. Calend. Ian. M. CCCCLXXXIX.

ANGELVS POLITIANVS IACOBO ANTIQVARIO SVO S. D.

ARguis mendacem, quòd in epiſtola mea proxima ſtylum literaſq; tuas apud erudiniſſimum uirum quaſi plus nimio laudauerim. Sed hoc ita doctè facis tamen, ut quibus me uerbis accuſas, ijſdem prorſus abſoluas. Quo fit, ut non alio magis iudicij mei ratio mihi conſtet, quàm ꝙ abs te ſic reprehēditur eloquenter. Niſi fortè parum uerus ob id ego teſtis (teſtis enim planè, non laudator) quòd attigi teſtimonium de te, nec impleui: uerùm cogita quàm ſit arduum, uerbis exæquare laudes, quæ fidem ſic excedant, ut eis nec tu quidē protinus aſſentias, qui iampridem ſatisfeceris. Quòd autem me Ioanni Pico Mirandulæ, Hieronymoq; Donato, & Hermolao Barbaro, tantis in omni literatura uiris, quantos olim non meminimus, adnumeras, equidē irrideri me putarem, niſi perſuaſiſſimum haberem, falli te duntaxat amore nimio, quem ſolere ait Plato in iudicijs cæcutire. Cæterùm ego tam me ſcio cum talibus nec ingenio nec doctrina, quàm nec natalibus nec fortuna debere conferri. De imperio uerò, quòd ais, fors ipſa uiderit: aut ſi quis eſt in magnis rebus meæ quoq; preci & uoto locus: utinā deniq; apud eos reſidat, qui ſint illo q̃ digniſſimi. Picus noſter unicè te diligit, nec autem plus de meis uerbis, q̃ de tuis epiſtolis: quin eas nūc me tibi dictante cū maximè legit, curatq; deſcribendas: ſed & mirè gaudet, ꝙ Hieronymum Donatū iuxtà ſecū probes, tum ꝙ inter uos cohæſeritis tu & Barbarus, non inuicem modò, ſed in commune conſultum putat. Idem penè me quoq; prouocat in te redamando, nulli ſcilicet hominum concedentem. Quare uelim mihi

pro meo in te ſtudio Chalcum perpetuò uel patronũ, ſi patitur, uel ſi hóc mauult, amicum magnum, quibus potes machinis retineas. Vale. Florentiæ, quarto Calend. Ianuar. M.CCCCLXXXIX.

IACOBVS ANTIQVARIVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

PErferuntur quotidie ad te manipulatim ex toto doctiſſimorum hominum cœtu literæ, quæ tuæ laudi multum uidentur afferre: qua eas frõte accipias ignoro, opinor tamen indiſſimulata, & familiari. Quòd uerò ſcribunt, ſeculo gratulantur, & tibi. Interea Pomponij epiſtola plurimùm me delectauit, quam mihi legendã nuper tradidit Bernardus noſter, adoleſcens in tua ſchola tornatim expolitus. Cupio tamẽ ex te ſcire, an tibi ex tam referta multorum laudatione quicquam uindices. Nam ſapientes uiri, in quorũ ſententia te eſſe arbitror, quicquid inſpexerint in ſe boni, non ſua opera id partũ paratum'ue, ſed naturæ, & Dei beneficio tributũ eſſe credunt. At uerò qui illud ſibi acceptum referũt, hi proculdubio lenæ purpuriſſatæ cõparandi ſunt, aut Poggianæ fabulæ: Et nos poma natamus. Sæpe eas cogitationes immigrare in te (ſic enim puto) quæ ad alicuius rei faſtigium iam tenendum ſpectent, ſed extrarias, et tuæ menti quaſi quibuſdam igniculis collucentes, haud dubiè ſentis. Itaq; cum te alicuius humani decoris conſcium cernis eſſe, ſupra hominem te, ne uno quidem digito, efferre debes. Ego enim is ſum, qui te amem, atque etiam colam uirtutem tuam: ſed rurſus qui donũ cœlitus datum in te agnoſcam, quò & uetera illuſtres longæuitate rubiginata, & ſurgenti, atq; ad æmulationem laudis adnitenti ſeculo manum porrigas. Vale. Mediolani Cal. Septemb. M.IXD.

ANG. POLITIANVS IACOBO ANTIQVARIO SVO S. D.

QVæris ex me per epiſtolam, qua tandem fronte doctiſſimorum hominum tam crebras literas, meis refertas laudibus accipiam: & an quippiam mihi ex illorum teſtimonio plus uindicem. Prudenter'que admones, & beneuolè, ne meum eſſe putem quod diuini beneficij ſit, ne'ue ſupra hominem efferar. Deniq; ſic epiſtolam claudis, ut eſſe in magna ſpe, uel expectatione potius ſtudiorum literarumq; noſtrarum uidearis. Equidem (ut planiſſimè dicam) ſentio me tibi in ſuſpicionem ueniſſe, quaſi plus nimio ſim gloriæ auidus, quòd ut quas à doctis hominibus proximis aliquot menſibus acceperim literas, earum exemplum ſtatim iſthuc Bernardo Riccio miſerim, quò tibi protinus oſtenderentur. Vt autem ſic ineptirem: non mea me uoluntas, uerùm ipſius Bernardi, optimi quidem iuuenis, ſed mei nimium amantis, aſſiduæ propè obſecrationes impulerunt: præſertim qui te quoq; ipſum magnopere id uelle, atq; etiam contendere aſſereret. Non igitur ut auras quaſi captarem, quod à meis moribus procul abeſt, ſed ut amicis obſequerer, quorum me ſemper iudicio permiſerim, crebras iſthuc epiſtolas illas miſſitabam: quas tamen probè memineram non iuratorum teſtium, ſed blandientiũ eſſe amicorum. Quòd igitur rogas, qua eas deniq; fronte ſuſcipiam, planè fateor læta. ſic enim ſoleo quæcunq; a uiris & amicis & doctis proficiſcuntur: cæterùm ſic ipſemet mecum cogitare ſoleo. Si fallitur qui me laudat, danda mihi opera eſt, ne iterum fallatur, atque interim habenda gratia: ſin autem minimè fallitur, aut idem nec etiam fallit, atque ita maior ſum, quàm mihi ſortaſſe uideor: aut ſi fallit, animandi mei, uel conciliandi, uel irridendi gratia fallit: quorum primum mihi expedit, alterum nõ diſplicet, tertium cadere in amicũ non ſolet. Itaq; ratiocinationem ſic colligo, ut aut ego ne doctus quidẽ ſim, quod iſti uel opinantur, uel dictitant, aut ſim certè, qualem prædicant.

Sed

Sed quoniam uir eſſe nemo doctus poteſt, quin ſibi ipſe quoq; uideatur: prima enim docti hominis conditio eſt, ut ipſe ſe norit: ego uerò mihi doctus nõ uideor, ſequitur omnino ne ſim doctus. Sed hoc ipſum tamen non falli me in eo, quo plerique opinor falluntur, niſi diuini eſſe muneris intellegerem, etiã plus cæteris fallerer. Ibi uerò, fateor, riſi mediocriter, cum me admones, ne ſupra hominem efferar: ſcilicet periculum eſt hoc in me, qui quidẽ adhuc in primis literulis hæſitem, quaſdam uerò arteis ex ijs ne attigerim quidem, quæ philoſophiæ ſtudio famulantur, cum ſit eorum quoq; qui diſciplinas omneis omnemq; ſapientiam prohibuiſſent, celebris illa ſententia, ſic ad ea quæ natura in promptu haberet, noſtræ mentis aciem, ſicut ad ſolem noctuæ oculos caligare. Procul hæc à nobis inſania ſit, ut quantum abſimus adhuc, non dico à ſummis, ſed uel à mediocribus uiris, ignoremus. Aſſentatiunculis autẽ quorundam, aut item obtrectatiunculis & ineptis & leuibus, non magis equidem aut attollor, aut deprimor, quàm umbra ipſa mei corporis. *Vmbra corporis.* Non enim quia longior illa, & extenſior manè ac ueſperi ſit, meridie uerò breuior & contractior, ob id ego quoq; ſtatim maior, procerior'q; mihi manè ac ueſperi, ꝗ meridie ipſo uideri debeo. Quòd autem fore ſuſpicaris, opera, ſtudio, induſtriaq; mea, ut & uetuſtati ſqualor abſtergatur, & ad frugẽ iuniores perueniant, uide quæſo, ne tibi uerba det amor erga me nimius. Ego certè (neſcio autem, uitio'ne mentis captus, an conſilio magis adductus) magnũ quiddam omnino molior, facturusq; operæprecium uideor, modò uires animũ ſubſequantur. Vale. Fæſulæ. ante VII Cal. Septemb. M.CCCCXCI.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER QVARTVS.

IACOBVS ANTIQVARIVS ANGELO POLITIANO S. D.

AD quintum Idus Aprilis ſeceſſeram Ticinũ. Poſtridie eius diei, cum officij cauſa præfectum arcis, humaniſſimum uirum Iacobum Puſterlam cõueniſſem, perbenignè me exoſculatus, ſecunda, inquit, noctis uigilia de Laurentij Medicis obitu præuolans tabellarius ad principem contendit. *Laurẽtij Medicis mors.* Hoc nuncio attonitus, oculos cum in terram defixiſſem, eſt'ne, inq;, nobis iratus deus, ut in illo omnium ſapientiſſimo uiro, tot ſpes, tot uirtutũ imagines, & ſigna, tanquã ad uaſa conclamans ſuſtulerit? ſed de Italiæ calamitatibus mox. Quæ enim ab eminentiſſimis locis mala ingruunt, niuibus, cum in montium cacuminib. liqueſcentes ingẽtia efficiunt flumina, ſimilima eſſe ſolent. Biduo pòſt Mediolanũ regreſſus offendi ſermonem uarium: ea namq; de mœſtiſſima re iam populus erat certior. Alij de cœlo ædem Liberatæ paulo antè ꝗ Laurentius decederet, tactã: alij deſperata eiuſdem ſalute, Petrum Leonem medicũ, qui ægrotanti aſſederat, ſeſe in puteum præcipitaſſe affirmabant. Dedi compluſculos dies dolori meo: neque poſſum, mi Politiane, magnopere non torqueri: & ut meipſum aſſiduè magis urgeam, tum mea, tum aliorũ cauſa facit. Scis qua illum ueneratione proſequebar, quo'ue quaſi reſtituta uice, me ipſe cõplectebatur animo non ignoras: qui unus omnium uitæ meæ præſidiũ in pleraq; fortuna à me cenſeretur conſtantiſſimum. Sed in communi rerum aceruo plura ſunt. Sæpe enim inter Scyllam & Charybdim poſitus, Italiam non minus temperabat, quàm Iſthmus ille, qui inter Ionium & Aegæum

& Aegæum, ne inter ſe cõcurrentia maria confundantur, natura cõſtitutus eſſe uidetur. Scio in clariſſimo iuuene Petro Medice ab uniuerſa ciuitate, quod noſtrum dolorem plurimùm extenuat, patris autoritatem prorſus cõfirmatam eſſe: idq; decretum publicum, quoniam in unius familiæ incolumitate totius reipub. ſalus uerſatur, perpetuò manſurum & ſperamus, & cupimus. Laurentij tamẽ deſiderium lenire nequeo: & quod recenti uulneri accidere ſolet, quò magis frigeſcit, eo grauius dolet, in me ſentio. In iſta uerò tua ingenii ſtudiorũ calamitate atque iactura, quid abs te optem uideo, quid impetrare poſſim ambigo. Faciam tamen quod in cõmuni luctu aſſolet, ac per ipſius Laurentij felicem memoriam, ut abſterſis aliquantiſper lacrymis, quo ille emigrauerit animi tenore, quid'ue antea ad ſuos ſit præfatus, in utriuſq; noſtrûm conſolationẽ (totam illius uitam ſplendoris & laudis plenam, tuis aliquando lucubrationibus ad poſteritatem peruenturam non dubito) quibus honoribus ſit elatus, cui quoq; monumẽto, & quibus eulogijs intulerint perſcribas & rogo & obſecro. Vale. Mediolani XVIII. Calend. Aprilis, M.CCCCXCII.

ANG. POLITIANVS IACOBO ANTIQVARIO SVO S.

VVlgare eſt, ut qui ſerius paulo ad amicorum literas reſpõdeant, nimias occupationes ſuas excuſent. Ego uerò quò minus maturè ad te reſcripſerim, non tam culpam confero in occupationes, quanquam ne ipſæ quidem defuerũt, quàm in acerbiſſimum potius hunc dolorem, quem mihi eius uiri obitus attulit, cuius patrocinio nuper unus ex omnibus literarum profeſſoribus, & eram fortunatiſſimus, & habebar. Illo igitur nunc extincto, qui fuerat unicus autor eruditi laboris, uidelicet ardor etiam ſcribendi noſter extinctus eſt, omniſq; propè ueterum ſtudiorum alacritas elanguit. Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros, & qualem ſe ille uir in extremo quaſi uitæ actu geſſerit audire, quanquã & fletu impedior, & à recordatione ipſa, quaſiq; retractatiõe doloris abhorret animus, ac reſilit, obtemperabo tamen tuæ tantæ, ac tam honèſtæ uoluntati, cui deeſſe pro inſtituta inter nos amicitia neq; uolo, neq; poſſum. Nam profectò ipſemet mihi nimium & inciuilis uiderer, & inhumanus; ſi tibi & tali uiro, & mei tam ſtudioſo rem auſim prorſus ullam denegare. Cæterùm quoniam de quo tibi à nobis ſcribi poſtulas, id eiuſmodi eſt, ut facilius ſenſu quodam animi tacito, & cogitatione cõprehendatur, quàm aut uerbis aut literis exprimi poſſit: hac lege tibi iam nunc obſequium noſtrũ aſtringimus, ut neq; id polliceamur, quod implere non poſſimus, tua certè cauſa non recuſemus. Laborauerat igitur circiter menſes duos Laurentius Medices è doloribus ijs, qui quoniam uiſcerum cartilagini inhæreant, ex argumento Hypochondrij appellantur. Hi tametſi neminem ſua quidem ui iugulant, quoniam tamen acutiſſimi ſunt, etiam iure moleſtiſſimi perhibentur. Sed enim in Laurentio fato'ne dixerim, an inſcitia, incuriaq; medentium id euenit, ut dum curatio doloribus adhibetur, febris una omniũ inſidioſiſſima contracta ſit, quæ ſenſim illapſa, non quidẽ in arterias aut uenas, ſicuti cæteræ ſolent, ſed in artus, in uiſcera, in neruos, in oſſa quoq; & medullas incubuerit. Ea uerò quòd ſubtiliter ac latenter, quaſiq; lenibus ueſtigijs irrepſerat, parum primò animaduerſa: dein uerò cum ſatis magnã ſui ſignificationem dediſſet, non tamen pro eo ac debuit, diligenter curata, ſic hominẽ debilitauerat prorſus, atq; afflixerat, ut non uiribus modò, ſed corpore etiam penè omni amiſſo & conſumpto diſtabeſceret. Quare pridie quàm naturæ ſatisfaceret, cùm quidem in uilla Caregia cubaret æger, ita repentè concidit totus, nullam ut iam ſuæ ſalutis ſpem reliquã oſtẽderet. Quod homo, ut ſemper cautiſſimus, intellegẽs, nihil prius habuit,

quàm

quàm ut animæ medicum accerſeret, cui de contractis tota uita noxijs Chriſtia-
no ritu confiteretur. Quem ego hominem poſtea mirabundum ſic propè audiui
narrantem, nihil ſibi unquam neꝗ maius, neꝗ incredibilius uiſum, quàm quomo
do Laurentius conſtans paratusꝗ aduerſus mortem, atꝗ imperterritus, & præte
ritorum meminiſſet, & pręſentia diſpenſaſſet, et de futuris item religioſiſſimè pru
dentiſſimeꝗ cauiſſet. Nocte dein media quieſcẽti, meditantiꝗ ſacerdos adeſſe cũ
ſacramento nunciatur: ibi uerò excuſſus, procul, inquit, à me hoc abſit, patiar ut
Ieſum meum, qui me finxit, qui me redemit, aduſꝗ cubiculum hoc uenire: tollite
hinc obſecro me quàm primùm, tollite, ut domino occurram. Et cum dicto ſuble
uans ipſe ſe quantum poterat, atꝗ animo corporis imbecillitatem ſuſtentans, in-
ter familiariũ manus obuiam ſeniori ad aulam uſꝗ procedit: cuius ad genua pro-
repens, ſupplexꝗ, ac lacrymãs: Tu'ne, inquit, miniſſime Ieſu, tu nequiſſimũ hunc
ſeruum tuum dignaris inuiſere? At quid dixi ſeruum: imò uerò hoſtem potius, &
quidem ingratiſſimum, qui tantis abs te cumulatus beneficijs, nec tibi dicto un-
quam audiens fuerim, & tuam toties maieſtatem læſerim. Quod ego te per illam
qua genus omne hominum complecteris, charitatem, quęꝗ te cœlitus ad nos in
terram deduxit, noſtræꝗ humanitatis induit inuolucris, quæ famẽ, quæ ſitim, quę
frigus, æſtũ, labores, irriſus, contumelias, flagella, & uerbera, quę poſtremò etiam
mortem crucemꝗ ſubire te compulit: per hanc ego te ſalutifer Ieſu quæſo, obte-
ſtorꝗ, auertas faciem à peccatis meis, ut cum ante tribunal tuum conſtitero, quo
me iamdudum citari planè ſentio, non mea fraus, non culpa plectatur, ſed tuę cru
cis meritis condonetur. Valeat, ualeat in cauſa mea ſanguis ille tuus Ieſu pretio-
ſiſſimus, quem pro aſſerendis in libertatem hominibus in ara illa ſublimi noſtræ
redemptionis effudiſti. Hæc atꝗ alia cũ diceret lacrymans ipſe, lacrymantibusꝗ
qui aderant, uniuerſis, iubet eum tandem ſacerdos attolli, atꝗ in lectulum ſuum,
quò ſacramentum cõmodius adminiſtraretur, referri. Quod ille cum aliquandiu
facturum negaſſet, tamẽ ne ſeniori ſuo foret minus obſequens, exorari ſe paſſus,
iteratis eiuſdem fermè ſentẽtiæ uerbis, corpus ac ſanguinem dominicum plenus
iam ſanctitatis, & diuina quadam maieſtate uerendus accepit. Tum conſolari Pe
trum filiũ (nam reliqui aberant) exorſus, ferret æquo animo uim neceſſitatis ad-
monebat, non defuturum cœlitus patrocinium, quod ne ſibi quidem unquam in
tantis rerum fortunęꝗ uarietatibus defuiſſet, uirtutem modò & bonam mentem
coleret, bene conſulta bonos euentus paritura. Poſt illa contemplabundus ali-
quandiu quieuit: excluſis dein cæteris, eundem ad ſe natum uocat, multa monet,
multa præcipit, multa edocet, quę nondum foras emanarunt, plena omnia tamen
(ſicuti audiuimus) & ſapientiæ ſingularis, & ſanctimoniæ: quorũ tamen unum,
quod nobis ſcire quidem licuerit, adſcribam. Ciues, inquit, mi Petre, ſucceſſorem
te meum haud dubiè agnoſcent. Nec aũt uereor, ne nõ eadem futurus autoritate
in hac rep. ſis, qua nos ipſi ad hanc diem fuerimus. Sed quoniã ciuitas omnis cor-
pus eſt (quod aiunt) multorum capitum, neꝗ mos geri ſingulis poteſt, memento
in eiuſmodi uarietatib. id conſiliũ ſequi ſemper, quod eſſe ꝗ honeſtiſſimũ intel-
leges, magisꝗ uniuerſitatis, ꝗ ſeorſum cuiuſꝗ rationem habeto. Mandauit & de
funere, ut ſcilicet aui Coſmi exemplo, iuſta ſibi fierent, intra modũ uidelicet eum,
qui priuato conueniat. Venit dein Ticino Lazarus ueſter, medicus (ut quidẽ ui-
ſum eſt) experientiſſimus: qui tamen ſerò aduocatus, ne quid inexpertum relin-
queret, precioſiſſima quædam gemmis omne genus, margaritisꝗ conterendis,
medicamẽta tentabat. Quærit ibi tum ex familiarib. Laurentius (iam ẽm admiſſi
àliꝗt fueramus) quid ille agitaret medicus, quid moliref. Cui cũ ego reſpõdiſſem,

epithema

intuens,identidemq; deoſculãs expirauit. Vir ad omnia ſumma natus, & qui flan *Laurentij*
tem, reflantemq; toties fortunam uſqueadeo ſit alterna uelificatione moderatus, *laus.*
ut neſcias utrum ſecundis rebus conſtantior,an aduerſis æquior,ac temperantior
apparuerit. Ingenio uerò tanto,ac tã facili,& perſpicaci, ut quibus in ſingulis ex-
cellere alij magnum putant,ille uniuerſis pariter emineret.Nam probitatem,iuſti
tiam,fidem,nemo,arbitror, neſcit ita ſibi Laurentij Medicis pectus, atq; animum
quaſi gratiſſimum aliquod domicilium,templumq; delegiſſe.Iam comitas, huma
nitas, affabilitas quanta fuerit, eximia quadã in eum totius populi, atq; omnium
planè ordinum beneuolentia declaratur.Sed enim inter hęc omnia liberalitas ta
men,& magnificentia explendeſcebat,quę illum penè immortali quadam gloria
ad deos uſq; prouexerat: cùm interim nihil ille famæ duntaxat cauſa, & nominis,
omnia uerò uirtutis amore perſequebatur.Quanto autem literatos homines ſtu-
dio complectebatur,quantum honoris,quantum etiam reuerentiæ omnibus ex-
hibebat,quantũ deniq; operæ,induſtriæq; ſuæ conquirendis toto orbe terrarum,
coemendisq; linguę utriuſq; uoluminibus poſuit,quantosq; in ea re,quàm imma
nes ſumptus fecit,ut non ætas modò hæc,aut hoc ſeculum,ſed poſteritas etiã ipſa
maximam in huius hominis interitu iacturã fecerit . Cæterùm cõſolantur nos ma
ximo in luctu liberi eius,tanto patre digniſſimi.Quorum,qui maximus natu,Pe- *Petrus Me-*
trus, uixdum primum, & uigeſimum ingreſſus annum, tanta iam & grauitate, & *dices.*
prudentia,& autoritate molem totius Reip.ſuſtentat, ut in eo ſtatim reuixiſſe ge-
nitor Laurentius exiſtimetur.Alter annorum duodeuiginti Ioannes,& Cardina- *Ioannes*
lis ampliſſimus (quod nunquam cuiquam id ætatis contigerit) & idem pontifici *Medices.*
maximo,non in eccleſiæ patrimonio duntaxat,ſed in patriæ quoq; ſuæ ditione le
gatus,talem, tantumq; ſe iam tam arduis negotijs gerit, & præſtat, ut omniũ in ſe
mortalium oculos conuerterit, atq; incredibilem quandam, cui reſponſurus pla-
niſſimè eſt, expectationem cõcitauerit . Tertius porrò Iulianus, impubes adhuc, *Iulianus*
pudore tamen,ac uenuſtate,neq; non probitatis,& ingenij mirifica quadam,ſua- *Medices.*
uiſſimaq; indole totius ſibi iã ciuitatis animos deuinxit. Verùm ut de alijs in præ-
ſenti taceam,de Petro certè ipſo cohibere me nõ poſſum, quin recenti re teſtimo
nium hoc loco paternum adſcribam. Duobus circiter ante obitũ menſibus, cùm
in ſuo cubiculo ſedens(ut ſolebat) Laurentius de Philoſophia, & literis nobiſcũ
fabularetur,ac ſe deſtinaſſe diceret reliquam ætatem in ijs ſtudijs mecum, & cum
Ficino,Picoq; ipſo Mirandula conſumere,procul ſcilicet ab urbe, & ſtrepitu:ne-
gabam equidem hoc ei per ſuos ciues licere , qui quidem in dies uiderentur ma-
gis,magisq; ipſius & conſilium, & autoritatem deſyderaturi. Tum ſubridens ille,
atqui iam,inquit, uices noſtras alumno tuo delegabimus, atque in eum ſarcinam
hanc,& onus omne reclinabimus.Cumq; ego rogaſſem an adhuc in adoleſcente
tantum uiriũ deprehendiſſet, ut eis bona fide incumbere iam poſſemus. Ego ue-
rò, ait ille, quanta eius, & quàm ſolida uideo eſſe fundamenta, laturũ ſpero haud
dubiè quicquid inædificauero. Caue autem putes Angele, quenquam adhuc ex
noſtris indole fuiſſe tanta,quantam iam Petrus oſtendit, ut ſperem fore,atq; adeò
augurer(niſi me ipſius ingenij aliquot iam experimenta fefellerint)ne cui ſit ma-
iorum ſuorum conceſſurus.Atq; huius quidẽ iudicij præſagijq; paterni magnum
profectò, & clarum ſpecimen hoc nuper dedit, quòd ægrotanti præſtò fuit ſem-
per, omniaq; per ſe penè etiam ſordida miniſteria obiuit, uigiliarum patientiſſi-
mus, & inediæ: nunquamq; à lectulo ipſo patris,niſi cùm maximè Reſpub.urge-
ret, auelli paſſus . Et cùm mirifica pietas extaret in uultu, tamen ne morbum, aut
ſolicitudinẽ paternam mœrore ſuo adaugeret, gemitus omneis , & lacrymas in-

credibili uirtute quaſi deuorabat. Porro autem, quod unum triſtiſſima in re pulcherrimum ceu ſpectaculum uidebamus, inuicem pater quoque ipſe, ne triſtiorem filium triſtitia ſua redderet, frontem ſibi ex tempore uelut aliam fingebat, ac fluentes oculos in illius gratiam continebat, nunquam aut conſternatus animo, aut fractus, donec ante ora natus obuerſaretur. Ita uterque certatim uim facere affectibus ſuis, ac diſſimulare pietatem pietatis ſtudio nitebatur. Vt autem Laurentius è uita deceſſit, dici uix poteſt quanta & humanitate, & grauitate ciues omneis ſuos Petrus noſter, ad ſe domum confluentes, exceperit, quàm & appoſitè, & uariè, & blandè etiam dolentibus, conſolantibusq; pro tempore, ſuamq; operam pollicentibus reſponderit. Quantam deinde, & quàm ſolertem rei conſtituendæ familiari curam impenderit, ut neceſſitudines ſuas omneis grauiſſimo caſu perculſas ſubleuarit, ut uel minutiſſimum quenque ex familiaribus deiectum, diffidentemq; ſibi aduerſis rebus collegerit, erexerit, animauerit, ut in obeunda quoque Repub. nulli unquam aut loco, aut tempori, aut muneri, aut homini defuerit, nulla denique in parte ceſſauerit. Sic ut eam planè inſtitiſſe iam uiam, atque ita pleno gradu iter ingreſſus uideatur, breui ut putetur parentem quoque ipſum ueſtigijs conſecuturus. De funere autem nihil eſt, quod dicam. Tantum ad aui exemplum ex præſcripto celebratum eſt, quemadmodum ipſe, ut dixi, moriens mandauerat. Tam magno autem omnis generis mortalium concurſu, quàm magnum

Prodigia.

nunquam antè meminerimus. Prodigia uerò mortem fermè hæc anteceſſerunt, quanquam alia quoque uulgò feruntur. Nonis Aprilibus, hora fermè diei tertia, triduo antè, quàm animam edidit Laurentius, mulier neſcio quæ, dum in æde ſacra Mariæ Nouellæ, quæ dicitur, declamitanti è pulpito dat operam, repente inter conſertam populi multitudinem expauefacta, conſternataq; conſurgit, lymphatóq; curſu, & terrificis clamoribus: Heus heus, inquit, ciues, an hunc non cernitis ferocientem taurum, qui templum hoc ingẽs flammatis cornibus ad terram deijcit? Prima porrò uigilia, cùm cœlum nubibus de improuiſo fœdaretur, continuò Baſilicæ ipſius maximæ faſtigium, quod opere miro ſingularem toto terrarum orbe teſtudinem ſupereminet, tactum de cœlo eſt, ita ut uaſtæ quæpiam deijcerentur moles, atque in eam potiſſimum partem, qua Medicæ conuiſuntur ædes, ui quadam horrenda, & impetu marmora immania torquerentur. In quo illud etiam præſcito non caruit, quòd inaurata una pila, quales aliæq; in eodem faſtigio conſpiciuntur, excuſſa fulmine eſt, ne non ex ipſo quoq; inſigni proprium eius familiæ detrimentum portenderetur. Sed & illud memorabile, quòd ut primùm detonuit, ſtatim quoque ſerenitas reddita. Qua autem nocte obijt Laurentius, ſtella ſolito clarior, ac grandior ſuburbano imminens, in quo is animam agebat, illo ipſo temporis articulo decidere, extinguiq; uiſa, quo compertum deinde eſt eum uita demigraſſe. Quin excurriſſe etiam faces trinoctio perpetuo de Fæſulanis montibus, ſupraq; id templum, quo reliquiæ conduntur Medicę gentis, ſcintillaſſe nonnihil, moxq; euanuiſſe feruntur. Quid? quòd & leonum quoque nobiliſſimum par, in ipſa qua publicè continentur cauea: ſic in pugnam ferociter concurrerit, ut alter peſſimè acceptus, alter etiam leto ſit datus. Arreti quoque ſupra arcem ipſam geminæ perdiu arſiſſe flammæ, quaſi Caſtores feruntur, ac lupa identidem ſub mœnibus ululatus terrificos edidiſſe. Quidam illud etiam (ut ſunt ingenia) pro monſtro interpretantur, quòd excellentiſſimus (ita enim habebatur) huius ætatis medicus, quando ars eum, præſcitaq; fefellerant, animum deſponderit, puteoq; ſe ſponte demerſerit, ac principi ipſi Medicæ (ſi uocabulum ſpectes) familiæ ſua nece parentauerit. Sed uideo me, cùm quidem multa, & magna reticuerim, ne

rim, ne forte in ſpeciem adulationis inciderem, longius tamen prouectum, quàm à principio inſtitueram. Quod ut facerem, partim cupiditas ipſa obſequendi, obtemperandiq; tibi optimo, doctiſſimo, prudentiſſimoq; homini, mihiq; amiciſſimo, cuius quidem ſtudio ſatisfacere breuitas ipſa in tranſcurſu non poterat: partim etiam amara quædam dulcedo, quaſiq; titillatio impulit recolendæ, frequentandæq; eius uiri memoriæ. Cui ſi parem, ſimilemq; noſtra ætas unum forte atq; alterum tulit, poteſt audacter iam de ſplendore nominis, & gloria, cum uetuſtate quoque ipſa contendere. Vale. XV. Calendas Iunias. M. CCCCXCII. in Fæſulano ruſculo.

CAESAR CARMENTVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

POlitias tuas, hoc eſt, Miſcellaneorum librum oſtendit nuper mihi Iacobus Rufinus, amœniſſimi homo ingenij, tibiq; amiciſſimi. Nihil mehercules illis mundius, nihil acutius, nihil doctius, iſta una centuria (ut equidem ſentio) non modò Gellium, & id genus alios æmularis, ſed longè ſuperas. Fama quanquàm magnus es, ſcriptis certè maior: quare ætati huic noſtræ gratulor. Eſt enim præſenti in ſeculo, quod admirari poſſimus, ne ſemper ueterum ingenia ſuſpiciamus. Ego per te cùm multa didicerim, tibi me debere fateor, cunctaq; mea polliceor. Amicos habes ſupremæ fortunæ uiros, nos humili de plebe ſumus, qui quaſi fores amicitiæ tuæ pulſamus. Quid tu tenuis hominem ſortis deſpicies? Inter ganeatas dapes uilis quandoq; iuuat, atq; appetitur oliua. Porrò quòd & ipſe literas iſtas profitear, nihil uelim charum me tibi reddat: nam profeſſio adeò ieiuna eſt: in hoc laude dignus, quòd ad ſtudia iſta anhelem, non quòd profitear. Quali enim ſimus doctrina, ipſi probè ſcimus: iter in denſis tentamus tenebris, lucella ſectamur: quandiu tantum congeſſerimus, quantum ſit ſatis pro uictu annorum aliquot, mox Athenas, id eſt, Florentiam ad capiendum abs te cultum ingenij proficiſcemur: abſentem quæſo, & incognitum, ſi potes, dilige interea, & Vale.

ANGELVS POLITIANVS CAESARI CARMENTO SVO S. D.

IGnoſce occupationibus Cæſar, neq; me uel ſuperbum crede, uel inofficioſum, quòd ad tuas hactenus literas non reſcripſerim. Melior diei pars lectionibus uarijs mihi teritur, reliqua datur amicis opera. Noctem ſibi quies, & ſomnus cum precibus, horario, & ſtylo diuidunt. Ac (ne manifeſta diſſimulem) recraſtinator quoque natura ſum maximus, nec ad diem facilè ſoluo, quanquàm omnino aliquando ſoluo quod debui: quorum alterum dum redditur (ut uerum fatear) nonnihil dolet ob ignauiam: alterum me, quoniam redditum nō eſt, ſemper excruciat. Venio nunc ad epiſtolas tuas, quas equidem, quoniam ſunt elegantiſſimæ, plenæq; mearum laudum, cupiebam ſic in uicem ferre laudibus, ut par pari relatum cognoſceres: At enim ſi fecero, credet aliquis me forſitan huius deniq; ſpe mercedis, abs te anteà fuiſſe laudatum. Quare malo equidem tibi hoc officium debere, quàm meas laudes adducere in ſuſpicionem, præſertim ſic abs te rhetoricè dictas, ut ob eas ipſe quoq; mihi placeam, qui ſcio ueras non eſſe. Sine igitur, quæ de me ſcripſiſti, mora aliqua temporis roborari, talionemq; tum deniq; à nobis expecta. Nunc uſuram laudationis tuæ gratuitam quæſo permitte dies aliquot, ne quis argutulus dicat, nos iter nos (ut illi apud Terentium faciunt) tradere operas mutuas. Vale. Florentiæ, Idibus Ianuarijs M. CCCCLXXXVIIII.

ANG. POLITIANVS TRISTANO CHALCO SVO S. D.

SIgnificas mihi literis tuis decuriam ſcribarũ totam ſic delectari Miſcellaneis noſtris, ut inde me quoq; uidelicet autorem, quanto uix credibile ſit amore proſequatur. Equidẽ habeo gratiã ſtudijs meis, & uigilijs, in quibus acriter ab ineunte ætate, ſi minus cum diſpendio bonæ ualetudinis, certè ſim maximo periculo uerſatus. Etenim quamuis ipſa ſibi literarũ tractatio ſatis grande præmiũ ſit, adeò ſcilicet ſuauis, & iucunda, tamen iſtiuſmodi ſit ac ceſſionibus, ut nullum uitæ genus eſſe putẽ cum literari hominis otio, dummodo non ſterili, conferendum. Nec enim plures Iaſoni, & Cadmo ſatu dentiũ nati ſunt hoſtes, quàm mihi ſatu Miſcellaneorum nati amici. De Tertulliano, quod requiris, Quintus Septimius Florens Tertullianus appellatur, eiusq; legi libros, præter Apologeticum, de pallio, de carnis reſurrectione, de corona militis, ad martyria, de uirginibus uelandis, de habitu mulierũ, de cultu fœminarũ ad uxorem, ad Scapulam, de perſecutione ad Fabiũ, de exhortatione caſtitatis, de patientia, de monogamia, de præſcriptionibus hæreticorũ contra Hermogenẽ, aduerſus Praxeam, Valentianos, Marcionẽ, Iudæos, hæreticos omneis. Ipſe quorundã, præter hos, librorũ meminit à ſe compoſitorũ, qui nec extant. Lactantius, ut in omnibus eruditũ doctrinis ita in eloquendo duriorẽ perhibet. Auguſtinus lapſum quibuſdam locis miratur, quãuis hominẽ doctiſſimũ, Cyprianus ſua frequẽter ſcripta de illius fontib. irrigauit. Reliqua ſuper eo libellus Hieronymi uirorũ illuſtriũ ſuppeditabit. Ex apologetico uerò nimiũ tibi deerat, quod & huic epiſtolæ totũ ſubnexui. Tu cæteros tamen eius libros caue putes cũ apologetico cõferendos: tũ illud ſcito, uolumẽ eſſe, quod deſyderas, propè immẽſum. Nã quod ad operã ſcilicet attinet meã, libenter equidẽ de illo tibi uerbis eiſdẽ ſpondeo, quibus Publio Septimio de ciuiũ fortunis Antonius. Quod cõcupiſcas, tu uideris. Quod concupiueris, certè habebis. Vale. Florentiæ, pridie Idus Ianuar. M. CCCCLXXXIX.

Tertulliani lib.

ANG. POLITIANVS TRISTANO CHALCO SVO S. D.

Marianus Genazanenſis theologus.

SCribis Marianũ Genazanenſem Theologiæ conſultũ, qui ſacras iſtic ad populũ conciones habet, tanta eſſe omniũ admiratione apud uos, ut eorum facile fidẽ, quæ de ipſo in Miſcellaneis prędicauimus, abſoluerit: Iri ad hunc plenis undiq; uijs, allici lepóre uerborũ, ſuſpendi ſententiarũ grauitate, flecti omneis orationis impetu, & uiribus. Fatebor quid mihi uſu uenerit, cùm primũ hîc apud nos concionari cœpit. Acceſſi ut audirem, ſic quomodo alios conſueuerã, explorabundus, & penè (ut uerũ dicã) contemptim. Sed ut habitũ uidi hominis, & ſtatũ, quaſiq; indolem quandam in oculis, & uultu minimè uulgarem, cœpi aliquid expectare iam quod eſſem probaturus. Ecce tibi igitur, præfari incipit. Arrigo iam tum aures, canora uox, uerba electa, grandes ſententiæ. Deniq; agnoſco inciſa, uideo membra, ſentio circunductum, capior numero: tum partiri pergit, attendo: nihil impeditũ, nihil inane, nihil ibi quod caudam traheret. Texit deinde argumentorũ nexus, illaqueor: retexit, expedior: inſerit alicubi narratiunculas, ducor: modulatur carmen, teneor: iocatur nonnihil, rideo: premit, urgetq; ueris, do manus: tentat affectus mitiores, ſtatim mihi per os lacrymæ: clamat iratus, terreor, ac ueniſſe iam nollẽ. Deniq; pro re ipſa, quam tractat, & figuras uariat, & uocis flexus, & ubiq; actionẽ geſtu commendat. Mihi uerò etiam (ut fatear) creſcere in ipſo pulpito, nec ſupra ſui modò, ſed omnino ſuprà hominis menſurã ſæpe eſt uiſus. Ac dum ſic omnia, quaſi ſingula contemplor, ceſſit miraculo iudiciũ. Putabam fore tamen, ut conſumpta poſtmodum nouitate, minus in dies me caperet. Cæterum contrà accidit, idem enim

poſtridie,

poſtridie, quaſi alius audiebat, ſed illo ipſo melior, qui pridie uiſus optimus. Nec tu illud corpuſculum contempſeris, inuictum, infatigabile eſt: ut non aliunde magis reparare uires, quàm de laboribus ipſis uideatur. Quis inde autem tantum uocis, tantum ſpiritus, tantum uirium, ac laterum ſperaret? Adde quòd & ruſticatus quandoq; ſum, domiq; cum ipſo familiarius egi: & quidem nihil uidi placidius, nihil tamen etiam cautius. Non eius abſterret ſeueritas, nō item corrumpit facilitas. Alij cùm ſe magiſtros eccleſiarum profitentur, credunt ſibi ius eſſe in homines uitæ, & necis: itaq; ſic intemperanter poteſtate abutuntur, ut nunquā ſupercilium, nunquam pædagogi uultum, & uerba illa tetrica deponant. Hic autem noſter ſic modum tenere didicit, ut in ipſo tantum pulpito cenſuram exerceat: cùm deſcendit, inuicem ciuilitas excipiat. *Eccleſiarum magiſtri ſupercilioſi.* Quare ſic à me, ſic à Pico item Mirandula meo (bone deus, quo uiro?) frequēter aditur, ut nullo magis quàm ſermone illius, & conſuetudine, triſtitiam literati laboris diſcutiamus. Nam Laurentius ipſe Medices elegans ingeniorum ſpectator, quantum homini tribuat, nō modo ſubſtructo protinus inſigni cœnobio oſtendit, ſed multò etiam magis aſſiduitate quadam, cultuq;: ſic ut unam cum illo ambulatiunculam omnibus fermè uitæ urbanæ diſcurſibus anteponat. Itaq; te quoq; hortor, inſpicias hominem (ſi potes) & explores, etiam de proximo, laudabis & hîc Politiani tui iudicium. Nec illi moleſtus unquam uenies, neſcit offendi. Non enim is eſt, qui lucem refugiat, & oculos: puto, quia bona conſcientia teſtibus omnino gaudet, quamuis utiq; non deſideret. Vale. XI. Calend. April. M.CCCCLXXXIX.

ANG. POLITIANVS ANTONIO PIZAMANO S. D.

QVid eſſe hoc dicam uir doctiſſime, quòd illo ipſo tempore, quo uos Ioanni Pico Mirandulæ, me præſente, tu Grimanusq;, non iam tuus potius, quàm meus, quanquàm mentito nomine, quanquàm diſſimulata patria, quanquàm ſub mille inuolucris exhibuiſtis, nō alium prius, aut libentius ſermonē, quàm de uobiſipſis, licet aliò reuocantibus, ac propemodum reſiſtentibus iniecimus? An non, obſecro uos, ſurda & ignara quædā naturę conſentientis ratio non modo perſonā detrahere illam uobis intempeſtiuam, ſed & exprobrare fucum falſarum illiuſmodi apud amicos imaginū uidebatur? adeon' autem uos tum fuiſſe ferreos? adeon' quęſo in illo malè mehercules lepido propoſito pertinaces, ut cùm de utroq; ueſtrū, tam ardenter uterq; noſtrum ſic à uobis, quaſi certè nō à uobis, quęrebamus, & cùm apud uos de uobiſipſis, ut apud alios, tam ex animo, tamq; amanter loquebamur, duritiē tamen, aut obſtinationem potius latendi, fallendiq; nos eandem ſemper retinueritis? O (ſi nō ita induxiſſetis animum) qui complexus, & quanta illa noſtra extitiſſent gaudia? Quem diem nobis inciuili illo, ne dixerim crudeli cōmento, quem fortaſſe etiā uobis inuidiſtis. Etenim ego, ne poſtea quidem lætitiā indicij toto perſenſi pectore, cùm ſub articulo uno temporis mihi uos penè prius abſtuliſtis, quàm obtuleratis. Nā etſi animus omnino inclinabat eôdem, uix tamen credere audebam uos eos eſſe bona fide, qui uidelicet eratis: nec enim uel ab eis me antea potuiſſe, uel tum quoq; non iterum poſſe falli exiſtimabā, qui ſe nuper fefelliſſe confitebantur: ut ne illud quidem tantillum uoluptatis, liberum, ſyncerumq; mihi, & ab omni uacuum ſuſpicione reliqueritis. Vt enim piſces, atq; aues decepti ſemel cæteros etiam cibos, illi hamatos, hæ uiſcatos credunt: ſic ab impoſtura nuper ueſtra, quod etiam merū, ſyncerumq; fuit, eſſe id omne tamen dilutū mihi, atq; incruſtatū penitus uidebatur. Fecit iſthuc ipſum olim in me Picus, uerum longe ille mitius. Nam cùm me ruſticantē temporarius uerſipellis adiuiſſet, ac ſibi ludos pauliſper de amico cepiſſet,

& de ſe quid ſentirem callidè, quaſi alienus exploraſſet: mox tamē ubi luſit ſatis,
ultro ſe mihi ridens patefecit, ut omni prorſus erepta nube frui iam liberrimè ſua-
uiſſimi iuuenis præſentia, dulciſſimoq; colloquio licuerit, & ueras audire, & red-
dere uoces: Vos contrà immodici, niſi me fortuna reuertentem ueſtra ipſorum
cauſa rure in urbem, penè dixerim fugientibus in ipſo limine obieciſſet, taciti
(quod adhuc abominor) taciti ambo, & ignorati mihi, tum pro Venetis Vicen-
tini, pro Pizamanis, & Grimanis, neſcio qui Porticenſes diſceſſeratis. Sed enim
querelæ conticeſcant, ſeræ iam & nihil profuturæ, licitumq; amicis fuerit ludere
aliquando ex ſuo commodo amicos, ſicuti chariſſimos homines etiam interdum
numina ſolent, quod uiri quidam ſapientiſſimi prodiderunt. Venio nunc ad epi-
ſtolas tuas elegantiſſimas, quas mihi & Pico Lactantius noſter diligentiſſimus
reddidit, hoc eſt, utranq; utriq;. Nam quod in hoc genere alteri datur, utriq; pro-
fectò datur, & quidem uideris in eis mihi uel ob hoc ipſum neruos omneis tuæ
contendiſſe humanitatis, ut quod peccaueras, antea te nobis coràm diffingens,
nunc abſens eundem refingens pulcherrima uiciſſitudine redimeres. Etenim ſic
in literis ipſis amor, humanitasq; tua, & ſuauitas ingenij natiua quædam uiuit, ſpi-
rat, exhiberq; ſe, ut non (quod ſolitum eſt) in atramento, ſed in penitiſſimis præ-
cordijs intinxiſſe nobis ſcriptorium calamū uidearis. Ita quod ait Syracuſius poe-
ta, ſi quid nos anteà momordiſti, nunc innoxium reperita etiam utilitate reddidi-
ſti. Nam quòd breuiores fuerint epiſtolæ, dolemus quidem, ſed eas arte longiſſi-
mas, hoc eſt, à capite crebrò repetentes, facere didicimus. Sunt autem adhuc a-
pud me literæ quoque aliæ tuæ, neque non ſimul & Grimani, quas abhinc annos
fermè decem dediſti ad me. Nec illæ profectò indignæ, quæ tanquam ſemina ia-
cerent adoleſcentes, qui quidem forent ad hanc uberrimam frugem peruenturi.
Nempe igitur ſicuti amatores munuſcula ſuæ quiſq; Veneris diligenter ſeruant,
anellum puta, catellam, ſudariolum, uiolam quoque, nonnunquam roſam, floſcu-
lum: ſic ego tuas illas, & item Grimani literas amoris ueri gratiſſima pignora, nō
modò paulò incurioſius non habeo, ſed & ſub oculos crebrò reuoco, nunc mihi
ipſe, nunc amicis recitans, atque ita memoriam redintegrans, ita affectus reno-
uans, ita conſuetudinem mihi ueſtram quàm ſæpiſſime aſciſcens. Quare abs te iu-
re quodam meo poſtulo, ne iſtud ad me ſcribendi officium omittas, cuius fru-
ctum tanti faciam. Sed cùm tibi à ſtudijs grauioribus otium ſuppetit, otium illud
in me potiſſimum transferas, operamq; mihi aliquam ſaltem uacui temporis im-
pertias. Debes hoc amori meo, debes certè humanitati tuæ. Dominicum uerò
Grimanum lætor equidem legationis honorificentiſſimæ perſungi munere: cu-
pio tamen eum ſaluum quàm primum recipias, ne diutius à Muſis ferietur, & ut
aucto multis pro merito laudibus ob rempub. bene geſtam, non tuo modò, ſed
meo quoque nomine gratuleris, ſalutes, amplectarisq; reducem: tum qua poteris
ſignificatione, unum me quoque illi inter longa proſequentium officia repræſen-
tes. De codice autem nihil te equidem hortabor. Errarem potius, ſi cauſam tibi
meam commendandam putarem. Tantum dixerim uehementer me illum deſi-
derare, qui lectus à me libenter, cuſtoditus diligenter, etiam deinde fideliter re-
mittetur. Ioannes Picus Mirandula, quaſi Roſcius quidā literarij theatri, reſpon-
debit arbitror & ipſe ad tuas literas, quas uidelicet gratanter accepit. Te cordi, &
Grimanum, mecum ſimul infixos habet, & quidem trabali clauo: laudat utrun-
que ubique, quacunque occaſione, nec occaſio illi tamen unquam deeſt. Sed &
Laurentio Medici tuas ego ad me literas recitaui, fabulamq; illā ſimulati nomi-
nis ridenti narraui totam. Caſtigauit tamen ille me uerbis, quòd cognitos deinde,

non etiam

non etiam inuitos in ædes ſuas adduxeram, ut ueteris cælaturæ uaſa, gemmasq́; quando id uos cupere dixeratis, pro arbitrio ſpectaretis. Negaui me parem duobus. Nam ne Hercules quidem contra duos, quod eſt in prouerbio. Verùm amat ille uos, fauet propoſito doctrinæq́; iſti, uir unus ad omnia magna & honeſta natus, educatus, exercitatus, nec minore à uobis (ni fallor) ſtudio uiſendus, quàm illa ipſa cælamina, quæ prius appetita, dein tamē oblata continuò refugiſtis. Vale.

ANGELVS POLITIANVS FRANCISCO CASAE SVO S. D.

Accepi epiſtolam tuam, qua mihi ſignificas allatum iſthuc eſſe de machinula Automato, quæ ſit nuper à Laurentio quodā Florentino conſtructa, in qua ſiderū curſus, cum cœli ratione congruens explicetur. *αὐτόματος.* Aisq́; te cupere ut quoniam famæ fides derogetur, ego ad te de ea ſcribam ſi quid comperti habeam. Geram tibi morē. Et quamuis longo interuallo id opus ruri agens, haud aſpexi: tamen eius uel quæ forma ſit, uel ratio, uel uſus, quantum conſequi memoria potero, breuiter exponam. Quæ ſi tibi explicatio paulò uideatur obſcurior, non noſtræ omnino orationi, ſed ipſius etiam rei, qua de agitur, ſubtilitati, atq; adeò nouitati uelim attribuas. Columella eſt quadrata, quæ pyramidos modo in acutum deſinens faſtigiatur, altitudinis ferè trium cubitûm. Supra eam pro capitello planus orbis eſt aheneus, auro & coloribus diſtinctus, & in cuius altera parte omnis ſyderum errantium curſus explicetur, cuius eſt dimenſio cubitali breuior, rotulisq́; intrinſecus, denticulatis agitur, circulo immobili ſummum complectente marginem, quatuor & uiginti horarum ſpatijs diſtincto. *Aſtronomici inſtrumenti deſcriptio.* Intraq́; eum in ſummo uerſatili orbe, ſigna duodecim ſuis diſcernuntur gradibus. Interius orbiculi octo pari ferme inter ſe magnitudine uiſuntur. Ex ijs duo mediū obtinent punctum, alter ſcilicet alteri infixus, ſic ut inferior maiuſculus ſolem, ſuperior lunam repræſentet: à ſole radius ad circulum pertingens, in ipſo quidem horas, in ſignifero uerò menſeis, dies, graduumq́; numerum, uerumq́; & medium (quod aiunt) ſolis motum pariter indicet. A luna item ſtylus prodit, ipſius horarum index, quæ ſcilicet inferius in limbo ipſo maioris orbiculi deſignantur, perq́; lunaris epicyclij tranſiens centrum, ſigniferumq́; contingens, medium ſui ſyderis declarat motum. Alter item indidem exoriēs, lunarisq́; centrum corporis, hoc eſt, epicyclij oram ſecans, uerum eius locum manifeſtat. Quo fit ut & tarditas, celeritasq́;, & motus, curſusq́; omnis, & coitus item, pleniluniaq́; uiſantur. Circum hos orbiculi ſex, quorum unus, quem Draconis caput, caudamq́; uocant, ſolis pariter lunæq́; defectus inſinuat. Reliqui planetis attributi. Quorum à ſingulis bine eminent cuſpides motuum indices, perinde atque in luna oſtendimus. Sed ij retrò quoque gradiuntur, quod nequaquam in luna uſuuenit, utpote cuius in contrarium feratur epicyclios. Ita & coniunctionum, & receſſuum, & latitudinum ratio in ſingulis manifeſta. Eſt præterea limbus alius ſigniferi inſtar, ſex illos, quos dixi, planetarum orbiculos ſuperne ſecans, unde & orientium gradus ſignorum, & dierū ſpatia, hoc eſt, quota ſol hora exoriatur apparet. A quibus ſinguli planetæ orbiculis deferuntur, & uiciſſim interdiu quidem ad orientem, noctu uerò ad occaſum commeant. Contrà orbis ipſe ampliſſimus noctu ad orientem, interdiu ad occidentem, quatuor & uiginti horarum ſpatio planetas torquet. Quæ ſcilicet omnia cum cœlo congruere ipſo & ratio conuincit, & peritiſſimus quiſque conſentit. Nec eſt quòd mireris incredibilia hæc uideri permultis. Quippe (ut eſt apud quendam) Tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides. Vix ipſi, inquam, oculis credimus, cùm hæc quotidie intueamur. Atque adeò

cùm legerem aliquando tale quiddam fabricatum Archimedem Syracuſanum, uacillabar etiam in tanto autore fides, quam planè hic noſter abſoluit. Et ipſo quidem opere laus omnis inferior eſt: neq; enim aliter laudari pro dignitate poteſt, niſi ut omnem illi laudem eſſe imparem fateamur. Ipſum certè artificem dubium eſt morum'ne, & probitatis, candoriſq;, & ſanctitatis, an ingenij magis cauſa admiremur, ſicut & cœlitus demiſſum, & in cœlo ipſo cœlũ didiciſſe exiſtimemus. Vale. Feſulis, VI. Idus Auguſtas. M.CCCCLXXXIIII.

ANG. POLITIANVS PHILIPPO POSCO S. D.

GRatum feciſti quòd epiſtolam, quòd uerſiculos miſiſti. Quæris quid ſentiam, breue faciam. Recti ſunt, feſtiui, arguti, pleni ſenſibus, & aculeis. Dicerem conſummatos, niſi non cum ſeculo hoc illos, ſed cum uetuſtate committerem. Quòd autẽ rogas, cur ego has particulas, quod quod, & adq;, per d, potius quàm per t, literas notem, facile reſponſum. Ac ne aut te circunduci, aut etiam falli putes, pauculos teſtes, neq; eos tibi non domeſticos citabo. Eſt in atrio capitolino ad ſiniſtram opinor æneí Herculis, haud ita pridem inuenti, marmor quoddam uetuſtis, ac iam penè exoletis inciſum uerſiculis, quorum initium eſt: Hercules inuicte. In eo hoc quoq; legitur, Adminiſtrandũ quod
Quodannis. annis. Adſtipulatur etiam huic ſcripturæ ille codex antiquiſſimus Vergilianus, qui iſtic in intima Palatina bibliotheca adſeruatur, maiuſculis characteribus exaratus, de quo paucula mecum recognoſcas, licet ex Bucolicis modò, & Georgicis, ne totum tibi ſit uolumen explicandum. Pocula, inquit, bina nouo ſpumantia lacte quodannis. Et paulò pòſt: Vt Baccho Cererique, tibi ſic uota quodannis. Et rurſum: Degenerare tamen ni uis humana quodannis. Item: Nanque omne quod
Adque. annis Terq; quaterq; ſolum ſcindendum. Sed & illud, adq; pari ratione notatur. Neq; te moueat quòd in ponte illo Anienis à Narſe conſtructo deprehendas aliter: atq; interruptum continuatur iter, niſi ſi illi inerudito ſeculo ſtandum putas. Ego Quint. ſequi malim, qui in primo de Oratoria inſtitutione libro, uelut frigidam eludit, quæ ſit à multis ſeruata differentia, ut ad cùm eſſet præpoſitio, d, lite-
Ad, & At. ram, cùm autem coniunctio, t, acciperet. Itaq; ueteris adhuc ſcripturæ ueſtigia in eodem inuenias Vergilio: ut, Adque humiles habitare caſas. Ad mihi ſeſe offert ultro. Adque iterum ad Troiam. Adque ære Menalca. Adque ſolo proceras erigit alnos. Adque utinam ex uobis unus. Adque aduerſos detinet hoſtis. Et mille alia, ut minore etiam, quàm ſum pollicitus, me pomœrio circumſcribam. Quærit
Adgredior. inſuper de nobis Lollius noſter, cur idem in uerbo adgredior ſeruemus. Ducitq; eum (ni fallor) cùm conſuetudinis uis, tum Priſciani autoritas. Sed ego à conſuetudine hac praua ad rectam uetuſtatem prouoco. Inſpice (ſi eſt otium) librum eundem, ita opinor inueneris: Adgredere ô magnos, aderit iam tempus, honores. Et item: Adgreſſi: nam ſæpe ſenex ſpe carminis ambos Luſerat. Neq; mihi ſanè hoc quidem loco non imbecilla etiam (adſit uenia dicto) ac uacillans Priſciani uideatur autoritas: quippe qui etiam cenſeat, errore magis ſcriptorum, quàm ratio-
Numiſmatum fides. ne factum, ut adſatur, adludo, adrideo, adnitor, adſumo, d, retineant. Quis enim putet etiam in nummiſmatis ipſis Cæſaribus conſecratis, id mendum admiſſum?
Adlocutio. in quibus cùm alia ad eundem modum, tum certè adlocutio, d, litera notatur, nun-
Pomponius Letus. quam l. Sed uos nimium belli homines, ac faceti, planè me luditis, qui domi Pomponium habeatis, hominem totius antiquitatis, omniſq; adeò literaturæ conſultiſſimum. Itaque ego ineptus etiam Athenas noctuam. Sed iam uale, noſtraſq; Lollio ocupationes excuſa, ad quem ſcilicet nullas huic quidem tabellario literas dederim. Vale.

ANG. POLITIANVS IOANNI GOTTIO RAGVSINO S. D.

Politianus ecclesiaſtes.

CVm per hos quadrageſimæ proximos dies enarrandis populo ſacris literis eſſem occupatus, pellegi tamen libros carminũ tuorum, quos mihi tu pro ſingulari humanitate tua, mutuoq; inter nos amore dedicaueras. Hi me ſcilicet cùm uoluptate maxima, tũ maiore prorſus admiratione affecerunt. Nam quem non, obſecro, ſuauitas illa tanta, lepor, elegantiaq; uerſiculorũ, tot aculei, ſales, argutiæ, tanta eruditio, tãta uarietas, tantæ ubiq; Veneres, Gratiæq; delectent? Quis non attonitus audiat hominem ab Illyrio mercimonijs (ut inquit Plautus) emundis, uendundisq; occupatum, florentibus adhuc annis, tantos in omni poetice feciſſe progreſſus, ut nõ ſolùm cum ſuæ ætatis hominibus, ſed cum ipſa planè antiquitate conferri poſſit? Perſequerer nimirum ſingula mi Ioannes, quæ ego in tuis poematis audacter contra ueteres ſtatura deprehenderim, ni metuam, ne aut plus paulò indulgere amori, aut aſſentariuncula aliqua uidear te uelle demereri. Sed planè ita ſentio, eſſe hos libellos ita examuſſim perfectos, atq; ad ſummum abſolutos, ut ne ab liuore quidem iure ualeant reprehendi. Debet autem tibi hoc noſtrũ (qualecunq; eſt) ſeculum, quòd tu uidelicet par ueteribus in hoc ſaltẽ laudis genere reddidiſti. Equidẽ gratias tibi ago immortaleis, utpote quem tuis illuſtrando carminibus immortalitate donaueris. Ita enim mihi perſuadeo, tam lepida iſta poemata, tã uenuſta, tamq; ornata, & pulchra, omnem eſſe iniuriam temporum ſuperatura. Vale.

ANG. POLITIANVS ROBERTO SALVIATO SVO S. D.

BEatus es gratiæ mi Roberte, quem ſic docti certatim laudant, ut tum deniq; docti credantur, cùm te maximè laudauerint. Prodigioſus honor, ſed tuis meritis non indebitus. Facit enim ſedulitas erga hunc ordinem tua, non ut ineptus, aut adulator, qui laudet, ſed ut impius, aut ingratus habeatur, qui non laudet. Adeò quippe doctorum ſtudioſo fauetur, ut in ipſum nec inuido quicquam liceat. Quare ne, quæſo, morum talium pœniteat, quibus ad ſplendorem nominis plus multò proficitur, quam triumphis. Nunquam enim ueſtigia gloriæ obliterantur ab hominum doctorum impreſſa, non ingenio dixerim, ſed animo. Vale.

Studioſos doctorũ ab omnib. laudari.

ANGELVS POLITIANVS ANDREAE MAGNANIMO SVO BONONIENSI S. D.

NEq; deſidiæ meę, neq; occupationũ culpa omnino eſt, licet harum quoque nonnulla ſit, quòd ad epiſtolã ſuperiorem non reſcripſi hactenus, ſed tuæ potius facilitatis notæ iam ſic omnibus, ut ob eam proninus & ego licere in te mihi omnia exiſtimauerim. Qui ſi nomen hoc humani retinere ſtudes, quòd uſu penè iam feciſti tuũ, nec iraſci ſilentio noſtro potes ullo pacto, nec debes. Quòd Miſcellaneis noſtris ita faues, ut Atticis quoq; noctibus eas compares: equidẽ uellem minus uulgò humanus habereris, ut nõ ex ingenio tuo ſemper ad officiũ parato ſcribi talia, ſed ex operis ipſius meritò crederet. Tu perge nihilominus ornare iſto pacto me uel immerentẽ. Nõ minus enim plerũq; delectat falſa, quam uera laus: ſicuti gratius accidit ferè quòd dono datur, quàm quod ex debito. Vale. Florentiæ, XVII. Calend. Febru. M.CCCCLXXXIX.

ANG. POLITIANVS ANDREAE MAGNANIMO SVO S. D.

EFflagitari ſcribis iſthic ab ijs, qui libros excudunt formis, Herodianũ meum. Meũ enim iure appello, quẽ quaſi Latinitate donauerim. Tum rogas codicẽ tibi ipſum tuum remittã aliquando noſtra (quod illos cupere ais) manu emendatum. Remitto, ſed (ut uerum fatear) leniter potius, quàm

tius, quàm ſeuerè caſtigatum: ſic autem ut noſtra errata plura in eo, quàm librarij
Interpreti ueniam, deberi. deprehendas. Crediderim tamen ſtylo ipſi certè meo, hoc eſt, interpretis, plus a-
liquantò ueniæ deberi, quàm autoris: quoniam meliuſculè reſpondent ſerè, quæ
ſcribas, ubi ſit liber quaſi curſus, quàm quę uertas, ubi nihil extra præſcriptũ. Ac-
cedit & illud, quòd hoc mihi munus interpretandi quaſi leuioris operæ fuit, utpo
te qui diebus pauculis dictauerim ſic deambulãs. Itaq; tantum abeſt ut mihi inde
laudem petam, ut etiam abundè pulchrum fore putem, ſi uitauero grauiorem cul
pam. Quare cùm amicis reliquis, tum tibi in primis omnem huius operis defen-
ſionẽ non remittò ſolùm, ſed etiã propè interdico, uosq; integros ad alia reſeruo,
quæ poſt edẽtur. Sed quanquàm plurimi ſunt apud uos, qui mihi etiã plus nimio
fauent, unus tamen es tu, Andrea Magnanime, cognomento iſto tuo gentilitio
digniſſime, quem equidem faciam plurimi, cùm quod ex bonis ortus, & opibus
flores, & honoribus, tũ uel maximè quòd ingenio es elegantiſſimo, moribus ſua
uiſſimis, gratia penè quadam, quicquid ais, quicquid loqueris, imò etiam ſi nihil
ais, nihilq; loqueris, ſingulari, ac uultu deniq; ipſo (quod dicitur) homines deuin-
cis. Itaq; nihil quenquam metuo, ubi tu mihi ſtudeas. Nunquam enim malè de Po
litiano ſentiet, qui placere eum Magnanimo intelleget. Vnum tantum eſt, quod
à te nunc contendo. Cures pro reliqua in noſtris rebus diligentia, ut quàm mini-
mum quaſi degenerent ab origine, quæ mox uolumina formabuntur: utq; ne illæ
ipſæ quidem adnotatiunculæ omittantur, quas marginibus adſcripſimus. Inter e-
as uerò etiam locos puto treis, quatuórue ad ſummum reperies, ubi fuit excuſati
one utendum corrupti apud Græcos exemplaris. Ad hæc uerò facilè procuran-
da, obeundaq; magis idoneum habere, magisq; ex uſu tuo neminẽ poſſis, quàm
Alexandrum Sartium, ciuem tuum literatum hominem, noſtriq; ſtudioſum, tum
(quod ego in hac re primùm puto) neutiquam in amici negotio dormitantem.
Vale. In tuſculo Fæſulano, pridie Nonas Maias. M. CCCCXCIII.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER QVINTVS.

ANG. POLITIANVS BARPTOLOMAEO SCALAE S. D.

AT tu mihi ſuperioribus diebus apertè dixiſti, & abs te auditum
multi retulerunt, nón placere genus ſcribendi meum, propterea
quòd aſcita nimium uerba, & remota conſecter. Me quoq; eſſe
Ferruminator. quendam (ſic enim ſoletis dicere) ſerruminatorem. Vox enim
hæc apud te ſignificare iamdiu cœpit eum, qui uerbis iſtis paulò
minus uulgatis uteretur. Nam Hermolaũ Barbarũ, quaſi per io-
cũ uocare ferruminatorẽ ſoles (ut audio) quia uerbũ fortaſſe iſtud aliquoties ille
uſurpauiſſet. Sed ego, mi Scala, quemadmodũ tibi facilè cõcedo uocẽ infrequen
tẽ nõ temere recipiendã: ſic è diuerſo contenderim, nõ debere eſſe cuiquã fraudi
quòd Latinas, & apud idoneos autores repertas in uſum reuocet, ac uetuſtis da-
re nouitatẽ ſtudeat, nec uacare omnino patiaſ, quæ temporũ culpa prorſus in de-
ſuetudinem abierũt. Etenim ſi quę cuiq; obuia ſint, ea tantũ noſter ſermo recipiat,
nulla magis, quàm tabellionũ lingua utemur. Ad Ciceronẽ uerò quòd me reuo-
cas, autorem quidẽ Latinæ linguæ ſummũ, nec tamen ſolum, quæro quid alijs fa-
cias, quorum teſtimonia uim ſententiæ ſemper apud eruditiſſimũ quenq; habue-
Varro. runt? Quæro item, quid uni ſaltẽ Varroni reſpõdeas, qui quidem ſicuti Ciceroni
palmam cõcedit orandi cauſas, ita Latinè loquendi ſibi retinet? Quæro etiam, an

quaſi

quaſi barbaros quoſdam reijcias Liuium, Salluſtium, Quintilianum, Senecam, Plinium quoq; utrunq;, multos alios præterea tot ſeculorum ſuffragijs comprobatos? præſertim cùm diuerſiſſimè iam quidã dubiam fecerint palmã: uelut apud Græcos Herodotus in hiſtoria & Thucydides, apud nos autem Liuius, & Salluſtius. Quid quòd & Cicero diſſimillimus Demoſthenis? Nihil enim adijci alteri, nihil alteri detrahi poteſt: uidelicet orationis ille ſuccus alteri quidem penè deeſt, alteri uerò quaſi ſuperfluit. Cæterùm cur hoc ipſum uerbũ Ferrumino tanto cum riſu profertur? cùm ſit proprium, ſimplex, non malè ſonans, nõ obſoletum, quo nec Plinius ipſe proprietatis adamator, nec Iuriſconſulti abſtineant, qui uocabulorum ſibi uim iure quodam ſuo præ cæteris uindicant. Eò ne igitur, quoniam ſemel aut iterum ſit uſus Hermolaus, meritò aut contemnitur, aut irridetur? Multa tu quidẽ (credo) ſcripſiſti, non multa adeò tamẽ edidiſti, quæ uulgò ferantur. Sed hiſtoriam certè componis, longum opinor opus, & arduum. Quod ergo in te ſtã tuis exemplum, ſi ne bonorum quidem autorum uocibus utemur tutò? Fateor tamen rationem habendam uel materiæ, quam ſcribas, uel perſonæ, ad quam ſcribas, uel temporis, in quo ſcribas. Non enim idem Ciceronis actiones, & Apuleij Mileſias fabellas decuerit. Alia enim quaſi lingua, qua ludimus, alia, qua ſeria peragimus. Nec eodem ſermone puerum, quo doctum hominem alloquaris. Nec rurſus eodem modo ad amicos, quo ad ignotos, nec eodem ad principes, quo ad priuatos ſcribas. Quare Cicero quoq; tuus, fortaſſe autem & meus, ita ſibi diſſimilis aliquando deprehendit, ut non omnia perinde quæ ſcribit, eiuſdẽ prorſus eſſe autoris uideantur. Sed te cenſorem Scala facilè ferimus, hominẽ tot annos in literis non ſine gloria uerſantem. Malè doctos quoſdã ferre itã non poſſumus, qui tamẽ ipſi quoq; omnia exigunt ad Ciceronis guſtum. Sæpe enim hoc uſu uenit, & quidem cum magno meo interdũ uel riſu, uel ſtomacho, ut illa ipſa in noſtris ſcriptis potiſſimũ reprehenderent, quę in bonis emendatiſq; Ciceronis exemplaribus reperirentur, cùm tamẽ ipſi uoces omnino barbaras pro Ciceronianis uſurparent, quas uidelicet excuſores iſti nouorũ librorũ Teutones peruerſiſſimè aliquando effinxiſſent. Iam præceptũ illud Cæſaris, quod obijci protinus ſolet, ut tanquã ſcopulũ refugiamus infrequẽs uerbũ, magis fortaſſe illo ſeculo ualuerit, quo Latinè adhuc omnes loquebantur, q̃ noſtro. Iure enim tum poterat argui, qui parũ contentus foret ætatis ſuæ uocabulis. Nunc autẽ uulgò Latinus ſermo neſcitur, nec à nutricibus iã, ſed à magiſtris diſcitur. Apud quos certè nulla magis haberi uerba & uſitata debent, & recepta, quàm quæ de ueteribus illis magnorũ autorum theſauris proferantur. Hæc ego ad te liberè quidẽ, ſed & amicè ſcripſi, mi Scala, non tam meipſum uidelicet aſſerens à riſu tuo, quo equidẽ non offendor, quàm Hermolaum ipſum Barbarũ leuiter defendẽs, hominem ſeculi noſtri eruditiſſimum, deq; literis, & Philoſophia, dum uixit, optimè meritum. Liceat autem mihi per te (ut opinor) quæ tua eſt in rebus omnibus æquanimitas, ſentire aliud omnino in literis, q̃ tu ſentias, dummodo nulla inter nos amoris, hoc nomine, beneuolentiæq; mutuæ iactura fiat. Vale. VIII. Calendas Ianuarias. M.CCCCXCIII.

Demoſthenes. Cicero. Ferruminat.

Teutones nouorum librorũ excuſores.

BARPTOLOMAEUS SCALA ANG. POLITIANO SUO S. D.

COnuenerant in coronæ modũ quidã docti uidelicet, & literati homines, ac cùm de ſtudijs (ut ferè fit) ſermo incidiſſet, de diuo Hieronymo frequẽtior oratio fuit, ut ne uerbera quidẽ ante æterni Iudicis tribunal, quòd Ciceronianus, nõ aũt Chriſtianus eſſet, tacerent. Theodorus Gaza, qui & ipſe fortè aderat, uir profectò, quantùm poſſum ego iudicare de literis, præclara eloquentia, ridẽs facetè admodũ queſtus dicitur

iniuriam

iniuriam uiro ſanctiſſimo immeritiſſimè illatā. Ita cum riſu ſoluta concio eſt. Sed quorſum fabella, inquies mi Politiane, delitiæ urbis huius? quoniā & mihi quoq; nunc Theodoro aliquo opus eſt, qui me eximat de Ciceronianorū grege. Nam quis eſt tandem, qui me uſquā huiuſmodi notauerit? qui ne inter mediocriter quidem eruditos connumerari iure queam. Sum enim quiſpiam de populo (ſi noſſe me uis) eloquentiæ Latinæ ſtudioſus, affectatorq;, atq; admirator bonarum artium, ipſe tamen triuialem uix aliquam eloquentiā, doctrinamq; conſecutus. Nam teſtes profectò, qui id ad te mendacij detulerūt, falſum te nimirū habuere, ne me indicta cauſa condemnes. An ego Salluſtium, an Liuium deſpexerim? quorum altero nihil in ſcribendo ingenioſius, aut exactius crediderim: alterius grauitatē orationis, atq; maieſtatem admirari ſatis pro meritis nemo poteſt. Nam quod de Quintiliano addis, & Seneca, & Plinijs ambobus, diuerſa ratio eſt, ualde quidem tum rebus ipſis, tum elocutionis genere diſparibus. Sed quādo ad has me modò diſceptationes eleganti epiſtola tua reuocauiſti, agam ego tecum iam amicius, ut uoluiſti, & liberius. Non enim ſtylū ego duntaxat non probaui tuum aliquando, quia nimis affectata uideretur oratio: ſed & alia fuerunt, in quibus à tuis ego opinionibus facilè diſſentirem. Neq; unquam ſatis dignam putaui cauſam, quæ tan-
Vergilius, an tas turbas cieret, ut Vergilius ſcriberetur pro Virgilio, ſiue à uerendo, ut uideri
Virgilius. uelle uis, quia & Parthenius dictus ſit: ſiue à uirendo, quod multò magis placet. Quid tandem flagitij eſt, ſi hoc, uel illo potius modo pronuncies? Minutior (mihi crede) res eſt, quàm quæ bona diutius ingenia diſtorqueat. Idē de duobus quo
Totiens. que aduerbijs dixerim, totiens, & quotiēs. Placet tibi ea ſcribi abſq; n litera, & ar-
Quotiens. bitror autorem habere te, ac cauſam cur ita placeat. At uidebatur aliter Priſciano nobili Grammatico, idq; uſus comprobauerat. Num capitale fuerit, ſi quid pecca
Intellego. ris tale? Nam intellego quod dici contendis oportere, ab frequentiore ſcribendi
Compremo. uſu reuocauiſti, ut iſto iam exemplo, & compremo, & redemo, ut alia multa præ-
Redemo. termittam, non comprimo, & redimo dicendum ſit. Et quidē iſta fortaſſe melius. At indigna certè tot iam, tantisq; ſtudioſorum hominum digladiationibus. Adu-
Adoleſcens. leſcentem quoq; dicere te pro adoleſcente aiunt. Quam ego opinionem tantum abeſt ut probem, ut tetraſticho etiā olim, cùm ex alijs quoq; idem audiuiſſem, ſim
A cauda. proſecutus. Neq; alienum mihi nunc uidetur, ſi hoc id loco appoſuero.

Nunquid adoleſcens ἐκ τῆς οὐρᾶς ut adulor
Fiet? & à cauda nomine, nomen erit?
Αἰσχρὸν τοῦτ' ἐστὶν nomen: tolle ergò pudendum
Cenſeo, quodq; adolet Papiriane uoca.

Plura ſunt huius generis, quæ præterire nunc neceſſe eſt, ne fiat fortaſſe faſtidium hinc lectoribus. Ferruminator tamen, de quo tu tam multa, dicendus eſt prius: quod uerbum ſicuti aſperum natura pronunciatu eſt, ita minus uſu emollitum arbitror: niſi eo propriè utaris, & neceſſitate ſignificandi quadam, ut illi ipſi, quorum affers teſtimonia, factitaſſe mihi uidentur, fugiendum eſt. Ad alias enim re-
Aſperitate au rum notas duriter transfertur. Et r quidem litera natura aſpera eſt. τραχύνει δὲ τὴν
rē offendit R. ἀκοὴν τὸ ρ, ait Dionyſius. Poetæ quoq; & ipſi, atq; oratores, ſiquando in res inciderint paulò crudiores, ut eas exprimant accommodatius, aſperentq; uerbis, crebrius inſerunt eas dictiones, quæ eius ſoni plus habent. Si enim geminaueris, multò rugire uidetur aſperior, uti in terra accidere uidemus, & ſerra. Cuius ne ferre quidem ſtridorem aures quorundam poſſunt. Quid curro? non'ne ſtrepitum etiam præ ſe uidetur ferre currentium? Quid autem carri? num canthorum quaſi fragore quodam pertundunt auditi? Ex eodem uidentur genere error, marræ, ſuſurri,

barrhi,

barrhi,horror,ſerrum,terror,& huiuſmodi ſexcenta, quæ enumeraſſe ab re eſt.
Adde quòd adeò abſoletum puto,ut uix è plurimis unum inuenias,qui ferrumi-
nandi uim naturamq́; nunc planè teneat,aut unde ſit dictum. Nam ſi Liuius ferru
men poſuit pro bitumine,aut bitumen eſt ferrumẽ,aut aliud quiddam, quòd ego
ignorare me fateor:neq; inueni adhuc,etſi multum diuq́; quæſiuerim, qui ſcire id
ſe profiteretur.Nouiſſe arbitror te tamen, atq; Hermolaum, uirum certè in literis
ijs noſtris minimè contemnendum,qui ita & utamini liberè,atq; inſolentiam uer
bi defendatis. Hermolaum enim etiam ſum ob uirtutis excellentiam admiratus,
ne dum ferruminatorem non riſerim. Namq; inter eos qui hac tempeſtate bonis
artibus excelluerunt,libenter connumerem. Verùm ut quod ſentio fatear,è no-
ſtris temporibus plus ſpei mihi uidentur illa præſtare, quàm rei . Ac ſoleo id ſæpe
cum Landino noſtro; qui cum propter cõmune literarum ſcribendi publicarum
munus congredior frequẽtius,neq; eſt de quo colloquamur, ꝗ de iſta ueſtra hu-
manitate auidius.Soleo,inquam,prę antiquis nos appellare homullulos,qui etſi
ipſe quoq; multa ſcripſerit appoſitè atq; eleganter,ediditq́;,ut inde ſubtimere ſcri
ptis ſuis poſſit,ſi uetuſtatis candidiſſimũ illum ſplendorem non attigerint, nihilò
minus tamen,quæ uiri modeſtia eſt,haudquaꝗ repugnat obſtinatius. Pluſculum
uerò neſcio quid ꝗ ego,uidetur huic ætati tribuere. At ipſe cum rem militarem,
cum literas,cum philoſophiam,cum picturas ſculpturasq́; noſtras,reliquaq́; æta-
tum ornamenta conſidero,& confero cum uetuſtioribus,quid putas? caduntani
mi,pudereq́; incipit noſtrorum ſtudiorũ, niſi aſtrologia forſitan redimat, & ſola-
tium afferat proſtratis. Quæ ad id iam inſaniæ redegit nonnullos rerum profiten-
teis futurarum ſcientiam,ut ne ueſpertilionum quidem,aut papilionum,& cicin-
delarum motus ullos fieri ſine fato putent. Verumenimuero non fruſtra erit, o-
pinor,ad nepotes & poſteritatem prouocatio:et profectò tua maximè opera,qui
meliorem nobis legendo & docendo Florentinam reddidiſti iuuentutem. Mul-
ta iam & magna uidentur iacta eſſe fundamenta glorię literarum,ſed nondum ad
frugem,quod dicitur,peruentum,niſi me aut iudicium animi mei,aut deſiderium
conſequendæ tantæ dignitatis fallit: atque in deſiderio quidem, antiquo prouer-
bio, uel celeritas mora eſt. Nunc uenio ad eum locum, qui eſt in tuis literis de
ſcriptis meis, ut hac quoque de re, quod eſt, non differar. Quæ ſcripſi ego qui-
dem,parum multa ſunt:edita uerò nulla,niſi quæ aut imprudentiore in ætate pue
riliter penè exciderunt, aut extorſit neceſſitas. Non enim digna mihi uiſa ſunt,
quæ in manus eruditorum mitterentur: ut autem legerentur ab indoctis, nõ fuit
deſiderium. quid enim niſi uanum inde, atque infructuoſum expectandum fuit?
Contra illorum opinionem, qui prius etiam quàm atramentũ (quod aiunt) exa-
ruerit,informatores habent librorum paratos, & multa millia eiuſdem ſcripti ex-
empla per Italiam orbemq́; terrarum legenda diſſeminant: ut quaſi latioribus ex
campis uberiores famæ ſuæ fructus percipiãt,ingenti profectò de ſe potius, deq́;
uiribus ſcribendi ſuis,ꝗ de aliena uirtute proferre ſententiam uidentur. Id tamen
ineſt in re periculi (ni fallor) quod quæ ita edideris, non in nonum preſſa annum
(quod Flacco placet) ſi quid humano more aberraueris, ad limã uix redire poſ-
ſunt ſine dedecore: quod etiam quibuſdam qui feſtinantius ſua impreſſere, acci-
diſſe certũ eſt: ſed detur iſta uenia doctioribus. Quonam pacto feremus eos, qui
rerum ignari cunctarũ,blaterant tamen & ipſi multa,atq; oblinunt,necdum fini-
ta informant,unde ſunt Nymphales, quos uocant,unde Morgantes Dryadeiq́;,
& infinita penè monſtra,quæ uulgò decantantur, ut uel hinc facta nota aliqua ui
deatur informaturæ arti,quæ iſtam occaſionem præbuerit indoctis, doctisq; inſa

niendi, ut ſit uerũ illud quod dicitur, Nihil beatum eſſe ab omni parte. Sed certè ſum longior, amoris uinculo extractus, quo te complector, coloq́, atq́ admiror. Quæ reſtant autẽ plurima, agemus coràm melius, cum uoles: uel domi otioſius, ſi fortè plebeias ſpectatorum turbas uereamur. Vale. Domi, pridie Cal. Ianuar. M.CCCCXCIII.

ANGELVS POLITIANVS BARPTOLEMAEO SCALAE SVO S. D.

ITa reſpondebo ad epiſtolam tuam, Scala doctiſſime, qua mihi multa, ſed leuicula obijcis, ut iocer interdum tecum liberius, & cauiller. quod quoniam & liberale eſt, & ad imitationem tui ſuſceptũ à nobis, credo non ſuccenſebis. Ac primò quidẽ ꝙ uereris, ne te inter Ciceronianos numeremus, ſuſpicione iſta falſa te libero. Nec eſt cur Theodorum deſideres ob id aliquem, tale nihil de te (crede mihi) homines exiſtimant. Nec uerò ego id unquam dixi: nõ ſum tam temerarius, nec audax, nec mendacia qui loquar libẽter. Nam quòd Liuium modò, & Salluſtium probas, Quintilianũ, Senecam, Plinios ambos reijcis, cauſa eſt, opinor, quòd otiũ tibi nondũ fuit hiſtoriam ſcriptitanti, etiam horum uirtutes inſpicere. Sed & affectatam uideri tibi orationem meam facilè patior, quoniam dictandis epiſtolis ſcriba publicus aſſuetus probare eum ſtylum maximè debes, qui à uulgari cõſuetudine minus abhorreat. Nec in eo tu reprehendendus tamen, quoniam plerunq́ ad indoctos epiſtolæ iſtæ ueſtræ mitti ſolent: nos contrà, qui iuuentuti ueterum ſcripta prælegimus, delectum habere uerborum ſententiarumq́ didicimus. Nec ipſi nobis, ut auribus indoctorũ ſeruiremus, eloquentiæ meliorem partem ſponte abſcidimus. Hoc uos affectatũ fortè putatis, quo maieſtas quædam potius linguæ continetur, & ſanctitas. Ex quo Salluſtium quoq́ ipſum, quem iure mecum probaſti, quidam tamen ut affectata ſcribentem notiſſimo epigrammate inceſſerunt. Iam quòd minuta quæpiam, quę ad orthographiam potiſſimùm pertinent, adeò improbas, ut penè tragœdias excites, rogo te mi Scala, ne mihi inuidiam iſtam facias, nec ob id turbas cieri, aut ſtudioſorum digladiationes miſceri, aut diſtorqueri bona ingenia clamites, propterea ꝙ Vergilium ſcribere malo, ꝗ̃ Virgilium. Non enim, puto, ad pileum ſeruos ideo uoco, non aduerſus optimates armatam multitudinẽ concito, quin deierare tibi perſanctè poſſum, nunq́ me ob eam cauſam, nec cum quopiam uerba cõmutaſſe, nec in eo mihi aliquẽ repugnaſſe, pręter te unum. Diu uerò iſta, qualiacunq́ ſint, non iuuentus modò noſtra, ſed & doctores pleriq́, pronis auribus acceperunt, ut nec Landinus ipſe præceptor olim meus, nunc autẽ utriuſq́ noſtrûm collega, magnæ uir in literis & autoritatis & celebritatis aliter iam pronũciet, quàm Vergilium. Quòd ſi tu Virgilium mauis, nõ equidem clamo flagitium te facere. Quid enim mea id refert? Non te ſcilicet docendum ſuſcepi, ſed Florentinam iuuentutem. Cæterùm de iſto quidem, quæ dicenda uidebantur, abundè in Miſcellaneis expoſui: ſimul ijs reſpondi obiter, qui modum ſtatuere noſtræ induſtrię conabantur, ac me in crimen uocabant, quòd ad hæc minuta & uilia non conniuerem, quaſi uerò iſta me uel à linguæ utriuſq́, uel ab ipſius deniq́ philoſophiæ, cæterarumq́ artium bonarum profeſſiõe auocauerint. In quibus iam multos annos magno quidem cum labore, neſcio uerò an & cum laude adhuc aliqua uerſor. Nam quòd me credidiſti Vergilium putaſſe à uerendo deduci, riſi, fateor, nõ mediocriter. Quis enim ad te iſta detulit, quæ ne cogitaui quidem? Sed audi ad cetera, de quibus adhuc nihil quicquam mandaui literis, ne me nugis duntaxat iſtis cenſeri putes. Totiens & quotiens defendis, autore Priſciano, ceu uerò nõ & ipſe

hoc

hoc ſemper affirmauerim,analogiam quidem poſtulare quoties,toties,ſicuti decies,& millies. Priſciano autem autore, etiam n literam in his duobus, ut in illo, multotiens,interponi.Nec uerò negat Priſcianus; & ſine litera n utrunq; uſurpari,ſed & n ait interponi: quoniam,credo, quibuſdam rectius ita tum uidebatur. Eſſe autem hoc uitium ſeræ iam,& affectæ latinitatis aduerbium quoq; illud multotiens teſtatur,quod arbitror apud idoneos non reperies.Illa uerò ætas, & item paulo ſuperior centiens quoq;,& milliens,item uicenſimus,tricenſimus,interpoſita n litera,uſurpabat: quod in Pandectis ipſis archetypis Iuſtiniani principis, ut erratum librarij ſemper inducitur.Iam intellego ut dicam potius ꝙ intelligo, uetuſtis exemplaribus adducor,præſertim ſi nec grammaticorum repugnet autoritas,nec analogia.Sic enim intellego uidet,ut pellego.Tum ab interlego formari ait hoc uerbũ Priſcianus,r litera in l conuerſa: ſicut à perlego illud pellego. Ruſuſq; idem quo loco e uerti ait in i,à lego affert diligo. De hoc autem intelligo penitus tacet.Poſtremò alibi quoq; & intellego inquit,intellexi: quod antiqui dicebant interlego,interlexi. Vides igitur ut interlego apud antiquos fuit,de quo uerſa r litera in l,poſtmodò intellego ſit factum. In adulescentem uerò tetraſticho etiam luſiſti,uerba ſcilicet Græca latinis admiſcens,ne perdidiſſe operam te credamus, quòd homo ſenex in Græca ſchola ſedere cœperis ſub magiſtro, Catonem puto illum Cenſorium æmulatus.Et ſunt quidam tui familiares,qui latere cauillũ neſcio quod in calce dicant iſtius epigrammatis, quod equidẽ nec agnoſco, nec credo.Nam & tu homo prudens non temerè ieceris in alterum, quòd in te facilè reijciatur.Et me adeò morum nõ pœnitet, ut ſi turpiculè aut nequiter quippiam dixeris, pertinere id ad me non credam. Verùm ut iocos tuos omittam, ſi modò ibi iocus eſt ullus, rogo te, unde expiſcatus adulandi uerbũ græco intellectu deduci à cauda,nulla penè inter ſe ſimilitudine,cum tranſpoſitis potius literis credatur ab adludendo? Sed adulescentem ſcribi negas oportere u litera,cum adoleo dicamus.Quæro autem ego nunc abs te,cur non inde adoltus potius quàm adultus? uidelicet neſcis quanta ſit harum cognatio inter ſe literarum,nec apud Latinos modò,ſed & apud Græcos.Aut te illud ſaltem fugit, nouiſſiam fuiſſe o literã, qua etiam aliquæ Italiæ ciuitates caruerint,& eius loco u poſuerint,ut Thuſci noſtri,& Vmbri.Quo nomine in uetuſtis adhuc urbis monumentis,& ſacerdus pro ſacerdos, & epiſtulis pro epiſtolis, & nungento pro nongento,multaq; itẽ ad id exemplum conſpiciuntur,quæ tamen ego non omnino ſequor: ſed & cur nõ ſequar,certa ratio eſt. At enim adulescens non modò in ueteribus libris cum litera u,plerunq; reperitur,ſed & tertiam quoq; à fine producit ſyllabam, contra originis naturã,quod ille indicat uerſus: At leuis ille deus,cui ſemper adulescentum.

Sicuti apud Maronem,upilio,ſicuti forte apud antiquos omneis,iucundus. Nec pro his tamen ego,ut pro aris & focis pugno. Tantũ admoneo leuiter ſtudioſos, quid obſeruem. Sæpe item (quod Cicero ait) ſcientiã mihi reſeruo,uſum loquẽdi populo concedo.Cæterùm ꝙ multa præterire te dicis in hoc genere,ne lectorib. faſtidiũ parias: quæ ſunt quæſo iſta,quæ prætereis? An Carthaginienſis,quod ego dicere malo,ꝙ quod uulgò ſoletis,Carthaginenſis? Quid autem habetis,præter inueteratũ diu errorem,quod hic obijciatis? Principio ille ipſe Priſcianus,quem tu nobilem grammaticum uocas,Carthaginienſem dici regula pręcipit:poſt hoc illius autoritati plurimùm uidelicet addit Ennianus uerſus, quem Tullius citat: Hoſtem qui feriet,mihi erit Carthaginienſis.Si enim Carthaginenſis legatur,metrum (ſicuti uides) claudicauerit. Poſtremò libros quoq; proferre poſſum, quando uoles,cõplureis uetuſtiſſimos: poſſum & epigramma citare,quod in antiquo

marmore inciſum Romæ adhuc in Tranſtyberina regione ſpectatur, quæ noſtræ
obſeruationi ſubſcribãt. Sed uenio iam ad Ferruminatorẽ, quem tu uitas (ut utar
Flacci uerbis) cane peius & angue. Quo ſi utendum non eſt, propterea quòd lite
ram habeat r geminatam, profectò iſto exemplo, mi Scala, nec tu ferrũ militi iam,
nec agricolæ terram ſuam relinques, imò nec marram. Nam tot errata illa tua uer
ba (ſic enim iocari libet) hoc eſt, quæ habeant r literam geminatam, non minus
utiq; in uſu ſunt, ꝙ quę mollia putas. Ac ſi audiẽdus mi Scala ſis, cogemur omnes
iam lallare pueriliter, & quod ridendum ſit, ad Alcibiadis labdaciſmum confu-
gere. At ſi propriè utare, inquis, fortaſſe non pecces, ſed tantũ ſi transferas. Quaſi
uerò aut hoc tralationi repugnet, aut non ferè ſæpius apud bonos quoq; autores
uerbum hoc de ſuo in alienum domicilium immigrauerit. Nam quòd ais neſcire
te, quid nomine ferruminis uſurpetur, equidem ignoſco. Nõ enim fortaſſis euol-
uere Grammaticos noſtros Græcis occupato licuit, à quibus enarratur. Pro bitu
mine autem cur accipias non uideo, tum profiteor indicaturũ quid apud Liuium
ualeat, modò tu locum oſtendas, ubi Liuius utatur. De Hermolao tu quidẽ pru-
denter quòd excuſas, inuidiam credo metuens. Sed redi quęſo mecum in memo
riam, quàm & tu eum ardenter ſuperioribus diebus accuſaueris, & ego conſtan-
ter defenderim. Nec enim ob aliud infamaſtis hoc ferruminandi uerbum, quàm
quòd illo eſt uſus Hermolaus. Nam in meis certè adhuc ſcriptis non reperitur.
Eſt & aliud quiddam, quod me fateor in epiſtola tua ualde mirari: qui enim dero-
gas plurimùm ſeculo huic, in quo uiuimus, parumq; putas eruditum, ſi cum uete
ribus conferatur, idem tamen ſeculi eiuſdem tantum autoritatibus mecũ pugnas.
Sed & arrogãtes temerariosq; iudicas, qui ſua ſcripta publicent, ac propagari for
mis patiantur: quaſi uerò qui rectè ſcribant, nõ eo pacto pluribus etiam proſint.
Iſto utantur conſilio tuo, qui miſeras chartas oblinunt, ut eas uidelicet perpetuis
tenebris ſepeliant. Me uerò nec pudeat emendare ſequentibus ſcriptis, ſi quid in
prioribus quandoq; deliquerim: quò uidelicet (ut quidam inquit) & ſcribendo
proficiam, & proficiendo ſcribam. Nec enim minor eo nomine uel Hippocratis,
uel Auguſtini, uel Ciceronis eſt gloria, quòd publicata diu à ſe quædã nouis ſub-
inde editionibus damnauerunt. Sed uideo me lõgius prouectum, dum pluribus
epiſtolæ tuæ quaſi capitibus reſpondeo. Dabis ueniam (quæ tua eſt humanitas)
non loquacitati modò, ſed libertati quoq; meæ: quorum alteri occaſionẽ tua de-
dit epiſtola, ad alteram me inuitauit exemplum. Videtur autẽ, neſcio quo pacto
decere amicos, ut in ſermonibus, ita etiam in epiſtolis quædam inter ſe quaſi ueli
tatio, qua ſolitos uti plurimùm Socraticos illos emunctæ naris homines accepi-
mus: ut uidelicet in dicendo eruditionem, in audiendo patientiam experirentur.
Vale. Florentiæ.

BARPTOLEMAEVS SCALA ANGELO POLI-
TIANO S. D.

DIxin tibi edentulum eſſe me? Sum antè proteſtatus cum ſene tibi æta-
te iam confecto, atq; effœto uiribus rem fore: ſum uerus. Iubeo rece-
ptui canant ſigna. Non commiſerim, mi Politiane, ut his cõditionibus
iſto me ludo includã. An ego inermis, imbellis, ignauus, tremulus mi-
les deſcendam in puluerem, & in campũ ad inſulſam ac ridiculam uelitationem?
Nam cum Hercule congreſſus, quem tot tantaq; euicta monſtra transferunt in
cœlum, herbam do iam, manusq;, & ſerues uictum precor. Ne ſæui, triumphi die
ductus inter captiuos addere ad pompam potero, atq; ad numerum. Nam certè
agere potes (iam mihi uidetur) non de literis modò noſtris, ſed et de literis quoq;

ipſis triumphum. Quòd me ita dignum putaueris, cui adeò accuratè reſpõderes: quodq́ tantum ſcribendo honeſtaueris atq; extuleris, etiam ſupra modum, etſi is ſemper mos fuit tuus, tamen hac quoq; noua in me nunc humanitate, debere tibi multum fateor. Admirabilis eſt profectò ornatus epiſtolę tuæ, doctrina noua planè, atq; incredibilis, inuſitata, incomparabiliq́ facundia. En habes quid ſentiã de ſcriptis tuis, etiam chirographo confirmatũ, ſi quid maleuoli obloquerẽtur. Ipſe cũ his uulgatioribus epiſtolis, ut feci hactenus, me oblectabo, contentus hac obſcuriore ſorte, quando præclariora uos nati annis (ut ferunt) melioribus occupauiſtis. Tu certè, præter cæteros, mi Politiane, naturæ multum debes. Illa tibi ingenium iſtud, quo agere tam multa, atq; memoriã, qua omnium ferè rerũ reminiſci potes, dedit: ut corporis modò prætermittam dotes, quæ nonnihil & ipſę habere à quibuſdam putantur momenti, ad felicitatem, & fortunæ cõmoda: quæ profectò iuuare natiuam uirtutẽ, niſi ipſa ſeſe deſerat, uehementer ſolent. Cæcus ſit ſunditus, qui hæc nõ uiderit. Cæterùm ſine epiſtola, nam melius id fieri coràm puto, cum opportunè agi res poſſit, omnibus de rebus, de quib. ſcribis (eſt enim quod dici contrà poſſit) tranſigemus. Vale. Florentiæ, M.CCCCXCIII.

ANG. POLITIANVS BARPTOLEMAEO SCALAE SVO S. D.

SI tu edentulus, mi Scala, tua tamen fuerat dentata epiſtola: ſenſi equidem. Nam penè morſu me fregit, & pepercit illa tamen nonnihil: atq; ita mecum luſit, ut urſa interdum cum catello ſolet. Stultus ego, qui nõ ſtatim uererano toties coronato ceſſi, uidelicet tyrũculus adhuc, enſe leuis nudo, parmaq́ inglorius alba. Tu tamen magnificè hoc, ſicut alia, qui ne dignum quidem me putes ira. Nam quòd Hercules abs te uocor, nõ mihi ob id placeo: ſic enim pigris canibus (ut inquit ille) nomẽ erit tigris, pardus, leo. Vincere autem non magis te potui, q̃ Herculem ridiculi apud Philoſtratũ Pygmæi, quos ille omneis correptos leonis pelle inuoluit. Cæterùm triumphare de literis, non eſt meum. Quando enim mihi illæ hoſtes? Gotthorum laus iſta, & Hunnorum, non mea eſt. Sed & occupare præſtantiora quî potui quæſo? qui quidem te concionante forſan adhuc in cunis uagiebam. Poſtremò ſi quem tibi honorẽ habui, mi Scala, merito tuo me fateor habuiſſe. Si quid rurſus te pupugi per iocum, iam nunc equidem muto factum. Quòd uerò laudes in me tantas ore pleno cõgeras, amor in cauſa. Sed tamen hoc ita interpretor, unam mihi laudẽ hanc eſſe laudum omniũ maximam, quòd abs te merui laudari etiam falſò. Si quid eſt quod agere præterea coràm uelis, nulla mora in Politiano tuo. Vale.

BARTHOLOMAEVS SCALA ANGELO POLITIANO S. D.

TAnquam qui aſperiora prægustauerũt, ſi deinde in mitiora inciderint, ſapere uidentur dulcius: ita ſum ipſe modò iſto ſaccaro tuo, iſtoq́ nectare epiſtolæ recreatus: atq; ut quod eſt fatear, neſcio quomodo acciderit, quæ ſcribuntur à te cuncta, tuum ſapiunt ſalem, ac te referũt. Hoc quod poſtremò ad me miſiſti muneris, magis tuum eſt, ſcilicet concitaui ego te, ut uideo pluſculum, & in cauſa fui ipſemet mihi cõmutati ſtyli. Ego floribus Auſtrũ Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros, Vergiliano prouerbio: & oleum immiſcui liquidæ lixiuię noſtrum. Sed rediĳ in uiam, &, mihi crede, quia minus habent concitationis, atq; animorum, grauiora ſunt: quod tamen forſitan poetę negauerint, quorũ buccina ſæpe inflatior melius complet aures. Dediſti iam errori ueniam, quod te dignum fuit, ſic Heroes quondam magnanimos factitaſſe accepimus. Ac tibi quoq; illud apud Maronẽ dicitur: At tu Romane memẽto, etc.

Noſti carmen. Generoſa profectò mens, quę aut non cõmouetur iniurijs, aut acceptarum uel inulta obliuiſcitur. Quòd dixi te de literis triumphaturũ, non eum ſenſum habet, ut ego te literarum dicere hoſtem uoluerim, quarũ profeſſoribus nihil eſt aut tua domo, aut teipſo hoſpitalius: ſed ſunt illæ loco poſitę excelſo atq; aſpero: &, Qui cupit optatam curſu contingere metam, Multa tulit, fecitq; puer, ſudauit & alſit. Te nihil deterruit, nihil reuocauit, non anni domuere decem, non mille carinæ. Tuliſti de literis triumphum, id eſt, eas habuiſti in poteſtate, quæ immortali te admodum gloria decorarent. Neq; Gotthi mihi triumphaſſe de literis, aut omnes illæ barbaræ gentes uideri ſolent: quippe quę eas ne norint quidẽ, neq; nomen audierint, nedum adierint armis, atq; expugnauerint. Nec ſolent illæ quidem machinas uereri præliares, & tormenta: ſtudio atq; officio leniuntur, ut noſter de literis apologus fortaſſe nõ uſquequaq; inſulſus nititur oſtendere. Nec quod de occupatis à uobis locis ſcripſi, penitus abſurdũ eſt. Nam & poſteriores in Euangelio operarij, non minus mercedis retulerunt. Fortunatiora certè ſunt iſta tempora (quis negauerit?) noſtris temporibus, quantum ad literas ſaltẽ pertinet. Voco autem noſtra, uagitus illius tui tempora, in quibus & librorũ & præceptorum, ex quibus quaſi fonte quodam certo literæ hauriunt, penuria permagna fuit, ſuo quiſq; marte quid poſſent uires experiebatur: unde multa uitia inhæſerunt mẽtibus. Ego certè, qui illius ætatis imbibi aquulam, uix ad ueſtrum hunc modum depurare turbidam poſſum, & ad liquidum iſtud tempeſtatis huius reuocare. Hos ego uocaui annos meliores, niſi tu aliter ſentias. Vale. M.CCCCXCIII. Florentiæ.

ANGELVS POLITIANVS ANTONIO VRCEO CODRO SVO S. D.

COmpoſui propemodum libellum græcorum epigrammatôn, quem ſæpe ut edam familiares mei me rogant, & pertinere dicũt (ita enim mihi palpantur) non ad latinorum modò, ſed omnino ad ſeculi gloriam, ſi latinus homo tamdiu iam dormienteis excitem græcas muſas. Nõ enim poema reperitur ullum citra ſexcentos annos à Græcis conditum, quod patienter legas. Sunt hodie tamen unus & alter, qui nonnihil dicuntur conari, quanq; adhuc non appareat. Vt igitur hos ipſos uel euocem uel irritem, cogitabam libellum qualemcunq; hunc noſtrum publicare, modò tu nõ diſſentias. Etenim in ea re tuum conſilium ſartum rectum habere placet. Aut igitur libellus hic probabitur ab ijs quoq; ipſis, qui cõponere putantur, atq; ob id magna mihi omnino gloria tribuetur: aut improbabitur, & meliora ipſi fortaſſe ſcribent. Itaq; rurſus hoc ipſo nomine bene audiam. Mitto interim quædam tibi ex ipſis non delecta, ſed fortuita: mentior: imò delecta potius, ſiquidem illa potiſſimum, quibus cum ueteribus Gręcis (niſi tamen hoc nimis improbum) certaui. Tu confer tamen, & utcunq; diſplicuero prærepta crede, quibus poteram placere. Lege uerò primùm, quod in Apelleam Venerem poſt tot antiquorũ compoſui. Quam Plinius etiam noſter Anadyomenen uocat, & uictam Græcis uerſibus ait: à quibus tamen ſit illuſtrata, quæ laus ad me non attinet, illo qui nondum tempore factus eram.

Εἰς ἀφροδίτην τὴν ἀναδυομένην.

Κύπριν ἀπελλείας ἔργον χερός, ὡς ἴδον, ἴσαν
 δαρὸν θαμβάλεος, τὴν ἀναδυομένην.
τᾶς ἅτε πορφυρικᾶς, ἅτε καὶ φιλοπαίγμονος, αἰδὼς
 τὰν ὄψιν μέγδαν ἔλλαχεν, ἠδὲ γέλως.
καὶ τᾷ μὲν ῥαθάμιγγας ἁλιβρεχθεῖς καράνῳ

δεξιτερᾷ

δεξιτερῇ θλίβων, καὶ κελάρυζεν ἀφρός.
ἣν δ' ἄρα τᾶς νεπίδος τις ἐμοὶ φόβος, ἃ δέ γε λαιᾷ
ἔσκεπε τὰν ἄβαν τὰν ἔθ' ὑποβρύχιον.
καὶ γὰρ ἴσως λαγόνων ὕφαλος πέλε καὶ περ ἔτι φρίξ
ματρὸς ἀπ' ὠδίνων ὄμφακα μαζὸν ἔχων.
εἰ τοίαν τεκ' ἄρης ἔχε δέσμιος, οὐκ ἐκδῦναι
οὐδ' ἀφαιστείας ἤθελ' ἀλυκτοπέδας.

Sed & in armatam Venerem tam diu poſt alios, ita luſi.

Εἰς ἀφροδίτην ὡπλισμένην.

Εἰς τί σάκος κρατερὰς παφία, λόγχαν δὲ τινάσσεις,
καὶ θώρακ' ἔδυς, καὶ κόρυν ἀμφίφαλον;
μέμνασ' ὅτι οὐ σοὶ δέδοται πολεμήϊα ἔργα
τᾷ τρυφερᾷ, δεῖπε δ' ἱμερόεντα γάμον.
ἀλλ' οὐκ ἐς δῆριν θωρήσσομαι, ὅπλα δ' ἄρηος
ἐνδύομ', ὡς κ' ἄρης ἐκλελάθοιτο μάχας.
ἐν γὰρ ἐμοὶ μούνᾳ τε τεύχεα καὶ κύπριν εὑρὼν,
οὔ ποτ' ἐμῶν λεχέων ἔσσετ' ἀπαυλόσυνος.

In matrem quoq; Lacænam, trito Græcis argumento ad hunc modum.

Εἰς λάκαιναν.

Ἐκ πολέμου φυγόντα μάχας τὸν ἑὸν παῖδ' ὡς φόνου
σπαρτιᾶτις μάτηρ, φασγάνῳ ἀντίασεν.
καὶ κτάνε τὸν δύστανον, ὃν ἔτραφεν, ὃν τέκεν αὐτά.
τοῦτα δ' ἐκφθεγγομένα λόξ' ἐπιδερκομένα.
εἰ τοῖόν σ' ἐδόκουν, οὐκ ἂν τέκον, ἔρρε λακαίνας
ὡς παῖς, οὐκ ἔθελον ὡς λακεδαιμόνιος.

Nec reueritus Iulianum principem ſum, cuius heroicis uerſibus de organo muſico meos Elegos, & quidem pauciores oppoſui, quos & ipſos adſcribam.

Εἰς τὸ ὄργανον.

Χάλκεον δονάκων ὁρόω στίχον, ἀλλὰ τίς αὐτοῦ
τεχνᾶται κρύβδην τὸν πολύθρουν κέλαδον;
ὅστις ὁ τοῖς προχαλοῖς ἐστρόφεε τε δάκτυλα παλμοῖς
δινεύων, τρομερὰς τ' ἀμφισοβῶν σανίδας.
ἀλλὰ πολυστρόφων πόθων οἱ τόσος ἐσμὸς ἀυτῶν.
οὐκ ἀθρόως ἀσκοὺς διχθαδίους ὄπεων.

Extant etiam nobiliſſima duo epigrammata in puerũ ſuper Hebri glacie ludentem, ſicuti latinum quoq; non inuenuſtius, quod Auguſto tribuitur, ſed cum Græcis illis ita quidem græcè contendimus.

Εἰς παῖδα.

Παῖς ἕβρῳ ἐπίθρωσκε πεπηγότι τυτθὸς ἀθύρων,
κρυστάλλου δ' ἐάγη μαρμαρόεν δάπεδον.
χ' ὃ μὲν ὀλισθάνων πέσεν εἰς βυθὸν, ἀλλ' ἀδιάντον
κρατὸς ἔκοψε δέρην ὀστρακόεις παγετός.
σκῆνος ἄρ' ἐνδόμυχον ῥοθίων ταχὺς ἔσπασεν ὁλκὸς
τοῦ πυρὶ δ' ἁ μάτηρ μοῦνον ἔδωκε κάρην.
αἶψα δ' ἐπιστενάχουσα, τί δύσμορος υἱὸν ἔτεξα;
ἆρ' ὡς στοιχείοις βρῶμα γένοιτο δυοῖν.

Hoc autem quod ſequitur, non cum Græcis iam, ſed cum latino cõmiſimus. Vertimus enim uetuſtum poetæ Pulicis in hermaphroditum, quod uulgus Antonio

 Panormi-

Panormitano falſò adiudicat: in quo laborioſiſſimū fuit reddere totidē uerſibus, ac penè uerbis, imò uel ſyllabis eandem gracilitatem. Latinum Pulicis hoc eſt:

Cum mea me genitrix grauida geſtaret in aluo,
 Quid pareret fertur conſuluiſſe deos.
Mas eſt, Phœbus ait, Mars fœmina, Iunoq; neutrum:
 Cumq; forem natus, hermaphroditus eram.
Quærenti letum, Iuno ſic ait, occidet armis,
 Mars cruce, Phœbus aquis, ſors rata quæq; fuit:
Arbor obumbrat aquas, aſcendo, decidit enſis
 Quem tuleram caſu, labor & ipſe ſuper.
Pes hæſit ramis, caput incidit amne; tuliq;
 Fœmina, uir, neutrum, flumina, tela, crucem.

Nunc audi noſtrum Græcum, ſi placet.

Εγκυος οὖσα γυνὴ, τίκτειν πέρι, φοῖβον, ἄρηα,
 ἥρην, σὺν ἅμα τρεῖς ἐξερέεινε θεούς.
ἄῤῥενα φοῖβος, ἄρης θῆλυν φάτο, κὐδέτερον σὺ
 ἥρη, πάνθ' ὑγιῶς, ἀνδρόγυνος γὰρ ἔφυ.
εἰρομένῃ δὲ μόρον; μόρος οἱ ξίφος ἔλλαχεν ἄρη,
 σαυρὸς ἄρης, φοῖβος κύματα, πάντ' ἐπέβη.
δένδρεον ἐφεστήκει, πέσε δ' οἱ ξίφος, αὐτὸς ἐπ' αὐτῷ
 ἔμπεσεν εἰς ποταμὸν κύμβαχος, ἐκ δὲ ποδῶν
ἤρθη ἀπ' ἀκρεμόνων, θάνε γοῦν θῆλύς τε, καὶ ἄῤῥην,
 κὐδέτερον, σαυρῷ, κύμασι, καὶ ξίφει.

Sed nimis tibi ſum fortaſſe moleſtus, itaq; iam deſinā. Prius tamen illud teſtabor, me non ideo certaſſe cum tam præclaris ingenijs, quę diu cōprobauit antiquitas, præſertim in arena ipſorum, quòd inde mihi uictoriam uel ſperarem, uel quærerem: ſed quòd hoc magis uidebar illa cogniturus, quo minus in experiundo con ſequerer. Tu tamen qualiacunq; ſint ludicra hæc mea, uelim diligenter explores, agniturus & in cæteris eiuſdem generis, quę uel iam ſcripſi, uel adhuc ſcripturio, prorſus eundem guſtum. Vale.

ANTONIVS CODRVS VRCEVS ANGELO POLITIANO S. D.

IN magnis Iulij caloribus redditæ fuerunt mihi literæ tuæ, Angele doctiſſime, quibus non grauatus es ad me mittere pauca quædam Græca ex multis, quæ compoſueras epigrammata, cum Gręcis & Latinis certantia. Ego quibus uerbis iſti tam prompto ac tam liberali in me animo gratias agam, non reperiò. Dediſti enim mihi ſeneſcenti, quid comparare, & quid comparando diſcere poſſem. Et certè mihi uiſus es & Latinus uir terſiſſimus, & Græcus facundiſſimus. Quòd autem ſcripſiſti, te cogitaſſe, libellum ipſum Epigrammatum publicare, modò nō diſſentirem: quid eſt quod fieri, aut dici, aut cogitari à Politiano poſſit, in quo diſſentiat Codrus? Equidem nō ſum tam ſocors, nec tam mihi placeo, ut uerbis tuis uel elicitus prodeam, aut tanquā criſtatus gallus cantaturus exultem. Ego'ne paucis admodum literis, & mediocri ingenio dotatus, tibi uiro in omni doctrinæ genere peritiſſimo conſilium dabo? μὴ γένοιτο. Et certè miratus ſum non parum, quæ te ratio ad hoc ſcribendum exhortata fuerit: niſi forte meus erga te ſingularis amor, & uitæ meæ pluſculi anni commouerunt. Quod ſi ita eſt, ſcribā libens quod ſentio: ea tamē lege, ut ſi quid inconditū, aut inſuaue hic tuas aures mordaci aceto lotas offenderit, non me, ſed teipſum

accuſes, qui tacentem, ac penè ſopitum excitaueris. Contuli igitur, ut iuſſiſti, epigrammata tua cum Græcis: & tantũ abeſt, ut Græca uituperare uelim, ut illa plurimùm comprobem. Verùm in tuis uerſiculis neſcio quid plus gratiæ & dulcedinis mihi eſſe uidetur, quod magis ſentiri, ꝙ monſtrari poteſt. Præterea non eo inficias uerſus hexametros ex paucis quidem, ſed lõgioribus particulis cõpoſitos, ſuam in tempore ſeruare autoritatem, qualis eſt apud Heſiodum, πληϊάδων ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων. Et apud Vergilium: Paſtorum Muſam Damonis & Alpheſibœi. Et alij eiuſmodi plures, tam apud Græcos, ꝙ apud noſtros poetas. Sed uerſiculi ſanè ex pluribus dictionibus compacti, ſcatentibus dactylis elegantiores, rotundiores, ac leniter magis currentes, iudicio meo exiſtimandi ſunt: ut, ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλά. Et, Si quis in hoc artem populo non nouit amandi, Me legat, & lecto carmine doctus amet. Et hoc præcipuè in elegis ſeu epigrammatis apparet. In pentametris uerò longas dictiones libenter audio: ut, τὴν ἀναδυομένην, & ὡς λακεδαιμόνιος. Habent enim neſcio quẽ Græcienſis conſuetudinis modum. Poſtremò quantum decoris ac gratiæ uerſibus præbeant epitheta non tantũ perpetua, ſed & nouè excogitata, & argutæ ſententię, nemo non eruditus intelligit. In tuis uerſibus, ut ad te redeam, hęc omnia inueniuntur. Nam ipſi & partibus multis aptè cohærentibus, & dactylis frequentibus leguntur, ac ſcandunt, & ſentẽtijs fortaſſe argutioribus, ꝙ Græci uerſus concludunt. Quanti me putas feciſſe epitheton illud, ὄμφακα μαζόν; Et illam uariatam ſimilitudinem, μόρον μόρος; & alia id genus multa, quæ multiplicem in ſe habẽt doctrinam & uoluptatem. Sed quibus uerbis laudabo illam ſententiam, qua in fine Veneris Anadyomenes uſus es, ubi ſcripſiſti: ſi Mars ligatus talem habuiſſet Venerẽ, noluiſſet unquam uinculis Vulcanijs diſſolui. Angele mi obſeruande, non tibi blandior, ſed ex animo loquor: in alijs quidem non es Græcis inferior, in hoc uerò etiam es (ut ſentio) ſuperior. Quare non te tantum hortor ut edas quæ ſcripſiſti, ſed rogo, & obteſtor. Ede, ede quàm celerrimè, ut & tu gloria, & literarum ſtudioſi tua doctrina frui poſſint. Nam uel euoces, uel irrites ad ſcribendum eos, quos noſti, uel non: bene audies omnino, & ſummopere laudaberis. Sed tecum in hoc ſtadio currentibus licebit (mihi crede) potius terga tua, quàm pectus uidere. Et ſi nulla alia te ad hanc editionem cauſa moueret, uel hęc te impellere debet, rumpantur ut ilia, non dico Codro, qui tuus eſt, ſed illis, quos ego ſanè non uideo, tu fortaſſe cognoſcis tibi eſſe non amicos, ut intelligant te, quod iam latinè feciſti, Gręcè non minus poſſe, & indoctis prodeſſe, & doctos ſummopere delectare. Et tandem ſi non uis alijs prodere, prode mihi, qui rerum tuarũ, ut ſum ſic ſemper ero lector ſedulus, ac amplificator. Sed hæc ſatis ſint in ijs præcipuè caloribus, qui neſcio quomodo uobiſcum, certè nobiſcum grauiter agunt: ἐπεὶ κεφαλὴν καὶ γόνατα σείριος ἄζει, ut ſcribit Heſiodus. Vale, & memento nos epigrammaton Græcorum uolumen integrum expectare. Tibi me cõmendo, & ſi Picus princeps noſter ibi eſt, me illi ſeruum ſuum eſſe inſinuato. Bononiæ, quinta luce Iul. M.CCCCXCIIII.

ANGELVS POLITIANVS IACOBO MODESTO PRATENSI SVO S. D.

ROgaſti me ſæpius, ut tibi nomina colligerem ueterum iuris conditorum, nõ qui citentur ab alijs, ſed quorum ſint ipſorum uerba pro legibus in Iuſtiniani principis digeſtis, quas & Pãdectas appellamus. Ego uerò quoniam te longius diſtuli, quàm fortaſſe ſingularis amor erga me tuus merebatur, ne ſine fœnuſculo mora iſta fuerit, etiam titulos, numerumꝗ

librorum

librorum tibi perſcribam, de quibus quinquaginta digeſtorum uolumina conſarcinantur. Volo enim tibi hoc quoq; apponere quaſi condimentum ſtudiorum tuorum: in quibus te tam multam ponere operã, multumq; proficere, quod mihi pręceptores tui narrant, unicè gaudeo. Nam cum tu noſtris laribus à puero fueris innutritus, probauerimq; ſemper ingenium, mores, animum, fidelitatemq; tuam, nihil abs te mihi penè ſeiunctũ puto, laudesq; tuas perinde amplector, ut meas. Sed ut ad rem redeam, ſeptem omnino & triginta fuere cõditores iuris, quorum de uerbis digeſtorum leges, uelut centones quidam conſuuntur. Et quorundam ex his mentio eſt in titulo de origine iuris, quem tibi non damus inſolutum, propterea quòd eſt in ære tuo. Vetuſtiſſimus autem omnium, ſicuti mihi uidetur, Q. Mutius Scæuola eſt P.F. Pontifex maximus. Cuius apud Ciceronem quoq; plurima mentio. Huius huc accerſitur unus tantum liber definitionũ. Gallus deinde Aquilius, qui Ciceronem orantem iudex audiuit, & quem familiarem ſuum Cicero idem in Topicis appellat. Huius tantum reſpõſis irrigantur digeſta. Labeonis uerò eodem aſciſcuntur libri πιθανῶν, id eſt credibilium, ſeu ueriſimilium, & item poſteriorum decem. Fuit autem Labeo, quem uocat Horatius inſanum, de cuius ingenio, natura, ſtudijs ac doctrina multa ſcribit Gellius in Atticis Noctibus. Saluij quoq; Iuliani digeſtorũ nonaginta libri, de ambiguitatib. unus, ad Minutium ſex, ad Vrſeium quatuor. Floruit hic Hadriani temporibus, & iudicanti fuit in conſilio, magnæ uir autoritatis, auunculus etiam Didij Iuliani, deinde principis. Aduocantur & Neratij Priſci regularum quindecim, membranarũ ſeptem, reſpõſionum tres. Hunc ſibi putatur Traianus amicorum conſenſu ſucceſſorem deſtinaſſe, ſic ut ei dixerit aliquando: Commendo tibi prouincias, ſi quid mihi fatale contigerit: eundemq; mox Hadrianus imperator habuit in cõſilio. Voluſius quoq; Mætianus iuriſconſultus eſt habitus celeber, quo multum eſt uſus Hadrianus idem: quiq; docuit M. Antonium principem, cognomento Philoſophum. Veniunt huc igitur illius quoque libri fideicommiſſorum ſedecim, publicorum quatuordecim: ſed Mætiani nomen in Marcianum deprauatur à librarijs. Fuit enim Marcianus ipſe quoq; iuris autor, à Didio Iuliano principe iuſſus occidi: qui libros huc contulit inſtitutorum ſedecim, regularum quinq;, de appellationibus duos, publicorũ duos. Item ſingulares, quos Græci μονοβίβλους, his titulis, de delatoribus, hypothecariæ, ad S.C. Turpilianum. Iulius quoq; Cęlſus Hadriano fuit in conſilio, qui Digeſtorum libros undequadraginta compoſuit. Sed & Valens qui fideicõmiſſorum ſeptem. Marcellus quoq;, qui Digeſtorum ſcripſit unum & triginta, reſponſorum unum, ſex ad leges. Item Iabolenus, cuius acciti huc libri ſunt. Ex Caſſio quinque, epiſtolarum quatuordecim, ad Plautium quinque. Claruit his temporibus etiam Serbidius Scæuola, cui M. Antonius philoſophus operam dedit, ac deinde factus imperator, multum illo eſt uſus. Hic & Seuerum docuit illum, qui ſibi poſt Pertinacem magna uirtute imperium parauit. Docuit & Papinianum, de quo mox dicemus. Sed Scæuolæ huius libri deducuntur in Iuſtiniani Pandectas, Digeſtorum quadraginta, quæſtionum uiginti, reſponſorum ſex, regularum quatuor, de quæſtione familiæ unus, quæſtionum publicè tractatarum unus. Huius auditor (ut diximus) Papinianus libros ad Pandectas affert, quæſtionum trigintaſeptem, reſponſionum undeuiginti, definitionum duos, de adulterijs unum, ædilitium unum. Hic habitus omnium eſt acutiſſimus, eum'que uocant hiſtoriæ iuris aſylum, doctrinæ legalis theſaurum, ſic ut ab illo ſtudioſi legum, qui profeciſſent, appellati Papinianiſtæ quandoque fuerint: amicus & Seuero principi, ſed à condiſcipulatu, neque non affinis per ſecundam uxorem,

ſucceſſor

ſucceſſor eidẽ quoq; in adminiſtratione fiſci. Deniq; moriens Seuerus filios ſuos non alijs magis, quàm Papiniano commendauit. Erat autem præfectus urbi Papinianus, ac plus potens in aula quàm uolebat. Itaq; ſæpe deponere nocituram potentiam fruſtra conatus, tandem ab Antonino Caracalla, Seueri filio, militũ gladijs obiectus, & ſecuri percuſſus eſt, quòd excuſare parricidium noluiſſet. Huius aſſeſſores in præfectura Iulius Paulus, & Domitius Vlpianus, quos quidã ex ueſtris Græco uocabulo Coryphæus appellant, quoniam quaſi uerticem legitimæ diſciplinæ cum Papiniano tenuerunt. Feruntur & Vlpiani libri ad edictum tres & octoginta, ad Sabinum uerò unus & quinquaginta, ad leges uiginti, pro tribunali decem, de officio proconſulis decem, regularum ſeptem, fideicommiſſorum ſex, opinionum ſex, de adulterijs quinq;, de appellationibus quatuor, de officio conſulis tres, inſtitutorum duo, de cenſibus ſex, reſponſorum duo. Tum ſingulares hi. Regularum rurſus, de ſponſalibus, de officio præfecti urbi, de officio præfecti uigilum, de officio curatoris Reipublicæ, de officio prætoris tutelaris, de officio quæſtoris. Sed quamuis tam multa ſcripſerit Vlpianus, tamẽ Paulus aliquantò eſt (ut Græcè dicam) πολυγραφότερος: eius enim numerantur hi libri: Ad edictum octoginta, quæſtionum uigintiſex, reſponſorũ uiginti tres, breuium uiginti tres, ad Plautium duodeuiginti, ad Sabinum ſedecim, ad leges decem, regularum ſeptem, ſententiarum uel factorum ſex, ſententiarum iterum quinque, ad Vitellium quatuor, ad Neratium quatuor, fideicommiſſorum tres, decretorum tres, de adulterijs tres, manualium tres, inſtitutorum duo, de officio proconſulis duo, ad legem Iuliam, uel, ut aliter lego, ad legem Aeliam duo: item ad legem Aeliam Sentiam tres, de iure fiſci duo. Monobibli autem, regularum rurſus, regularũ tertiò, de pœnis paganorum, de pœnis militũ, de pœnis omnium legum, de uſuris, de gradibus & affinibus, de iure codicillorum, de excuſationibus tutelarũ, ad regulam Catonianam, ad s. c. Orficianum, ad s. c. Tertullianum, ad s. c. Syllanianum, ad s. c. Belleianum, ad s. c. Libonianum, ſeu Claudianum, de officio præfecti uigilum, de officio præfecti urbi, de officio prætoris tutelaris, de extraordinarijs criminibus, hypothecaria, ad municipalẽ, de publicis iudicijs, de inofficioſo teſtamento, de ſeptemuiralibus iudicijs, de iure ſingulari, de ſecundis tabulis. Ad orationem diui Seueri, ad orationẽ diui Marci, ad legem Velleiam, ad legem Cinciam, ad legem Falcidiam, de tacito fideicommiſſo, de portionibus quæ liberis damnatorum conceduntur, de iuris & facti ignorantia, de adulterijs, de inſtructo & inſtrumento, de appellationibus, de iure libellorum, de teſtamentis, de iure patronatus, de iure patronatus quod ex lege Iulia & Papia uenit, de actionibus, de concurrentibus actionibus, de interceſſionibus fœminarum, de donationib. inter uirum & uxorem, de legibus, de legitimis hæreditatibus, de libertatibus dandis, de Senatuſconſultis. Fuere autẽ Paulus, & Vlpianus præfecti ambo, ſed quidam factos ab Alexandro dicunt, quidam uerò ab Heliogabalo, qui tamen Vlpianũ remouit, ut uirum bonum. Cæterùm Alexander utrunq; magno in honore habuit, maximè autem Vlpianũ, qui conſiliarius ei quoq; fuit, & ſcrinij magiſter. Necunquam ad eum ſolus admiſſus quiſquam eſt, niſi præfectus, atq; Vlpianus. Tum ſi quando alter adhibitus, ſemper tamen Vlpianus rogari iubebatur. Sabinus autem ille, ad quem libros Vlpianus ſcripſit, puto etiam ad quem Paulus & Põponius, uir fuit inſignis, & cõſularis, ab Heliogabalo iuſſus occidi, cuius filius etiam Fabius Sabinus Alexãdro fuit gratiſſimus, & Cato ſui temporis dictus eſt. Neſcio autem an hic filius idem ſit Sabinus, qui Conſularis, ac præfectus urbi per tumultum fuſti percuſſus in populo, & occiſus, atq; in publico derelictus fuerit.

De illo

De illo quoq; ambigitur, uter'ne de iure ſcripſerit, filius an pater. Scripſit uerò iuris ciuilis tres, ex Proculi ſingularem, ſed & Epiſtolarum libros octo. Pomponij quoq; collati ſunt eôdem libri, ſcilicet ad Quintum Mutium, lectionũ undequadraginta, ad Sabinum quinq; & triginta, epiſtolarum uiginti, uariarũ lectionum quindecim, ad Plautium ſeptem, fideicommiſſorum quinq;, Senatuſcõſultorum quinq;, regularũ unus, enchiridij duo. Caium uerò citat & Boetius in Ciceronis Topicôn cõmentarijs. Huius huc adhibiti ſunt ad edictum prouinciale libri duo & triginta, ad leges quindecim, ad edictum publicũ quindecim, qui ſoli tum reperti fuerunt, Aureorum ſeptem, dodecadelti, hoc eſt, duodecim tabularum ſex, inſtitutionum tres, de manumiſſionibus tres, fideicõmiſſorum duo, de caſibus unus, regularum unus, dotalitiorum unus, hypothecariæ unus. Sumpſerunt hauſtus, qui Tribunianum iuuerunt, ex Venulei quoq; ſtipulationum libris undeuiginti, Actionum decem, de officio Proconſulis quatuor, de pœnis Paganorum uno, publicorum tribus, de interdictis ſex. Item ex Mauritiani ad leges ſex, ex Terentij Clementis ad leges uiginti, ex Africani quæſtionum nouem, ex Florentini inſtitutorum duodecim, ex Tertulliani de caſtrenſi peculio uno, ex Iuſti conſtitutionum uiginti, ex Triphoniani diſputationum libris uno & uiginti, ex Calliſtrati de cognitionibus ſex, edictorum monitoriorum ſex, de iure fiſci quatuor, inſtitutorum tribus, quæſtionum tribus, ex Menandri militarium quatuor, ex Modeſtini reſponſorum undeuiginti, Pandectæ duodecim, regularum decem, differẽtiarum nouem, excuſationũ ſex, de pœnis quatuor. Item ex eiuſdem Monobiblis, de præſcriptionibus, de inofficioſo teſtamento, de manumiſſionibus, de legatis & fideicommiſſis, de teſtamentis, de eurematicis, de enucleatis caſibus, de differentia dotis, de ritu nuptiarum. Ex Tarruntij Paterni militarium quatuor, ex Macri militarium duobus, publicorum duobus, de officio præſidis duobus, Icoſton, ſeu uerius Icaſton, duobus: de appellationibus duobus. Ex Arcadij de teſtibus uno, ex Rufini regularum duodecim, ex Anthi ſiue Publij Furij Anthiani patris edicti quinq; libris, ex Maximi ad legem Falcidiam, ex Hermogeniani epitomatum ſex libris. Hæc eſt deniq; tam iuris conditorum, qui ſymbolam dederunt, quàm librorum quoque, & titulorum, quibus Pandectæ ſe debent, exactior nomenclatura. Nam cæteri non intexuntur, ſed tantum citantur: quidam tamen in codicibus deprauatis, quamuis omnino immunes, munificibus tamen adnumerantur. Tituli præterea nonnulli, ſicuti de excuſationibus, penè integri Græcè ſunt editi, quos indoctus aliquis (ut apparet) in Latinum tranſtulit. Sed & hæc (ut opinor) & alia pleraque noſtras aliquando uigilias deſiderant, quas utique nos (modò uita ſuppetat, ac paululum quid otij contingat) nimium quàm libenter tribuemus, ſed prius tamen philoſophiæ ſatisfaciendum, cui nunc totos (ut ſcis) penitusq; nos tradidimus. Erit opus omnino Barptolomæi Sozini Senenſis doctoris excellentis, imò uerò planè ſingularis, opera nobis, & conſilio. Quem equidem & Papinianum alterum uideor audacter poſſe appellare ſeculo noſtro. Vale.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER SEXTVS.

ANG. POLITIANVS PHILIPPO BEROALDO SVO S. D.

CERTIOREM me per literas iamdiu multi fecerũt, ueniſſe iſthuc ad uos quendã, qui noſtras adnotationes uenditet in Statij Syluulas, eaſq; ſe iactet ex noſtris autographis deſcripſiſſe. Puto eſſe autem non quas, me prælegente, ſtudioſi exceperũt, ſed quas ego adoleſcens uiuente adhuc Domitio, marginibus domeſtici codicis adſcripſeram: uidelicet offenſus iam tum, quòd multa ille parum perſpectè prodidiſſet, quæ ferè omnes tamen quaſi cœlitus demiſſa mirabantur. Quare uiſum eſt adnotationes iſtas, qualeſcũq; ſint, his ad te literis, qua ſi quibuſdam characteribus inſignire, ne uel aliena fortè mihi tribuantur, uel propria ſubripiantur. Scribere autem ad te potiſſimùm libuit, ut maior in teſte foret autoritas: præſertim quoniam uulgari iſta primùm Bononiæ cœpta ſunt, qua tu in ciuitate iure diu principem locum tenes inter noſtri ordinis profeſſores. Ergo in epiſtola prima negamus à Vergilio Culicis paſtoris defleri mortem, quod Domitius credidit. Nec probamus, quod ille de hymnis Homericis dubitauit. In equo maximo, Dacum attonitum, & iturum caſtris Catonẽ, ſecus atq; idem accipimus. Pelleaſq; ceras legimus, non Apelleas, quas & Lyſippo tribuimus. Noctem deſignari dicimus per tempus, quo ſuperis terrena placent. Nec mitis apud nos Tonans, imò Taras, quo Neptuni ſtatua innuitur, cuius apud Nonium Lucilius, cuius (ut omittam Græcos) etiam Plinius meminit. Lætus quoq; huic dono, non lætius, ipſi legimus. At in Violantilla, uocalis umbra ritũ ſpectare illum nobis nuptiarũ, uidetur, de quo in problematis Plutarchus. Sed & quæ dulcis imago proſiluit, ad ſpeculũ potius pertinet. Nec illud, Tam Thybridis, ſed magis, Iam Thybridis arces admittimus, ut & falſus huic pinnas, nõ autem falſas. Nam Minoa corona, quæ ſit alia quàm Ariadnes? Tum nec apud Statium Chiron (quanquàm hoc tamen alicubi legitur) pater Thetidis eſt accipiendus. In Tyburtina quoq; uilla, pulchrè de Leone dictum illud aſpexit, quòd torua belluæ frons, torui oculi, nec talis hyems tectis, Epiphonema. Nec ubi de Chalcidos fluctibus mentio fit, res mirandæ in comparationem, ſed fretorum anguſtiæ uocantur. Reprehendimus & illud, ut admodum frigidum, quod de amne ridente, deq; Nymphis exiſtimat anhelantibus: nec probamus Aniene in fonte, ſed Anien & fonte. Procq; Tiburno Tiberinum recipimus, exploſis locorum genijs. Tum quod ille ſibi algentia uindicat, ipſi publicum diu probamus. Conquerimur & quòd apud eundem, pro Lucrinis domibus, Laciniæ ſint, nullo idoneo ſenſu, contra exemplarium fidem, reclamantibus & ſyllabis duabus. Sed nec maiorem lyram trahi per uim patimur ad Vergilium. Diſſentimus & Gallici ſoterijs, ut in illo: Licet enthea uatis. Item in illo: Hinc alti gaudens. Nec uerò Galiciæ ſyllabam reformidamus, Phœbum tamen affirmamus loqui, non Aeſculapiũ. Sed in Hetruſci balneo, primùm illud ita legimus: Tu quoq; muta, feræ, uolucer Tegeæe ſonore. quo Mercurius, teſtudoq; mõſtratur. Nec auertite, pro exuite, ſed aduertite uolumus, & quod ibidem maximè deprauatum, nos ita corrigimus: Vix locus Eurotæ uiridis cùm regula longo Sinada diſtinctu uariat. Huc illud etiam pertinet: Nõ lumina ceſſant. quo excitari oculos colorum uarietatibus oſtenditur. Nec pro uaſis labra, ſed pro ſummis accipimus aut uaſorum partibus, aut fiſtularum. In Calendis Decembribus, latere palmam putamus, præ magnitudine ipſa dactylorum. Deridemus &

Adnotationes Politiani in Statij Syluas.

Hæmum, & Spaſſionem, quod tamen & Merula refellit. In Glaucia, lectionem pluribus locis improbamus, ut: Atq; ipſos reuocabat ad oſcula poſtes. &, Turba cataſtæ. ſed & illud, At legiſſe iuuat. Deniq; parabolen quoque ſucciſi papaueris, non à Vergilio tantùm, ſed ab Homero uſq; repetimus. In Pollij uilla, miramur planè tantum de Prætorijs eſſe ſilentium. Sed & per Epexegeſin legimus illud: Aſpicit & Phœbi tenerum iubar. In arbore Attedij, credimus eſſe Cacozelon, ut æſtuare ad fulmen redigatur. In Pſitacho querulæ iam ſponte fores uidentur, quoniam quidem querulæ antea quoq;, ſed non ſponte, quia brutorum uoces etiam interdũ querulæ dicantur. Nec uerò agnoſcimus illam de Bleſci pueri obitu conſolationem. Sed & in Leone Manſueto, nouum pudorem, nõ ut Domitius interpretamur, imò autem nec omnino fleuiſſe Cæſarem ſuſpicamur. In Lucani genethliaco, duos ita uerſiculos corruptos integramus: Et ſiquà patet, aut diem recepit, ſertis mollibus expleatur umbra. Nec aliam præter Argo ariolamur puppem temerariam Mineruæ. De Nerone quoq;, de Orpheo, de urbis incendio, de Pollæ laudibus diuerſa ſentimus ab ipſo. Nec penetraſti legimus in epiſtola ad Pollium, ſed penetrali. Porrò in Hercule Surrentino falſò ludi Actiaci pro Pithijs accipiuntur. Falſò item illud de Parthenope ridente, Parua ſuæ ſimulachra coronæ. Verbum quoq; degenerauit, in ſuum locũ reſtituimus, in quem ſcilicet illud ſubierat, dedignatur. Etenim in Propemptico, pro Thebaide poſuit Domitius Achilleida. Sed & in Hetruſci lacrymis malè illud: Aeternasq; ultrò ſacrauimus umbras. Et item illud, Præcipuos ſed enim meritò ſurrexit in arcus. In Earini coma, puer Sangarius, nobis haud dubiè Ganymedes eſt. Nec Concuſſum uulnere torpens, ipſi legimus, imò corpus: ſicuti crinis apud nos, qui eſt apud illum uertex. In Ecloga ad uxorem, leuicula mutatio hæc, Etenim tua, pro illo, eſt mens tua, totum penè Poetæ confundit intellectum. Non approbo Lechias, neq; enim ſyllabæ ferunt, in uia Domitiana, nec item cœnum populeum. Verſiculum quoq; illum, Sed grates ago ſtrictus, atq; tanti eſt, ſic equidem in exemplaribus inuenio, Sed grates ago, ſeruitusq; tanti eſt. Damno & lutras, in lyrico ad Septimium. Nec qui Libyam doceant, ſed qui deceant, defendo. In Epitrapezio, nos hoc ſpatium, quod ille, an ſpatio. Nos infra ſtet menſura pedem, quod ille pedum. Nam illud, Aut eleæ lucis, ipſo refellitur ſyllabarum uitio. Sed & Torani alumnum confinxit ipſe ſibi, pro Timaui. Recuſat & in Saturnalibus ad Grippum, Cereos arentes, hendecaſyllabi ratio. Verſiculus quoq; ille ſic domi noſtræ, Nil mutas, ſed idem mihi rependis. Iam genitrix Sipſleia in Abaſcantio, non Domitij fuit emendatio, ſed publica omnium diu lectio. Quod tamen attulit ipſe, Iam laceras, & quæ ſequuntur, quodq; Meropen uocauit eam, quæ ſit Aerope, proprium fuit ipſius. Sicuti humeri iubati, pro fortibus, non quod uerius, pro puerilibus. Illud quoque ſic ipſe reſtituo. Quod cupis ipſe iuberi, Da capitolinis, & cætera. In Protreptico ad Criſpinum, Reſpuo Nemeam, reſpuo Nubigenas illos cõmentitios clypeos, cum tyronibus: & quo loco tributa ibi ſunt, ego Thoraca repono. Multa in Epicedio quoq; patris, aliter apud nos, ut uatem, & nil dulce ſonantem, ut Phrygius ſilex, qui mihi Niobam ſignificat, non Hecubam, ut quod menſis uocabulum putat ipſe, nos participium. Legit ibidem, qualis & ille dies: at ego, quàm tuus ille dies. Nec umbram phylaceida, Proteſilaum, ſed Alceſtim credere malo. Certè in carmine ad ſomnum, non ab Aethonte, ſed ab Oeta deduco Oeteos. Multa in Epicedio quoq; pueri uel notaui, uel emendaui. Puta illud, Quis error? quem luimus tantis mœroribus ecce lacertis. Et illud, Nimirum cum ueſtra domus, & quæ multa parum cohærenter intereiſa ſupplet, & ipſum ſimij uocabulum, quod ibi

nuſquam. Præterea, nitantes, nihili uocem. Sed nec à Iuuenale Statium taxari, quaſi circulatorem crediderim. Ferè autem ſunt hactenus, quæ notauimus adule ſcentes in libri noſtri margine, quibus iſte nos homo nimium familiaris circundu xit. Sed his tamen (ut arbitror) longè ſunt & plura, & meliora, quæ quartodecimo ferè abhinc anno nobis eaſdem publicè Syluulas enarrantibus excepta ſunt. In quæ ſe diu iam caſu incidiſſe, uir admodum literatus Tydeus Acciarinus, quo Conſentiæ tempore profitebatur, eleganti nobis epiſtola ſignificauit. Nactus autem fuerat, ut mihi poſteà renunciatum eſt, quæ Franciſcus Puccius Florentinus collegiſſet, auditor ille quidem noſter olim, dein uerò in eadem ſchola etiam profeſſor, qui Neapoli nunc agitat magna cum laude, doctus utraque lingua iuuenis, nec abſurdo ingenio, ſiue tu proſam condere, ſiue carmen iubeas. Itaque nihil inſtitor iſte ueſter, aut magnum circunfert, aut nouum. Sed uides, ut notaui locos, non explicaui. Sanè quoniam commentarios non faciebam, ſed epiſtolam, quæ meo quaſi pecori notas inureret: mox (ut ſpero) commentarios quoq; in eaſdem ſyluas publicaturus, breuiſſimos illos quidem, ſed tamen prorſus (ut Plautinum uerbum penè amiſſum reuocetur) amuſſitatos. Tu interim (quæ tua erga me beneuolentia eſt) ubi res tulerit, imponas (quæſo) plagiarijs pudorem. Vale. Florentiæ, Calend. April. M. CCCCXCIIII.

Franciſcus Puccius.

Amuſſitati.

PHILIPPVS BEROALDVS ANG. POLITIANO SVO S. D.

Ide mi Politiane in ſtudijs noſtris politiſſime, quanti te, & quidem merito ſſimò faciam. Quicquid ex officina iſthac tua luculenta depromitur, id omne probum, excoctum, ac emaculatum eſſe habeo perſuaſiſſimum. Imò (quæ tua eſt in literis curioſitas, & excellentia) ſiquid tibi ad huc adoleſcenti parum elimatum per incuriam elapſum foret, id tamen apud me, & reliquos, qui bene ſentiunt, fieret perfectiſſimum, uel ob idipſum, quòd à Politiano proueniret. Tanta enim tua iampridem claritudo, & æſtimatio, ut poſſis uel obſoletis nitorem dare, faſtiditis gratiam, nouis autoritatem. Et ut ſemel finiam, hæc apud me tuorum ſtudiorum reuerentia eſt, hunc tibi honorem deferre ſoleo, quem diuus Auguſtinus ſcriptoribus canonicis autumat ſeſe retuliſſe, ut te nuſpiam errori confinem eſſe credere auſim. Non ex amore iudicium hoc eſt, ſed ex iudicio amor. Teſtes ſunt ſcholaſtici ſexcenti, teſtis eſt pulpitum illud, ex quo cot tidie profitemur, me identidem eſſe præconem, & buccinatorem tuæ ſingularis eruditionis. Quid multa? publicè, priuatim, domi, foris, in gymnaſio literario, extra gymnaſium, ubiq; locorum, ubique gentium, ubique temporum Politianus à Beroaldo extollitur, celebraturq; meritiſſimo præconio. Tibi me uirtus tua fecit amicum. Perlegi libenter, quæ ad me peramanter, & officioſè ſcripſiſti: perlegi libentius, quæ in Merulam eloquenter, & cordatè exaraſti. Qui inſtar Zoili iam ſibi cognomentum Homeromaſtigis adoptauerat: qui in cunctos ſeculi noſtri literatos, non dentes, cùm edentulus foret, acuebat, ſed linguam uibrabat uirulentam: qui pati æquo animo non poterat uirtutem in iuuenibus ſoboleſcentem. Qui ad maledicendum faberrimè formatus ingemiſcebat, imò (ut uerius loquar) diſrumpebatur orientem ſolem à pleriſque omnibus iampridem adorari, quàm occidentem. Mors hominis declarauit, quàm gratus foret omnibus. Videtur enim Merula ex gaudio eſſe procreatus, ita cũcti mortales ex illius obitu gaudent. Quod ad me attinet, uellem uiueret, uellem peperiſſet criminoſiſſima adnotamenta, quæ in me fertur diu parturiſſe, ut ita inter ueteranũ & tyronem pugna foret conſpicabilis. Forſan forſan didiciſſet ſe cornutam beſtiam irritaſſe, & momordiſſe remorſurum, & quòd noſtro ſequitur de uulnere ſanguis. Nanque no-

Merula.

Homeromaſtix.

bis neq; machæra hebes eſt,neq; ſtylus retuſus. Quòd ſi mortui in nos ſcripta pu
blicabuntur, cogemur aduerſus mortuum ſuſcipere certamen, & uicem talionis
implodere: quanquàm non me fugit, quàm parum plauſibilis futura ſit iſta con-
tentio, & quòd cum mortuis non niſi laruæ luctantur. Gratias tibi uberes ago,&
habeo pro honorifica illa nominis mei mentione, quàm amanter nimis inſeruiſti
epiſtolæ in Merulam graphicè luculenterq; conſcriptæ. Quæ enim mihi uberior
laus,& uerior contingere poteſt,quàm laudari à laudatiſſimo noſtri temporis, e-
ruditiſſimoq;? Quòd ſcribis neſcio quem perinde ac fugitiuum iſtinc huc migraſ
ſe, tuasq; uel potius ſub nomine tuo adnotationes in ſyluulas Statij uenditare:
quis hic ſit haud equidem noui,neq; quiſpiam eſt hac nota notabilis:nemo pror-
ſus apud nos uiſitur,qui aliquid inuulget,aut nomini tuo obfuturum,aut eruditio
ni derogaturum. Adnotatiunculæ autem illæ tuæ breues, & conciſæ, quas ad me
dediſti,quibus ſubnotantur magis,quàm explicentur loca reconditiora Syluula-
rum aduerſus Domitij interpretamenta,effecerunt,ut ſyluulas ueluti in tranſcur-
ſu relegerem. Iamq; & ipſe in ſententiam tuam non tam pedibus eo, quàm aſſen-
ſu literario. Nihil poteſt eſſe uerius,nihil penſitatius. Vale,decus literarum,& me
(quod facis) ama mutuiter. Si rarenter ad te ſcribo, cauſa eſt aceruus occupatio-
num,quibus iugiter diſtineor. Verum, ut inquit ille, & non officioſus amo. Ite-
rum ſalue. Vale. Ex Bono. pridie Idus Apriles. M.CCCCXCIIII.

ANGELVS POLITIANVS PHILIPPO BERO-
ALDO SVO S. D.

ADeò teſtibus non indiget amor erga me tuus, & ſtudiorum ſimilitudi-
ne conciliatus, & multis roboratus officijs, ut qui Bononia Florenti-
am ueniunt, ſtatim quaſi ſolenniter, quò mihi ſe magis approbent, in
tua cohorte ſe numerent. Vellem tamē ut laudare me tam uerè poſſes,
quàm plenè ſoles: quanquàm hoc ipſum laudari abs te, laus eſt (ut mihi quidem
uidetur) non ampla modò,ſed & uera. Lætor autem placuiſſe tibi, quæ ad Meru-
lam ſcripſerim, qui utinam nobis ereptus tam ſubitò non fuiſſet, exegiſſemus ad
Obruſſ. obruſſam quicquid ille unquam literis mandauerat. Ac puto (quod cum mode-
ſtia dictum ſit) perierat Merula,niſi perijſſet. Nunc cineres,& oſſa perſequi non li
bet,ne ſi liceat quidem. Nec eſt quod ulla expectemus illius ſcripta quaſi poſthu-
ma,coruos deluſit hianteis. Nam nec Centuriæ uſquam,nec Plautinę quæſtiones
comparent. Ita lepidus homo poſteris impoſuit. Dignus omnino tamen, quem
profeſſores non contēneremus,niſi profeſſores ipſe omneis cōtempſiſſet. Quod
porrò ad notas attinet,quas nobis neceſſitas quædam penè retentantibus extor-
Pueritia. ſit,ſatis mecum præclare agetur,ſi pueritiam ſapere,non etiam puerilitatem uide-
Puerilitas. buntur. Vale. Florentiæ, IX. Calend. Maias. M.CCCCXCIIII.

FRANCISCVS PVCCIVS ANGELO POLI-
TIANO SVO S. D.

NE uerò ipſum recens iſta Miſcellaneorum editio, ut delectauit ſanè
plurimum ob eximiam laudem, atq; adeò immortalem, quam tibi
pulcherrimo hoc opere partā candidè ſum pro amicitia noſtra gra-
tulatus:ſic certè in eo commouit,atq; pupugit non parum,quòd ar-
cana illa,& uerè dixerim,myſteria literarum, quæ diu nos ac ſingula
tim ab oris tui oraculo exceperamus, ut his quaſi pro iure noſtro placere nobis,
& gloriari poſſemus,peruulgatis nunc his libris,non magis noſtra, id eſt,ſectato-
rum tuorum, quàm populi, atq; adeò ſcholaſticorum omnium erunt. Et de Ari-
ſtotele quidem præceptore ſuo conqueſtum eſſe per epiſtolam Alexandrum re-

gem Gellius

gem Gellius ſcribit, quòd is ſcriptis, ac publicatis philoſophiæ ſecretioribus ope *A. Gellius li. 20. cap. 4.*
ribus, priuarum illum diſciplinæ profectum auditoribus ſuis inuidiſſe uidere
tur. Et ita tamen legendos dedit libros illos Ariſtoteles, ut ab his tantum intelli-
gi poſſent, qui eum prælegentem audiuiſſent. Reſcribens enim regi affirmat τοὺς
λόγους καὶ ἐκδεδομένους καὶ μὴ ἐκδεδομένους, ut iam noſtra multò æquior expoſtulatio ui
deri debeat, quod Miſcellanea tua ſic dilucidè, ac diſtinctè conſcripta ſunt, ut hos
libros qui legunt, os autoris, &, ut aiunt ζῶσαν φωνὴν non multùm, aut certè nihil
deſyderent. Hos tu igitur theſauros, has margaritas non porcis quidem, ut dici-
tur, ſed populo, aut quod ſit etiam indignius, grammaticorum ferulæ expoſuiſti.
Nam per deos immortales, quid ego primum in hoc opere admirer? reconditiſſi
mos ne locos, & quaſi ſanctius illud ærarium literarum, unde nihil communi per
cuſſum moneta, nihil publici iuris effertur? An doctrinarum uarietatem, & illius
ἐγκυκλοπαιδείας uerſicolorem, & undequaque fulgentiſſimam ueſtem? An uerò te
ſtium, quos citas, & autorum dignitatem, ſimul ac numerum? quorum ſanè ple-
roſque hi quoque, qui ſibi docti uidentur, ne de nomine quidem ipſo notos antè ha-
bebant. Nam de ornatu illo, ac lepôre nitidiſſimæ orationis quid dicam? quæ ua
rio quodam, & propè uermiculato intertextu laſciuiens, omneſque uerborum flo-
ſculos captans, candorem tamen ubique Latinitatis, & quaſi pudicitiam præfert, ut
illa ipſa purpura, & muliebri mundo quàm honeſtiſſimo indefeſſum lectorem u-
no propè decurſu, à præfatione ad extremam illam coronidem traducat. Habe-
mus in manus quotidie ego & Vgolinus tuus hunc librum, legimus, decanta-
mus, ediſcimus, ac nulla iam pagella eſt, quàm non decies reuoluerimus: nec ta-
men adhuc caput ullum ſic attentè, aut diligenter perlegere potuimus, quin reſu
mentibus illud idem in manus arridere magis nobis, atque, ut Aphrica illa, affer-
re noui ſubinde aliquid uidcatur. Ac cum illo recognoſcere iuuat, quæ pridem,
cùm iſtic eramus, te prælegente didicimus: tum uerò pleraque alia de liberalitate
tua addita, quaſi auctarium quoddam auida, ac pendenti aure combibimus: ut
iam ſcilicet partitam cum alijs auditionis noſtræ mercedem hoc ipſo corollario
non inuiti rependamus. Iam uerò quanquam quicquid ipſi ſumus, ſi quid ſanè ſu
mus, id totum tuo beneficio ſumus: quantum tamen ingenio meo applaudere, &
gratulari me putas, ubi aliquid de penu tuo proferri uidemus, quod nos quoque
ipſi in re noſtra noſtro quæſitum Marte haberemus. Etenim licet ſanè perſpiciam
quantum inter aquilam ac noctuam interſit, tamen uenire in idem, & conſentire
rationes noſtras cum tuis, id uerò ipſum placere me, meipſum mihi uideri nunc
demum aliquid facit. Omittam alia quædam, fraterculus ille gigantis apud Iuue-
nalem, & terræ filius apud M. Tullium, quàm eruditè abs te, & appoſitè enarra-
tus eſt. In eundem uerò ſenſum expoſitum eſſe à nobis abhinc fermè biennio in
publico, frequentique auditorio lectiſſimus iuuenis, & utriuſque noſtrum amiciſſi-
mus Nicolaus Valorius, qui tum fortè aderat, nouit. A miniatula quoque cera in
epiſtolis Ciceronis non admodum diuerſa noſtra lectio fuit, qui nullum quidem
emendatiorem codicem nacti (eſt enim bonorum librorũ in his locis mira peun
ria) ſed tantum coniecturis permoti, minio, ac cera tua ponendum putaueramus.
Sed & illud Iuuenalis cacoethes quid appellari exiſtimem, iudicij tui cauſa explo
randi, quod mihi quidẽ pro Delphico oraculo eſſe debet, nõ reticuero. Nã cùm
legerim apud Cornelium Celſum, cacoethes ſpeciem quandam carcinomatis eſ- *Cacoethes.*
ſe, eam quidem moleſtiſſimam admodum, & diuturniorem, inde per metapho-
ram quandam à ſatyro aſſiduam inceſſantem uomicã ſcribendorum carminum,
hoc ſignari nomine crediderim. Idque cùm adiecta inſanabile, & ægro in corde, &

uerbum ipſum ſeneſcit, quod aptè cadit in ulcus rediuiuum: tum uerò etiam tria illa Auguſti carcinomata, ſimili propè ratione ſic dicta, quaſi digito indicare uidētur. Huic tamen ſententiæ meæ quamuis (ut mihi quidem uidetur) undequaq; in hunc locum quadranti, non prius calculũ album adiecero, quàm cùm abs te quoque doctiſſimo, atq; incomparabili uiro comprobatum iri excepero. Nec uerò illud ueremur, ne fortè me exiſtimes ex ijs rebus uelle tecum conferri. Præfati enim iam ſumus intelligere nos quantum diſtet ab Aiace Therſites, & ſimul noui facilitatem tuam, qui in laudis tuæ participatum cum omneis bonos, tum præſertim tui ſtudioſos, & amatores nõ grauatè admittis. Sed redeo ad Miſcellanea, in quæ me hercule Propertianum illud iam decantare poſſimus: Cedite Romani ſcriptores, cedite Graij. Etenim ſiquid mihi de literis iudicij eſt, non iuniores modò omnes longo poſt te interuallo reliquiſti, ſed ueterum etiam ſcriptorum laudem in hoc quidem genere haud dubie adæquaſti. Nam de copiæ quidem cornu, quod nonnulli in te inuidi acuebant, ſentiant alij quid uelint: mihi certè totũ inane, ac uile, nec redimitum floribus, ſed paleis occultatum uidetur. Sunt enim meræ nugæ, & planè (ut ipſe ſcripſiſti) craſſior inter uos, quàm inter Pyrrhamum & Thisben paries extat. Atq; ut intelligas quàm iſtius operis æternitatem exploratiſſimam habeam, haud parum inuidere me fateor Michelotio, Vgolino, alijsq; compluribus æqualibus, & familiaribus noſtris, quod tam eximia in hoc libro præfatione citati cognoſcentur à poſteris, fientq; pariter tecum ęterni, & illuſtres. Quòd ſi id antè mihi ueniſſet in mentem, uel gratia, uel precibus, aut pretio etiam, atq; omni ambitus genere contendiſſem, ut nos quoque honeſtiſſimæ iſti centuriæ adſcriberemur: & quoniam alios te ſubinde libros ſubcenturiaturum eſſe polliceris, iam nunc honorem iſtum quacunq; tecum mercede paciſcor. De meo autem erga te ſingulari ſtudio, & amore, etſi de eo te nõ dubitare certò ſcio, tamen quia ita locus expoſcere uidebatur, ſcripſiſſem in præſentia aliquid, ni ueritus eſſem, ne tam longa, ac uerboſa epiſtola ſtomachum iam tibi, & propè nauſeam fecerit: cùm præſertim nihilo breuiorem elegiam, quaſi coronidem quandam adiecerim, quam ijs Dominici natalis ferijs per otium luſimus, admoniti patriæ, domeſtici laris, cuius iam non minus, quàm Homericus ille Vlyſſes ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι: & ſimul ut una opera ueteribus amicis, & tibi præcipuè duci, & præceptori meo priſtinam obſeruantiã, & amorem teſtarer. Eam tu cum uacabit, diligentius pelleges. Et ſi uidebitur iſtorum hominum naſum non reformidare, oſtendes cum omnibus, tum etiam, ſi qua opportunitas affuerit, Laurentio Medici, uiro primario, & de me, & de omni ciuitate noſtra bene meritiſſimo. Vale. Neapoli. pridie Calend. Ianuar.

ANG. POLITIANVS FRANCISCO PVCCIO SVO S. D.

INcredibili me uoluptate tuæ literæ affecerunt. Non tam, crede, quòd noſtra Miſcellanea laudãt (quanquàm id etiam) quàm quod apud me, qui tibi olim præceptor obtigerim, ſingularem quandam uel eruditionem, uel eloquentiam tuam profitentur. Vt enim agricola uehementer exultat, ubi generoſos fœtus ex arbore ipſa legit, quam ſuis quondam manibus conſeuerat, ac diu multa cura produxerat: ita nos magnopere delectatos illa epiſtola tua ſcias, quæ mirificos iſtius ingenij noſtra opera culti nobis fructus exhibuerit. Audieram quidem ſæpe antea quoq;, nec ſine ingenti meo quidem gaudio, te Neapoli docere iuuentutē, magna celebritate, magna gloria. Sed hæc tua nunc tamen epiſtola planè declarauit, non abeſſe à Neapolitanis, quibus ita placeas, iudicium illud antiquum ſtudiorum, quæ ſibi olim ſedem apud ipſos pro-

priam,

priam, quaſiq; certum domicilium delegiſſent. Eſt enim ſtylus eius epiſtolæ cùm (quod ego in primis exigere ſoleo) Latinus, & caſtus, tum uerò elegantem quandam præ ſe indolem ferens, elaboratus, inlaboratoq; ſimilis, hoc eſt, ita latenter, ita diſſimulanter cultus, ut in eo ſe forma, non cultus oſtentet. Facilis idem, profluens, numeroſus, non anxiè, non moleſtè diligens, magisq; ſimilis negligenti, ſed ita tamen, ut plus eo quoque pacto Veneris habeat, qualis Apelleis eſt color in tabulis. Quid igitur mirum, ſi meum quoque ſicuti Latonæ tacitum pertentāt gaudia pectus; cùm tales prodiſſe diſcipulos è noſtris umbraculis uideo, quales ego fortaſſe iam nec magiſtros aſpernerẽ? Nõ enim propterea quòd tibi ego tunc magiſter, ideo nunc quoque te doctior. Nam & qui me docuerunt, ipſi deinde aliquoties in noſtra ſchola cum cæteris diſcentibus deſederunt. Vices ita rerum ſunt, & quidem pulcherrimæ. Ne mihi certè quicquam gratius, quàm diſcipulos emittere me quoque ipſo doctiores, præſertim ſi grati, ſi memores, ſi non in præceptorem quoque ipſum, ſicut in parentem equulei recalcitrent. Sed & de uerſiculis, mi Pucci, tuis quid dicam? quàm noua ibi multa, quàm imò antiqua, quod filum, qui color, qui cultus, quæ illecebræ, quæ mollitia, quæ quaſi teneritudo, quàm ibi multas figuras, quàm multa lineamenta Græci Callimachi, neſcio equidem an data opera, ſed expreſſiſti. Nam quòd in ijs me quoque laudas, & triplici eloquio ſuccingis, ac ne liuori quidem ius eſſe in nos ullum dicis, ſiue ita tu credas, ſiue tanquam poeta fingas, omnino tamen ago gratias, quoniam hoc ipſum contigiſſe mihi ut à docto homine, quanuis falſò, lauder, ingens profectò laus eſt, atque ob id uera. Sed illud, opinor tu quidem iocans, quòd quaſi magnam quandam expoſtulas iniuriam, quia quæ prius in ſchola docui, nunc & in Miſcellàneis peruulgaui. Quid autem hoc tua? Nunquid adhuc dictatis indiges, qui per tè numeros implere omneis, ac iam præſcribere cæteris potes? Quin imitare tu quoque leonum catulos, quibus cùm ſatis dentes, unguesq; creuerunt, aſpernati matris ubera, prædam ſibijpſi procul in ſyluis captant. Sed uerſari cum Baccio Vgolino te dicis, eiq; librum noſtrum uoluptati fuiſſe. Cum Baccio tu igitur meo uerſaris Pucci? Cum Baccio iocos agitas, & ſeria? penè dixi (quod nefas) inuideo. Sed quis non tibi eius hominis inuideat conſuetudinem, quo nemo blandior, humanior, ſuauior? Deierem equidem nihil me illo uidiſſe amabilius, nihil etiam tamen amantius. Itaque conſecutus mihi, quod nemo ferè unquam, uidetur, ut ſit omnibus charus, omnibus iucundus. Amatur à principibus, ſed ſine aulicorum obtrectatione. Celebratur à doctis, ſed ſine æmulorum offenſione. Cum cæteris ita uiuit, ut omnium ex æquo beneuolentiam colligat, ordinum tamen diſcrimina non confundat. Quanta autem illi prudentia? quanta fides? quanta rebus maximis adminiſtrandis animi altitudo? quæ uis? quæ facundia? quæ acrimonia? quantum deinde amoris, officij, ſedulitatis, diligentiæ? quæ porrò in conuictu comitas, facilitas, ſimplicitas? quàm ubique candidus, facetus, ingenioſus? quàm etiam eruditus, ac literatus? quid poſtremò carminibus illis, ſiue quæ ad citharam canit extempore, ſiue quæ per otium componit, dulcius, mundius, limatius, uenuſtius? Sed quid ego longius euagor? Fruere tu, quantum potes, meam, tuamq; uicem Baccio meo: fruere Baccio, meis ſerijs, meisq; delitijs. Atque adeò non tantum meis, quàm omnium potius, quicunque ſalem modò habent aliquem. Date uerò operam (quò deſyderium ueſtri leuius ferã) crebris ut inter uos de me ſermonibus ſæpiſſimè mihi (quod dici ſolet) aures circunſonent. De fraterculo gigantis quid mirum, ſi tu eadem prodidiſti fermè abhinc biennium, quæ nos abhinc fermè quadriennium? Non ne etiã catuli

Baccij laus.

ſæpe duo leporis eiuſdem cubile deprehendunt, ſi fortè ijſdem uterq; ueſtigijs in
ſtiterunt? Cacoethes uerò non ulcus modò, ſed & lenta quædã febris eſt, in defini
tionibus apud Galenũ, quod & nos alibi retulimus in literas. Vtroq; tamen apud
Iuuenalem conſuetudo mala ſignificatur. Cæterum quid hoc eſt, quòd tu tam ti-
midè, & diffidẽter, tam lentè, tam ſuſpicioſè, tã cautim, tam quaſi pedetentim nos
adis? An uereris ne me iſtis offendas? quaſi uerò non laudes tuę redundẽt in nos,
ſicut in te noſtræ: quaſiq; neſcias me meorum familiarium laudibus plus aliquan-
to fauere, quàm proprijs. Ego te profectò in conſortium laudum mearum (ſi mo-
dò meæ ſunt aliquæ laudes) adeò non grauatò admiſerim, ut hanc potius mihi
laudem unam putem laudum omnium maximã, quòd eas tu non aſpernaris. De
copiæ cornu, Miſcellaneisq; noſtris (quanquàm amore labi tu quoq; potes) à te
tamen (ut uerum fatear) non magnopere diſſentio. Veruntamẽ illud interim me-
mini, ſimiam quoque ipſam, quæ turpiſſima beſtia uocatur ab Ennio, credere ta-
men ſuos catulos eſſe omnium formoſiſſimos. Vale.

AVGVSTINVS MAFFEVS ANG. POLITIANO SVO S. D.

CVm eſſes Romæ apud nos æſtate ſuperiore uir doctiſſime, ac nõ mul
tis ego anteà diebus accepiſſem, te non minore ingenio, & doctrina,
quàm cura, Herodiani uiri ſanè clariſſimi hiſtorias è Græco in noſtrũ
ſermonem uertiſſe, ad cõmunem uidelicet ſtudioſorum omnium gra
tiam & utilitatem: tanta ſum equidem animi uoluptate affectus, ut ni-
hil profectò auribus meis aut antiquius, aut optabilius afferri eo tempore potuiſ-
ſe exiſtimem. Hinc enim factũ eſt, arbitror, ut ego recenti quodam deſyderio eius
uiſendi operis cõmotus, atq; erectus, paulò curioſius exemplar abs te petere non
dubitauerim. Quod mihi pro ſingulari tua erga omnes facilitate, non modò non
negaſti, ſed & uerbis amplioribus ſpopondiſti: id te quàm primùm Florentiã uſq;
ad nos tranſmiſſurum, ne diutius ſcilicet tam floridæ, tamq; amœnæ lectionis fru-
ctu, ac uoluptate careremus. Quem librum cùm auidè per dies multos expectaſ-
ſem, neq; meum ingens illud deſyderiũ diutius ſuſtinere poſſem (quippe iam du-
bia, & incerta ſpe quadam meus detineri animus uidebatur) omni ſtudio, ac ſoli-
citudine, induſtriaq; elaboraui id efficere, quo minus tale opus eſſet mihi ulterius
deſyderandum. Itaq; inuento apud neſcio quem dubiæ ſanè fidei exemplari quo
dam, quàmprimum iuſſi uolumen ipſum, ut erat, exſcribi, atq; exarari. Quod equi
dem arbitror partim ſcriptoris incuria, partim exemplaris uitio eſſe pluribus in lo
cis corruptum, ac deprauatum, nec planè ſuis omnibus integris membris conſi-
ſtere. Quam rem adnotaſſe haud improbè uidear, dum proximè luculentam
ipſam hiſtoriam non incurioſè, ac conniuentibus oculis perluſtrauerim: quæ a-
deò meas aures impleuit, ut in ea lectione meum omne ſtudium, atque otium
per hos continuos dies collocauerim. In qua præter elegantiam, concinnita-
temq; Romani ſermonis, ac ſententiarum uarietatem, illud in primis non ſolùm
præcipua laude, ſed etiam ſingulari admiratione digniſſimum conſpicatus ſum,
quòd concionibus adeò crebris, adeò ſublimibus abundat, ut in ea parte inſignis
ipſe hiſtoriarum ſcriptor Herodianus Cornelio Tacito noſtro, ne primo quidem
loco ceſſiſſe uideatur. In quo non minor profectò laus tua, & felicitas eſſe debet,
cùm in eo uertendo opere illud planè fueris aſſecutus, ut ſeruata ubique ueræ hi-
ſtoriæ maieſtate, nihil quod ad candorem, ad ſublimitatem, ac decus Romani
ſermonis, aut ad ſententiarum grauitatem, uel totius operis ipſius concinnita-
tem pertineat, aut requiri abs te, aut deſyderari poſſe ullo modo uideatur. Qua
ex re illud proculdubio futurum de hac tua proxima fœtura ominamur, ut
magnos

magnos ſcilicet,atq; uberes fructus,nec minores uoluptates ſit cunctis literarum profeſſoribus ſucciſiuis paritura temporibus.Quæ licet hactenus non niſi ad paucorum manus peruenerit, autori tamen iam ſuo æternam memoriam, & claram nominis perpetuitatem ſpondere affatim,ac polliceri uidetur.Nam mihi uerè perſuadeò Græcum uirum Herodianum, quem ipſe nuper ciuitate Romana donaſti, ſi in mille uolumina diligenter impreſſus, tranſcriptusq; ad manus literatiſſimorum hominum, ſemel reſeratis carceribus peruenerit, de eo ſingulorum iudicio, expectationiq; ſatis facturum, ut in eo libello nihil niſi candiduin, niſi ſublime, niſi luculentum, atq; omni ex parte perfectiſſimum, contineri omnes ingenuè fateantur.Quamobrem nihil eſt,uir literatiſſime, quòd ſingularem hanc gloriam,ueluti popularem quandam auram uel contemnas, uel in poſtremà parte felicitatis tuæ colloces.Quæ quidem cùm ex ingenij tui uiribus orta ſit,ac ſolo uirtutis ſuffragio tanquam ex quodam legitimo certaminè conſtet, in memoria profectò,ac recordatione ſempiterna omnium mortalium euigilabit.Hanc ego mediusfidius futuram de te famam, hanc lucubrationum tuarum æternitatem, tanquam ex altiſſima quadam ſpecula intueri iam planè uideor:niſi tamen (quod minimè uereor)ſingularis meus erga te amor,& antiquæ ipſius hiſtoriæ maieſtas,& reuerentia,quam Græcis iampridem commendatam, uel potius occupatam literis,poſtliminio tandem in patriam redire iuſſiſti, mè in hac parte cæco, & obſcuro eſſe iudicio facit. Non potui tamen non moleſtiſſimo, & iniquo animo ferre, quòd cùm proximè (ut dixi) ex deprauato illo archetypo ſumptum, & emendatum non incurioſè, non ſurda aure, non illotis (ut aiunt)manibus retractauerim, quædam in eo adeò corrupta,adeò uaria, & præpoſtera adnotaui, ut nullo pacto ſententijs uerba congruere, aut ſatis competere uideantur. Quibuſdam tamē in locis tentaui deprauatas libelli partes,ſi qua poſſem lima,uel ingenij ratione caſtigare.Quod cùm minimè aſſecutū me fuiſſe intelligam,cupiamq; noſtro huic uolumini ſuum ius.ſuamq; integritatem reſtitui,operæpretium me hercle arbitratus ſum illud ad te qualecunq; tranſmittere,quod bene in primis abs te perluſtratum, atque omni ex parte diligenter repurgatum,ad ſuum quàm primùm dominum ſerena fronte,& cute candidula reuertatur. Quam curam ſi nō moleſto animo pro amico ſumpſeris, habebis me profectò laudum in primis tuarum uocaliſſimum præconem, atque omni tempore memoriæ tuæ clariſſimæ non ingratum, aut ſanè frigidum debitorem. Vale.

ANG. POLITIANVS AVGVSTINO MAFFEO SVO S. D.

QVantò tu erga me liberalior, & humanior,tantò me abs te maiori affici iniuria puto, uidelicet quòd inhumanus habeor, cùm tecum conferor. Accepiſti me Romæ ſuperiori æſtate domi tuæ,mihiq; perbenignè libros ueteres,aliaq; monimenta, quibus tu abundas, ipſe delector, oſtendiſti. Rem tibi ego tamen puſillam, facilemq; roganti non tribui. Quis me ferat? omnes te docti colunt, hominem doctum, doctisq; fauentem: ſolus ego ſi non contempſi, certè ſuſpicionem dedi, quaſi contempſerim, Quid agam? culpam'ne conferam in occupationes? ſed quæ tantæ potuerunt occupationes efficere, ne codicem mitterem, quem domi habebam? Oblitum'ne me dicam? Sed obliuiſci nec potui,nec debui, quod tu tantopere à nobis homo tantæ dignitatis,tantæ autoritatis, & gratiæ, tam bene de nobis meritus petijſſes. Si factum neglegentia dixero, erit hæc ipſa neglegentia uix expiabilis. Quid igitur? Nempe id quod res eſt, putabam quotidie cras miſſurum, cras tamen uidere adhuc non potui. Denique ſic cogitabam: Sciet Auguſtinus eo plus eſſe apud

me fiduciæ,

me fiduciæ, quòd ſi minus officij. Plus amari porrò fiducia, quàm officium debet. Ergo quo plus ceſſabimus, plus ille nos amabit. Nec uero ratiocinatio feſellit. Tantum enim abeſt, ut te offenderimus, ut honoris etiam noſtri cauſa deſcribi protinus egregijs & notis, & paginis Herodianum curaueris, epiſtolamq́ compoſueris ornatiſſimam, noſtris refertam laudibus. Ac nequid abeſſet, etiam grammaticum uetuſtum, nec adhuc peruulgatum, quem cõmodari tantum uolebam, dono dediſti. Sic ergo meum conſilium, ſi non ſapiens fuit, at certè felix. Sed cur non & ſapiens, cùm bene coniectauerim, prorſusq́ diuinauerim? Quòd Herodianum laudas, gratum: nec enim pluris apud me munera illa pontificia, quàm ſuffragium hoc tuum. Licet igitur hunc ego librum penè ex tempore Latinum fecerim, tamen quoniam tu negligentiæ meæ ſubſcribis, ego quoque iam poſthac ita illi fauebo, ceu ſi nihil induſtriæ defuerit. Exemplum certè quod miſiſti, libens emendabo, tum epiſtolam ſeruabo tuam diligenter, ut ex occaſione contra obtrectatores proferatur. In qua cùm ſint omnia laudanda, niſi quòd nimium me laudat: quid tamen ibi prius laudem, non inuenio. Fortaſſe uerò laus eius nulla prior, quàm quòd animata, & ſpirans, citra lectoris operam per ſe ipſa penè uidetur loqui. Vale.

IOANNES FRANCISCVS BENEDICTVS ANG. POLITIANO S. D.

Miraberis fortaſſe eruditiſſime Politiane, quòd ad te ignotus ſcripſerim, & præſertim tanti nominis uirum. Verùm ſi ad huius calcem perueneris, inuenies profectò ſi ignotum, ſaltem tui amantiſſimum, & acerrimum tuarum laudum propugnatorem ad te ſcripſiſſe: ſi acerrimus propugnator is eſſe poteſt, qui nondum uelitis functus eſt officio. Agens enim hîc Venetus ſecretarius Miſcellanea tua, opus ſanè multijugum, ac eruditum perlegere decreui. Arbitrabar enim id, quod de te conſtantiſſimè conceperam, me non minus eorum doctiſſima lectione, quàm multiplici eruditione delectatum iri. Verùm me hercule ſuperauit (ut ille ait) præſentia famã. Inueni ſiquidem non ſellulariam, ac triuialem in eis doctrinam, ſed qualem Marci Catonis, illius'ue antiquitatis fuiſſe memorant. Quo factum eſt, ut ſi prius tuus fueram amicus, nunc deditiſſimus ſim: publicoq́ prædicabam ore Politianum noſtra ætate eruditiſſimum eſſe. Et ne fortaſſis me hæc ad adulationem dixiſſe putares, Bernardus Riccius Florentinus ſecretarius uir literatiſſimus, indubitãs erit teſtis. Eſſent & alij, &
Georgius Merula. præcipuè Georgius Merula, ſi naturalis liuor permitteret: cum quo tui cauſa pugnando, res mea ferè ad Triarios deuenerat, qui te furem, te Cæſariani præcepti immemorem appellabat, inſtabatq́ acrius (prout eius eſt inſtituti) ampliſſimam uirtutum tuarum famam deturpare, ac ſtatim poſt compoſitam in te inuectiuam oſtendit, qua conatur te manifeſti furti deprehendere. Ego autem uirum admonere non ceſſabam, hortans, & enixè rogans, ut ab huiuſmodi inuidioſo deſiſteret inſtituto. Affirmabam enim ſe non tantum Politianum ueteranum militem, ſed Picum etiam, quem tu iure Phœnicem appellas, in ſe concitaturũ: omnem deniq́ doctiſſimorũ uirorum academiã: qui cùm bonarũ literraum ſtudioſi ſint, Politiani partes acerrimè defendent. Verùm irrita, & uana noſtra fuit omnis admonitio. Nam tranſcripturus inuectiuã, quàm primum in lucem dabit. Sed parturient montes, naſcetur ridiculus mus. Fateor certè Georgiũ Merulã uirũ doctum eſſe, uerum Politianum doctiorem eſſe nunquam negabo. Et ne cogitares me in eum hæc odio dixiſſe, ſcias uelim meũ fuiſſe præceptorẽ, cui (ut Fabius inquit) tanquã alteri debeo parenti. Verùm amicus Plato, amicus Socrates, ſed magis amica ueritas.

ritas. Et de ijs ſatis. Tuam in Ariſtotelis libros prælectionem his proximis diebus uidi: quam adeò admiratus ſum, ut ſtupore quodam altera dubitarem fieri Niobe. Prò Iupiter, ſapit'ne hæc uulgatam aliorum lectionem? ſapit'ne pędagogotum tritam enarrationem? Quicquid in uniuerſali ſcientiarum machina continetur, in quatuor quinqꝫ ue ſchedas ſtrictim à te repoſitum uideo. Faueant igitur dij cœptis, nam quemadmodum de Pico uerißimè dici poteſt, ſolum in literis eſſe phœnicem: ſic quoqꝫ de te iam fatendum erit. Reliquum eſt, ut ſcias Ioannis Franciſci operam ad nutum te habere. Teqꝫ ſacratißimo academicorum uinculo obteſtor, ut non minus me, & rebus utaris meis, quàm proprijs. Nec te pigeat Pico, optimo, optimarum literarum principi me commendare. Vale.

ANGELVS POLITIANVS IOANNI FRANCISCO BENEDICTO S. D.

NOn minus gratæ mihi tuæ literæ, quàm ſi tu diu notus. Idem quippe in amicis, quòd in pecunia: iucundius multò parantur, quàm habentur. De Miſcellaneis credo equidem ita tibi uideri, ut ſcribis, fortaſſe aliter uidebitur, cùm in amoris locum cenſura ſubierit: Hoc & Merulæ fortaſſe uſuuenit. Olim nos cum primis amabat, nunc (ut ais) accuſationes quoque parturit, non liuore credo, ſed iudicio. Cupio quamprimùm clamet, Iuno Lucinia fer opem. Ac ſi opus fuerit, egomet quoqꝫ obſtetrix accurram. Prælectionem uerò, qua diſciplinas omneis aut diuidimus, aut partimur admirari tum deſines, cùm te ad Picum conuerteris, cuius uno in pectore ſeſe diſciplinæ illę omnes, tantę, tamqꝫ multiplices explicarunt. Nam quòd utriuſqꝫ ambias amicitiam, cauſa non eſt, utpote iam nunc utriqꝫ charißimus, utriqꝫ intimus. Non enim aliter amicos, quàm in commune paramus. Vale.

IACOBVS ANTIQVARIVS MARSILIO FICINO S. D.

LIbros quos graueis, & copioſos de uita nuper dediſti, accepi. Prima eorum frons, & indicium plurimum inuitarunt, ut capita decurrerem. Immotari in eorum lectione diutius non licuit, quoniam heri ſunt redditi inter conclamandum ad uaſa, exeunte in uenationes principe. Cras uerò Ticini me eſſe oportet, in qua urbe (ut ſpero) abſumam duodecim dies. Inde regrediens ad Ficinum, id eſt ad uitam meam, regreſſum me eſſe arbitrabor: magno enim me ſtudio iam noſtratia hæc oblectant, qui uetera tantum ſectari ſoleo. Nec ab re, penè totas Athenas iſthuc conceßiſſe uideo, ut Latinas habeamus. Id fieri nemo negarit, autore Laurentio Medice, uiro ex omni æuo incomparabili, qui ſignum quoddam omnibus bonis artibus, & diſciplinis, ad bene ſperandum ſuſtuliſſe uidetur: ſed plura aliquando de illo, nec pauciora de libris tuis, quibus Plato planè fit noſter. Interea nec gratias tibi ago, quando maximarũ debitor ſum. Nec magis contendo ut me ames, qui te parentis loco eſſe uolui. Vale, & oculis noſtri ſeculi Pico, & Politiano me commenda. Vale, Mediolani.

ANG. POLITIANVS IACOBO ANTIQVARIO SVO S. D.

IN calce epiſtolæ cuiuſdam, quam tu ad Marſilium noſtrum Ficinum ſcribis, mei, Piciqꝫ mentionem faciens, oculos nos huius ſeculi appellas. Gauiſus, fateor, opinione tua ſum, delectatus teſtimonio, propè etiam elatus laudatore Antiquario, prę ſertim apud Ficinum illum, mortui penè Platonis Aeſculapiũ. Sed ut in me deſcendi, nihil omnino reperi, quod iſtis laudibus reſponderet. Conuerti ergo ad Picum, partemqꝫ illam meam laudationis tuæ tranſcripſi. Nam ut Solem unum mundus, ita unum habet hæc ætas oculum, non duos. Vale.

MARSILIVS FICINVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

ACceperam calamum Angele, ut Homericam Muſam tuam miris in
cœlum laudibus, quoad poſſum extollerem. Repente autem ſic inter-
pellauit me Cupido: Quid agis inepte Ficine? ſemper ne in laudibus
Muſæ uerſaberis? Me lauda philoſophe, ſi uis abſq; adulationis ſuſpici
one laudare. Si Muſam celebras Politianam, Angelum ſolum celebras: ſi Cupi-
dinem, Angelum unà, atq; Marſilium. Ego enim cõmunis ueſtrum amor ſum, u-
trunq; colo, ab utroq; color. Hæc, Angele, deus ille mihi. Sed ego illi inquã, Ve-
rax eſt Muſa Politiana, nunquã mentiri me compulit, & tu periure Amor me co-
gis mentiri quotidie. Ita heri delitias Politianas amabam, ut iurarem eas in poſte-
rum uehementius amare non poſſe: ſic hodie rurſus amo ut iurem me heri eas nõ
ſatis amaſſe: utq; ſimul adfirmem, non poſſe cras ardentius amare, quàm hodie.
Cras iſtud quotidie ſimiliter me deludit, ſemper adultus eſt meus amor, quis cre-
dat? ſemper & adoleſcens. Adoleſcat tamen ut placet, modò non ſeneſcat. Sed au
di Cupido, non Venus amoris huius mater eſt, ſed Calliope. Fouet hunc Muſa ſe
dulò, creſcit aſſiduè: creſcat hoc fomento, iugiter, & periurus ſit. Non eſt hoc ui-
tium in amore. Sic igitur, Angele, cõmunem amorẽ noſtrũ, Muſamq; tuam cole-
re unà & debeo, & uolo. Tu Muſam ipſam adora, amoris & gloriæ matrẽ. Vale.

ANG. POLITIANVS MARSILIO FICINO PHILOSOPHO PLATONICO SVO S. D.

QVid obſecro indignatur amor iſte ſemper in noſtræ Muſæ laudibus te
uerſari? quaſi uerò alius eam magis, quàm amor laudauerit, qui quoniã
cæcutit, ut Plato inquit tuus, ideo nec fidem facit. Itaq; iure noſtro ciui-
li ne poſtulare quidem cæco licet: ſed quoniam laudari iam ſe quoque
uult, à quo tandẽ laudabitur? An à Muſa? quando nec in Phædro ſine Muſis lau-
datus. Sed Muſis non creditur, utpote dicentibus falſa (ſi credis Heſiodo) ſimilia
tamen ueris. Dicunt & uera quidem (ſic enim eſt apud eundem) cùm uolunt: uo-
lunt, opinor, apud Mineruã, cui noctua famulatur, quæ uel in tenebris cernit. Mi
neruæ porrò numen familiare tibi, ſicuti Muſarum mihi. Verè igitur apud nos a-
mor noſter laudabitur, licet ipſe minus uerè Muſam laudauerit. Solet autẽ (quod
idem tuus autor Plato affirmat) etiam Iouis permiſſu peierare amor. Vale.

MARSILIVS FICINVS ANG. POLITIANO SVO S. D.

SI nunc Politiane dixero me literarum tuarum acumẽ, & eloquentiam
non mediocriter admirari, aliquis fortè me nimis admirabundum exi
ſtimabit: quippe cùm nouitas tantum cæteris admirationem parere ſo
leat, ego uerò etiam quæ mihi in Politiano iamdiu notiſſima ſunt, ui-
dear admirari. Sed re uera non antiqua nunc in te, ſed noua demiror. Adeò enim
feliciter Politianus meus breuiſſimo quodam tempore adoleuit, ut mutata forma
alius mihi iam nouusq; appareat. Ergo qui mihi puer non parũ, qui multùm pla-
cuit adoleſcens, idem plurimum perplacet adultus. Meritò creſcente in dies for-
ma, creuit & gratia: atq; id quidem ea etiam ratione placet factum, quia ſæpe uati-
cinatus ſum futurum. Perge igitur, fac obſecro, ut cœpiſti, te diuinum, ut ſimul me
facias diuinantem. Quòd autem Marſiliana tantis ubiq; effers laudibus, nihil mi-
ror. Quis enim in proprijs laudibus canendis non uehemens ſit? non accenda-
tur? Quis adeò guſtu caret, ut non ſibi ſua maximè placeant? Retulit nobis Fran-
cus, quid cũ doctis omnibus, præſertim cum Hermolao Barbaro erga nos egeris.
Quid petas ut agam? agam equidem libenter, utinam bellè. Bellè certè ago, atq;
benè

bene quicquid cum Bernardo Bembo meo ago. Landinus & Caualcantes innumeris te uiciſſim ſalutibus obruunt. Vale.

ANGELVS POLITIANVS MARSILIO FICINO SVO S. D.

NOn tu noua deprehendis in me quotidie, quæ laudes, ſed noua potius in te, quibus me laudes. Suggerit hanc tibi copiam nimius amor, apud quem (ſicuti Propertius ait) maxima de nihilo naſcitur hiſtoria. Diuinum uerò tu puto, me facies, qui feciſti diuinatitem, dum quotidie diuinum te prædico. Vale.

MARSILIVS FICINVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

ALamannus Donatus noſter iampridẽ ore illo, Politiane, ſuo (noſti hominem) ore rotundo, altius hunc in modum noſtris auribus inſonat. Commenda precor, per humanitatem, cõmenda obſecro, per ſacrum iſtum amorem in me tuum, qua quidem obſecratione nulla ſacratior, cõmenda ꝙ primùm Alamannum tuum Politiano. Cùm uerò tam ardẽtis, tamq; pertinacis petitionis, ſiue flagitationis potius ab eo cauſas diligenter exquiro, ille ſimiliter rurſus ingeminat: Cõmenda Ficine modò, cõmenda ꝙ primùm. Cauſam autem tam exoptatæ cõmendationis adhuc explicat nullam. Ego igitur cauſam eius, qui nullam petitionis ſuæ cauſam affert, ſine cauſa ſimiliter tibi cõmendo. Sed caue, Politiane, putes præſentem cõmendationẽ ob hoc ipſum, quòd carere cauſa uideatur, eſſe leuiſſimam. Ego enim contrà, ob id potiſſimum tibi grauiſſimam uideri uolo. Nempe ſummũ apud philoſophos in quolibet rerum genere illud habetur, quod in eo ipſo genere cauſam nullam habet, quaſi non ab alio ullo, ſed à ſeipſo dependeat. Quamobrem cõmendatio præſens, cuius nulla præter ipſammet tibi adducitur cauſa, ſumma apud te cõmendationum omnium cenſeatur. Etſi Alamannus ipſe, ſicuti plerunq; ſolẽt qui ad quoſuis concitatius efferuntur, clamitat ſolum, eundemq; clamorem ſæpius iam auribus noſtris ingeminat, clamoris autem ſui rationes ullas lingua ſub rapidiſſimo cordis affectu hæſitante planè explicare non poteſt: ego tamẽ indicijs certis adductus, opinor eum inſano quodam amore Muſæ alicuius formoſioris accenſum ardere iam totum, atq; uehementer optare ſaltem gratiam Politiani Muſarũ ſacerdotis, amicitiamq; inire: quo quidem conciliatore, amata quandoq; Muſa facilius potiatur: Omnes ut ſecum ſtudijs pro talibus annos Exigar, & pulchra faciat ſe prole parentem. Vale. Sed antè ꝙ epiſtolam obſignem, teſte Angelo te, prędico huic Alamanno, ſi quando huic officio meo minus officioſus, gratus'ue uidebitur (quod abſit) ei me ſic prorſus exprobraturum: Ha, nimis ingrate, dicam, non'ne ſatis à me tibi factum quondam exiſtimabas, ſi te nõ tam Muſarum ſacerdoti, quàm ipſis Muſis, quod multo maius eſt, uideor cõmendaſſe? Vale.

ANG. POLITIANVS MARSILIO FICINO SVO S. D.

HErculẽ me uocas in libro tuo de uita, ꝙ mõſtra domem, puto illa intuẽs mõſtra, quæ ueterũ libros nimis obſidẽt, in quibus ego purgandis diu, multũq; laboro. Magnifica laus, pręſertim à philoſopho illo qui ſit princeps in ſecta principe. Sed ego tãti nominis põdus ſuſtinere nõ queo, non magis ꝙ cœlũ, ꝗd ipſe tamen Hercules ſuſtinuit: Iolaũ potius appellato me, ſi ſpecioſis nominibus delectaris: ꝙ penè oppreſſę ab Hydra uetuſtati, uelut Herculi clamãti ſum pręſtò cũ face. Tu tamẽ indulgẽs amori (ꝗd & parẽtes alij facere ſolent) nomen impoſuiſti filio, nõ quod aptiſſimũ, ſed quod pulcherrimũ. Vale.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER SEPTIMVS.

MACARIVS MVTIVS EQVES ANGELO POLITIANO S. D.

PERVENIT ad me nuper auſpicio quidem tuo, ſed ductu Guarini Camertis Centuria tua, uario ſplendore, multipliciq; apparatu: nihil ſanè lætius, nihil felicius memoria noſtra prodijt in lucem. Præibat enim Centurio non Latiam, ſed Hetruſcam uitem gerens, omnis inſantiæ atque inſcitię acerrimus expugnator M. Tullius Cicero iam læto hilari que uultu, patrocinio tuo deterſa macula grauioris cenſuræ Argyropyli, reſtitutoq; ordine literarū ſuarum & Philotheoron, & Sciomachiam agnoſcere lætabatur. Proximè Catullus reiectis Cercopithis, & Caprotinis lōgiore itinere Carpatinas crepidas reſumpſerat, ac ſubinde chōmodis, atq; hionijs Arrij fluctibus ridens aſpirabat. Hunc Oarion atque Harpocrates iam noti, libera longo ignorantiæ ſitu facie ſequebantur. Horatius Chamęlopardali, Lucretius equo Durateo, Martialis compare mulo uehebatur, circum dulciſſimi moduli poeticis cōcentibus reſpondebant. Genialia Ouidius naulia præferebat. Martiali Græcula recantabat Echo. Ornabant Claudiano tempora purpureę roſæ, colore Veneris coloratæ. Delectauit mirificè me hoc ſpectaculum, in quo pulcherrimum planè erat aſpicere, induſtria atq; opera tua omnes ferè principes linguæ latinæ aliquid ornamenti ad ſuam priſtinam dignitatem recepiſſe. Præ cæteris uerò Iuuenalis pulſis Domitij umbris purus nitebat, tandem Cotytto, & Cacoethes approbabat. Faſtidiebat pleraq;, in primis braſſicas reponi. Inde Laconicū petere uidebatur, quo ſeſe agnito per te deniq; Pitylismate ſuo exerceret. Præclara deinde controuerſia uiſa eſt, dum quiſq; magis ſe tibi debere contendit. Hinc Suetonius ſalutis augurium, Aſcoperam, Tetraones, automaton, Naſo Sibaritidos autorem, Ariſtidis libellos, Priapi carmen, Teuthrantiam turbam: inde Quintilianus ceratinas & crocodilitas, Propertius ocnū, cum ſparto & aſello: Valerius duriam noctē, Liuius Cauſarios milites, alij quoq; alia tibi accepta referebant. Poſtremo ferè ordine Iuſtinianus, qui pluribus cicatricib. deformis fuerat, clara fronte, rectoq; ſupercilio omnibus ſe paſſim exhibebat. Tibi ciuicam parabat, te uindicem, te aſſertorem imperatoriæ maieſtatis ingenuè fatebatur. Verùm extrema centuria ſubtriſtes quidam incedebāt. Dolebat ſiquidem A. Gellius ænigma Varronis, quod ad exercenda ingenia inuolutum reliquerat: & Auſonius legem puto Sphingis ueritus, ſcirpos, qui hactenus inſolubiles habiti ſunt, te omnibus explicuiſſe. Longè uerò ab his Domitius nubila fronte, ac deiectis ad terram oculis, pręterea candidus & comptus uidebatur, ubi proximè acceſſit, fucatus, accerſitis quoq; pigmentis ornatus, compoſitusq; apparuit. Fœdiſſimæ tamen maculæ cenſura tua relictis tectorijs, qui de ſe quæ ue hominis natura eſſet, facilè indicabant. Iamq; Attegias, in quibus hæſitauerat, quàm præclariſſimas illas Medicæ familiæ ædes malebat, ubi præſtigioſis commentis fortaſſe locum inueniret: cum iſthinc quæ corrupta, inuerſa, aut ſuppoſita olim Laurētio ac Iuliano Medicib. perſuadere conatus eſt, deprehenſa à Politiano, reiecta atq; exploſa perſpiceret. Verùm dum hęc uel illa intentus ſpectarē, non potui ſub primum aſpectū ſingula colligere, quæ mediam Centuriam uario decore pulcherrimè aſpergebant. Effugerant ſiquidem Pliniani Poppiſmi ad Fulgetras, Leo quoque Nemeæus à Luna deſiliens, & canis Herculeus, qui purpuratis fortè labris

Tyro

Tyro delectabat. Multaq; præterea, quæ ſupremum ingenium, operoſam induſtriam, exactam atq; multiplicem doctrinam, purum, erectũ, elegans, perperuoq; ſibi conſtans dicendi genus apprimè commendarent: & quæ doctiſſimus quiſque, & ſynceræ ueritatis ſtudioſus, qui uel ipſos antiquorum codices archetypos cupiat ſine controuerſia, omni laude ac fauore cumulabit. Equidem ſi citra inuidiam & reprehenſionem, uel infimum mihi in eo numero locum uindicem, nõ infimas tamẽ, aut uulgares tibi laudes debere ſum uiſus, nec officio deeſſe uolui. At ubi me collegi: Quid ago, inquam? quid lucis aut ſplẽdoris à me accipiet, qui clariſſima quæq; Romanæ linguæ lumina quotidie ſuſcitat & accendit? Abundè quidẽ & nitidus & ſplendidus uideri debet, qui alios illuſtrat. Non uideo profectò quid unius aut alterius approbatione, ad conſummatam laudem tuam poſſit accedere, cùm Oratores, poetæ atq; Hiſtorici, eorum'que interpretes ſtudium tuum, ac doctrinam ſingularem neceſſariò teſtentur. Hoc Cicero, hoc Quintilianus, Catullus, Propertius, Plinius, Liuius, ac cæteri demũ, qui Centuriam implẽt, uel inuiti præ ſe ferent. Nemò ſanè leget illorum monumenta, qui ubi eos locos attigerit, quos tu aut correxeris, aut reſtitueris, uel fidelius fueris interpretatus, nominis tui poſſit obliuiſci. Viues igitur cum illis, & perpetuò uiues, ut par eſt, quorum ſcripta ab iniuria audacis inſcitię, & ignauæ poſteritatis uindicaſti. Nam qui apud Latinos aliquãdiu docti ſunt habiti, dum multa minus cognita, minus'ue inſpecta temerè tranſeunt, approbare ſunt uiſi. Inde frequẽtes maculas clariſſimis autorib. inuſtas cernimus, quos modò Politianus ſi polit, ſi abſtergit, ſi emendat, & ad propriam reducit dignitatem, meritò ſanè cum illis immortalitatẽ aſſequitur. Prodeant ergo aliæ Centuriæ, & tota acie cum barbarie decernatur. Nam ſi una uertit in fugam, tota claſſis aut legio facilè triumphabit. Muſſet inuidia, uel liberius murmuret: Hæc mea ſunt, ego prius inueni, ita ſenſi, hæc abſtulit, hæc ſurripuit, ſibi illa ſuppoſuit Polinanus, nugæ & rapinæ. Ego ſanè, ut de me loquar, antè quàm Venetias annauigates, Harpocratem ex Varrone & Ouidio ſatis noueram. In aſpiratione Arrij nunquam dubitaui. Ocnum apud Propertium ex lectione Plinij iampridẽ emendaram. Aenigma Varronis pluribus ſolui, & ne quę damno uitia ſubeam, pleraque alia noui, & docui. Cur autem non ſcripſi? cur non edidi? Mea culpa eſt, tua eſt laus, tua eſt gloria, conueni tecum. Cui mirum? Communi literatorum iure hæc ſunt communia, patent occupantibus. Verũ his tantum adſcribuntur, è quorum ſinu iam ſua prius euolarunt. Gaudeant alij umbra, uel intra limen ſe contineant, ibi ſignum ſemper expectẽt, ibi obſtrepant, ibi contendant. Tu uerò cum laude per ſtadium curras, tu coronatus incedas, qui rinocerotes, aut maſtiges non horruiſti, nec liuidæ cenſurę aleam ſubire. Fruere igitur parta uictoria, & præclari certaminis, in quo nec laboribus, nec periculis ceſſiſti. Conſenſum doctorum nomini tuo ad æternitatem præmia repone. Tu quoque felix Centuria, quantum præſtantiſſimo duci debes, qui ad amuſſim omnis diſciplinæ te inſtruxit? Abi uictrix, tutus eſt tibi congreſſus, nihil obſtabit. Nam (ut uerbis Papinij te alloquar, quibus ille Thebaidem eſt affatus) iam fama benignum Strauit iter, cœpitq; nouam monſtrare futuris. Iam te magnanimus dignatur noſcere Cæſar (Quo etenim Cæſare Laurentius tuus unicum literarum præſidium habetur inferior?) Itala iam ſtudio diſcit, memoratq; iuuentus. Nec meritis honoribus mors expectanda, ſed autori uiuenti decus, atq; ſentienti literarum ſtudioſi iam meritò impendunt. Hæc ad te ſcripſi tumultuario ſtylo, ac licentiore epiſtola. Excuſabis tantum occupationes meas, quibus nimium diſtringor, & primum ingenij motũ, quem celeritas maturare non potuit. Malui tamen hæc quę-

cunque eſſent, ad te mittere, quàm diutius à me officium deſiderari. Omnia enim tibi debere ſum uiſus, ex quo te ſemel Venetijs ſum allocutus. Cœpiſti enim me, nimirum aureis eloquentiæ tuæ hamis, & tenacioribus filis implicuiſti, quib. nec uolui nec potui unquã explicari. Vtinam mihi par eſſet ingenium laudibus tuis, uel ſaltem, quod olim fuit, ut cupiditati meæ ſatisfacerem. Fuit, fuit, inquam Macarius, nunc tantum reliquiæ ſunt ſæuiſſimæ apoplexiæ, quæ me non multo pòſt quàm à me diſceſſiſti, dum publicè Horatium profiterer, repentè corripuit. Nota eſt peſtis. Inueniet ne hoc fidem (ut prætereeam biennium, quo attonitus ſiniſtra quoq; corporis parte penè ſyderatus per omnem difficultatem uitam traxi) me aliquandiu nullas literas tenuiſſe? Cognoſcebam libros, literas ignorabam: qua parte nihil ſęuius, nihil crudelius expertus ſum. Tandem ad me redij, ac paulatim diuino auxilio, induſtria medicorum, & benignitate patrij cœli liberatus ſum. Nondum tamen Macarium agnoſco, reliquias uideo tantum, quas uiris doctis, & tibi in primis dedicaui. Neq; quod morbus ille teterrimus reliquit, alia uis unquam Politiano meo eripiet. Vale. Camerini.

ANGELVS POLITIANVS MACARIO MVTIO EQVITI CAMERTI S. D.

ACcepi ſuperioribus diebus elegantem abs te epiſtolam, doctam, copioſam, grauem, ſummo etiam artificio cõſcriptam, ſummo ingenio, qua Centuriam noſtram uelut in Circenſi pompa uario tu quidem ornatu, uarijsq; inſignibus oſtentabas. In ea uerò mihi non magis Oratorem facundum, quàm poetam diuinum uideris exhibuiſſe, qui ſic excellenter pulcherrimas atq; admirabiles uiſiones non modò animo conceperis, ſed & oculis repræſentaueris. Viuunt imagines in tuis uerbis, & ſpirãt. Vegetę ſunt, actuoſæ que, non otioſæ, non lentæ, nõ ceſſantes: Hilaria ſcilicet ipſa mediusfidius expreſſiſti. Sic ubiq; perſonata occurrit uarietas. Nec tam profectò apud me, quàm apud te culta Miſcellanea mea ſunt, ac plus fortaſſe iam tibi quàm autori, parenti que debent. Agnoui Macarium prorſus illum, qui mecum Venetijs olim congreſſus, quodam penè facundiæ ſuæ torrente me rapuit: agnoui, nec ei quicquam morbus ille peſtifer detraxerat, quòd non etiam magno cum fœnore bona ualetudo reſtituerit. O ſi mihi concederes uſuram pauliſper eloquentiæ tuæ, quàm penitus in eius epiſtolæ me laudes inſinuarem. Quæ mihi pro clypeo & muro contra liuoris impetus, imò quæ non epiſtola mihi, ſed quædam propè immortalitas. At enim quoniam id rerum natura non patitur, circumferam certè, dimittã, ſpargamq; eam per omniũ aures, uidelicet ut enixè laudetur ſemper ab omnibus, nec tamen unquam putetur laudata ſatis. Vale. Varinus ciuis tuus, auditor meus, ad ſummum linguæ utriuſq; faſtigiũ pleno gradu contendit, ſic ut inter doctos iam conſpicuus digito monſtretur.

TIDEVS ACCIARINVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

INciderunt in manus noſtras ueluti mutilata ramenta quędam interpretationum tuarum in Papinij ſyluas, quibus aut intacta à Domitio explicas, aut explicata ab eo meliora reddis, Angele uir eruditiſſime. Hæc ego diligentiſſimè penſitata, nõ potui non uehemẽter probare, ſumq; coactus, & ingenium tuum ſuſpicere, & doctrinam ſingularẽ tuam mirificis laudibus perſequi. Tametſi ſua luce clariſſimi uiri alienis igniculis minus indigeant. Igitur etſi nõ ſum de te benemeritus, nullaq; extent in te officia mea, peculiari tamen humanitate tua, qua cæteris omnibus te præſtare, una & conſtanti omnium

uoce

uoce audio,rogo,imò obſecro & obteſtor, ut tuis mihi literis ſignifices, an aliud uel in eundem Papinium,uel in alios latinos autores edideris,quod à cæteris diſcrepet interpretibus. Arìolari enim licet multa & præclarà, & cognitione digna abs te acris ingenij uiro collecta. Quibus ſi me impertire uolueris, nō parum me tibi debere profitebor. Non ſum neſcius tibi nō deeſſe librarios,pecunias ego ad te per colybiſtas numerabo. Age igitur, & amicitiæ meæ auſpicem uoluntatē ne contemne, ut apud me amicum ineuntem autoritas imminuatur tua. Tu uerò ſi quid à me exigis,impera,polliceor imperata facturum. Sum ego ex agro Piceno oriundus,ſed fatis uolentibus,& nouercante fortuna in Brutijs Conſentiç profiteor. Et qui hactenus principum familiaritate ſum uſus,nunc ſyderibus aduerſantibus ludum aperui. Bene uale,& me ama,cum te ueneret & obſeruem. Conſentiæ,quarto Nonas Iunias.

ANG. POLITIANVS TYDEO ACCIARINO SVO S. D.

NOn tam auerſus equos noſtra ſol iungit ab urbe, ut huc quoq; tui nominis fama non penetret. Illā te uindicat à fortunæ iniuria, nec patitur Conſentiæ deliteſcere. Qua tamē in ciuitate ſi ludū aperuiſſes, ſcriben te adhuc Lucilio, Siculis tantum profectò, non etiam Conſentinis ille, ſcripſiſſet. De interpretationibus noſtris,quas ais in Papinij Syluas caſu quodam perueniſſe ad te,ſic habeto,neq; dictatas fuiſſe à nobis,neq; compoſitas. Studioſus forſitan eas aliquis, enarrante me (quà licuit) orationis curſum calamo ſubſecutus exceperit. Nec autem quicquam habemus, quod in hoc genere tibi nunc mittamus. Spargere enim talia ſolemus in populum, nec inde nobis quicquā reti nemus. Tibi tamen habemus gratiam, uel quòd noſtra friuola tanti facias, uel ꝙ amicitiam tam diligenter expetas: dignus hoc ipſo nimirum, qui iam non in ueteribus modò noſtris,ſed & in magnis amicis numereris. Vale.

BACCIVS VGOLINVS ROBERTO SALVIATO S. D.

MErito te, Roberte, docti diligunt, quos miro quodam ardore coluiſti ſemper, & ſtudioſi omnes amant: quos non modò opera,ſed & impenſa iuuas,ut cōmodius proficiant. Ego uerò etſi nec doctis, nec ſtudioſis quidem annumerandus, plurimùm tamen tibi debere me, fateor, quòd per te nobis uel remotioribus capta ſit diuini admodū operis, editi nuper à Pico Mirandula,uiro ſanè præ omnibus qui ſint,quiq; fuerint,admirādo: quem rectè non iam Picum,ſed ſuam uocat phœnicem, in ſacra Medicum lauro nidificantem, Politianus meus, aliud ætatis noſtrę miraculum. Illius tu librum de ſeptiformi ſex dierum Geneſeos enarratione ueræ philoſophiæ, & Chriſtianæ religionis argumentum magno Laurentio Medici, patrono meo dicatum, cū diligentiſſimè imprimendum, tum ad loca diuerſa ac diſtantia tranſmittendum,& plurimis eius lectionis percupidis uel gratis habendū curaſti. Quos inter & mihi contigit per Victoriū Caianum tuum, hominem multi ioci, multaq; ſuauitate aſperſum,& ſalibus, optato hoc munere potiri. Hoc tuum in uiros claros ſtudiū, hanc in omnes uirtutis amatores officioſam liberalitatem, qui non laudet, & gratiore affectu proſequatur, is ab omni humanitate diſcors, & à literatorū conſuetudine alienus proculdubio eſt habendus. Non enim publicæ utilitati conſuli à te amantius, rectius, celerius'ue potuit. Quare hoc apprimè tibi eſſe exploratum uelim, haud tenui mercede ſumpſiſſe te huiuſmodi prouinciam, cum inde & bonorum gratiam, & non mediocrem gloriam ſis conſecutus. Vale. Neapoli.

ANG. POLITIANVS. BACCIO VGOLINO S. D.

LEgit epiſtolã mihi nuper tuã, Robertus noſter Saluiatus, in qua cum gratias ageres, quòd eruditiſſimo te libro Pici noſtri Mirandulæ donauiſſet, mentionem quoq; obiter noſtri facis. Nec autem me dubitas ut amori nimium indulgens, appellare alterum noſtræ ætatis miraculum. Negare non poſſum Bacci, quin tua mihi grata uoluntas omnino fuerit, gratus animus, utinamq; uerè addere poſſem, gratum teſtimoniũ. Sed nimis magna iſta laus, nec noſtræ mediocritatis eſt, qua non efferor, ſed obruor. Quis enim uel illud ſaltem patiatur, me cum Pico Mirandula conferri, qui tam multis unus bonis abũdat, ut unus omnium laudes exhauriat? Quare te rogo, ne me illius poſthac, ſed meo modulo metiaris, contentus in me uulgatis iſtis laudatiunculis, quę ſecundæ notæ hominibus competant. Sed heus tu, nimis bella profectò tua mihi illa epiſtola eſt uiſa. Nec enim puto laudatio impoſuit, quam non agnoui. Latinè ſcribis (ita me deus amet) & elegãter: nec quaſi diuetteris in hæc ſtudia, ſed quaſi migraueris. Vale.

ALDVS MANVTIVS ROMANVS ANGELO POLITIANO S. D.

ANnum abhinc tertiũ, quo Veneti Ferrariam oppugnabant, me ut uel dei (ut aiunt) ne dum hominum bellum fugerem, ex urbe Ferraria Mirandulam contuli ad Ioannem Picũ, principem ætatis noſtræ doctiſſimum, quòd & amaret literatos uiros, & faueret ingenijs. Ibi Emanuel Adramyttenus familiariſſimus meus, tuam mihi Græcam, quam ad ſe dederas, oſtendit epiſtolam, ornatè quidem, & doctè, atq; copioſe ſcriptam: quæ non à Romano uiro, ſed à mero Attico, qui Athenis ſemper fuiſſet, elucubrata uidebatur. Quamobrẽ cœpi, mi Angele, amare te uehementer, doctrinam tuam, atq; ingenium non mediocriter admiratus. Deinde Emanuel ſuo cum principe Ticinum profectus eſt, ubi paucis antè menſibus, q̃ ad te ſcriberem, exceſſit è uita. Cuius interitu ita quidem moueor, ut multis annis grauius nihil, & moleſtius tulerim. Erat enim homo & morib. apprime ornatus, & Græcis literis ſanè quàm doctus, meiq; amantiſſimus. Non poſſum igitur non mœrere tali amico orbatus, quanq; meo magis ipſius incõmodo, quàm illius. Nam illi ad ſuperos facilimũ fuiſſe curſum, quoniam & bene & beatè ſemper uixit, non ſum neſcius. Quapropter malum, ſi quod accidit, meum eſt. Iuit, inquam, ille Ticinum, ego uerò Mirandula Carpum perrexi: quò cùm aliquot pòſt menſibus ueniſſet & Picus noſter, Ruſticum mihi oſtẽdit tuam, quæ, mi Angele, mirificè auxit amorem erga te meum. Ibi enim perſpici facilè poteſt, quantum abũdes ingenio, quanti homo ſis ſtudij, quanta tibi bonarum literarum ſit copia. Nec uereor tibi me adulari ducas, εἰ σεαυτὸν γινώσκεις. Scis enim, quàm ipſe ſcripſerim, eſſe impẽdio plura. Taceo autem & quæ de te mihi dixit ipſe Picus, & dicit quoties in tui incidimus ſermonẽ (nactus es enim dignum præconem laudum tuarum) & quæ retulit mihi Alexander Sarcius Bononienſis, homo uerus, ac integer uitæ, ſcelerisq; purus, nec nõ quantum ex ipſius ſermone colligere potui, tui ſtudioſiſſimus. Quid plura? Hiſce tuis impulſus laudibus, non potui ad te non aliquid literarum dare, ut facerem te certiorem, me ita eſſe tuum, ut poſſes omnia de me tibi conſtantiſſimè polliceri. Incredibilis enim erga doctiſſimũ quemq; meus eſt amor, qui me etiã coegit, ut ad te ſcriberem, peteremq;, ut me pro tua erga ſtudioſos uiros humanitate, inter tuos, mi Angele connumerares: quod ut facias, te quantũ poſſum rogare, rogo. Quod profectò feceris, ſi me uteris familiariſſimè, mihiq; quoties uſu uenerit, non ſecus

iuſſeris

iuſſeris,ac cuiuis ex domeſticis tuis.Sic eñ tua uirtus poſtulat, facitq; ut ſim tuus, quoad uiuam. Vale.Carpi. v.Calend.Nouemb.

ANGELVS POLITIANVS ALDO MANVTIO ROMANO SVO S. D.

REdditæ mihi fuerunt literæ tuæ,quę perſpicuè declarant,non modò q̃ ſis homo doctus,uerumetiam quàm mei ſtudioſus.Eſt enim ſcribendi genus illud tuũ minimè triuiale,cultum quinimò, ſubactum'que uelut exercitatiõe multa, ſparſumq; deniq; fruge bona ueterum lectionum. Tum epiſtolam ſic laudas noſtram græcè ſcriptam, quippe ad Græcum hominẽ, magis ut amorem uidearis habuiſſe in cõſilio,quàm iudicium. Sed tamẽ utcunq; ſit,equidẽ tibi uel ob id placuiſſe eam lętor, quòd quanto ego tibi fuero doctior, tanto minus fortaſſe pœnitebit amicitiam te noſtram tam cupidè,tam uehementer expetiſſe. Facit autem, ut in ea mihi epiſtola faueam, nonnihil Emanuel ipſe Adramyttenus,qui reſpõdens ita prorſus ultra modum laudauit,ut omnibus me ſitis Græcis,quicunq; aliquot antè ſeculis ſcripſerunt, hominem citra mare natũ, non dubitauerit anteferre. Iurare illum ſolitum quoq; Picus meus literis ſignificat,dum legeret hanc epiſtolam,ne ipſas quidẽ tam eſſe Athenas Atticas. Quare placerem profectò mihi Græci hominis teſtimonio, niſi Cretenſis fuiſſet Emanuel.Etenim hoc genus ut mendaces notauit Epimenides: qui tamẽ & ipſe Cretenſis, ut mentiri non minus potuerit: ideoq; non mendaces illi. Sic ergo uerus Epimenides, atq; ita rurſus illi mendaces. Vides hunc dialecticorum ψευδόμενον. Mihi tamen extra iocum ueros eſſe omnino Cretenſes libet.Iam quoniam de epiſtola me amo,ne palpum quidem reijciam,quod obtrudis Ruſtici nomine: monſtrum enim prorſus, imò autem ſcelus inexpiabile, ſi laudatori ſuo poeta nõ crederet. Sed cupio præſens te præſente frui aliquãdo, ſiquidem abſens ita delectas. Accipio uerò iam nunc inter amicos,& quidem primi ordinis. Nec enim explorandus ultrà,quem Picus noſter receperit. Ille inquam Picus, cuius nunquã nec ceſſauit ingenium, nec errauit iudicium. Alexandro Sartio cottidie plus debeo, tibiq; eſſe eum familiarem ſummopere gratulor. Vir eſt profectò ſyncerus,candidus,amœnus,idem fidus,acer,ingenioſus, experiens. Hunc uelim meo nomine plurima ſalute impertias,quando me aſsiduè laudat: eſtq; non inter poſtremos Pici noſtri familiares. Vale.

MATTHAEVS VERONENSIS CANONICVS REGVLARIS ROBERTO SALVIATO S. D.

VT cæteros ſoles,qui gratia tibi digni uidentur,ita me quoq; cùm uetere ratione, tum meritis es proſecutus. Quin & quæ mea legiſti, probata non modò tibi, acceptaq; fuere,uerumetiam illa ſparſiſti cum laude,et longè ſplendidiore,quàm ea ipſa prædicari mereantur. Tum mihi ſæpe & amicè illud ſuaſiſti,ut noſtra ſalutaria gaudia imprimẽda proferrem. Quod & Ioannes Mirandula,& dulcis Politianus noſter fecere: quorum alterum obſtupeſcimus tanquam fulgorem ſeculi noſtri,altero optimarum etiam literarum magno grauiq; magiſtro inſignis, & læta eſt omnis Hetruria. Impreſſa itaq; ſunt, & uno ueluti partu uolumina ſupra ſexcẽta in lucẽ edita ſunt: de quibus unũ tranſmittimus tibi,ut noſtrum aliquid in manibus habeas: quod quoties legas(ſi non id antè feciſti) ſpreta terrenarum omnium rerum amara dulcedine, inani, falſaq; lætitia,fœlicitatem alto atq; firmiſsimo animo quæras,& certum illum,directum'que callem, mi Roberte ſequare, qui te ducat, ubi maxima bona, & ſempiterna ſunt gaudia. Quoniã uerò nullis ornamẽtis adiunctis, ſed qualis duntaxat euaſit

ab arte purus & nudus proficiſcitur ad te libellus, illum tu Roberte, & ornare minio, & amicire tegumento curabis, qui es liberalis & diues. Vale.

ANGELVS POLITIANVS MATTHAEO BOSSO VERONENSI CANONICO REGVLARI S. D.

HOnorifica mentio, quam tu feciſti de nobis in literis ad Robertum: magis ibi tamen amorem tuum, quàm meas agnoſco laudes. Sed illud ex arte, quòd falſò me laudaturus, à ueris Pici laudibus incœpiſti, uidelicet ut per illum de me tibi credatur. Fortaſſe autem me talem credis etiam, qualem prædicas, propterea ꝙ ſic amor à Pico: ſed non ob iſta me Picus, ob amorem potius amat, ob amorem qui non cæcutiat. Hoc eſt enim, cur unus omnium penitus hunc amo, quòd unus omnium penitus inſpicio. Vale.

ANGELVS POLITIANVS IOANNI BAPTISTAE MIDAE S. D.

AGerem tibi gratias, quòd ubiq; me laudas, ſed uereor ne laudes ipſæ, quibus me afficis, fidem perdant, ſi pro ijs tibi gratias agam, quaſi debeam, quaſiq; ueræ laudes non ſint. Nam pro ueris, hoc eſt, pro ſuis laudibus nemo cuiquam debet. Quis enim pro ſuo debeat? At ego tibi me debere tamen dicerem, niſi mihi nimis magnam faceres in hoc iniuriã, quòd es amicus. Ob id enim tibi non creditur, cum me laudas. Sed interim te quoque furtim laudas. Nam ſi non laudari ego meritò putor, haberis tu tamẽ ingenioſus: ſi meritò, bonus. Vt autem rectius egeno, quàm diuiti datur, ita rectius qui caret, ꝙ qui ſuis laudibus abundat, laudatur. Mihi certè non minus tuæ gratæ ſunt laudes, hoc eſt, alienæ, ꝙ ſi meę laudes forent. Non enim minus proſunt. Vt ergo nõ minus aliquando bene paſcimur alieno ſumptu, ꝙ noſtro: ſic non minus aliquando decenter alienis ornamur laudibus, ꝙ noſtris. Vale.

ANG. POLITIANVS HIERONYMO PORCARIO S. D.

ANtonius Zenus, homo cùm cæteris in rebus, tum maximè in amicitia diligentiſſimus, multa mihi ſæpe de ingenio, de literis, de morib. etiam tuis, præcipuè tamen de humanitate narrauit, & ut ad te ſcribam, uehementer hortatus eſt. Ego uerò libenter obſequor candidiſſimo uiro, ſuauiſſimo amico. Tibiq; nunc has literas ob id ſcribo, quò certiorem te faciam: quanꝗ adhuc os tuum non uidi, tui tamen eſſe ſtudioſiſſimum. Vale.

ANGELVS POLITIANVS CVIDAM S. D.

MVltò æquius fuerat denegare ſtatim, quod tam uehementer rogaueram, ꝙ poſtea non perficere, quod tam liberaliter uir grauis promiſeras. Non enim tunc fuiſſet iniuria, quia nondum debebas: at nũc eſt, quia iam debes. Debes, quia promiſiſti. Non enim credo adhuc, te quoq; eſſe ex illo hominum genere, quos promiſſa non alligãt. Crediturus idem nec ne ſim deinde, tibi eſt in manu. Tantum rogo, ſi beneficium tribuere mihi nõ uis, deſinas tamen eſſe iniurius. Deſines autem, ſi ſperare diutius fruſtra uetueris. Denique debebo tibi multum, ſi quod opto, præſtiteris: mirabor multum, ſi non præſtiteris. Vale.

ANG. POLITIANVS ANTONIO ZENO SVO S. D.

AMorem fugitiuum, quem penè puer adhuc è græco in latinum conuerti, non ſententijs modò, ſed numeris etiã ſeruatis, ac lineamentis penè omnibus, cupienti flagitantiq; diu tibi mitto tandẽ. Cauſa uerò cur tam ſero miſerim, fuit, ꝙ aliquandiu mecum deliberaui prius, an mitterem. Multa enim longo pòſt interuallo retractanti, diſplicuerũt, quæ tunc

fortaſſe, cum ſcribebam, uiſa ſunt optima. Corrigere nimis durum, quòd ita diu iam inueterauerat. Mitto elegiam quoq; de uiolis, alterū eius ætatis luſum. Nam & eam te nimis cupere ſignificaſti. Mihi certè nihil eſſe in ijs uidetur, quod probes, præter indolē fortaſſe. Rogarem uerò, ne cui nugas iſtas oſtenderes, niſi me ſcirem prorſus fruſtra rogaturum. Non enim ob aliud puto noſtra requiris, niſi ut quàm plurimis oſtendas: quoniam (qui tuus eſt erga nos amor) placitura ſtatim, quia noſtra ſunt, omnino confidis. Epigrammata tibi non mitto, quòd ea ſimul cum Græcis publicare ſtatim cogito. Vale.

AMOR FVGITIVVS E GRAECO MOSCHI.

Cùm Venus intento natum clamore uocaret:
Si quiſquam in triuijs errantem uidit Amorem,
Hic fugitiuus, ait, meus eſt, precium feret index
Baſiolum Veneris: quòd ſi ad me duxeris illum,
Non tantum dabo baſiolum, plus hoſpes habebis.
Inſignis puer eſt: en omnia percipe ſigna.
Non eſt candidulus: uerùm ignem imitatur, ocelli
Acres, flammeoli, mala mens, ſuauiſſima uerba.
Quod loquitur, non ſentit idem, uox mellea: ſed cùm
Ira inflammatur, tum mens eſt aſpera, fallax,
Fraudator, mendax, ludit crudele puellus.
Criſpulus eſt olli uertex, facieſq; proterua,
Exiguæq; manus, procul autem ſpicula torquet.
Torquet in umbriferumq; Acherōta, & regna ſilentum.
Membra quidem nudus, mentem uelatus, auiſq;
More quatit pinnas, & nunc hos, nunc petit illos,
Sæpe uiri preſſans præcordia, ſæpe puellæ.
Arcum habet exiguum, ſed & arcu impoſta ſagitta eſt.
Parua ſagitta quidem, ſed cœlum fertur aduſq;.
Parua pharetra olli dependet, & aurea tergo.
Sunt & arma intus calami, quibus ille proteruus
Me quoq; ſæpe ferit matrem: ſunt omnia ſæua.
Omnia, ſeq; ipſum multo quoq; ſæuius angit.
Paruula fax olli, ſolem tamen urit & ipſum.
Verbere ſi prendes, age, ne miſerare puellum.
Si flentem aſpicias, mox ne fallare, caueto.
Sin arridebit, magis attrahe: baſia ſi fors
Ferre uolet, fuge tu, ſunt noxia baſia, in ipſis
Multa uenena labris: ſi fors ita dixerit, heus tu
Accipe, nempe tibi cuncta hæc mea largior arma:
Ne continge, caue, fallacia munera Amoris.
Omnia quippe igni ſunt infecta illius arma.

ELEGIA DE VIOLIS.

Formoſæ ô uiolæ Veneris munuſcula noſtræ,
Dulce quibus tanti pignus amoris ineſt,
Quæ uos, quæ genuit tellus? quo nectare odoras
Sparſerunt Zephyri mollis & aura comas?
Vos'ne in Acidalijs aluit Venus aurea campis?
Vos'ne ſub Idalio pauit amor nemore?

His ego

His ego crediderim citharas ornare corollis,
Permeſſi in roſeo margine Pieridas.
Hoc flore ambroſios incingitur Hora capillos,
Hoc tegit indociles Gratia blanda ſinus,
Hoc Aurora ſuæ nectit redimicula fronti,
Cum roſeum uerno pandit ab axe diem.
Talibus Heſperidum rutilant uiolaria gemmis,
Floribus his pictum poſſidet aura nemus.
His diſtincta pij ludunt per gramina manes.
Hos fœtus uernæ Chloridos herba parit.
Felices nimium uiolæ, quas carpſerit illa
Dextera, quæ miſerum me mihi ſubripuit.
Quas roſeis digitis formoſo admouerit ori
Illi, unde in me ſpicula torquet amor.
Forſitan & uobis hæc illinc gratia uenit,
Tantus honor dominæ ſpirat ab ore meæ.
Aſpice lacteolo blanditur ut illa colore,
Aſpice purpureis ut rubet hæc folijs.
Hic color eſt dominæ, roſeo cum dulce pudore
Pingit lacteolas purpura grata genas.
Quàm dulcem labris, quàm latè ſpirat odorem.
En uiolæ in uobis ille remanſit odor.
O fortunatæ uiolæ, mea uita, meumq́
Delicium, ô animi portus, & aura mei.
A uobis ſaltem uiolæ grata oſcula carpam,
Vos auida tangam terq́, quaterq́ manu.
Vos lacrymis ſatiabo meis, quæ mœſta per ora,
Perq́ ſinum, uiui fluminis inſtar, eunt.
Combibite has lacrymas, quæ lentæ pabula flammæ
Sæuus amor noſtris exprimit ex oculis.
Viuite perpetuùm uiolæ, nec ſolibus æſtas,
Nec uos mordaci frigore carpat hyems.
Viuite perpetuùm miſeri ſolamen amoris,
O uiolæ, ô noſtro grata quies animo.
Vos eritis mecum ſemper, uos ſemper amabo,
Torquebor pulchra dum miſer à domina:
Dumq́ cupidineæ carpent mea pectora flammæ,
Dum mecum ſtabunt & lachrymæ & gemitus.

ANG. POLITIANVS PAVLO COMPARINO SVO S. D

ROgaſti me ſuperioribus diebus, ut quoniam fabulam Plauti Menæchmos acturi eſſent auditores tui, prologum facerem genere illo uerſiculorum, qui ſint comœdię familiares: ſimul ut obiter notarem quoſdam noſtræ ætatis nō quidem Plautos, ſed tantum piſtores, qui comœdias abſque uerſibus, nullo nec artificio nec elegantia docent, & ut actæ primū ſunt, tenebris ipſimet (in quo nimis eos laudo) perpetuis damnant. Quæ tamen ab imperitis aliquando non improbentur, quoniā ſcommata ſæpe iſti quædam cum miſcent antiquorū, quæ tamē ipſa quoq́ dum male collocant, infamāt. Poſtremò ut & ſtylū Plauti laudarem, totumq́ hoc agendi genus ab indoctis quibuſdam, ſed

ſed moleſtis prædicatoribus defenderem: qui moribus officere clamitent, quicquid uſquam ſit elegans aut eruditum, contrà que ſtudium propoſitumq; hoc ueſtrum plebeculam concitent. Geſſi tibi morem, nec minus libenter, quàm celeriter candido amico, deq; nobis benemerito, quanquam (ut ſcis) otij non ſatis habebam, Romam tum maximè proficiſcens, itineri que paratus, atque accinctus. Et eum quidem prologũ, qualiſqualis eſt, mitto ad te, cum gratia (ſi nihil aliud) celeritatis. Vale.

PROLOGVS IN PLAVTI MENAECHMOS.

Heus heus, tacete, ſultis, uos, ego ut loquar.
Nam noſtra conducta eſt huc lingua, ueſtri oculi:
Vos ſpectare decet, nos loqui, & fabulam agere.
Alioqui capite ipſi hunc ornatum ſcenicum,
Atq; exporgite lumbos, tum nos ſeſſum ibimus,
Spectabimusq; uos taciti, aut ridebimus:
Aut ſi actio frigebit, dormitabimus.
Comœdiam Menæchmos acturi ſumus
Lepidam, & iocoſam, & elegantem, ut nil ſuprà:
Sed mendoſam alicubi tamen, culpa temporum.
Inerunt in ea nonnulla, ne nobis quidem
Satis intellecta, ſed hæc erunt pauca admodum.
Quæ ſi minus placebũt, auribus expuite,
Aut deuorate, ceu ſoletis catapotia.
Romanus eſt hic ſermo, Romani ſales,
Nil inuenuſtum eſt, aut ineptum, & Græculum:
Quale ſolent nugari molitores cæteri,
Quorum nec ullis uerſibus Comœdiæ,
Nec argumento conſtant perplexabili,
Nec quicquam habent Comœdiæ, præter titulos.
Non ipſæ ſecum congruunt, nec adeſt fides
Rebus agundis, ac nec perſonis indoles,
Tantumq; ſi quid furtiuum eſt, id eis placet:
Quippe alienis inſidiantur laboribus.
Facient profectò maiora operæprecia nunc
Longè adoleſcentes iſti, ſi quidem inſueuerint
Puro ſermoni Romæ urbis uernaculo,
Quàm ſi magiſtris freti triuialibus
Linguas tenellas polluant ſtribiligine.
Siquidem ita traditum eſt à laudatis uiris,
Latinè uellent etiam ſi Muſæ loqui,
Nullis uſuras, niſi Plautinis uocibus.
Quòd ſi qui clament nos facere hiſtrionicam,
Atq; id reprehendant, minimè diffitebimur,
Dum nos ſciant diſciplinam antiquam ſequi.
Etenim formandos Comœdo ueteres dabant
Pueros ingenuos, actionem ut diſcerent.
Sed qui nos damnant, hiſtriones ſunt maxumi.
Nam Curios ſimulant, uiuunt bacchanalia.
Hi ſunt præcipuè, quidam clamoſi, leues,

Cucullati

Cucullati,lignipedes,cincti funibus,
Superciliosum,incuruiceruicum pecus.
Qui quòd ab alijs & habitu & cultu diſſentiunt,
Triſtesq́ uultu uendunt ſanctimonias,
Cenſuram ſibi quandam,& tyrannidem occupant.
Pauidamq́ plebem territant minacijs.
Sed iam ualete ſpectatores, & gregi
Fauete noſtro,uobis quod uortat bene.

ANGELVS POLITIANVS CAESARI CARMENTO SVO S. D.

COntemni te putas,quòd nõ reſcribo.Contemnerẽ,ſi reſcriberem. Quos enim contemno,reſpõdere his audeo uel occupatus,tibi nec otioſus. Vale.

ANGELVS POLITIANVS IACOBO MODESTO SVO S. D.

DOles quòd non reſcribam: dolere deſine,iam reſcribo. Vale.

ANGELVS POLITIANVS CVIDAM S. D.

NOn præſtas quæ pollicitus. Conqueror ſi oblitus,magis etiam ſi non oblitus. Oblitum fuiſſe, uix amici eſt: non præſtare cum recorderis, prorſus inimici. Vale.

ANGELVS POLITIANVS PICO MIRANDVLAE S. D.

QVæ uellem corrigeres, tu laudas. Hoc uerò facilè facis, quod ſemper facis. Vale.

ANGELVS POLITIANVS AMICO S. D.

IRaſceris quòd iſte me Simius carpit.Non ideo me carpit,ut carpat, ſed ut ſibi uictum quærat homo famelicus apud quoſdam,qui multum gaudent aſſentatoribus,plus tamen detractoribus.Vale.

ANGELVS POLITIANVS AMICO S. D.

SI te ob diuitias amare cœpiſſem,deſiſſem tibi nunc eſſe amicus,cum tu deſiſti eſſe diues. Verùm ſi nunc deſiſſem,ne tum quidem cum fuiſti diues, fuiſſem tibi amicus,ſed adulator: quod eſſe qui poteſt,is eſſe liber non poteſt. Vale.

ANGELVS POLITIANVS AMICIS S. D.

MVlti ſimul epiſtolas poſcitis. Multis ecce mitto, ſed unicam. Cõuenit unica multis, quos unicè diligo: quæ tamen erit ut multæ, quando multi legetis. Valete.

ANGELVS POLITIANVS INVIDO.

INuides omnibus omnia,præter inuidiã. Sed & hanc inuides tuo compari, qui magis inuidus etiam,quàm tu. Sic inuidiam tibi non inuidet, quã tu illi tamẽ inuides.Ita rurſus ille minus inuidus. Qui ſitis nõ dicã, ne miſeriores faciam,quàm nunc eſtis. Nam ſi nomen ueſtrum proferrem, nomen quoque ipſum uobis inuideretis, nec uterque utrique modò, ſed & uterque ſibi.Vale.

ANGELVS

ANGELVS POLITIANVS MALEDICO.

Maledicenti non remaledico, nę maledicere mihi tu forſitan, hoc eſt, ne laudare me deſinas. Quis enim laudatur uerius, quàm cui maledicitur à malo uiro? Te uerò appellare malum uirum, tantum à maledicto abeſt, ut nihil dici poſſit melius.

ANGELVS POLITIANVS LAVRENTIO MEDICI S. D.

Cygno poeta ſimilis, uterq; candidus, uterque canorus, uterque fluuios amans, uterq; Phœbo gratus. Sed negatur canere cygnus, niſi cū Zephyrus ſpirat. Quid igitur mirum, ſi taceo tam diu tuus poeta, cum tu tam diu non ſpires meus Zephyrus? Vale.

ANGELVS POLITIANVS PICO MIRANDVLAE S. D.

Vincebar abs te prius doctrina, uincebar ingenio, ſed uinci tamen lætabar, atque adeò lætor, quoniam te diligo: quin ob hoc ipſum diligo, quod his uincor. At nunc & humanitate me uincis. Hoc equidem ferre nequeo, quoniã turpe: ſed iam fero. Nihil enim turpe mihi, quod honeſtum tibi. Vale.

ANGELVS POLITIANVS AMICO S. D.

Doles quòd amicus in diſputatione te uicerim: dolere nō debes. Nam ſi ſunt amicorum cōmunia omnia, non magis quàm tu uictor ego: nec minus quàm tu uictus. Sed hoc tu fortaſſe doles, quòd hac amicorum lege nec ego planè ſum uictor, qui te uici. Vale.

ANGELVS POLITIANVS AMICO S. D.

Reprehendebam tacitus, quòd te diutius oblectares in agro, cum mihi redditus abs te calathus floribus plenus, & quidem roſidis adhuc multicoloribus, ac ſuaue olentibus. Inuidere (fateor) tibi agrū uolebam, qui flores tam pulchros educaret. Sed ut epiſtolam tuam deinde legi, floribus alijs multo pulchriorib. cumulatam, quàm calathus fuerat, inuidere potius agro cœpi, qui de tuis (ut mihi uidetur) epiſtolis floruiſſet. Vale.

ANGELVS POLITIANVS AMICO S. D.

Dolui uehementer, lætatus ſum uehementer, quòd ægrotaſti, quòd & conualuiſti.

ANGELVS POLITIANVS CVIDAM S. D.

Mitto lilia, nō ut gratum faciam tibi, quanquam tibi quoq;, ſed ut ipſis lilijs, hoc eſt, ne marceſcant. Vale.

ANGELVS POLITIANVS PVCCIO FLORENTINO IVRISCONSVLTO, ET AD SVMMVM PONTIFICEM LEGATO S. D.

Non deſinam de te ſolicitus eſſe, quandiu Romæ fueris, ubi peſtilentia laboretur. Etenim te periclitante maior, ac melior pars animæ meæ periclitatur. Quanquam uerò tu legatione fungeris iſthic honeſtiſſima, partemq; magnam ſuſtines tuæ reipub. quæ difficillimis temporib. carere opera tua uix poteſt, tamen has noſter amor conſolationes nō accipit, imò iam nec audit. Præcipit autem poeta Heſiodus mercatoribus, ut uiliſſima quæq; nauigijs imponant, uidelicet ut ſi iactus in mare fiat, ſaluis rebus tamen potioribus euadant. Cæterùm Florentina ciuitas, quæ putatur in mercatura tenere prin-

cipatum, neſcio quo conſilio te Romæ nunc talem ciuem quaſi precioſiſſimam mercem, mari turbido commiſit. An quia lucrum ſæpe fit ibi maius, ubi maius eſt periculum? Iam uerò illud quoq; mihi ualde auget metum, quòd ut nimiũ de tua repub. ſolicitus, ita nimiũ diceris eſſe de teipſo ſecurus. Eſt omnino familiare ueſtræ domui magna facere, magna pati pro Republ. Sic uidelicet auus tuus homo prudens à factioſis ciuibus cum magno Coſmo relegatus eſt, dum patriæ conſulit, qui cum maiore deinde gloria cum eodem illo reuocatus à bonis. Sic pater in caſtris occidit, dum uictoriam nobis aduerſus Ligurem procurat, nec labori parcens, nec periculũ fugitans, nec omnino ullam ſuæ ſenectutis rationem ducens. Cui quidẽ, ſi mos antiquus maneret honeſtandæ uirtutis, ſtatuam ſicuti Romani Seruio Sulpitio, foro medio poſuiſſemus. Sed alia tamen patris tui ratio fuit, alia tua debet eſſe. Pater pro qua ciuitate tantũ laboris longa ætate ſuſceperat, eidem uitæ quoque reliquias libens conſecrauit. Tua uerò, mi Pucci, ætas uigens & florens, ad multos uſus deinceps, & ad alia reipub. tempora ſeruari debet. Conſule igitur in primis tuæ ſaluti, qui primus de iure conſuleris, ac tibi tutè caue, qui tam bene cæteris cauere ſoles. Nam ſalutem neglegere non potes, quin laudẽ quoq; tuam neglegas. Non enim (mihi crede) laudaberis, ſi talem ciuem periculis expoſueris. Quòd ſi te ratio temporum cogit, & ſenatus autoritas, ut omnino iſtic agites, habe quæſo ſemper de tua ſalute prudentes medicos in cõſilio: quando etiam Marcus Varro doctiſſimus ille Romanorum, ſe ſuamq; familiam ratione certa dicitur à peſtilentia uindicaſſe. Sed in primis tamẽ expoſce cottidie ſummi Dei pacem per ſacra & aras: cui nõ dubito quin ſalus tua curæ futura ſit, cum fides cordi eſſe debeat ea, quam patriæ præſtas. O quando igitur te reducem complectar mi Pucci? quando diem tecum totum (quod ſoleo) noctiſq; etiam partem iucundiſſimis & fabulis & ſermonibus conſumam? Sed interim tamen fratre tuo Iannoctio perfruor, homine ſuauiſſimo, ſtudioſiſſimoq; noſtri, quẽ iure meus alumnus, publicum patriæ præſidium, Petrus Medices unicè diligit amoris ac prudentiæ merito. Quin idem quoq; de te ſic honorificè quacũq; occaſione loquitur, ut teſtimonium tibi reddat ampliſſimũ perfectæ laudis. Tu me uelim diligenter Alexandro affini tuo, Cardinali Farneſio commendes, quem colo et ueneror ob alia quoq;, ſed ob id in primis, quòd non minus honoris adijciunt ipſius dignitati literæ, quàm literis dignitas. Vale.

ANGELVS POLITIANVS PANDVLFO COLLENVTIO SVO S. D.

GRatiſſimum feciſti, quòd ſpecimen herbarũ Gnaphalij, Gallicæq; nardi miſiſti mihi, quas nuper in Germania repereris: nec dubitari poteſt, quin ſint (ut Plautus inquit) ipſiſſimæ. Nam & nardus hæc ab Aſſyria & Ciliſſa, neq; ſpecie multũ, neq; colore diſtat. Et in Gnaphalio ſigna congruunt, albedo, mollitiaq; foliorum. Quamobrem pro tomento ueteribus fuerit, quod & Artemidorus in quinto libro De ſomniorum euentibus oſtendit, ſcribens eum qui ſibi uiſus eſt triticũ pro gnaphalo habere in culcitra, marem filium ſuſcepiſſe. Sed de hoc aliàs. Diligentiam uerò ſolertiamq; iſtam tuam peruestigandis, agnoſcendiſq; rebus obliuijs, dici non poteſt quàm complectar, atque exoſculer: præſertim tamen hac parte, quòd ad eam plurimùm ſcilicet medicina quoq; ipſa noſtri temporis caligat. Miror autem perſæpe, quomodo tu tam multis queas unus, tamq; diuerſis munerib. par eſſe. Res enim principis adminiſtras, ut uix quiſquam circumſpectius. Caues tuis conſultoribus, ut pauci prudentius. Orationem ſcribis (quod Apuleius inquit) & proſam & uorſam, ſic eleganter,

ut concedas ferè nemini. Sed & diſciplinas attingis has interdum remotiores, in quibus aliquid eruis cottidie uel ipſis profeſſoribus ignoratum. Poſtremò curam tuam ſic in diuerſa feliciter ſpargis, tanquã ſi totã collegeris ad ſingula. Nec abſunt domeſticæ (ſicuti Cicero inquit) trichæ, quæ multum ſibi quoq; uel cogitationum, uel operę tuæ decerpunt, ut inuita prorſus, & indignante fortuna, fouere otium literarium uideri poſſis. Quòd uerò ſcribis in exemplaribus Digeſtorum iuris ueſtri ciuilis, deſiderari uerbum, quo Græcè nominetur edulis uua, quam tu uocari cibariam dicis à Plinio, ſimulq; petis, ut ſcribam quo pacto deniq; res ea Græcè dicatur, ut reſtitui ſuo loco poſſit. Scito nõ aliud eſſe omnino, quàm τρώξιμον. Quæ uox incolumis adhuc in archetypis Iuſtiniani. Sed & apud Theocritum primò Idyllio, ἁ μὲν ἀν' ὄρχως φοιτῇ, σινομένα τὰν τρώξιμον. Conſulis etiam num rectè, latineq; dicamus, Ab ima die, cum ſignificare diem uitæ ſupremum uolumus. Nam te quidem dicis apud Scæuolam reperire, titulo Digeſtorum de legatis tertio, Titia ima die diſpoſuit. Sed uereri nonnihil, ut emendatè ſit ſcriptũ, propterea quòd idem alibi non reperias. Rectè uerò mi Pandulfe ſuſpicaris. Non enim uerba illa ſunt in archetypo, ſed pro his Græca magis, quorum exempla ad te mitto. Τιτία διεθέμην, καὶ βούλομαι δοθῆναι Καλλιμάχῳ μισθοῦ χάριν δηνάρια δύο. Quod ita cõmodius ad Latinos transferas: Titia teſtamentum condidi, ac placet ut Callimacho dentur mercedis nomine denarij duo. Niſi mauis tamen, ut ipſe quoq; denaria dicam neutro genere: ſicuti rudis iſte quiſquis omnino fuit interpres, qui pecunias quoq; fortaſſe nerua eſſe belli, non neruos putauiſſet. Ago etiã tibi gratias, quòd indicem miſiſti librorum ueterum, quos in Germania reperiſti. Mallem tamen orationem miſiſſes tuam, quam diceris habuiſſe magno conſeſſu principis tui legatus, ad imperatorem deſignatum Maximilianum: quæ tamen oratio penè dixerim, nobis ab ipſa uſq; Germania exaudita eſt. Sed mitte tamen, nec te moueat, quòd ei multum ſit uirium, multumq; gratiæ deceſſurum, quoties alius ipſam quàm tu pronunciauerit. Etenim uidere mihi Pandulfe uideor linguæ iſtius fulmine Germanos attonitos pendêre de uerbis quidem, ſed oculos tamẽ oratoris Itali uultumq; & ſtatũ, & geſtũ, defixos ac penè ſtupentes contemplari: ſicuti Florentina quondam ciuitas, cum tu prætor urbanus pleno foro, me quoq; multum mirante, grandes illos heroicos intonabas pro roſtris. Verùm (ut dixi) mitte omnino deſcriptã nobis. Nam quoniam uerſatur adhuc ante oculos illa tua pronunciantis carmen imago, ſic uerba etiam ſoluta legemus, non quaſi nos recitemus, ſed quaſi modò quoq; tutè pronuncies. Vale.

ANGELVS POLITIANVS BAPTISTAE GVARINO SVO S. D.

AGo tibi gratias, quòd librũ miſiſti eum, quem Picus abs te noſter meo nomine petierat. Vtar ad paucos tantum dies, ac protinus remittam. Retulit idem quoq; mihi Picus cupere te admodum, ut quæ de te Thymele, ac Latino aduerſus Merulę ſententiam breuiter attigi, magis tibi perſpicua faciã. Libenter obſequar tibi uiro & literis & moribus præſtantiſſimo, deq; nobis optimè merito. Fuiſſe igitur Thymelen Merula prodit uxorẽ Latini, quam ſit etiam proſtituere ſolitus, ſic ut à mœchis (inquit) nonnunquam cæderetur: adeoq; notum foret Thymeles adulterium, & ipſius Latini opprobrium, ut de illis noua induceref perſona à mimographis in ſcenam. Sed ego præfatus honorem docti alioqui uiri, quæcunq; hoc loco tradit, partim manifeſtò falſa deprehendi, partim nulla nec autoritate probari poſſe, nec ratione dico. Quanquam autem Merulę magis incumbit ipſi probatio, uel ſi quis Merulam defenſurus eſt,

quàm mihi, proponam tamen quibus eum credam ſuſpicionibus adductũ fuiſſe, ut iſta quaſi cõminiſceretur. Legebat uidelicet apud Iuuenalem, quem tunc enarrabat: Et à trepido Thymele ſummiſſa Latino. Quem locũ uulgò ſic interpretantur, ut Thymele ſit uxor, quam ſummiſerit Latinus: hoc eſt (ut exiſtimant) lenocinio proſtituerit. Cui fauere ſententię nonnihil & illos ad Domitianum Martialis uerſiculos putauit, quos etiam citat: Qua Thymelen ſpectas, deriſoremq; Latinum, Illa fronte precor carmina noſtra legas. Et rurſus illud ex Iuuenale: Zelotypus Thymeles. Et item: Quem toties texit perituri ciſta Latini. Nam cęſum fuiſſe à mœchis, inde probat, quod ait idem Martialis: O quàm dignus eras alapis Mariane Latini, Te ſucceſſurum credo ego Panniculo. Perſonam uerò inductam ſuſpicari credo potuit, aut quòd Zelotypus Thymeles legatur (ut diximus) apud Iuuenalem, aut quòd apud Martialem ſpectet & Latinũ pariter Domitianus, & Thymelen. Hæc autem ꝙ friuola ſint argumenta, quiuis mediocriter doctus, etiã me tacente perſpexerit. Iam primùm igitur conſtat Latinum fuiſſe Domitiani familiarem, mimum temporibus illis celebrem. Cuius in ſcena geſtus maximè populo Romano placuerint, cuiusq; fabulis, ac iocis etiam princeps delectaretur. Hæc ita eſſe declarat epitaphium, quod ipſius Latini legitur apud Martialem libro nono, his uerbis:

Dulce decus ſcenæ, ludorum fama, Latinus
 Ille ego ſum, plauſus, delitiæq; tuæ.
Qui ſpectatorem potui feciſſe Catonem,
 Soluere qui Curios, Fabriciosq; graues.
Sed nihil à noſtro ſumpſit mea uita theatro,
 Et ſola tantum ſcenicus arte feror.
Nec poteram gratus domino ſine moribus eſſe,
 Interius mentes inſpicit ille deus.
Vos me laurigeri paraſitum dicite Phœbi,
 Roma fui famulum dum ſciat eſſe Iouis.

Declarat & Suetonius, ita ſcribẽs in Domitiano: Idq; ei cœnanti à mimo Latino, qui prætereũs forte animaduerterat, inter cæteras diei fabulas referretur. Eundem uero deriſorem uocat Martialis, aliorumq; uelut irriſioni negat expoſitum, ſcilicet ut naſutiſſimum, ſcribens ita in Xenijs:

Naſutus ſis uſq; licet, ſis deniq; naſus,
 Quantum noluerit ferre rogatus Atlas.
Et poſſis ipſum tu deridere Latinum,
 Non potes in nugas dicere plura meas:
Ipſe ego ꝙ dixi, quid dentem dente iuuabit
 Rodere? carne opus eſt, ſi ſatur eſſe uelis.

Deniq; moribus ipſius fauet epitaphium quoq;, quod propoſui. Nuſquam igitur hoc legit Merula, Thymelem fuiſſe Latini uxorẽ. Nec propterea quòd ſummiſſa dicatur à Latino, continuò proſtituta ſignificabitur: ſed adhibita potius à Latino quæ ſuam uicem palparet munere delatorẽ, quem palpabat & Carus. Nec abſurdum eſt, ut mimæ opera mimus uteretur, etiam ſi non uxoris. Nam fuiſſe mimam Thymelen quoq;, ſuper nominis Etymon, perſuadet illud, quòd itidem, ut Latinus à Domitiano ſpectabatur & ipſa. Cæterùm mimæ (quantum legimus) ex ea ferè nota fuerunt, quæ corpus uulgarent: quales Auguſti ætate celebrantur, Arbuſcula, Citheris, & Origo. Quo fit ut ferè nullus adulterio ſit locus in mima. Nam Ciſta illa perituri Latini nihil ad Thymelen, quemadmodum ſcilicet & zelotypus

lotypus Thymeles nihil ad Latinum. Sed ita poteſt accipi Latini ciſta, qua mœchus tegatur, ut ipſa generaliter mœchorum latibula deſignentur à ciſta illa, ſub qua lateret in ſcena (ſic forſan argumento poſtulante) mœchus aliquis, quē mimus hic nobiliſſimus agere ſit ſolitus. Nam periturus ideo puto uocatur, nō quia re uera Latinus perierit opera delatorum, quem gratum principi fuiſſe mortuum quoq; Martialis innuerit: ſed quoniam pereat in argumento mimicæ fabulæ deprehenſus adulter, aut omnino periturus uideatur, niſi ſtatim ſub ciſta delituerit. Par coniectura de zelotypo Thymeles. Etenim, ſicuti exiſtimo, Thymele mima perſonā ſuſtinebat uxoris alicuius in ſcena, quę uiro zelotypo uerba daret, quem uirum quiqui nobilis ille iuuenis agebat, is à Iuuenale zelotypus Thymeles appellatur. Adulteria uerò potiſſimùm fuiſſe mimorū ſegetem, declarat his ad Auguſtum uerſibus, lib. Triſtium ſecundo poeta Ouidius:

Quid ſi ſcripſiſſem mimos obſcœna iocantes,
  Qui ſemper iuncti carmen amoris habent?
In quibus aſſiduè cultus procedit adulter,
  Verbaq; dat ſtulto candida nupta uiro.

Et paulo pòſt:

Cumq; feſellit amans aliqua nouitate maritum,
  Plauditur, & magno palma fauore datur.

Et rurſus:

Luminibusq; tuis, totus quibus utitur orbis,
  Scenica uidiſti lætus adulteria.

Iam'ne tibi liquet Baptiſta, nuſquam adhuc probari uel uxorē fuiſſe Latini Thymelen, uel ab ipſo conciliari ſolitos adulteros, uel poſtremò nouam de tali adulterio inductam perſonam à mimographis, quando nec autor hæc quiſquam dixit, & inanes iſtæ quaſi nebulæ non argumentorum, ſed leuiſſimarum ſuſpicionum, uel inſomnię cuiuſdā potius, ipſo penè ſpiritu difflantur? Reſtat ut ne cæſum quidem fuiſſe doceamus à mœchis Latinū. Nam quod ille citat de Latini alapis ex Martiale, neq; non de Panniculo, magis accipi debet, ut Panniculū ceciderit ipſe Latinus, quàm ut os præbuerit Panniculo. Quod eſſe uerum declarat & Martialis idem lib. ſecundo Epigrammatôn, his uerbis:

Heſterna factum narratur Poſthume cœna,
  Quod nollem. quis enim talia facta probet?
Os tibi perciſum, quanto non ipſe Latinus
  Vilia Panniculi percutit ora ſono.

Vides ut os perciſum non Latino à mœchis, ſed Panniculo ipſi potius à Latino. Percîdi uerò dicitur os, cum bene pulſatur. Ita certè Seneca uſurpat libro Naturalium quæſtionum tertio, qui tamē uulgò quartus inſcribi ſolet; ac decimo ſubnecti. Verba Senecæ ſic ſunt: Qui me uſq; ad mendacia hęc leuiora, in quibus os percidi, non oculi erui ſolent, credulum præſto. Panniculum uerò ipſum quoque fuiſſe mimum, docet illud eiuſdem Martial. lib. tertio:

Ne legeres partem laſciui caſta libelli,
  Prædixi, & monui: tu tamen ecce legis.
Sed ſi Panniculum, ſi ſpectas caſta Latinum,
  Non ſunt hæc mimis improbiora, lege.

Sed fuit (ut uidetur) Panniculus uilioris notæ mimus, cuius ob id ora quoq; uilia poeta dixit. Itaque perſonam ſemper eam puto ſuſtinebat, quæ cæderetur alapis ex argumento. Quod ut homo facetus, ingenti ſono ſolitus eſt Latinus, ut ipſo

Panniculi malarũ grandiore crepitu cachinnum tollerẽt ſpectatores. Nam fuiſſe in argumento fabulæ cuiuſpiam (ſicuti diximus) alapas iſtas indicat Iuuenalis, inquiens: Ridere poteſt qui Mamercorum alapas. Taxat enim ciues, qui delectarentur edente in ſcena geſtum nobilitate, ſic ut ex ea quidam uel præberẽt os alapis, uel cæderent. Sed & illud quæri poterat, quæ ratio fuerit, cur à mœchis cæderetur Latinus, ſi uel uxorem mœchis proſtituebat. Aut quid opus denique, conregi ciſta Latini mœchos, ſi iubente Latino coniux proſtabat? Quapropter (ut antea quoq; dixi) friuola ſunt hæc, & falſa, ſibiq; prorſus ipſis obſtrepẽtia, nullaq; nec ratione munita, nec autoritate. Sed hæc hactenus. Quæſiuit autẽ Picus idem tuo quoque nomine, cum Gallus intempeſtiuum caneret, quo pacto illud uocis à Græcis diceretur. Etenim Iuuenalis meminit eius, & Quintilianus. Ego certè, mi Baptiſta, non aliud puto, quàm quod aliquando reperi apud idoneos ἐκῳδὸν: quanquam mihi nunc autores ipſi non ſuccurrunt. Eſt uerò ἐκῳδὸς ea uox etiam, quæ neque choro neque fidibus concordat. Hæc nos ad te puſilla nimium, leuiaque, uerecundè quidem, ſed tamẽ & libenter ſcripſimus. Quoniam ſicuti me tua multum deterret eruditio, ſic multum rurſus inuitat humanitas. Vale.

BAPTISTA GVARINVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

PErlectis literis tuis, non minus eruditis, quàm humanis: agnoui & Pici diligentiam, & amorem erga me tuum. Ille quod receperat, accuratè perfecit. Tu ita ſatisfeciſti, ut expectationẽ meam ſuperaueris. Sed de grãmaticis mihi gratias agis, perinde ac ſi rem acceperis, quæ mea magis ſit quàm tua. Nam ſi uſus librorum, qui apud me ſunt, non ita ut cupis, tibi ſuppetit, locorum interuallo animaduertas uelim, non meæ poſſeſſioni. Approbo quę ſcripſiſti de cęteris locis. Quis enim à Politiano diſſentiat? Sed de uoce Gallorum immatura ampliari iudicium opto. Cõmune eſt enim, quod ſcripſiſti, alijs etiam cantibus abſonis. Quærendum eſt aliud nobis, ut arbitror, aut ingenuè fatendum nos homines eſſe. Quintilianus (ut credo) appoſuit, ſed in omnib. exemplaribus deſideratur. Si quid à me fieri poteſt, quod tibi cõmodum futurum ſit, optio tua eſt. Pico me commendes, rogo. Vale. Ferrariæ, nono Idus Auguſti, M.CCCCLXXXXIIII.

ANGELVS POLITIANVS PANDVLFO COLLENVCIO SVO S. D.

NEgant eruditi quidam (ſic enim ſcribis) uerum uideri, quod conſulenti reſponderam tibi, τρωξίμους eſſe apud Iuriſconſultos uuas, quas nõ uini cauſa haberemus: ac ne illud quidem credunt in Digeſtis archetypis ita reperiri Iuſtiniani principis, titulo De uerborum ſignificatione. Sed & latinè dici, contra quam nos opinati ſumus, affirmant Imam diem, quæ ſit ultima uitæ. Damnant & quòd ſpecimen accepiſſe me dixi Nardi & Gnaphali, cum tu mihi non formam, ſed ipſas potius herbas, aut (ut Iuriſconſulti ueſtri loquunt) ſpecies miſeris. Reprehendũt itẽ quòd cottidie noſter à manu ſcripſerit, nõ quotidie: quodq; quotiens, non quod antea defenderim, quoties. Poſtremò culcitam pro culcitra. Quare accipe ad ſingula. τρωξίμους in archetypis eſſe, nõ quod ipſi uolunt ἐδωδίμους, nolo mihi, ſed archetypis credant. Qui ſic publicè cuſtodiuntur, ut tamen etiam frequenter adeantur. Sunt igitur Pauli uerba ſic in Pandectis ad liquidum: Qui fundum uendidit, pomum recepit, nuces, & ficos, & uuas duntaxat duracinas & purpureas, & quæ eiuſdem generis eſſent, quas non uini cauſa haberemus, quas Græci τρωξίμους appellarent, recepta uideri. Nec abnuerim

tamen

tamen ἐδωδίμους quoque rectè nuncupari, quo nomine quaſi uerſo dixerã prius edules. Sed ἐδώδιμος ad alia quoque pertinet, τρώξιμος ad uuam duntaxat, etiãſi non hanc adijcias. Nec uerò me fallit ita uulgò illud accipi θεοκρίτειον, quaſi maturam lędat uuam, non cibariã uulpes, cum ſit à uerbo facta τρώξιμος, quod maximè ſecundis menſis congruit: à quo τρωγάλια quoque, τραγήματα, τραγηματισμός. Quare non aliam profectò, quàm ῥώξιμον, Vergilius exprimere tentauit, cum dixit in Georgicis: Non ego te dijs & menſis accepta ſecũdis Tranſierim Rhodia. Nec utiq; tacuit Ariſtoteles, διαφθεῖρον τράγημα βρώματος ὅσον ἔδεσμα τρωγάλιον. Sed Ima dies an latinè dicatur, uos uideritis, qui ſcilicet uſurpatis ueſtro periculo. Certè nec autoritas Iuriſconſultorum, nec Horatij poetæ uos adiuuat. Nam nec apud illos (ut oſtendi) nec apud Horatium legitur, Ima dies. Non enim quoniam dixerit: Seruetur ad imum, pro illo ad finem, ſtatim ſequitur, ut & ima dies, pro ultima uitæ die rectè dicatur: quæ potius dici ſumma debet: ut, Venit ſumma dies: &, Summum nec metuas diem, nec optes. Summus enim uerè dies, quo ſumma dierum colligitur. Horatius autem ſic ait: Ab incœpto ad imum, uelut ad pedes à capite, ducta ſimilitudine à pictoribus, qui prius laborant in capite. Cæterùm ſpecimen quoq; uocari, quaſi guſtum quendam mercis ab empturientibus, hoc eſt, quod in Demoſthene Plutarchus δεῖγμα uocat: ut alij negent, indicat Cicero tamen, haud dubitans in Tuſculanis quæſtionibus, quin ſpecimen naturæ capi ex optima quaq; natura debeat. Cottidie uerò, c, litera ſcripſit amanuenſis meus, autore Quintiliano: Quotiens autem Priſciano. Nec tamen abſurdum eſt, ſi nunc hoc, nunc illud, pendente adhuc lite, ſequor. Huc enim me proportio uocat, illuc autoritas. In culcita ſequor obſeruationes codicum, pręſertim ſi nihil ijs pręter indoctam conſuetudinem refragetur. Poſſum uerò proferre tibi ſexcentos, quoniã tamen procul abes, citabo paucos ex ijs tantum qui publicè ſpectentur. Iube igitur adiri (potes enim) Suetonij Martialiſq; uetuſtiſſima exemplaria: quorũ illud quidem Romæ Vaticana bibliotheca patet, hoc uerò Florentiæ publica Medicæ familiæ reperiet is, cui negotium dederis, culcitã, uel in Tyberio, uel in Apophoretis: quod idem Satyra quinta Iuuenalis codice peruetere, quem doctiſſimus princeps, ac dux Vrbinatum Guido, de pulcherrima ſua librorum ſupellectile prompſerit. Sed quid in ijs laboro, cum ſit in Florentinis etiam Pandectis, titulo de ſupellectile legata, prorſus ad hoc exemplum: Lecti etiam inargentati, culcitæ, toralia. Nec abhorret à ratione, cum fieri poſſit è calco, ſecundũ uerborum formam, quæ ſæpius quid fieri oſtendunt, uerſa tamen ſicut in compoſititijs a litera in u. Quod tamen qui reprehẽdit, uelim doceat inuicem, quam rationem potius ipſe, uel autoritatem ſequatur. Siquidem mihi euenit interdum, quod & Ciceroni, uidelicet ut habeam quem fugiam, non habeam quem ſequar. Nec tamen fore unquam credidi, ut hæc ad obruſam ſic exigerentur in literis, pręſertim non mea manu, ſed meo duntaxat ingenio formatis, cum detur idiographis quoque doctorum hominum uenia, ſed à doctis: uel quòd hæc orthographa pro friuolis habentur interdum, uel quòd (ut Cicero inquit) uſum populo concedimus, ſcientiam nobis reſeruamus. Vale.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER OCTAVVS.

ANGELVS POLITIANVS INNOCENTIO VIII. PONTIFICI MAXIMO S. D.

CVM Romæ abhinc triennium fermè in comitatu eſſem Florentinæ legationis, quæ tibi ſancte pater Innocenti Pontifex maxime, ad ſupremæ iſtius dignitatis faſtigium nuper euecto gratulatum aduenerat, memini abs te mihi magna celebritate curam delegari uertendi in latinam orationem Romanorum principum res geſtas, ſi quæ adhuc inter Græcorum monumenta noſtris intactæ hominibus reperirentur. Quare cum cœleſtis animi tui iudicio, nõ plus mihi honoris additum, quàm oneris iniunctum animaduerterem, ut primum Florentiam ſum reuerſus, altiſſima ſolicitudine circumſpicerę cœpi, quem potiſſimùm ex omni Græcorum copia interpretandum ſuſciperem. Occurrit autem in primis Herodianus hic, excellens rerum ſcriptor: & qui diu in Palatina uerſatus aula, affectæq; iam ætatis hiſtoriam de ſuis temporibus componere aggreſſus, neq; eloquentiæ caruerit laudibus, & fidem tamen in primis, libertatemq; retinuerit. Hoc ubi opus à nobis, neq; multo ſanè negotio, neq; inuita (ut arbitror) Minerua elucubratum eſt, ea mox tempora inciderunt, quibus & noſtra impedirentur ſtudia, &, quæ plurimùm ualet in ſcribendo, omnis propemodum alacritas excuteretur. Poſtea uerò ꝙ pro tua prouidẽtia & pacem Italiæ cupiẽti reddidiſti, & cum patrono meo Laurentio Medice ampliſſimæ quidẽ fortunæ, ſed amplioris ingenij, prudentiæq; uiro priuatim affinitatẽ contraxiſti, ceſſit uidelicet ille quaſi nimbus, ſuaq; mundo reddita ſerenitas eſt: ſic ut nos iam ipſos colligamus, atq; ut grauati pluuia flores, peneq; decidui, ad nouæ lucis radios erigamur. Ergo & uetera edere in publicũ, & noua procudere iam libet: unde aliqua modò uel tuo ſacratiſſimo nomini celebritas, uel noſtris temporibus claritas, uel ſtudioſis etiam hominibus utilitas pariatur. Cęterũ Herodianum hunc noſtrũ, donec maiora tibi, ac fortaſſe meliora parturimus, ueluti præludium aliquod ueri iuſtiq; laboris læta, rogamus, fronte excipias, ſumme Pontifex. Magnã in eo negotiorũ, perſonarumq; uarietatem, multam rerum nouitatem deprehẽſurus, crebraq; in utramq; partem fortunæ ceu uacillantis exempla, conſiliaq; admirabilia, & conſiliorũ inopinatos euentus, graueſq; pro tempore ſententias, & plenã ubiq; dignitatis, plenã ſuauitatis orationẽ, copioſam uidelicet quandam ad inſtruẽdos mores ſupellectilem, & ceu ſpeculũ humanitatis, in quod inſpicere omnis uita, unde capere atq; haurire documẽta queat, per quæ uel publicis uel priuatis rationibus conſulat. Quæ ſanè noſtræ fuerunt partes, tentauimus profectò, utinamq; etiam effecerimus, ut omnia ex fide reſponderẽt, ne inepta peregrinitas, ne Græculæ uſquã figuræ, niſi ſi quæ iam pro receptis habent, latinã quaſi polluerent caſtitatem, ut eadem propemodũ eſſet linguæ utriuſq; perſpicuitas, eædẽq; munditiæ, idẽ utrobiq; ſenſus, atq; indoles, nulla uocũ moroſitas, nulla anxietas. Tu quando nobis aliquod ceu ſignũ ex arce iſta tui pontificatus ad bene ſperandũ ſuſtuliſti, perge obſecro, ſanctiſſime pater, perge inq;, fouere atq; illuſtrare bonas arteis, quę ſeſe pedibus iſtis ſanctiſſimis aduoluunt ſupplices, numenq; tuũ aduerſus rudẽ inſcitiã, tetrãq; barbariam implorant: ut à quo pax Italiæ, atq; adeò terrarũ orbi reſtituta eſt, etiã ab eodem pacis alumnæ literæ ab iniuria ſcilicet, atq; indignitate uindicentur.

INNO-

INNOCENTIVS PAPA VIII. DILECTO FILIO ANGELO POLITIANO.

Dilecte fili, ſalutem & apoſtolicam benedictionem: Librũ quem nuper ad nos miſiſti, è Græco in latinum traductum, gratiſſimo animo accepimus, tum propter rei nouitatem, tum quòd doctrina & ingenio ita cultus eſt multorum iudicio, quos apud nos doctos habemus, ut bibliothecæ noſtræ magnum ſit ornamentum allaturus. Gratias tibi propterea maximas agimus, uirtutemq́ tuam in Domino cõmendamus: hortantes idem in poſterum facere perſeueres, ut his honeſtis laboribus maiorem in dies tibi laudem parias, & à nobis uberiorem gratiam promerearis. Nunc uerò in ſignũ tam grati animi, & amoris noſtri erga te paterni, ducentos aureos per dilectum filium Ioannem Tornabonum ad te mittere decreuimus, ut eo uitæ præſidio facilius huiuſmodi labores ſubire queas. Datum Romæ apud ſanctũ Petrum, ſub anulo piſcatoris, die decimoquinto Auguſti, M. CCCCLXXXVII. Pontificatus noſtri anno tertio.

INNOCENTIVS PAPA VIII. DILECTO FILIO LAVRENTIO MEDICI.

Dilecte fili, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Agimus deuotioni tuæ gratias, quòd eius potiſſimum opera dilectus filius Angelus Politianus, uir eruditiſſimus, librum è Græco in latinum traductum, nuper ad nos miſerit, noſtro nomini dedicatum, non ſolũ noſtro, uerumetiam aliquorum peritorum, quibus illum oſtendimus, iudicio maximè cõmendatum. Erit apud nos (ut decet) in magno honore, bibliothecæ noſtræ ornamentũ, uirtutis ac doctrinæ illius teſtimonium. Hortamur te maximè, eundem Angelum autoritate promoueas ad huiuſmodi opera edenda, quæ nõ uulgarem ſibi gloriam parient, & nobis delectationem maximam afferent: qui tam honeſtis laboribus partim in beneficijs, partim in alijs rebus dignam mercedem collocabimus. Et nunc in huius animi teſtimonium, ducẽtos aureos per dilectum filium Ioannem Tornabonum illi mittere decreuimus, ne hic liber indonatus remaneret. Datum Romæ apud S. Petrũ, ſub anulo piſcatoris, die XVI Auguſti, M. CCCCLXXXVII. Pontificatus noſtri anno tertio.

ANGELVS POLITIANVS INNOCENTIO VIII. PONTIFICI MAX. S. D.

Neſcio quibus uerbis gratias tibi agam, ſanctiſſime pater Innocẽti, ſumme Pontifex, qui tam multis laudibus uigiliolas noſtras, tamq́ ampla liberalitate proſequaris. Quod ego factum ſic interpretor, uoluiſſe beatitudinem tuam huiuſcemodi exemplo iacentes olim literatorum animos erigere, cum uidelicet intellegant tantam eſſe in Pontifice maximo noſtris temporibus humanitatem, tantamq́ beneficentiam, ut nunc poſtremus quidem, atq; infimus illius ordinis, non dicam inlaudatus, aut inhonoratus, ſed ne uacuus etiam munerum, atq; indonatus dimittatur. Mihi ſanè calcaria, & ſtimulos cùm in me collatæ laudes, tum præſens quoq;, & ſperata benignitas ſubdiderunt, maximamq́ iniecerũt curam cauendi etiam atq; etiam, ne quo uel tempore, uel caſu liberalitate iſta, indulgentiaq́ tua uideri indignus queam. Quocirca curabo, atq; enitar, ut hic noſter tenuis agellus, cui ſcilicet colendo tantum inſtrumenti tua nunc munificentia ſuppeditat, nouos ſubinde prouentus tuæ afferat ſanctitati. Spero autem fore, ut quàm diu ſub umbra tui numinis recubuero, ita ab omnib. uel incõmoditatibus, quas uita humana fert, uel languorib. moleſtijsq́ exſoluar, ut ab

ut ab umbra apoſtoli Petri, cuius tu locum in iſto faſtigio obtines, omni prorſus ægritudine homines liberabantur. Valeat tua ſanctitas. Florentię, pridie Calend. Septemb. M.CCCCLXXXVII.

ANGELVS POLITIANVS INNOCENTIO OCTAVO PONTIFICI MAX. S. D.

ETſi me pudor prohibet hominem tenuis fortunę, nulliusq; propemodum autoritatis, literas dare ad te Dei maximi uicarium, principemq; generis humani: tamē in tanto uel priuato meo, uel publico totius noſtræ ciuitatis gaudio, facere non poſſum, quin teſter apud te, ſumme pontifex Innocenti, ſubitū hoc animi gaudiū, profitear lætitiam, gratias agam priuato quoq; nomine tuæ ſanctitati, quòd adoleſcentem noſtrū Ioannem, Laurentij filium, Florentinæ reipublicę delicias, tuorum numero fratrum, ſummiq; ſenatus collegio adoptaueris, quòd ciuitatem florentiſſimam, familiamq; nobiliſſimam, tam inſigni munere, tamq; eminenti dignitate cumulaueris. Tum gratulor etiam tibi, quòd hac acerrimi iudicij conſtantiſſima fide, propè immortalem cæteris tuis egregijs uirtutibus gloriam conciliaueris. Vt enim Laurentium ipſum taceam, quem tibi in perpetuū, ſancte pater, beneficio iſto tanto deuinxiſti, quid ipſo tandem Ioanne Cardinali noſtro perfectius? aut quid omnibus numeris abſolutius? Nō indulgebo amori meo, nō tuo iudicio blandiar Pontifex, nota cunctis, & teſtata loquar. Ita natus, & factus, ita altus atq; educatus, ita deniq; eruditus atque inſtitutus hic eſt, ut nemini ſecundus ingenio, nec æqualibus induſtria, nec prçceptoribus literatura, neq; grauitate ſenibus cōceſſerit. Natiua in eo probitas, & genuina, diligentia quoq; parentis ita impenſè culta eſt, ut ex illius ore non modò non uerbum dictu fœdius, ſed ne leuius quidem unquam, aut etiam licentius excideret. Non actio, non geſtus, non inceſſus in illo notatus, non aliud poſtremò, quod in deteriorem partem conſpiceretur. Sic in uiride ætate cana maturitas; ut qui loquentem ſenes audiant, proauitam in eo, nos paternam certè indolem agnoſcamus. Cultum pietatis & religionis penè etiam cum lacte nutricis exuxit, etiam tum ab incunabulis ſacra meditatus officia, quando nondū editum eum, tamen eccleſiæ iam genitor prouidentiſſimus deſtinauerat. Protinus autem q; eſt in lucem ſuſceptus, multis magniſq; præſagijs in hanc erudiri ſpem cœpit. Et quoniam tale de ſe ſpecimen dabat, ut iſtius iam tum uirtutis faceret fidē, compulſus fama Ludouicus ille Francorū ſapientiſſimus, idemq; ſanctiſſimus rex, ne ſummi quidem archiepiſcopatus faſtigio indignū hunc ipſum planè adhuc puerum eſt arbitratus. Illum tu igitur habes regem collatæ iſtius dignitatis præluſorem. Telam rex maximus exorſus, quam Pontifex maximus pertexeret. Audires utinā uoces fauſta tibi nūc, & proſpera ominantis Florētini populi. Aſpiceres geſtientem ubiq;, & concurſantē in atrijs noſtris, ac lætitię ſuæ impotentē ciuiū multitudinē, plebemq; ipſam uix gaudiū capientē animis. Non ſenes grauitas, nō matronas pudor, non pueros infirmitas ab officio retardat. Cōfluunt in ędes Medicas ſexus, ætasq; omnis, omnis huc ordo (ut ad priuatas neceſſitudines) properant. Pro ſe quiſq; primi haurire oculis aſpectum noui Cardinalis feſtinant, exultant, uociferant̄, manus ad cœlū tendunt: propitiū tibi Deū, proſpera, ſecundaq; omnia cōprecantur. Pro tua uel ſalute uel dignitate uota prorſus ab omnib. ſuſcipiunt̄. Nec eſt q annos ac natales Cardinalis noſtri numeretis, uirtus illi ante diē contigit. Ne dubita Pontifex, implebit utiq; auguſtā purpurā. Nō ſub galeri pondere anhelabit, non fulgore caligabit nimio, non indecorem eum tanto Senatui,

non

non imparem tanto faſtigio recipies. Iam nunc ampla maieſtas, iam ſolito maior ſpecies. Conſtabit ratio collegis lati ſuffragij, nec te unquam ſumme pontifex iudicij pœnitebit. Hoc tibi nomine (quod unum ualeo) gratulor, agoq; gratias. Quos aliquando pedes iſtos beatiſſimos præſens oſculabar, iiſdem nunc illis abſens lætitiæ plenus aduoluor. Deumq; precor, ut diu tuo perfrui beneficio gaudeamus, ut proſpera incœpta proſperrimi cõſequantur euentus. Quod autem ad me attinet (quando nõ alia pro animo meo facultas eſt) dabo operã certè quàm diu uires ſuppetent, ut iſtiuſmodi tua benefacta ſancte pater in omnem poſteritatem ſempiterna literarum memoria propagentur.

ANGELVS POLITIANVS IACOBO CARDINALI PAPIENSI S. D.

Non poſſum facilè explicare literis, in quantam nos admirationem adegerit Laurẽtius Medices, patronus meus, teſtimonio laudum tuarum. Nam etſi illæ quidem uno omnium conſenſu maximæ ſemper, admirabilesq; prædicantur, & uirtutis tuæ conſtans opinio in omnium pectoribus uiuit, omnium linguis celebratur: tamen cum Laurentium Medicem (id quod ſæpenumero accidit) de te loquentẽ audio, cumq; te mihi totum (ut dicit) atq; integrum in oculis conſtituit, proculdubio intellego priſtinam illam de tuis uirtutibus famam parciſſimam ſane tibi, minusq; benignam fuiſſe. Exiſtimabam equidem antea Papienſis gloriam in otio tantum, literisq; conſiſtere, eamq; per ſe ſatis amplam atq; mirificam in principis animo ſtatuebam: alteram uerò partem, quæ in rerum agendarum uſu & ratione uerſatur, etſi haud omnino ademeram, non tamen ut propriam tibi, peculiaremq; adſcripſeram. Ecce nunc Laurentij teſtimonio, in utriuſque gloriæ ſplendore maximus nobis admirabilisq; exoreris, & tanquam Homericus Aſteropæus dextra pariter, ac ſiniſtra manu iaculum intorques. Caue autem putes me tibi nũc his laudationibus aſſentari. Teſtor enim meum in te animum ac fidem, nihil me aliud ſcribere, quàm quod ſentio: atq; omnem gloriam, quantacunq; ea ſit, tua uirtute inferiorem exiſtimare. Neq; ego hęc de teipſo ad te ſcribere auderẽ, niſi incredibilis meus erga te amor, ea mihi ex intimo corde, ex ore, è calamo, quaſi ſuo iure extorſiſſet. Idem quoq; ipſe & Homerum noſtrum, quem tu à Laurẽtio petieras, & meum ad te animum uno tempore pertulit. Hunc quidem uelim Papienſis in tuum ſinum placidè ſuſcipias: dignus eſt enim, quando tuus eſt, in quẽ omne genus humanitatis ac beneuolentiæ profundas. Homerum uerò noſtrum ſeminudum quidem adhuc, atq; inuolucrem, ardentibus iudicij tui radijs aduerſum ſtatuimus, perinde atque aquilam ferunt implumes pullos, & nuper calido ex ouo prolatos, orienti ſoli obijcere. Quòd ſi ille intrepidus ad tuum radium, non conniuenti pupilla ſuffiget intuitum, referemus eum in nidum, & ut legitimum fœtum educabimus. Sin uerò oculorum acies offenſa perſtringetur, ueluti alienum, ac nothum exponemus. Aut tutè ipſum magis tanquam Muſarum hoſtem proijce, & in profluentem aliquam demerge. Erit enim perquàm gratum nobis, ſi Rheni fluuij ingenium imitaberis: quem quidem ferunt puſillos Celtarum infantes intra ſinum coniectos, ſi quidem polluta matris pudicitia ſuſcepti fuerint, tanquam impuri lecti uindicem, rapidis uorticibus ſuffocare: quos autem ſenſerit legitima fœtura editos eſſe, placido alueo leniter ſuſpendere, atque in trementes genitricis manus iterum ſubuehere, ſalutem pueri quaſi intemeratæ pudicitiæ teſtimonium ferentem. Remittas ergo item tu quoque Homerum noſtrum, uagientem quidem illum, atque infantem in complexum ſoliciti parentis, ſi ea tibi eſſe indole uidebitur, *Rheni fluuij ingenium.*

quæ & ſpei tandem noſtræ reſponderit, & exquiſitiſſimo iudicio tuo faciat ſatis. Sin minus, aut Thetidi, aut Veneris largire marito. Vale, muſarũ patrone, & animulum iſtum meum in delitijs habeas, rogo.

IACOBVS CARDINALIS PAPIENSIS ANGELO POLITIANO, ET NICOLAO MICHELOTIO S. D.

AEquo animo feretis ambo, ſi uacui temporis raro aliquid habens, ſerò atq; una tantum epiſtola utriq; reſpondeo. Legi traductionẽ tuam, Angele, diligenter ſatis pro otij copia. Quærenti quid ſentiam, promptius eſt quòd reſpondeam, quàm quòd bene reſponderi poſſe ab indocto confidam. Vos me eſſe aliquid creditis, ego infra opinionem ueſtram ſum multum. Si quid olim attuli lucis, infuſcatum id eſt tenebris curiæ. Paupertas dudum, nunc dignitas, diuerſa à primis inſtitutis coegerunt tractare. Intyba ſucceſſit ambroſiæ, & guſtui ingluuies: tam malè nunc poſſum de oratorijs & poeticis iudicare, quàm ineptè de muſicis capti auribus iudicant. Ne deſim tamẽ expectationi ueſtræ, accipite, quod beneuolentiæ potius, quàm retentæ diſciplinæ ſit ſignum. Oratio tua, quantum remetior præterita, latina eſt, & illuſtris, ut huic cõmendationi addi poſſit. Pleni etiam uerſus & ſuis numeris magnificè auribus ſeruientes. In tam recenti ætate, laudis & admirationis hæc ſunt. Neque ego ſuſceptum laborem inutilem puto. Ad ediſcendum Homerum pertinet, ad alendum grandibus ſpiritum, ad ea tandem ſuſcipienda, in quibus noſtro gradu, non alienis ueſtigijs incedere habeamus. Homerum tamen ſi quis roget, num latinũ fieri ſe uelit, uerſumq; uerſui reddi, uereor ne uidens tranſmarina multa inter Græcos quàm noſtros ſentiri: linguæ porrò cuiuſq; ſuam excellentiam eſſe, quam uix in aliena eſt aſſequi: denique barbam menti nec latinum planè arguere, nec græcum referre: inquam uereor, ne reſpondeat malle ſe Colophonium, quàm Florentinum haberi: & pallium, quàm togam græcis membris aptius conuenire. Tum eorum iudicium laudet, qui magno ingenio præditi, cum diffiderẽt eundẽ reddi poſſe noſtris, qui eſt apud ſuos, maluerunt imitare quàm uertere. Cenſeo tamen (ut dixi) operam inchoatam nõ deſerendam, hocq; exercendi ſtyli ſtudium colendum aſſiduò, à ueteribus quidem laudatũ, & ad complendum pectus maximè neceſſarium. Si nõ aſſequêris, quod uis, rei non ſinit magis, quàm noſtræ facundiæ inopia: æqualis tui Phaetonis laudem inuenies, ut iam de ſuſcepto à te cœleſti Homero, quod ab illo de cœleſti curru dicatur: Hunc ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis. Meum hoc eſt, ut imprudens, fidele tamen de labore tuo iudicium. Traductionem ipſam remitto, ut petis, & tibi gratias ago. Te uerò in meum ſuſcipio tam altè amorem condens, quàm altè deſcendit admiratio uirtutis inſolitæ. Eſt iam tuus Papienſis, tibiq; in ſtadio literarum currenti uocibus ſecundis acclamat, ut pergas, ut nõ fatigeris, ut calcem ipſum contentis oculis ſpectes, & huic palmæ nil anteferendũ exiſtimes, uiuenti ac mortuo profuturæ. Ad te reuertor Micheloti. Attende quid agas, in bona tua uideris iniurius. Ais cœpiſſe teipſum amare, mox ut à me amari es cœptus. Si nullum eſt iudicium meum, te autẽ ex meo amas iudicio, non ſentis ſine cauſa tuum de teipſo eſſe amorem? Atqui magnæ ſunt cauſæ, quibus teipſum exiſtimatione propria debes diligere: ingenium, literæq; humanitatis, ad obſequium dexter modus, in primis Laurentij noſtri fides, & gratia, quando Principibus placuiſſe uiris non ultima laus eſt. Quare caue poſthac ex meo magis quàm tuo iudicio ipſum te ames: Papienſi etiam hactenus tribue, ut eius beneuolentiam ex dignitate, non meritis ornamento tibi eſſe exiſtimes. De Balducio gratias habeo, quotidianis officijs tuum animum probas. Hunc ego, quòd ſolus Florentiæ ex omnibus neceſſarijs

ceſſarijs eſt,cõmendo liberius, & benignius accipi cupio. Tua diligentia reliqua abſolue, & me ama, inq; amicorum rationarium, non inter poſtremos relatum te ſcito, fixum etiam cordi trabalibus clauis. Vale. Romæ, Calend. Ianuar.

ANGELVS POLITIANVS ASCANIO SFORTIAE VICECOMITI CARDINALI S. D.

Diu multumq; fateor, dubitaui, an ad te principem dominumq; excellentem homo infimæ ſortis, humiliſq; fortunæ literas darẽ. Quippe à ſcribendo me magnitudo deterrebat tua, quaſiq; radijs quibuſdam noſtræ aciem mentis perſtringebat. Contrà autẽ, experta mihi humanitas clementiaq;, ut aliquando ſcriberem, adhortabantur. Nimis autem ſtultum uidebatur, cum tute mihi autor audẽdi fueris, pari ſiue metu quodam intempeſtiuo, ſiue pudore ſubruſtico noſtri apud te memoriam exoleſcere. Meminiſti, arbitror, uenire aliquando ad te uiſum, ſalutatumq; unà cum Laurentij Medicis filiolo, Angelum neſcio quem Politianum, ipſius magiſtrum pueri. Quem aiebant nõnulli, haud omnino indoctiſſimum haberi hominem, eumq; apud te, capta ex tempore audacia, de antiquis urbis operibus ac ſubſtructionibus aliquandiu fabulari. Ille ego ſum ſcilicet, eademq; abſenti uel fiducia erga te, uel audacia ſupereſt, quæ tũc haud defuerat præſenti. Sed eam tamen nihil eſt cur mihi quiſquam uitio uertat, ſcilicet quæ ex humanitatis tuæ notitia, quàm ex magnitudinis ignorantia proficiſcatur. Roges quid ſibi hæ quærant literæ. Nempe aliud nihil, niſi ut mei apud te memoriam renouent, me eſſe hominem tibi dedititiſſimum declarent, ſperantẽ maximè in tuo patrocinio, daturumq; operam (ſi res ferat) ut animum tibi meũ, fidem, uoluntatemq; aliquando probem. Orarem autem (niſi improbum eſt) ut ſi qua de nobis mentio apud ſummum Pontificẽ oriatur (orituram ſcio cum tu uoles) oſtendas me illi eſſe hominem nõ ingratum. Facilè enim intelligo, quantum tua apud illum ualitura ſit autoritas: quoniam quantum iurè ualere debeat, non ignoro. Vale. Florentiæ, M.CCCCLXXXV.

ANGELVS POLITIANVS FRANCISCO PICOLOMINEO CARDINALI SENENSI S. D.

Etſi ſcio, pater ampliſſime, ita me tuæ debere humanitati, quã, cũ iſthic eſſem, egregiam mihi, ſingularemq; præſtitiſti, ut ei nullis officijs, nulla opera, labore, induſtriaq; mea poſſe uidear ſatiſfacere: tamẽ cogitans, nihil tam ingrati eſſe animi, quàm diſſimulare quod debeas, eum perſoluere nequeas, decreui aliquid ad te literarum dare, quibus meum ſenſum aduerſum te, conſcientiamq; teſtarer. Ego ſi mihi tecum dandæ referendæq; gratiæ certamen inſtaret, continuò ſcilicet manus dediſſem tibi, utpote cuius etiã in ædibus ipſæ habitant Gratiæ. Sed quoniam maior tu es, quàm quò noſtri aſpirare conatus queant, uelut imaginarijs te quibuſdam officijs pro re, pro copia remuneramur, bene uidelicet ſentiendo, loquẽdoq; de te, fauendo tibi, omniaq; bona cupiendo. Quòd ſi officia officijs duntaxat, ac non uoluntate potius, animoq; penſantur, fateor, ſoluendo non ſum: ſin (ut Cicero putat) etiam cum habetur gratia, in eo ipſo quod habetur, refertur, non uereor quin ſim quæ debeo, ſaltem animo ipſo perſoluturus. Qui quoniã tibi totus humanitatis tuæ merito debetur, totum iam nunc eum tibi addico, ea lege, ut nunquam manumittatur. Nos ad hiſtoriam de Romanis principibus conſcribendam magno ſpiritu atq; animo adgreſſi ſumus. Et quamuis oram nuperrimè ſoluerimus, paulumq; adhuc à portu promouerimus, tamen ferentem nacti uentum, æquo pede prouehimur. Neq; dubitamus, quin proſpero Innocentij fauente numine, cuius ab auſpicio proficiſcimur, per-

petuò nobis Alcedonia futura ſint. Te uerò obſecro, ut ſi quando apud eius ſanctitatem noſtri inciderit mentio (inciderit autem quoties tu uoles) hiſce me, ſi uidetur, cōmendes uerbis: Angelus hic Politianus neq; malus homo eſt, neq; planè indoctus. Tibi uerò, ſancte pater, ita ſtudet, ut non ſit fortaſſe indignus, quem tu aliquando reſpicias. Hoc ſatis eſt ipſi, cætera mando deo. Antonij autē Lollij familiaris tui orationem illam aureolam de circumciſione legi nuper iterum atq; iterum: quàm magis legi, tam magis placuit. Græcum autem eſt uerbum: Ter pulchrum eſſe, quod ter lectum placeat. Commendarem tibi eum hominē, niſi abſurdum, præpoſterum'que uideretur, commendari à nobis illum tibi, quem ita habeas charum, ut tibi me ab ipſo uehementer cupiam commendari. Vale. M.CCCCLXXXV.

FRANCISCVS PICOLOMINEVS CARDINALIS SENENSIS ANGELO POLITIANO S. D.

Conceperamus eam de Politiano opinionem, ut augeri illam poſſe minimè putaremus, ad ſummū enim peruenerat, auxit tamen ſuis & ornatiſſimis & grauiſſimis literis, & ita auxit, ut nos, qui rebamur antè de ipſo omnia concepiſſe, ne attigiſſe quidē quanti ualeat, uideremur. Laudamus ingenij tui dexteritatem, concinnitate delectamur, miramur grauitatem. Sed hæc omnia ſilentio potius, quàm infirmo ſermone obeunda ſunt. Nec putes in eorum nos eſſe numero, qui ſub capite cōſuunt puluinaria. Amor enim uerus adulari non nouit. Teſtis deus, teſtis conſcientia noſtra. Quod autem de Romanis principibus aggreſſus es opus, erit puto abſolutum, quia tuum erit: expectamus ultimam eius manum, quam fore non dubitamus conſummatiſſimam. Nos quia uirtuti debemus, tibi debemus, cui opera & induſtria nunquam deerimus. Romæ, VIII. Idus Aprilis, M.CCCCLXXXV.

ANGELVS POLITIANVS ANTONIOTTO GENTILI CARDINALI SANCTAE ANASTASIAE S. D.

Paruum quidem tuo nomini libellū dedico, ſed (ut ſpero) nec inanem rerum, nec inopem. Multa et remota lectio, multa illum formauit opera. Titulū Nutritia diximus, qua figura & Statius Soteria. Plenior hic enim mihi uiſus, & argumento cohærentior, quàm qui olim placuerat, Nutrix. Tu uerò electus potiſſimū, in cuius appareat nomine, non quo rem tantillam tantæ uirtuti fortunæq; cōuenire arbitrer, aut hoc eſſe deniq; putem, quod tuis erga me meritis debeatur: uerùm cum prodire nollet in publicum liber ſine patrocinio, tuum præcipuè ſibi nomen inſcripſit, ex quo tutior foret, atque honeſtior. Quare ſuſcipe quæſo, quicquid hoc eſt mei fœtus, qua me quoq; ipſum ſoles humanitate. Deinceps autem plura, melioraq; forſitan accipies, modò hunc primum quaſi guſtum non aſperneris. Nec enim uel ignoro, uel diſſimulo, quantum tua mihi apud Innocentium Pontificem maximum ſuffragata ſit autoritas. Cui quidem & ipſi quotidie à me, ſi non par gratia, certè aliqua tamen pro uirili parte ſcribendo ſaltem, beneq; & ſentiendo & loquendo refertur. Vale, Florentiæ VI. Cal. Iun. M.CCCCLXXXI.

ANGELVS POLITIANVS FRANCISCO EPISCOPO CEPHALEDENSI HISPANO S. D.

Non cauſam dico, neq; abſolui me poſtulo, quin ipſe mihi nigrum appono calculum, quòd me tibi ſcripturum aliquando pollicitus, fidē quam ad menſam, etiam hoſpitalem dederam, non præſtiterim. Ipſum tibi igitur memet noxæ dedo. Abduc, uinci, quaſq; eſt cōmodū pœnas irroga.

Sed

Sed quid agas? Nõ ego ſcilicet ex ingenio emigraui meo, ſum quippe homo omnium hominum ad ſcribendas epiſtolas pigerrimus, diem ex die ducens, ac procraſtinator mirificus: præſertim ſi cum eis res amicis eſt, quorum mihi ſit & humanitas cognita, & explorata facilitas. Tutè igitur accuſandus, qui ita me iſtic humanè habueris, ut omnium quæ facturus eſſem, ueniam mihi, & impunitatem pollicerer. Sed non erit profectò cur mihi in poſterum ſuccenſeas. Nam ita crebras literas miſſiculabo, ut eas propediem aut ne lecturus quidem ſis, aut mihi ſilẽtium imperaturus. De Græco autem adoleſcente haud ſanè ſatis ex ſententia res cecidit. Illis enim ipſis, quibus Romę eramus diebus, alium ſibi patronum optauerat. Nos tamen haudquaquam deſtitimus, propter eos, quorum conſilio fretus eſt, hominem illinc potioris ſpe conditionis alectare. Sed uereor, ne ſi ad nos defecerit, tamen dies præuertatur, qua tibi in Siciliam ad tua procuranda negotia ſit abeundum. Laurentius Medices noſter magnopere his diebus ex inteſtinorum doloribus laborauit, qui nũc ut planè liberatus eſt, ita non planè recreatus. De te uerò apud illum ſtatim ut huc peruenimus, multũ ſumus diligentiſſimè locuti, ſperamusq́ nos illius in te amori, etſi erat antea quoq; maximus, nonnihil tamen addidiſſe cumuli, tuis in nos officijs exponẽdis. Vale. Florẽtię, M. CCCCLXXXV.

ANGELVS POLITIANVS EPISCOPO SYLVENSI S. D.

ET doctrina quædam nõ uulgaris, cuius mihi haud dubium ſpecimen, & ſingularis quædã humanitas, cuius omnes impleuiſti aduerſum me numeros, exigere quaſi ſuo iure aliquid à nobis uidentur literarũ, quæ noſtri apud te memoriam foueant, nec eam planè refrigeſcere patiantur. Noſtra autem cautio eſſe debet, ne diutius quàm par eſt, hominem ſcilicet occupatiſſimum teneamus. Itaq; rem ipſam in pauca conferemus. Ego me præſtantiſſimo domino Cardinali Oliſipponenſi, germano tuo, uiro excellentis ingenij, doctrinę atq; humanitatis, tantum debere intellego, quantum nunquam ſim perſoluturus, etiam ſi me oppoſuerim pignori, aut ſi bonorum omnium meorũ, atq; adeò ipſius capitis fecerim auctionem. Quare aut decîdam cum ipſo oportet, aut certè addicar. Atq; ego quidem addici malo, ut illius mihi periculo uiuendũ ſit, non meo. Sed heus tu, agas cum eo tamen te rogo, uti de nobis apud pontificem (ubi occaſio tulerit) ita aliquam faciat mentionẽ, ut intellegat eius ſanctitas, nos etiam tanti uiri iudicio nõ improbari. Neq; tu autem abſurdum ineptumq́ putaueris, ſi quò magis debemus, magis etiã debere nos poſtulamus. Mos hic uidelicet debitoribus, cùm ſint maximè obruti ære alieno, tum pecunias maximè mutuantur. Sed hæc hactenus. Nequeo autem, quin obiter cõmendem Phædrũ noſtrum, hominem candidiſſimi animi, elegantiſſimiq́ ingenij, tibiq́ in primis deditum. Scis eum minimè dubitare, quin aliquando hortatu impulſuq́ tuo adduci Cardinalis tuus poſſit, ut cũ Pontifice de horologio illo aliquid explicet. Quę ne ſpes eum fruſtra habeat (ſi qua modò copia ſit) etiam atq; etiã te rogo. Vale.

ANGELVS POLITIANVS IOANNI PETRO ARRIVABENO VRBINATI EPISCOPO S. D.

ETſi nunquam dubium fuerat, quin tibi omni laude pręſtanti uiro, nulli non honores iampridem, dignitatesq́ deberentur, tamẽ poſteaquam auditum eſt, præſulem te eſſe Vrbinatum factum, tanta uniuerſi quidem, ſed præcipuè qui literarũ ſacra ueneramur, affecti lætitia ſumus, ut inexpectatum propè, nec ſpe ulla, quaſi dixerim, præcontrectatum contigiſſe hoc nobis gaudium uideatur. Etenim cum timere iam inciperemus, quicunque tibi inuicẽ ſtudemus, ne qui dilatus à fortuna fueras, etiã planè præteritus fuiſſes:

quo grauior ille fuerat, atq; indignior metus, eò nunc & maior lætitia, & iuſtior, poſtquam is euanuit, oborta eſt. Ad hanc autem quaſi publicam tanti gaudiј priuata etiam mihi, & peculiaris accedit cauſa, quòd eum prouehi ad ingentes titulos aſpicio uirum, cuius mihi & autoritas et humanitas duriſſimis etiam meis temporibus ita ſuffragata eſt, ut tantum creſcere ſpes mea, & fiducia, quantum tua uel fortuna uel dignitas meritò debeat. Quapropter in hac animi mei præcipua quadam uoluptate, præcipuam quoq; gratulandi rationem deſiderarem, niſi tecum mihi, hoc eſt, cũ homine peritiſſimo res eſſet: cuius inſignis prudentia (ſicuti credimus) quaſi lynceis oculis in ipſa quoq; hominum præcordia introſpiciat. Illud autem neutiquam omiſerim, uideri mihi Innocentium Põtificem maximum ceu uia quadam regia, ad immortalem gloriam cõtendere, qui uiros augeat honoribus & eruditos & graues, nec deliteſcere ſub modio (quod dicitur) præclarũ uirtutis lumen patiatur. Nam ut omittam cæteros, inq; his Hermolaum Barbarum meum, quem tanto ſtudio Põtifex ornandum ſibi prius, mox autem tuendũ quoque, defendẽdumq; ſuſcepit: etiam nuper Hieronymum ipſum Balbanum audio præſtantem doctrina, & moribus hominem tecum pariter præſulem eſſe factum, quò nobis excellentis huius lætitiæ, ac uoluptatis ingens hinc etiam quaſi cumulus accederet. Cui tu quidem uelim (ſi pateris) meo quoque nomine gratuleris. Vale.

ANGELVS POLITIANVS LEONELLO EPISCOPO CONCORDIENSI S. D.

FRanciſcus Soderinus Volaterranus põtifex, epiſtolam mihi nuper ad ipſum tuam ſuper Miſcellaneis noſtris oſtendit, in qua certare dubia palma inter ſe doctrina mihi & humanitas uidebantur. Ac doctrinam quidem non modò ipſe ſtylus exhibebat elegans, ornatus, & grauis: ſed illa etiã multo magis, quæ mihi abs te de autore Stromateon Clemente obijciebantur. Humanitatis autem certiſſima illa uiſa ſunt indicia, quòd uir & autoritatis maximæ, & ſortis ampliſſimæ, multis'que & magnis agendis rebus occupatus, etiam nõnihil ad te pertinere putaſti, quid ego in meis aliquando libris tenui fortuna homuncio retuliſſem. Mitto autem quàm benignè, quàm blandè, quàm uerecundè, quàm amanter, quàm lentè etiam & cunctanter erratũ illud, ita enim uidebatur, noſtrum protuliſti. Quàm multis me prius laudibus, etiam ſi eloquentius lõgè, quàm uerius adobruiſti. Mitto quòd & Soderinum delegiſti, qui mihi rem potiſſimùm ſignificaret: quo uiro nec grauior, nec prudẽtior, nec item humanior, ſed nec mihi amicior quiſquam deligi potuit: ut ſi me literæ illę tuæ offendere aliqua ratione potuiſſent, hac una tantum potuerint, quòd nimium ſolicitus uidebaris, ne aliorſum fortaſſe acciperẽ, quod obicceras. Ego mi Leonelle, non modò in ijs quæ hactenus edidi, ſed & quæ ſcribere deinceps conor, omnibus hoc teſtatum uolo, nihil mihi eſſe prius ueri ſtudio, & recti. Si ſponte hoc aſſequor, bene habet: ſin minus, at ab alijs & placidè admoneri gaudeo, & aſperè caſtigari non recuſo. Quin ut illis habeo gratiam, ſic iſtis nõ iraſcor: honeſtius ducens aliquando doceri, quàm ſemper neſcire. non enim tam turpe refelli, quàm pulchrum corrigi. Quod autem ad Clementem attinet, artificis librarij uitiũ, non autoris eſt. Is in exemplaribus noſtris quædam malè (ut fit) aut inducta, aut deleta repererat: eaq; tamen pro rectis ac legitimis inconſultò excudit. Ita neceſſe habui curare protinus, ut errata ipſius omnia, niſi quæ relegentem fefellerãt, primis ibidem paginis imprimerentur. In eas tu fortaſſe paginas nõdum incideras, cum locum notaſti: quas tamen ſe ait è ueſtigio miſiſſe ad te Volaterranus Pontifex,

etiam antè quàm tuas mihi literas oſtenderet.Ibi igitur primo ſtatim capite corre
ctum hoc à nobis erratum reperies.Nec uerò ullis opus eſt ad hanc rem, uel Eu-
ſebijs,uel Hieronymis.Ipſos enim & legimus Græcos,& excerpſimus octo Ale-
xandrini Clementis libros,qui ςρωματεῖς appellantur. In queis alterius etiam Cle
mentis (quod uerè ais) Romani pontificis identidem teſtimonia citantur.Reli-
quum eſt,ut agam tibi gratias.Ago igitur ꝗ poſſum maximas, ut tibi me deditiſſi
mum profitear,profiteor,& quidem ex animo . Sed & rogo te etiam atq; etiã ad-
huc,ut ſi quis locus apud te uacat,numeres me quoq; inter tui ſtudioſos. Poſtre-
mò quoniam uerbis honorificentiſſimis in tua epiſtola Cardinalis Alexandrini
feciſti mentionem,cuius ſæpe mecum de literis & uita Ioannes Picus Mirandula
meus diuinè loqui ſolet, ei me quoque (ſi fas eſt) uelim des aliquo pacto in cli-
entelam. Vale.

ANG. POLITIANVS PAVLO CORTESIO SVO S. D.

REmitto epiſtolas diligentia tua collectas , in quibus legendis (ut libe-
rè dicã) pudet bonas horas malè collocaſſe.Nam præter omnino pau
cas,minimè dignæ ſunt, quæ uel à docto aliquo lectæ,uel à te collectę
dicantur.Quas probem, quas rurſus improbem,nõ explico.Nolo ſibi
quiſquam uel placeat in his,autore me,uel diſpliceat.Eſt in quo tamen à te diſſen
tiam de ſtylo nonnihil.Non enim probare ſoles(ut accepi)niſi qui lineamenta Ci
ceronis effingat.Mihi uerò longè honeſtior tauri facies,aut item leonis,quàm ſi-
miæ uidetur,quæ tamen homini ſimilior eſt. Nec ij qui principatum tenuiſſe cre-
duntur eloquentiæ ſimiles inter ſe,quod Seneca prodidit.Ridentur à Quintilia-
no,qui ſe germanos Ciceronis putabant eſſe,quòd his uerbis periodum claude-
rent,eſſe uideatur.Inclamat Horatius imitatores , ac nihil aliud quàm imitatores.
Mihi certè quicunque tantum componunt ex imitatione, ſimiles eſſe uel pſitaço
uel picæ uidentur,proferentibus quæ nec intellegunt.Carent enim quæ ſcribunt
iſti,uiribus & uita,carent actu,carent affectu,carent indole,iacent,dormiunt,ſter
tunt.Nihil enim uerum,nihil ſolidum,nihil efficax.Nõ exprimis (inquit aliquis)
Ciceronem.Quid tum? Non enim ſum Cicero,me tamen(ut opinor)exprimo.
Sunt quidam præterea, mi Paule , qui ſtylum quaſi panem fruſtillatim mẽdicant,
nec ex die ſolum uiuunt,ſed in diem: tum niſi liber ille præſtò ſit,ex quo quid ex-
cerpant , colligere tria uerba non poſſunt, ſed hæc ipſa quoque , uel indocta iun-
ctura,uel barbaria inhoneſta cõtaminant . Horum ſemper igitur oratio tremula,
uacillans,infirma,uidelicet malè curata,malè paſta, quos ferre profectò non poſ-
ſum: iudicare quoq; de doctis impudenter audentes,hoc eſt,de illis quorum ſty-
lum recondita eruditio,multiplex lectio,longiſſimus uſus diu quaſi fermentauit.
Sed ut ad te redeam Paule,quem penitus amo,cui multum debeo,cuius ingenio
plurimũ tribuo: quæſo ne ſuperſtitiõe iſta te alliges, ut nihil delectet,quod tuum
planè ſit,& ut oculos à Cicerone nunquam deijcias.Sed cum Ciceronẽ,cum bo-
nos alios multum diuq; legeris,contriueris,edidiceris,concoxeris, & rerum mul
tarum cognitiõe pectus impleueris,ac iam componere aliquid ipſe parabis, tum
demum uelim(quod dicitur) ſine cortice nates,atq; ipſe tibi ſis aliquando in con
ſilio,ſolicitudinemq; illam moroſam nimis,& anxiã deponas effingendi tantum-
modo Ciceronem,tuasq; deniq; uires uniuerſas pericliteris. Nam qui tantum ri-
dicula iſta,quæ uocatis lineamenta,contemplantur attoniti,nec illa ipſa(mihi cre
de) ſatis repræſentant,& impetum quodammodo retardant ingenij ſui : curren-
ti que uelut obſtant,& (ut utar Plautino uerbo)remorã faciunt. Sed ut bene cur-
rere non poteſt,qui pedem ponere ſtudet in alienis tantum ueſtigijs: ita nec bene

ſcribere, qui tanquam de præſcripto non audet egredi. Poſtremò ſcias infœlicis eſſe ingenij, nihil à ſe promere, ſemper imitari. Vale.

PAVLVS CORTESIVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

NIhil unquam mihi tam præter opinionem meam accidit, ꝙ redditus à te liber epiſtolarum noſtrarum. Putabam enim illum tibi in tantis occupationibus excidiſſe. Nunc autem lectis tuis literis, uideo illum nõ modò à te guſtatum, ſed etiam planè deuoratum: quum & ſcripſeris puduiſſe te in eo legẽdo bonas horas malè collocaſſe, & eas ipſas minimè tibi dignas uideri, quæ uel ab aliquo docto lectæ, uel à me collectæ fuiſſe dicantur, præter neſcio quas hominum perpaucorum. Ego autem totũ iſtud tibi remitto, nec planè iudicium meum interponam, cum nefas ſit quodammodo à te diſſentire: et ego is ſim, qui de altero iudicium facere (ut ait M. Tullius) nec uelim ſi poſſim, nec poſſim ſi uelim. Sed ueniã ad illud, in quo te dicis à me quàm maximè diſſentire. Scribis enim te accepiſſe, me neminem probare, niſi qui lineamenta Ciceronis conſectari uideantur. Ego uerò, quantũ repetere memoria poſſum: nec iſtud recordor unquam dixiſſe, nec dictum uolo. Quæ enim ſtultitia eſſet, cum tam uaria ſint hominum ingenia, tam multiplices naturæ, tam diuerſæ inter ſe uoluntates, eas uelle unius ingenij anguſtijs aſtringi, & tanquam præfiniri? Sed quoniam me in hanc diſputationem uocas, non erit fortaſſe alienũ tempus purgandi iudicij noſtri, & tuendi mei, cum planè cognoſcam uerba tua eſſe ſuaſoris, non laceſſentis. Et primùm de iudicio libentèr fatebor, cum uiderem eloquentię ſtudia tamdiu deſerta iacuiſſe, & ſublatum uſum forenſem, & quaſi natiuam quandam uocem deeſſe hominibus noſtris, me ſæpe palàm affirmaſſe, nihil his temporibus ornatè uarieq; dici poſſe, niſi ab his qui aliquem ſibi præponerent ad imitandum: cum et peregrini expertes ſermonis, alienas regiões malè poſſint ſine duce peragere, & anniculi infantes non niſi in curriculo, aut nutrice pręeunte inambulent. Cum autem multi in omni eloquentiæ genere floruerint, memini me unum Marcum Tullium ex doctorũ acie abduxiſſe, in quem omnium ingenioſorum hominum ſtudia cõferenda putarem. Non quòd ignorarẽ multos dicendi gloria præſtitiſſe, qui & acuere induſtriam, & multis oratorijs uirtutibus alere ingenia poſſent: ſed & quia uidebam hunc unum omnium ſeculorum conſenſu principẽ eſſe iudicatum, & quia à puero didiceram in omni numero ſemper optimum eſſe eligendum: corrupti ſtomachi, & intemperantis ægri eſſe putabam, deteriorem cibum ſeligere, ſalutarem, & optimũ aſpernari. Auſim nunc etiam affirmare idem quod ſæpe, neminẽ poſt M. Tullium in ſcribendo laudem conſecutũ, præter unũ aut alterum, qui non ſit ab eo edoctus, & tanquam lactis nutrimento educatus. Sed erat tum quædam certa imitandi ratio, qua & faſtidio ſimilitudinis occurrebatur, & nitidum illud genus hilaritate quadam aſperſa condiebatur: nunc autem illa ab hominibus noſtris aut neglecta eſt, aut ignorata. Similem uolo mi Politiane, non ut ſimiam hominis, ſed ut filium parentis. Illa enim ridicula imitatrix tantum deformitates & uitia corporis deprauata ſimilitudine effingit: hic autẽ uultum, inceſſum, ſtatum, motum, formam, uocem deniq; & figuram corporis repræſentat: & tamẽ habet in hac ſimilitudine aliquid ſuũ, aliquid naturale, aliquid diuerſum, ita ut cum cõparentur, diſſimiles inter ſe eſſe uideantur. Dicam idem iterum: habere hoc dilucidam illam diuini hominis in dicẽdo copiam, ut exiſtimanti ſe imitabilem præbeat, experienti ſpem imitationis eripiat. Fit enim undiq; ad eum concurſus, & quiſq; arbitratur illo modo ſe poſſe dicere. Homines enim natura ſuauitatis auidiores, difficillimam rem uoluntate, non facultate metiuntur.

Itaq;

Itaq; dum abundantiam ſermonis,&(ut ipſi aiunt)facilitatem imitantur, neruos,
& aculeos deſerunt,& tum à Cicerone abſunt longiſſimè.Nec autem refert alie-
no ornatu,& quibuſdā luminibus, ac quaſi inſignibus noſtra ſcripta explere, niſi
queamus id diſtinctè apteq; facere.Fit enim neſcio quid monſtroſum, cum mem
bra cohærētia malè diſſipant.Quare (ut de me loquar) nihil eſt Politiane, quòd
me à Ciceronis imitatione deterreas: ſed quòd potius obiurges inſcitiam, quòd
nequeam bene illum imitari: quanq; ego malo eſſe aſſecla,& ſimia Ciceronis, q;
alumnus, aut filius aliorum. Sed permagni intereſt, utrum quis uideatur quenq;
uelle imitari,aut neminem.Ego autem ſtatuo non modò in eloquētia, ſed in aliis
etiam artibus neceſſariam eſſe imitationem. Nam & omnis doctrina ex antece-
denti cognitione paratur,& nihil eſt in mente,quin fuerit prius in ſenſibus perce
ptum. Ex quo intelligitur omnem artem naturæ eſſe imitationē, ſed natura fieri,
ut ex eodem genere diſſimilitudo naſcatur. Homines enim cum inter ſe diſſimi-
les ſint,ſimilitudine coniunguntur: & quanquam alij coloratiores, alij pallidio-
res,alij uenuſtiores,alij proceriores ſint,una tamen eſt omnibus figura & forma.
Illos aūt quibus aut crus,aut manus,aut brachia deſunt,nō omnino ex hominum
genere excludendos,ſed aut mancos,aut claudos appellandos putarem. Sic elo
quentiæ una eſt ars,una forma,una imago.Qui uerò ab ea declinant,ſæpe diſtor-
ti,ſæpe claudi reperiunt̄.Aſpice nunc eos homines,qui ſibi elegerunt M. Tulliū
imitandū,quantū ab eo diſtent,quantū etiam inter ſe diſſimiles ſint.Profluentem
quandā ſine modeſtia ubertatē Liuius arripuit,acumen Quintilianus, ſonum La
ctantius, lenitatē Curtius, elegantiam Columella : quorū cum eſſet unum propè
imitandi propoſitū: nihil eſt tam diſſimile,q; ipſi inter ſe,nihil tam diſtans(ſi cōpa
rentur)q; ipſi à Cicerone.Ex quo intelligit̄ maximè, & cū iudicio ponderandam
eſſe imitationē,& eum ipſum hominē mirabilē fuiſſe,ex quo tam diuerſa ingenia
tanq; ex perenni quodā fonte defluxerint.Omnino Politiane certis autorib.inſi-
ſtendum eſt,quibus ingenia formentur,& tanq; alantur. Relinquunt enim in ani
mis ſemina,quæ in poſterū per ſeipſa coaleſcūt.Qui aūt neminem imitari, & ſine
cuiuſquā ſimilitudine laudē conſequi uideri uolunt,nihil (mihi crede) roboris,
aut uirū in ſcribendo præ ſe ferunt, & illi ipſi, qui ſe niti dicunt ingenij ſui præſi-
dijs & uiribus,facere nō poſſunt,quin ex aliorū ſcriptis eruant ſenſus,& inferciāt
ſuis,ex quo naſcitur maximè uitioſum ſcribendi genus,cum modò ſordidi,& in-
culti,modò ſplendidi & florentes appareant: & ſic in toto genere,tanquā in unū
agrum plura inter ſe inimiciſſima ſparſa ſemina. Fieri enim nō poteſt, quin uaria
ciborū genera malè concoquantur,& quin ex tanta colluuione diſſimilimi gene
ris inter ſe uerba collidantur.Nec minus huius corruptæ orationis aſper concur-
ſus aures ferit,q; ruentium lapidū fragor,aut ſtrepitus,aut quadrigæ tranſcurren-
tes. Quid enim uoluptatis afferre poſſunt ambiguæ uocabulorū ſignificationes,
uerba tranſuerſa,abruptæ ſententiæ,ſtructura ſalebroſa,audax translatio, nec fœ
lix,ac interciſi de induſtria numeri? Quod neceſſe eſt his omnibus accidere, qui
ex ſingulis ſenſus & uerba eruunt,& neminem imitantur. Horū ſanè omnis ora-
tio eſt tanquam Hebræorum domus, quibus ſunt ad quoddam tempus diuerſo-
rum hominū bona oppignetata.Nam ibi & lacernę,& amictus, & penulę,& mul
torum ſæpe pallia ſuſpenſa internoſcuntur. Ego autem tantum intereſſe puto in-
ter eum qui neminem imitatur,& qui certum ducem conſectatur,quantum inter
eum,qui temerè uagetur,& qui rectà proficiſcatur. Ille deuius inter ſpinas uolu-
tatur, hic autem ex propoſito itinere ad conſtitutū locum ſine lapſu & moleſtia
cōtendit. Præterea Politiane,ſic habe,neminem eloquentiæ laudē conſecutum,

qui non ſit in aliquo imitationis genere uerſatus. Apud Græcos non modò oratores Demoſthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeſchines, & Demarchus: ſed etiam illi philoſophi, uirtutum magiſtri, alicuius imitatores eſſe uoluerunt. De noſtris hoc loco taceo, ne uidear tibi uni omnium doctiſſimo quaſi ſcholam quandam explicare. Nec item aliquid de Marco Tullio dicendum puto, exploratũ eſt iam illud omnibus, ut qui ſe ad M. Tullium effingendum cõtulerit, ſi minus aliquam imitandi gloriam aſſequatur, in eo tamen ornetur, quòd illum ſibi elegerit exprimendum: ut illud fuiſſe naturæ & ingenij uideri poſſit, hoc iudicij. Vale.

ANGELVS POLITIANVS BAPTISTAE MANTVANO THEOLOGO CARMELITAE SVO S. D.

NEc dubito quin amer abs te, nec exigo, quod ſit incommodum, ſed nec officio literarum metior amicos: quippe quod & ab inimicis præſtari ſolet. Gratulatione tua, quòd philoſophiæ ſim deditus, ipſe mihi mediusfidius ita gratulor, daturus ut operam ſim, quò poſſis in dies magis meritò mihi gratulari. Sed adoleſcens hic tuus conſilio noſtro ſi fuiſſet uſus, magis fortaſſe ſuis rationibus conſuluiſſet. Nunc quoniam conſilio noluit (ni fruſtra augurium) credo nec opera iam uolet uti. Veruntamen ei cupio ſcribas, ut a me expectet omnia, tui quidem cauſa. Nihil enim moleſtius, ꝙ fuiſſe hunc mihi abs te fruſtra cõmendatum. Vale.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER NONVS.

ANGELVS POLITIANVS MATTHIAE DEI GRATIA INVICTISSIMO PANNONIAE REGI S. D.

CVM ſuperioribus diebus ego & Philippus Valor Florentinus, præſtans uir, tuæq; maieſtati deditiſſimus, de noſtri ſeculi principibus caſu loqueremur: ac tu primus nobis, inuicte rex, imò uerò ſolus occurriſſes, quem uideremur audacter cum quouis laudatiſſimo ueterum poſſe conferre: caſtigauit ille me uerbis amiciſſimis, quòd nunquam tibi aut lucubrationes ullas nominatim dicauerim, aut epiſtolam ſaltem ſcripſerim, quo tibi ſi non ingenium quodcunque, doctrinaq; mea, certè animus tamen ac uoluntas innoteſcerẽt. Etenim te regem temporibus eſſe noſtris aiebat unum (quòd ego illi facilimè aſſentiebar) in quo uel maximè celebrãdo labores, induſtriam uigiliaſq; ſuas omneis ponere literati homines certatim debeant: ut in cuius egregijs innumeriſq; laudibus habeat utriuſq; linguæ facultas, ubi liberrimè poſſet, & uelut in patentibus campis exſpatiari. Quare ſumpſi animum (fateor) de ſermone prudentis, & amici uiri, glorioſiſſime rex, cumq; animo ſtatim ſumpſi calamum, uidelicet in hoc, ut tuas eximias uirtutes honore ſaltem quocunq; ſtyli mei proſequerer. Sed cum ſe mihi illæ tam multæ, tam magnæ protinus obtuliſſent, ut facilius mundum pugillo poſſe crederem, quàm eas epiſtolæ breuitate complecti, mutato protinus cõſilio, dilatis pauliſper tuæ claritatis præconijs, ſtatui duntaxat in præſentia ſignificare tibi, me quoq; unum, rex, è multis eſſe, qui magno animi fauore te uenerer, dariq; mihi occaſionem celebrandi tui nominis concupiſcam. Non quia me ſperem naturali facũdia parem tuæ laudi fore, ſed quòd eſt à ſapientibus hominibus obſeruatum, non minus animi uires aliquando ꝙ ingenij ualuiſſe. Quocirca ſi quid erit, inclyte Rex,

in quo

in quo tibi mea gratificari profeſſio poſſit, rogo, obteſtorq; perinde utaris opera
noſtra, quaſi unus ex eo ſim numero, qui regni tui finibus contineatur. Vt autem
Dinocrates ille nobilis architectus Herculeo ſeſe habitu ius dicenti obtulit Ale
xandro, cumq; ſe cogitationes ac formas afferre dignas illo rege, uidelicet Atho
montem ſtatuæ uirilis effigie figurandum docuiſſet, ita regiam cõmendationem
uidelicet adeptus eſt: idem mihi ego quoq; uſu uenturum ſperaui, rex magne, ſi
pro leonis pelle non obſcuram indolem, pro claua non abſurdum ingenium, pro
corona populea non incelebrem doctrinæ mediocritatem, pro uaſtæ illius molis
compoſitiõe mulriplices tibi linguę utriuſq; figuras obtuliſſem. Nec enim minor
quouis architecto putandus, qui ſtudijs iſtis liberalib. claruerit: niſi fortè diutius
marmora & cæmenta reſtitura uetuſtati, quàm literarum monimenta cõfidimus.
Nec tu profectò Macedoni Alexãdro (ſit uerò uenia) iurè ceſſeris, Matthia rex,
ſeu uictorias eius, ſeu beneficentiam conſideres, quę duo prima tanto in rege fau
trix miratur antiquitas: niſi fortè credimus Arabas, Indos, Armenios, Chaldęos,
molliſſimas fugaciſſimasq; gentes laborioſius uinci, quàm Turcas, & Myſios, &
Triballos, & Illyricos, et Liburnos, & Boemos, & Rhetos, & Vindelicos, & alias
item bellicoſiſſimas nationes: quarum ipſa quoq; nomina Martium ſonant: niſiq;
plus eſſe putamus, quòd unum aut alterum donauit ille bene de ſe meritis homi-
nibus oppidum, quàm quòd in omnium penè ſinus, quoſcunq; dos aliqua inge-
nij uirtutisq; nobilitat, è tuis iſtis beneficis manibus, quaſi perenne fluit aurũ ſem
per, ut aqua de fontibus, & in maximã uenire iam quæſtionem cœpit illud, unde
nam tibi tanta iſta, tamq; inexhauſta diuitiarum copia, ſic omnibus uſquequaque
largienti: quanquam facilè à prudentibus intelligitur, quę plerique alij principes
in ſuas cupiditates ac libidines profundant, ea te tantum uel in ædificiorum nobi
liſſimas ſubſtructiones, uel in uſus publicos, uel in hanc poſtremò, de qua nunc
agimus, beneficentiam conferre. Quapropter uehementer cupio labore aliquo
meo tuam celſitudinem demereri: cupio ſtudijs, ingenioloq; meo, ſi detur, com-
mendare me tibi, rex inuicte. Qui ſim uerò, quem'ue inter literatos locũ teneam,
malo equidem ex aliorum tibi, quàm ex meis indicari uerbis, Tantũ dixero me
Laurentij Medicis magni, ſapientisq; uiri, tuarum uirtutum ſtudioſiſſimi non dili
gentia minus, quàm liberalitate de obſcuro, tenuiq; loco, qui naſcentem ſuſcepe
rat, in aliquam certè lucem dignitatem'que, nullis adeò niſi literarum adminicu-
lis perueniſſe, profiteri iam multos annos latinas Florentiæ literas, magna (quod
omnibus notum eſt) celebritate: ſed & Græcas ex pari cum Græcis, quod neſcio
an alteri Latinorum (dicam enim audacter) mille circiter annos antè contigerit:
ſtylum denique ſic ipſum per omnia penè materiarum diuerticula duxiſſe felici-
ter, ut (quod erubeſco, quanquam penè teſtatum, referre) cunctos fermè, qui-
cunque in literis ætate mea claruerunt, habere meruerim laudatores. Atque hæc
ego de me, Rex indulgentiſſime, nouo ſcilicet, & periculoſo more, multorumq;
reprehenſionibus obnoxio, ſimpliciter tamen, ſed & uerè: nec enim hoc, niſi &
illud, ad te ſcribo, quo deliberare ſecum tua ſapientia, uelutiq; præſcribere poſ-
ſit (modò non hæc aſpernetur) ubi nos potiſſimùm, ſcilicet in tuę ſpem gratię no
ſtri neruos ingenij contendamus. Si quid igitur ipſe mandaueris, obibo libẽs: ſin
minus, eligam tamen pro iudicio, captuq; meo, quod tibi fore arbitrer quàm gra-
tiſſimũ. Bibliothecã uideo, iampridem comparas omniũ (ſicut expectamus) nõ
ornatiſſimam ſolũ, ſed etiã copioſiſſimã. Poſſumus igitur multa (ſi res poſtulet) è
græco uertere in latinũ tibi, multaq; rurſum quaſi noua cudere, quæ nec ab erudi
tis forſitan reſpuant. Regiã conſtruis idẽ longè magnificentiſſimã, forũq; tuum
ſimulachris

ſimulachris omne genus uel æneis, uel marmoreis exornas. Nec autem ceſſant ubique terrarum nobiliſſimi pictores, tabulas tibi pulcherrimas uiuis animare coloribus. Et iſta ergo poſſumus, te iubente, non erubeſcendis illuſtrare carminibus. Iam bella, & paces mandare uicturis utriuſꝗ linguæ monumentis, & hiſtoriæ molli filo contexere pridem didicimus: tum uel undanti ſolutæ uocis eloquio, uel immortali Muſarum cantu totam poſteritatẽ ſacris implere præconijs. Quin philoſophiæ ſeria ne deſuerint cupiẽti, milleꝗ iocis tædium ſubinde, mille profectò argutijs fefellerimus. Nec autem uendito iſta tibi, dum ſic indico: nec mihi referri ob ea gratiam quæro, ſed abundè relatam putabo, ſi placuerit ex me tibi, non dicam res ipſa, ſed animus. Vt autem guſtum ſumere aliquem iam nunc uigiliarum noſtrarũ poſſis, en poema tibi multa lima cruciatũ, quod laudes poeticæ, quod hiſtoriam continet omniũ ferè uatum. Sed & mittam cõmentarios paulo poſt in id opus copioſiſſimos, in quibus quicquid de uaria multipliciꝗ lectiõe cõdidimus, explicabitur. Ac (niſi me dulciſſimus amor ſuſcepti laboris fallit) tantas ex hoc libello uelut è theſauro diuitias proferemus, ut magna ex parte ſtudioſæ iuuentutis quædam ueluti inopia releuetur: ac tum deniꝗ puto quiuis intelleget, ꝗ multis iſta mihi lucubrationibus conſtiterint. Quare ne quæſo numeret Angeli Politiani carmina lector, ſed ponderet. Tu uerò, Matthia rex regũ prorſus omnium celeberrime, dum tibi cõmentarios quoꝗ multiplici pagina ſurgentes euigilamus, accipe hunc interim rogo libellum, uultu quo regem decet, hoc eſt, ſereno & hilari, quem tibi uidelicet ego ſi non erudititiſſimus, at certè tuo nomini deuotiſſimus homo, quaſi deo donum religioſa mentis atque animi pietate conſecraui. Vale.

ANG. POLITIANVS BERNARDO RICCIO SVO S. D.

ACcepi uerſiculos tuos ingenioſos, eleganteis, uenuſtos, facileis, ſed ita tamen affectibus plenos, ut eos non fictos, quemadmodum tu uis, ſed ueros eſſe amatorios exiſtimem. Delectatus lectione ſum, ſed & admiratus admodũ, ſuperfuiſſe tibi tempus in hos tam delicatos luſus à publico munere, quod & diligenter obire diceris, & prudenter. Quòd autem me rogas, ut eos angulo cuipiam ſecretiori ſolus inſuſurrem, mox uerò domi ſeptos & incluſos habeam: quanquam tibi rebus omnibus obſequi ſtudeo, tamẽ in hoc uno minus obtemperabo, ne quid amor ſuccenſeat, ſi retineam tam bellos ipſius miniſtros, & uelut in ergaſtulo ſupprimam. Sed de uerſiculis aliàs. Scribis autem permultos iſthic eſſe, qui Ioannem Picum Mirandulam laudari à nobis in cognitione rerum, ſtudioq́ue ſapientiæ non moleſtè ferant, ijdem tamen ornamenta dicendi, ſplendoremq́ue illi quaſi oratorium tribui uix patiantur. Itaque rogas, ut ipſius uel epiſtolam tibi mittam, uel breue aliquod omnino ſcriptum, quod circumferre tecum poſſis, & oſtentare: ne tuis tantũ uerbis, aut illius æſtimatio propugnanda ſit, aut noſtra fides abſoluenda. Gero equidem morem, deſcriptamꝗ tibi epiſtolam Pici mitto, qua barbaros philoſophos aduerſus Hermolaum Barbarum, ſed nihil minus quàm barbarum defendit, ſimul ipſius Hermolai reſponſum luculentè ſcriptum, quò conferre utriuſꝗ ſtylum, genuſꝗ dicendi poſſis. Aeſtimabis igitur ex hac epiſtola Picum, ſed ut leonem (quod Græci dicunt) ab unguibus. Etenim ſolitus ille tractare ampla quædã ſemper, & ſcribere: quod opera illius indicabunt, magnis de rebus, quæ domi clauſa cottidie matureſcũt, ad argumẽta deinde minora hęc & leuiora, uix exiguã partẽ conferre ſuarũ uiriũ dignatͣ. Quapropter hanc ipſam epiſtolã tam plenã, tam ſpiſſam, tam diuitẽ, paucis antemeridianis horis extẽpore propè dictauit. In qua tamẽ (ut uidebis) electa uerba,

casta

caſta latinitas, Atticus nitor, iunctura tenuis, numeroſus ambitus, grata concinnitas, hilaris color, pura uenuſtas, ornatus facilis, agentes figuræ, ſenſus acres, apta exempla, multa fides, argumenta fortia, graue conſilium, ſubtile iudicium, uis alta, indoles rara, mira maieſtas. Sed hoc uſu plerūq; uenit, quod & M. Cicero quodam loco ſcribit, ut in rebus diuerſis eundem præcellere nolint homines. Itaque Picus noſter, quoniam fidem fecit apud omnes diu, quantum emineat in ſtudio ſapiētiæ, pro quo ſunt illi maxima bella pugnata: nunc impetrare nō poteſt, cùm ſit eloquentiſſimus, ut in dicendo ſaltem nec incultus omnino, nec inelegans habeatur. Sed qui deinceps ſequentur dies (ut Pindarus inquit) teſtes erunt ſapientiſſimi. Tibi tamen interim ſtudioſo uidelicet utriuſq; noſtrum, quaſi de lacu muſtum quod deguſtes, hanc eius epiſtolam propino. Quæ diſplicere non debet, propterea quòd eloquentiam deſtruit. Deſtruit enim ſic eloquenter, ut adſtruat hoc ipſo quod deſtruit. Ita nihil eloquentiam deſtruere præter eloquentiam poteſt: ideóque nec ipſa poteſt, quoniam ſcilicet hoc quoque poteſt, quod omnino non poteſt. Vale.

HERMOLAVS BARBARVS VENETVS IOANNI PICO MIRANDVLAE S. D.

NOn poſſum tibi non uideri planè barbarus, & ingratus, qui tibi toties, & tam multa de me non minus ſcribenti ſemper, & prædicanti, ſed ſentienti quoq; gratias agere diſtulerim. Nullæ enim unquam uenerunt huc à te literæ, ex quo ſum tibi cognitus, quin mentionē in illis de me illuſtrem, & honorificam habueris. Sed uide quanti faciam teſtimonium tuum de me, ſiue id iudicio agas, ſiue propenſione uoluntatis. Ego alioqui modeſtus, imò timidus, & parum mihi fidens, uideor aliquid eſſe, quòd tu me laudas, quòd mea probas, quòd in Themiſtio noſtro, quemadmodum ſcribis, tanquam in iucundiſſimo diuerſorio ſæpe conquieſcis. Quid quòd in literis tuis plerūq; me recognoſco? Ecquid arbitraris quicquam nobis eſſe poſſe iucundius, quàm cùm te uel noſtrum aliquod inciſum, uel circuitum, uel figuram dicendi non adeò notaſſe, ſed imitatum eſſe perſpicio? Et niſi quòd ad multos ſcribendo non uideris hoc facere ſimulanter, & ex compoſito, magnæ mihi ſeſe rationes offerūt, quamobrem hoc à te repertum putem ad gratiam. Nec enim uidere poteram, quare tu genus illud tuum dicendi fluens, ac floridum frangeres, & ad me deficeres, qui filum orationis aridum, & prætenuè ſequutus humi ſerpo, nunquam aſſurgo, non inſpiro, non circumduco, nō eleuo, non abijcio, inuita ſcilicet, & repugnante natura. Omnino de me neſcio quid in me laboris & diligentię, cætera nihil ſum, niſi cum à te, uel ſimilibus tui q̃ pauciſſimis cōmendor, aut cum placere tibi mea, uel ad imitationem uſq; comperio. O præclarum, & planè diuinum ingenium tuum Pice, qui cum optima ſint ea, quæ tu ſcribis, ita tamē exprimas, & effingas aliena, quæ ſunt peſſima, ut uideantur eſſe tua, quæ ſunt optima. nam demittere ſe, ac deſcēdere pluris eſſe deputo, quàm in ardua conari. Vt enim ſit hoc honeſtius, illud certè laborioſius, & operæ maioris. Proinde ſiue tu talia credis eſſe noſtra, quib. imitandis operā impendas: ſiue hoc agis demerendi mei cauſa, utroq; modo tibi plurimùm debeo: relaturus aliquando gratiam, nolo dicere, cùm potero (nunq; ẽm potero) ſed cū tu ipſe, uel tui poſſe me putabitis: tanta ẽm eſt familię totius ueſtræ bonitas & humanitas, ut beneficiū quod nō eſt, imputare ꝓ beneficio ſoleatis: quamobrē ex uſu meo fecero, ſi uobis & modū & tēpus repoſcēdæ gratiæ reliquero, ut in expunctiōe rationū paralogiſmus omnis, & impoſtura nō à me, ſed à uobis tota proficiſcat. Quę uerò de ratione ſtudiorū tuorū ad Scythā ſcripſiſti,

& commu-

& communicanda mecum eſſe uoluiſti,maxima uoluptate nos affecerunt.Gratulatus ſum huic ſeculo uirum tanta doctrina, ut nihil ferè neſciat, tanta cura, ut nil omnino ſcire uideatur. Video te poetam egregium, oratorem eminentiſſimum. Animaduerto te philoſophum prius Ariſtotelicum,nunc etiam Platonicũ eſſe. Video literas græcas,quæ in te ſolæ deſiderari poterant, & ſine quibus nihil eras futurus,non didiciſſe modò,ſed hauſiſſe: idq; facilitate tanta, celeritateq́;, ut literas græcas ignoraſſe aliquãdo te neq; tu memineris,neq; perſuadere poſſis alios, id quod de Hieronymo Donato meo nõ plus libenter quàm uerè prædico. Hortarer te ad has literas,uti eas tam planè familiariter, quàm latinas teneres,ſed non indiges calcaribus.Et hercule uerba prodigunt,quicunq; peritioribus ſe conſiliũ dare pergunt. Vnũ te ſcio ſcire,nullius latina lingua tot ſeculis extare monumenta,qui literis græcis caruerit. Nec enim inter autores latinæ linguæ numero Germanos iſtos,& Teutonas, qui ne uiuentes quidem uiuebant, ne dum ut extincti uiuant: aut ſi uiuunt,uiuunt in pœnam & cõtumeliam. Appellantur enim uulgò ſordidi,rudes,inculti,barbari, Quis malit ſic eſſe, quàm prorſus non eſſe? At enĩ utile aliquid dixerunt,ualuere ingenio,doctrina,bonarum rerum copia:nõ nego penitus,quod & poſſum negare: ſed ſermo nitidus & elegans,ſaltem purus & caſtus,qualis uel in autoribus Chriſtianis,Græcis,Latinisq; perſpicitur, laudem,& memoriam ſempiternam ſcriptoribus conciliat. Niſi quis pictorem,& excuſorẽ, & ſtatuarium,& cęteros opifices laudari poſſe iudicet hoc ſolo,quòd magni conſtet,& precioſa ſit materia, circa quam uerſentur. Aut ſi Chœrilus & Meuius habuiſſent illam ſegetem canendi,quam Vergilius & Homerus, futurum fuiſſe, ut primũ à Criticis & Ariſtarchis, mox cõmuni Grammaticorum conſenſu redigerentur in numerum poetarum. An uerius eſt, Chœrilum & Meuium quacunque materia,Chœrilum & Meuium futuros,neq; Chœrilum Iliada,neq; Meuium Aeneida conſcripturos unquam fuiſſe? Non plus utiq; quàm Chœrilum Aeneida, Meuium Iliada. Quî enim poſſum non iocari,cum ſcribo de ridiculis? Sed nimis fortaſſe multa de nebulonibus: redeo ad propoſitũ. Amplectere literas græcas, non iam ut diſcipulus,ſed ut doctor,gloriareq; de nullo uerius dici poſſe tritum illud,q̃ de te,per omneis arteis multos diſcipulos meliores eſſe præceptoribus: id quod ſenario græco ſignificantius exprimitur: πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων. Quòd uerò me ad Platonis libros,& placita hortaris,agnoſco beneuolentiã tuam. Habeo Platonem in manibus,& habebo ſemper cùm ſponte mea ſatis inuitatus,tum à te fideliter & amicè cõmonitus. Verbum eſt Simplicij: Nemo profiteatur Ariſtotelem, qui Platonem ab Ariſtotele diſſociet, ut diuerſa ſentientem: Cui autem poteſt conſentire Plato cum Ariſtotele,niſi ei qui libros & cõmentationes utriuſq; cognouerit? Codices quicunq; ſunt apud nos,ex ijs quos deſideras,curabo tibi protinus exſcribantur. Vale. Venetijs, Nonis Aprilis, M.CCCC LXXXV. Politianum meum ἀσπάζομαι.

IOANNES PICVS MIRANDVLA HERMOLAO BARBARO SVO S. D.

EGo quidem,mi Hermolae,nec poſſum aut tacere,quæ de te ſentio,aut non ſentire ea quæ de illo debeant,in quo omnia ueluti ſingula ſumma reperiantur. Sed utinam eſſet is meæ mentis captus, ut pro meritis tuis de te ſentirem: utinam ea dicendi uis,ut exprimere aliquando poſſem, quod ſemper ſentio. Scio quæ de te concepi infinitum ſubſidere infra faſtigia doctrinæ tuæ. Scias & tu quæcunque loquimur, longè eſſe minora ijs,quæ concepimus. Tam deeſſe ſcias animo uerba, quàm rebus animus deeſt. Et tamẽ ita me

audere

audere credis,ut ſperem poſſe imitari tua, quorum nec magnitudinem æſtimare
poſſum.Admirari te poſſunt omnes, imitari tã pauci poſſunt, quàm nemo repre-
hendere.Et utinam ea mihi felicitas , ut quæ ſcribam , Hermolaum meum aliqua
ex parte imaginentur.Ipſe enim(ut taceam cætera) ſtylus tuus , cui tu adeò malè
faues,mirum quantum me afficit,atq; delectat.Ita eſt doctus,grauis, compoſitus,
eruditus,excuſſus,ingenioſus,in quo nihil expoſitum,nihil uulgatum,nihil ſit tri
uiale , ſeu uerba , ſeu ſententias ſpectes . Legimus ſæpe ego & noſter Politianus
quaſcũq; habemus tuas,aut ad alios,aut ad nos epiſtolas.Iia ſemper prioribus cer
tant ſequentia,& nouæ fertiliter inter legendum effloreſcũt ueneres , ut perpetua
quadam acclamatione interſpirandi locum non habeamus . Sed mirum dictu,
quàm perſuadeas,& legentis animum quocũq; uelis impellas.Expertus ſum ego
cum ſemper aliàs,tum hac proxima tua ad me epiſtola , in qua dum barbaros hos
Philoſophos inſectaris,quos dicis haberi uulgò ſordidos , rudes , incultos, quos
nec uixiſſe uiuentes,nedum extincti uiuant : & ſi nunc uiuant,uiuere in pœnam,
& contumeliam,ita hercules ſum commotus , ita me puduit , piguitq; ſtudiorum
meorum(iam enim ſexennium apud illos uerſor)ut nihil minus me feciſſe uelim,
quàm in tam nihili facienda re tam laborioſe contendiſſe.Perdiderim ego,inquã
apud Thomam,Ioannem Scotum,apud Albertum,apud Auerroem meliores an
nos,tantas uigilias,quibus potuerim in bonis literis fortaſſe nõnihil eſſe.Cogita-
bam mecum ut me conſolarer , ſi qui ex illis nunc reuiuiſcant , habituri'ne quicq;
ſint,quo ſuam cauſam argumentoſi alioqui homines ratione aliqua tueantur. De
mum ſuccurrit ex ipſis quempiam paulò facundiorem ſuam barbariam,quàm po
terit minime barbarè hunc in modum fortaſſe defenſurum : Viximus celebres ô
Hermolae,& poſthac uiuemus,non in ſcholis grammaticorum , & pædagogijs,
ſed in philoſophorum coronis,in conuentibus ſapientum,ubi non de matre An-
dromaches,non de Niobes filijs , atq; id genus leuibus nugis,ſed de humanarũ,
diuinarumq; rerum rationibus agitur, & diſputatur . In quibus meditandis,inqui
rendis,& enodandis,ita ſubtiles,acuti , acresq; fuimus , ut anxij quandoq; nimiũ,
& moroſi fuiſſe fortè uideamur,ſi modò eſſe moroſus quiſquam , aut curioſus ni-
mio plus in indaganda ueritate poteſt.Atq; in his quidem ſiquis nos arguat hebe
tudinis,& tarditatis,age amabo quicunq; is eſt,pedem conferat,experietur habu
iſſe barbaros non in lingua,ſed in pectore Mercurium,non defuiſſe illis ſapienti-
am,ſi defuit eloquentia:quam cum ſapientia non coniunxiſſe tantum fortaſſe ab-
eſt à culpa,ut coniunxiſſe ſit nefas.Quis enim cincinnos,quis fucum in proba uir
gine non damnet? Quis in Veſtali non deteſtetur ? Tanta eſt inter oratoris mu-
nus,& philoſophi pugnantia,ut pugnare magis inuicem nõ poſsint. Nam quod
aliud rhetoris officium,quàm mentiri,decipere, circumuenire,præſtigiari ? Eſt e-
nim ueſtrum(ut dicitis)poſſe pro arbitrio in candida nigrũ uertere, in nigra can-
didum:poſſe quæcunq; uultis tollere , abijcere, amplificare , extenuare dicendo.
Demum res ipſas magicis quaſi(quod uos iactatis)uiribus eloquentiæ, in quam
libuerit faciem,habitumq; transformare,ut non qualia ſuopte ingenio,ſed qualia
uolueritis,non fiant quidem,ſed cum non ſint, eſſe tamen audientibus appareãt.
Hoc totum eſt'ne quicquam aliud,quàm merum mendaciũ, mera impoſtura, me
rum præſtigium,cum à natura rei ſemper,uel augendo excedat,uel minuendo de
ficiat,& fallacem uerborum concentũ,ueluti laruas , & ſimulachra , prætendens,
auditorum mentes blandiendo ludificet? Erit ne huic cũ philoſopho affinitas, cu
ius ſtudiũ omne in cognoſcenda,& demonſtranda cæteris ueritate uerſatur? Ad-
de quòd nobis nulla erit fides:lautitias uocum,& ueneres affectantibus,quaſi re-

bus parũ fidentes, nec uero nixi trahere in ſententiã his lenocinijs homines quęramus. Eſt ob hanc cauſam legere res ſacras ruſticè potius, ꝙ elegãter ſcriptas: ꝙ nihil ſit magis dedecens, & noxium in omni materia, in qua de uero cognoſcendo agitur, quàm uniuerſum iſtud dicẽdi genus elaboratum. Hoc, hoc forenſium eſt quæſtionum, nõ naturalium atq; cœleſtium. Non eſt eorum qui in Academia, ſed qui in republica illa uerſantur, in qua quæ fiunt, quæq; dicuntur, populari trutina examinanť, apud quam flores fructibus longè præponderant. Non' ne ſcis illud? Non omnia omnib. pari filo cõueniunt. Eſt elegans res (fatemur hoc) facundia, plena illecebræ & uoluptatis, ſed in philoſopho nec decora, nec grata. Quis mollẽ inceſſum, argutas manus, ludibundos oculos in hiſtrione & ſaltatore non probet? in ciue, in philoſopho, quis non improbet, arguat, abominetur? Si puellam uiderimus moribus lepidam atq; dicaculã, laudabimus, exoſculabimur: hæc in matrona damnabimus, & perſequemur. Non ergo nos, ſed illi inepti, qui ad pedes Veſtæ agant Bacchanalia, qui grauitatẽ philoſophicarũ rerum & caſtitatẽ ludicris ueluti, & calamiſtris dehoneſtent. Profectò quod Sineſius de adoleſcente, de oratione dici cõmodè poteſt, comatam orationẽ ſemper cinædam. Quare nos noſtrã malumus capillis hirtam, globoſam, inexpeditam, ꝙ cum impuritatis uel nota uel ſuſpicione bellè comatam. Alioqui Palladis peplũ nõ reuelaret, ſed à ſacris uti profana repelleretur. Et ut nihil ſint reliqua, hoc eſt uerisſimũ, nihil eſſe diuerſum magis ab inſtituto philoſophi, quacunq; in re, ꝙ quòd luxum aut faſtum aliqua ex parte ſapit. Sicyonios calceos habiles, aptosq; ad pedem dicebat Socrates, ſed Socrati non conuenire. Omnino non eadem ratio ciuilis habitus, & philoſophici, ſicut neq; menſæ, neq; ſermonis: utitur his philoſophus duntaxat ad neceſſitatẽ, utitur ciuilis homo etiam ad gratiã: quam & hic ſi neglexerit, nõ ciuilis: & ille ſi affectauerit, nõ erit philoſophus. Si poſſet Pythagoras uiuere ſine cibo, holeribus etiã parceret: ſi ſua ſenſa aſpectu, aut demũ minore, ꝙ ſermonis opera explicare, omnino nõ loquereť, tantũ abeſt, ut linguam poliat & exornet. Quod uel ob id cauendũ nobis, ne illectus cute medicata lector demoretur ad eam, ad medullã & ſanguinẽ non peruadat, quem ſubeſſe ſæpe ceruſſato ori infectũ uidimus. Vidimus, inquam, in hiſce omnibus, quibus propterea uſu uenit, cum nihil ſit intus nõ inane & uanũ, detinere lectorẽ in prima facie, modulatu uario atque cõcentu: quod ſi fecerit philoſophus, clamabit Muſonius nõ philoſophũ loquí, ſed tibicinẽ canere. Non ergo nobis uitio detur, id nõ feciſſe, quod feciſſe uitium erat. Quærimus nos, quid' nam ſcribamus, non quærimus quomodo: imò quomodo quærimus, ut ſcilicet ſine pompa & flore ullo orationis, quam nolumus ut delectabilis, uenuſta & faceta ſit, ſed ut utilis, grauis & reuerenda, ut maieſtatẽ potius ex horrore, ꝙ gratiam ex mollitudine cõſequatur. Non expectamus theatri plauſum, quòd aures demulſerit æquabilis clauſula, uel numeroſa, ꝙ hoc ſit falſum, illud ſit lepidũ: ſed expectamus paucorũ potius pręadmiratione ſilentiũ, introſpicientiũ penitus aliquid, aut de naturę adytis eruditũ, aut de Iouis aula ad homines adductũ, tum uel aliquid ita argutũ, ut defendendi, ita defenſum, ut arguendi non ſit locus. Admirentur præterea nos ſagaces in inquirendo, circumſpectos in explorando, ſubtiles in contemplando, in iudicando graues, implicitos in uinciendo, faciles in enodando. Admirentur in nobis breuitatem ſtyli, fœtam rerum multarum, atq; magnarum, ſub expoſitis uerbis remotiſſimas ſententias, plenas quæſtionum, plenas ſolutionum: quàm apti ſumus, quàm bene inſtructi ambiguitates tollere, ſcrupos diluere, inuoluta euoluere, flexianimis ſyllogiſmis & infirmare falſa, & uera confirmare. His titulis, ô Hermolae, uindicauimus hucuſq;,

& uin-

& uindicaturos poſthac ab obliuione memoriam noſtram nõ dubitamus. Quòd ſi uulgò (ut dicis) habemur ſordidi, rudes, inculti, hoc nobis ad gloriam eſt, non ad contumeliam. Vulgo non ſcripſimus, ſed tibi, et tui ſimilibus. Nec aliter quàm priſci ſuis ænigmatis, & fabularum inuolucris arcebant idiotas homines à myſterijs: & nos conſueuimus abſterrere illos à noſtris dapibus, quas nõ polluere non poſſent, amariori paulum corticė uerborum. Solẽt & qui theſauros occultare uolunt, ſi non datur ſeponere, quiſquilijs integere, uel ruderibus, ut prætereuntes non deprehendant, niſi quos ipſi dignos eo munere iudicauerint. Simile philoſophorum ſtudium celare res ſuas populum, à quo cum non probari modò, ſed nec intelligi illos deceat, non poteſt non dedecere habere aliquid, quæ ipſi ſcribunt, theatrale, plauſibile, populare, quod demum multitudinis iudicio accõmodare ſe uideatur. Sed uis effingam ideam ſermonis noſtri? Ea eſt ipſiſſima, quæ Silenorum noſtri Alcibiadis. Erant enim horum ſimulachra hiſpido ore, tetro, & aſpernabili, ſed intus plena gemmarum, ſupellectilis raræ, & precioſæ: ita extrinſecus ſi aſpexeris, feram uideas: ſi introſpexeris, numen agnoſcas. At, inquies, non ferunt aures, nunc aſperam, nunc hiulcam, ſemper inconſonam texturam, non ferunt barbara nomina, ipſo etiam penė timenda ſono. O delicate, cũ accedis choraulas, & citharœdos pone te in auribus: cum uerò philoſophos, auoca à ſenſibus, redeas ad te ipſum in animi penetralia, mentiſq; receſſus. Aſſume illas Tyanei aures, quibus, cum omnino non erat in corpore, non terreſtrem Marſiam, ſed Apollinem cœleſtem diuina cithara uniuerſi melos ineffabilibus temperantem modis exaudiebat. His auribus philoſophorum uerba ſi delibaueris, mellea tibi ad Neſtoris inuidiam eſſe uidebuntur. Sed hæc ſinamus nimio plus aſſurgentia. Profectò faſtidire in philoſopho ſubtiliſſimė diſputante minus concinnã elocutionem, non tam delicati ſtomachi eſt, quàm inſolentis. Neq; eſt aliter, ac ſi quẽ in Socrate de moribus docente offendat laxus calceus, aut toga diſſidens, & ſectum prauė ſtomachetur ob unguem. Non deſiderat Tullius eloquentiam in philoſopho, ſed ut rebus & doctrina ſatisfaciat. Sciebat tam prudens, quàm eruditus homo, noſtrum eſſe componere mentẽ, potius quàm dictionem: curare, ne quid aberret ratio, nõ oratio. Attinere ad nos τὸν ἐν διαθέσει λόγον, non attinere τὸν ἐν προφορᾷ. Laudabile in nobis habere Muſas in animo, & non in labris: ne quid in illo uel per iram ſonet aſperius, uel per libidinẽ eneruatius. Deniq; ne qua ſit diſcors à genuina ipſa, qua temperatus eſt modulabiliter harmonia. Quã Plato cum intelligeret theatrali iſta, & poetarum ſæpe corrumpi, à repub. ſua poetas omnes eliminauit, gubernandam autem philoſophis reliquit, mox certė ſi per laſciuiam diſſerendi poetas fuerint imitati, exilio condemnandis. At inſtabit Lucretius, etſi non egeant per ſe philoſophiæ cõmentationes amœnitate dicendi, per eius tamẽ adhibitionem diſſimulandam eſſe ipſarum rerum auſteritatem: ſicut abſynthia per ſe pellunt morbos, melle tamen illinuntur, ut puerorum ętas improuida ludificetur. Hoc fortė tibi faciendum erat, ô Lucreti, ſi pueris ſcribebas tua: ſi uulgò, faciendum utiq; tibi, qui non abſynthia modò, ſed meraciſſima toxica propinares. Sed longė alia nobis habenda ratio, qui uulgus (ut antė diximus) non allectare quærimus, ſed abſterrere, nec tetra abſynthia, ſed nectar propinamus. Sed cõtendet Lactantius, ſatis conſtare in auditorũ animos, uel ſeniorum influere potẽtius ueritatem, & ui ſua inſtructã, & luce orationis ornatam. Si fuiſſes ô Firmiane, tam frequens in ſacris literis, quàm in fictis litibus fuiſti, & hoc non dixiſſes, & noſtra non minus bene fortaſſe confirmaſſes, quàm deſtruxeras aliena. Dic, quæſo, quid mouet fortius, & perſuadet, quàm ſacrarum lectio literarum? Non mouent, non

perſuadent,ſed cogunt,agitant,uim inferunt legis rudia uerba,& agreſtia:ſed ui-
ua,ſed animata,flammea,aculeata,ad imum ſpiritum penetrantia, hominē totum
poteſtate mirabili transformantia. Periclis orationibus elaboratis, & luculentis
nihil ſe cōmoueri inquit Alcibiades, ſed Socratis uerbis nudis,& ſimplicibus.
Addit,etiam ſi ſint inepta,rapi in furorem,extra ſe poni,& uelit,nolit,faciendum
ei quod ille præceperat.Sed quid perdo uerba in re confeſſa? ſi non deſipit audi-
tor,à fucato ſermone quid ſperat aliud quàm inſidias? Tribus maximè perſuade-
tur,uita dicentis,ueritate rei,ſobrietate orationis.Hæc ſunt Lactanti, quæ philo-
ſopho fidem conciliabunt: ſi bonus fuerit, ſi ueridicus, ſi id genus dicendi appe-
tens,quod non ex amœnis Muſarum ſyluis,ſed ex horrēdo fluxerit antro,in quo
dixit Heraclitus latitare ueritatem. At dicet quiſpiam: Agè amice, examine-
mus hæc depoſita contentione. Reuerendum quiddam, atque diuinum per ſe
eſt ſapientia, nec exotico quoquam eget ornatu: ſed quæ inuidia & hunc acce-
dere? Quis negat quæ per ſe decent,ſi adornentur,fieri decentiora? Ego amice
hoc in pleriſque nego, adeò multa ſunt, quorum ſplendorem, ſi quid adiunxe-
ris, elimines,& non illuſtres: ita ſunt ſcilicet in ſua natura optimo ſtatu, ut demu-
tari ab illo,niſi in peius, non poſſint. Marmorea domus picturam non recipit, ſi
opus albarium ſuperinduxeris,demas de dignitate,de pulchritudine. Non aliter
& ſapientia, & quæ tractantur à philoſophis tectorio non clareſcūt,ſed offuſcan-
tur. Quid plura? Non'ne uulgatum bonas formas ceruſſa deuenuſtari? In uni-
uerſum quicquid pulchri ſuperimponas, celat quod inuenit: quod affert ſecum,
illud oſtentat. Quare ſi quod prius fuerat, aduentitio præſtat, iacturam fecerit il-
lud quicquid eſt, non lucrum. Ob eam cauſam nudam ſe præbet philoſophia,
undique conſpicuam, tota ſub oculos, ſub iudicium uenire geſtit, ſcit ſe habere
unde tota undique placeat. Quantum de ea ueles, tantum de forma uèles, tan-
tum de laude minuas, ſynceram, & impermixtam ſe haberi uult, quicquid ad-
miſceas, infeceris, adulteraueris, aliam feceris, ſtat puncto inſectili, & indiui-
duo. Quapropter nec ludendum tropis, nec uerbis aut nimijs luxuriandum,
aut translatis laſciuiendum, aut factitijs audendum in re tam ſeria, tanti diſcrimi
nis, in qua demere, addere, demutare aliquid, ſit flagitium. At, inquies: Age
damus hoc uobis, ut non ſit ueſtrum, ornatè loqui: ſed ueſtrum eſt certè (quod
nec præſtatis) ut Latinè ſaltem, ut ſi non floridis, ſuis tamen uerbis res explice-
tis. Non exigo à uobis orationem comptam, ſed nolo ſordidam: nolo unguen-
tatam, ſed nec hircoſam. Non ſit lecta, ſed nec neglecta. Non quærimus ut de-
lectet, ſed querimur quòd offendat. Bene habet, iam ſcilicet ad nos deficis.
Sed amabò iam cognoſcamus, quid iſthæc ſit latinitas, quam ſolam dicitis de-
bere philoſophos, & non perſoluere. Si dicendo incurrat, exempli cauſa, à ſo-
le hominem produci, cauſari hominem, noſtrates dicent. Clamabis actutum,
hoc non eſt Latinum, hucuſque uerè, non eſt Romanè dictum: hoc uero ue-
rius, igitur non rectè, peccat argumentum. Dicet Arabs eandem rem, dicet Ae
gyptius, non dicent Latinè, ſed tamen rectè. Aut enim nomina rerum arbitrio
conſtant,aut natura.Si fortuito poſitu, ut ſcilicet communione hominum in ean
dem ſententiam conueniente,quo ſanxerint unumquodq; nomine appellare,ita
apud eos rectè appelletur: quid prohibet hoſce philoſophos, quos nuncupatis
barbaros, conſpiraſſe in unam dicendi normam, apud eos non ſecus ſanctam,ac
habeatur apud uos Romana? Illam cur rectam non appelletis,appelletis ueſtrã,
nulla eſt ratio, ſi hæc impoſitio nominũ tota eſt arbitraria. Quòd ſi dignari illam
Romani nominis appellatione nõ uultis,Gallicam uocetis,Britannicã,Hiſpanã,
uel

uel(quod uulgares dicere ſolent)Pariſienſem. Cum ad uos loquentur, continget eos pleraque rideri, pleraque non intelligi. Idem accidet uobis apud eos loquentibus, ἀνάχαρσις παρ᾽ ἀθηναίοις σολοικίζει, ἀθηναῖοι δὲ παρὰ σκύθαις. id eſt: Anacharſis apud Athenienſes ſolœciſmum facit, Athenienſes apud Scythas. Quòd ſi nominum rectitudo pendet ex natura rerũ, debemus'ne rhetores, an philoſophos, qui rerum omnium naturam ſoli perſpectam habent & exploratã, de hac rectitudine conſulere? Fortè quæ aures reſpuunt, utpote aſperula, acceptat ratio, utpote rebus cognatiora. Sed quid oportuit nouare eos linguam, & ſi nati erant inter Latinos, non latinè loqui? Non poterant illi, ô Hermolae, dum legebant in cœlo fatorum leges, euentorum notas, ordinem uniuerſi: legebant in elementis naſcendi uices & obeundi, ſimplicium uires, mixtorum temperaturas: non poterant, inquam, eodem tempore in Cicerone, in Plinio, in Apuleio Romanæ linguæ proprietates, leges, obſeruantias adnotare. Quærebant quid abhorrens, quid receptum in natura, quid à Romanis interea non curabant. Verumenimuero iam te loco meliore ſtatuo, do tibi eloquentiam, & ſapientiam mutuo nexu inuicẽ conſpiraſſe. Abiunxerunt philoſophi ſapientiam ab eloquentia, abiunxerunt hiſtorici, rhetores, poetæ, quod deflet Philoſtratus, eloquentiam à ſapientia. Hos tu uicturos celebri fama minimè dubitas. Illos non niſi in pœnam & contumeliam. Vide quid agas, indiſertam mauult Cicero prudentiam, quàm ſtultam loquacitatem. Non quærimus in pecunia, qua moneta percuſſa ſit, ſed qua materia cõſtet. Nec eſt qui purum aurum non malit habere ſub nota Teutonum, quàm ſub Romano ſymbolo factitium. Peccant qui diſſidium cordis & linguæ faciunt: ſed qui excordes toti ſunt lingua, non'ne ſunt mera (ut Cato ait) mortuaria gloſſaria? Viuere ſine lingua poſſumus, fortè non cõmodè: ſed ſine corde nullo modo poſſumus. Non eſt humanus, qui ſit inſolens politioris literaturæ. Non eſt homo, qui ſit expers philoſophiæ. Prodeſſe poteſt infantiſſima ſapientia, inſipiens eloquentia, uti gladius in furentis manu, non obeſſe maximè non poteſt. Ergo, inquies, & ſtatuæ non à figura, ſed à materia cõmendantur. Et ſi Chœrilus eadẽ quę Homerus, & de eiſdem Męuius ac Vergilius cecinissent, futurum erat ut æquè illi atque iſti inter poetas reciperentur. Non' ne uides diſparilitatem ſimilitudinis? Illud & nos aſſcueramus, à ſpecie rem æſtimari, non ex ſubiecto. Eſt enim à ſpecie res id quod eſt: ſed alia ſpecie quiſpiã inter philoſophos, alia inter poetas recipiendus. Scribat Lucretius de natura, de deo, de prouidentia, ſcribat de iiſdem ex noſtris quiſpiam, ſcribat Ioannes Scotus, & quidẽ carmine, ut ſit ineptior. Dicet Lucretius rerum principia, atomos, & uacuum: Deum corporeum, rerũ noſtrarum inſcium: temerè omnia fortuito occurſu corpuſculorum ferri: ſed hæc latinè dicet, & eleganter. Dicet Ioannes, quæ natura conſtant ſua materia, ſpecieq; conſtitui, eſſe Deum ſeparatam mentem, cognoſcentẽ omnia, omnibus conſulentem. Nec propterea quòd uniuerſa etiã infima uideat, ac moderetur, è ſua pace minimum dimoueri, ſed quod dici ſolet κινοῦντα μὴ κινεῖσθαι. At dicet inſulſè, ruditer, non latinis uerbis. Quæſo quis in dubiũ reuocet, uter poeta melior, uter philoſophus? Extra omnem eſt controuerſiam, tam rectius Scotum philoſophari, quàm ille loquitur ornatius. Sed uide quid differant: huic os inſipidum, illi mens deſipiens. Hic grammaticorũ, ne poetarum dicam, decreta neſcit, ille Dei atq; naturæ. Hic infantiſſimus dicendo ſentit ea quæ laudari dicendo ſatis non poſſunt, ille fando eloquentiſſimus eloquitur nefanda. Hæc illi fortaſſe afferent, Hermolae chariſſime, in defenſionem ſuæ barbariæ, aut qua ſunt ſubtilitate, multo fortaſſe meliora. Quorum ſententię nec ego planè accedo, nec ingenuo cuiquam, & liberali acce

dendum puto,ſed exercui me libenter in hae materia,tanquã infami,ut qui quartanam laudant,cùm ut ingenium periclitarer,tum hoc conſilio, ut ueluti Glauco ille apud Platonem iniuſtitiam laudat,non ex iudicio,ſed ut ad laudes iuſtitię Socratem extimulet: ita ego ut eloquentiæ cauſam à te agi audiam, in eam licentius repugnante pauliſper ſenſu atq; natura inuectus ſum: quã ſi uel negligendã uel poſthabendam barbaris exiſtimarem,nõ ab illis ad eam,quod nuper feci,ad gręcas literas,ad tuum nunquam ſatis laudatum Themiſtium penè totus defeciſſem. Quamuis (dicam liberè quod ſentio) mouent mihi ſtomachũ grammatiſtæ quidam,qui cum duas tenuerint uocabulorũ origines,ita ſe oſtentant,ita uenditant, ita circumferunt iactabundi, ut præ ſeipſis pro nihilo habendos philoſophos arbitrentur.Nolumus,inquiunt,haſce uoſtras philoſophias.Et quid mirum? nec falernum canes.Sed nos hac fini epiſtolam claudamus.Si decus aliquod,nomenq; ſibi promeruerunt barbari illi ſola rerum cognitione,non eſſe facilè dictu, quem locum, quid laudum tu tibi uendices,qui ſis inter philoſophos eloquentiſſimus, inter eloquentes, ut dicam græcè, φιλοσοφώτατος. Florentiæ,III.Nonas Iunias, M.CCCCXCV.

HERMOLAVS BARBARVS IOANNI PICO MIRANDVLAE SVO S. D.

EXpectabam quidem iſthinc uſuras aliquas omnino ex ijs literis, quas ſuperioribus diebus ad te dediſſem: ſed tu eas (quæ tua liberalitas eſt) etiam inciuilibus & immodicis remunerandas eſſe cenſuiſti, nõ epiſtolam reſcribens,ſed uolumen ferè iuſtum.Ea mihi res, ut par erat,attulit incredibilem uoluptatem, quòd uidebam te,quanq; occupatiſſimum, delectari lectiõe literarum mearum adeò,uti ne minima quidem in ijs, & friuola præterire inexplorata patiare: id quod ego nuper ex hac epiſtola tua facilè animaduerti. Nam cum ipſe in quodam literarũ ad te mearum angulo quaſi aliud agens, & in tranſcurſu philoſophos æui noſtri barbaros inſectatus eſſem,quibus te quoq; inſenſum eſſe factum,& nuncium remiſiſſe ſcriberes,occaſione hinc arrepta, litem & controuerſiam ueterem inter nos & illos de genere dicendi philoſophorum multis millibus uerſuum comprehenſam & explicatam,opus elegans,eruditum, elaboratum, ad nos miſiſti, perfectum celeritate tanta,ut niſi quod opes ingenij tui perſpectiſſimas habebam, crediturus fuerim paratũ fuiſſe tibi pridem hoc argumentum, ut ad primam quamq; occaſionẽ proferre poſſes. Sed ut ea mihi res & feſtiuior & iucũdior eueniret,homo lepidiſſimus,humaniſſimus,latiniſſimus, barbaros contra Barbarum defendis,ut hoſtis pro hoſte,ſocius contra ſociũ,ipſe contra teipſum ſtare,patrocinariq; ſimulares. Illud ſanè plurimùm me delectat, quòd ſub ſpecie defenſiõis exitialiter iugulas,quod defendis. Primùm, quòd hoſtes eloquẽtię tueri ſe,niſi per eloquentes uiros nõ poſſunt,quaſi mancipia,quaſi bruta: deinde,quòd ſi te patrono,te uindice,te aduocato nõ elabuntur,neq; colluctari,neq; tergiuerſari præterea poterunt.Proinde ab amicis, quos habeo Patauij,certior factus ſum,apologiam tuam, quæ Scytharum & Teutonum eſt inſcribi cœpta,quaſi Typhonis & Eumenidum laudatio,moleſtiſſimam accidiſſe maiori eorum parti,quos defendis,alijs aliter factũ tuum interpretantibus.Nam nobis quibus cum uerbo litigas,corde ſentis,gratiſſimam omnibus rem feciſti,quia & ductum & emphaſim intelligimus, ἄλλα μὲν γὰρ λέγων, ἄλλα δὲ λέγοντος νόος. Alioqui transfugam appellare te poſſemus,ſi quemadmodum ſcribis,etiam ſentires. Quanquam ut tecum iocer,ſi transfuga nõ es,pręuaricator ſis oportet,qui

parietes

parietes duos linas, & cauſam quam ſuſceperis, ſchemate corrumpas. Nihil enim intereſt, quacunq; ratione Barbaros clientes tuos prodas. Quod autem ſchema callidius adire poteras, quàm reos eloquentiæ confitentes & noxios, eloquentia conari ſumma defendere? idq; rationibus, quas uel ipſi facilimè diluāt, quos tuetis: modò ſi quis eſt ex illo grege, qui poſſit ea capere quæ dixiſti, tanto cultu prędita, tot luminibus, tot emblematis oculos adeumniū ſtringentia: adde tot ſententias pruriētes, tam multas hiſtorias, & exempla remotioris doctrinæ, quaſi floſculos, & omnino θάλασσαν ἀγαθῶν, ad quæ ſi qui ſunt ex illis paulo minus aſini, uolebam dicere ἄμουσοι, auriculas tantum mouent, cæteri diffugiunt, reſpuunt, deteſtantur. Quorum è numero unus aliquis à gymnaſio Patauino (nihil cōfingo Pice, ridiculam omnino, ſed ueram hiſtoriam denarro) audaculus, & inſolens, cuiuſmodi ferè ſunt, qui literas humaniores & odio & ludibrio habēt: Picus, inquit, iſte quiſquis eſt, grammaticus opinor, paruo pedi calceos magnos circumdedit. Quid enim opus eſt tam multis rhetorijs? aut quid ranis propinat? addidimus ipſi, & quidem Seriphijs. Ecquis eſt, inquit, tam ſtolidus atq; ſenſu carens, qui patronum hunc egregium cum altero, quiſquis eſt, nephario grammatiſta colludere non intelligat? Mihi quidem uidetur flere ad tumulum nouercæ, nullā homini fidem habeo. Accedit quòd nec prima huius cantionis, nec media, nec poſtrema teneo, non ſecus hercule, q̃ ſi Græcè nos uel Aegyptiè defenderet, & omnino litoribus loquitur. Sed finge patrocinium eius fidele: ſi uincimur, malè factum: ſin uincimus, peſſimè. Futurum enim eſt, uti non iure noſtro erepti, ſed eloquentiæ uiribus dicamur, cui ſumus, & ſemper eſſe uolumus infenſiſſimi. Quid autem poteſt ingenuo moleſtius accidere, q̃ ei uitam & ſalutem debere, quem ſublatum et perditum uelit? Atq; iſte ipſe noſter inopinatus & magnus patronus ſi ſuperabitur: quoniam ſuperari eum eloquentia non poſſe prædicant, ratione ipſa ſuperatus, & ueritate putabitur: ſin ſuperabit (quod abominor) deficiet ad ſuos illico, decus hoc & uictoriam eloquentiæ ſuæ tribuet. Malò non defendi, quàm hoc periculo defendi: ſuſpectum mihi hoc hominum genus eſt. Lepori canis fauet: intempeſtiua beneuolētia (neſcio quis poeta dixerit) nihil à ſimultate differt. Iam quis unquam hominem ſic defendit, ut ea quæ dicuntur, intelligat ſolus accuſator? Aut quis ita cauſam ſuam agi patiatur, ut is qui ſententiam eſt laturus, ex aduerſa parte iudex idem & arbiter cooptandus ſit? Ita ne reiectioni quidem locus eſſe poſſit, ut cōditione ſimus peiore futuri multò, q̃ fabri, q̃ mancipes tabernarum, & inſtitores, & uenalitij. Sed audio eum exēplis, hiſtorijs, fabulis, teſtimonijs poetarum uti. nec enim percipio ipſe, quæ pro nobis ſcripſit. Quòd ſi hæc uera ſunt, miſeri quò recidimus? Adeoni rem rediſſe, ut tenere iura noſtra per fabulas & apologos oporteat? At uerò eſſe ubi & hypotheticis & inductionibus & enthymematis agatur. Quid ni? Philoſophus ſum, apodixin deſidero, cætera oratorib. relinquo. Dices non omnia poſſe per apodixin doceri, probabilibus interim locum eſſe. Reuocatur ergo res ad aleam, probabilia multa contra nos, pro nobis multa, quis arbitrabitur? Finge dictum eſſe ab iſto, philoſophiam rebus cōſtare, uerborum pompa nihil indigere. Credo enim hanc eſſe ſummam omnium, quæ pro nobis dicantur. Contrà illi philoſophiam, quæ ſit munus diuinum, ſanctū, religioſum, religioſè adiri oportere, manibus nō illotis, ſed puris, ſed nitidis, ſermone caſto, nō ſpurco, nō lutulēto cōtrectari. Vtrūq; probabile, tam illud prius, quę ſua ui polleant, extrarijs nō egere, q̃ hoc poſterius, rem nobilē & eximiā & uiſendam, ſordidis uerbis & ignobilibus inquinari, cōtaminari, pollui nō debere. Vendibilius hoc fortaſſe, non quòd philoſophia ſine uerborū delectu pellucentium

 & niten-

& nitentium deſinat eſſe ſummum bonum: ſed quemadmodum numina, quanquam nihil indigent humanis opibus, tamen & donari & coli uolũt: ita philoſophia ornari ſe non modò patitur, ſed amat, inquiunt, & laborat. Deo perfectius, abſolutius nihil eſſe, nuſquam tamen plus auri, plus argenti, plus marmoris, plus precioſæ ueſtis, plus gemmarum, quàm in templis & in altaribus conſpici. Non igitur Licere deos colere, philoſophiam nefas eſſe. Nouerunt enim & oratores locũ à repugnantibus & contrarijs: eoq; uel frequentiſſimè utuntur, qui eſt inter omnes (ut ipſi prædicant) inſtantiſſimus & acerrimus. Quid autem ſit inſtans & acer ſermo, nihil docent, ſed nos ad Ariſtotelem nunquam à nobis lectum, nunquam legendum remittunt. Iam ne illi quidem philoſophos eloquentibus poſtponunt: non enim tam parum pudentes ſunt: ſed philoſophos eloquentes infantib. præferunt. Nempe quia plus ſit bonis duobus eſſe præditum, quàm uno. Dicunt enim hoc argumentum à toto duci: Themiſtium id eos docere, quem è Græco in Latinum uertiſſe gloriantẽ. Nam totũ & partẽ, quãtitatis eſſe, quantitatẽ porrò aliam numeri, aliam modi faciunt. Quia uerò nos argumento reſpondebamus (ſæpe enim cum iſta grammatiſtarum & nebulonum manu cõgredior) alterutrum duorum aut eloquentiam bonum non eſſe: aut bonum quidem eſſe: cæterùm nihil attinere ad eam de philoſophia, utiq; non plus quàm ad ſutoriam, ſtatuariam, excuſoriam: utramq; diſiunctionis partem longiſſimo & profundiſſimo riſu exceptam amoliuntur, & diluunt in hunc modum. Primùm, quòd philoſophia omnis bonum ſit: Rhetoricen porrò philoſophiæ partem eſſe teſtari peripateticos omnes ferè contendunt. Speciem enim eſſe ciuilis ſcientiæ rhetoricen Ariſtoteli credendum eſſe, qui hoc dicat. Hoc genus interpellationem ab Ariſtotele uocari affirmant eam quæ generaliter obnunciet, & ad primam tantum ſyllogiſmorum figuram pertineat: ſicut eam quæ particulariter concipitur, in figuram ſummã, nec aliter reponi poſſe. Hoc ego uerum ſit, an contrà, neſcio. nec enim Ariſtotelem ubi hoc dixerit inuenio, ſed ſatis intelligitur argumentum à genere ſumptũ eſſe. Quanquam dicat hæc Ariſtoteles portenta, nec ne, ipſi parum laboramus. Quandoquidem philoſophi eius omnes ferè libri nimiam propter obſcuritatem à nobis deſerti ſunt, ab illis, ut iactant, occupati: propterea nos qui bouillas edimus, et ſuillas, qui' que pomenta nobis hæc delicatos & ocioſos homines ſuffurari facilè paſſi ſumus, congreſſum hunc in Ariſtotele, quaſi ſcopulum uitamus, in cætera pertinaces, & imperterriti. In altera porrò diſiunctionis parte ſic eludimur: Si ad rhetoricen philoſophia nihil pertinet, nec animal ad hominẽ. Pertinet autem animal ad hominem, quis hoc nõ uiderit? ad rhetoricen ergo philoſophia pertinet, ſiue quaſi partem, ſiue quaſi formam & ſpeciẽ, quod & magis probant. Reſpondi philoſophiæ partem eius eſſe, quam practicen uocamus, non eius quam theoricen. Studebamus, inquiunt, uobis hoc exprimere. Philoſophi uultis eſſe dimidiati, ſemiperfecti, mutili, rhetoricen philoſophiæ partem eſſe conceditis, & tamen ſœdũ & turpe ducitis rhetoricen à philoſopho teneri, ſine qua philoſophus perfectus & cumulatus nemo ſit futurus. Cui enim deſit aliquid, hoc perfectum, & conſummatũ eſſe non poſſe: alioqui ſi philoſophia omnis ad animi noſtri perfectionem pertinet, rhetorice nõ pertinet: ſyllogiſmum figura ſecunda necti, qui ſit elenchus, philoſophiam aliquam non eſſe philoſophiam: quod genus ex contrapoſitis appellatũ ab Ariſtotele primo uolunt. Quòd ſi animus eloquentia perficitur, quæ inuidia eſt contendere philoſophum eundem, & eloquentẽ eſſe non oportere? His quaſi cumulum quendam, & corolarium hoc addebant: Valeat autoritas, & exempla maiorum: Ariſtotelem, & Platonem, quorum ſectam &

placita

placita profitemur, eloquẽtiſſimos uiros fuiſſe, nihil ut ſit oratione illorũ ſuauius, purius, luculentius. Proinde qui philoſophiã cum eloquentia pugnare dicerent, qui rhetoris officium aliud non eſſe; quàm decipere, quàm mentiri, calumniam euidentem eſſe, & quæ peripateticum nihil ſapiat, & quæ ignorare uideatur inter oratorem & ſophiſtam quid interſit: quod diſcrimẽ in Topicis & Rhetoricis Ariſtotelem reddidiſſe perhibẽt. Nec minus auidè cauillari, qui dicant orationem in philoſopho mollem & delicatam eſſe non oportere, quaſi ſit aliquis qui hoc requirat in philoſopho, quod ne in oratore quidẽ feratur. Sed quemadmodũ oratio luxu diffluens, atq; fracta, ſic ſqualoroſa, illuuioſa, lutulẽta, ſordida, grauitatem & maieſtatem philoſophię cõminuunt. medium quendam tenorem, & filum dicendi probant. Atticam uolunt eſſe, non Aſiaticã, non Germanicam, ſicut neque mẽſam. Diſplicet Cynica, diſplicet Perſica: ſumptuoſa hæc, illa ſordida, placet frugi: ſic oratio. Propterea ridendos eſſe, qui tam licenter in re confeſſa mentiantur, dicentes orationem, qua philoſophi modò utuntur, ſetoſam, & ſqualidam, et horrentem, uenerationis cuiuſdã & maieſtatis plenam eſſe. Iam hic ego fateri uerum adigor: nam impudens mendacium ne in patrono quidem & aduocato ferimus. Si ſermo noſter ſordidus non eſt, non uideo quod genus dicendi ſordidum eſſe poſſit. Aut ſi hunc horrorem & maieſtatem habet, eundẽ habebit & cerdonum & ruſticorum oratio. Nec enim cultius ipſi loquimur, quàm cerdones, & populus: uernaculo melius uſuri, ꝙ ſic Latino. Aliter ne loquuntur agrarij ſacerdotes, & pædagogi, tabelliones & formularij, ꝙ nos loquamur? Quis tamen unquam in illorũ ſermone religionem & maieſtatem notauit? Nec minus intemperanter uerſari, qui teſtimonio Ciceronis contra ſe nitantur ſcribentis quodam loco: Et tamen à philoſopho ſi afferat eloquentiam, non aſperner: ſi non habeat, nõ admodum flagitem. Nec enim potuiſſe maximum oratorem, qui ſententiam Epicuri conuelleret, aliter reſpondere Lucio Torquato, qui ſic dixiſſet: Sed exiſtimo te ſicut noſtrum triariũ minus ab eo delectari, quòd iſta Platonis, Ariſtotelis, Theophraſti orationis ornamenta neglexerit. Nam illuc quidem adduci uix poſſum, ut ea quæ ſenſerit ille, tibi non uera uideantur. Tum Cicero: Vide quantũ fallere Torquate, oratio me iſtius philoſophi non offendit: nam & complectitur uerbis quod uult, & dicit planè quod intelligã: & tamen à philoſopho ſi afferat eloquentiam, non aſperner: ſi non habeat, non admodum flagitem. Re mihi non æquè ſatisfecit. Hæc illum non tam ex animi ſententia, quàm ad hominem dixiſſe. Multa enim in diſputando plus ex animi ſententia dici, quàm uel captandi, uel molliendi gratia, uel docendi. Alioqui multos in Cicerone locos eſſe, ex quibus id commonſtrant. Primũ eodem libro de Finibus: Sed ex eo, inquit, credo quibuſdam uenire uſu, ut abhorreant à Latinis, quòd inciderint in inculta quædam, & horrida, de malis Græcis latinè ſcripta deterius: quibus ego aſſentior, dum de eiſdem rebus ne Græcos quidem legendos putent. Res uerò bonas, uerbis electis grauiter ornateq; dictatas quis non legat? Item aliubi: Philoſophia, inquit, iacuit ad hanc ætatẽ, nec ullũ habuit lumen literarũ latinarum, quę illuſtranda & excitanda nobis eſt. In quo, inquit, eo magis nobis elaborandum eſt, ꝙ multi iam eſſe libri latinè dicuntur ſcripti incõſideratè, ab optimis illis quidem uiris, ſed parũ eruditis. Fieri autem poteſt, ut rectè quis ſentiat: & id quod ſentiat, politè eloqui non poſſit. Sed mandare quenquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec accuratè illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperatè abutentis & otio & literis. Itaq; ſuos libros ipſi legunt cum ſuis, nec quiſquam attingit, præter eos, qui eandem ſcribẽdi licentiã ſibi permitti uolunt.

Mille alios eſſe locos,quibus hoc oſtẽdant, tam ubi nouitatẽ uerbi non ſatis apti fugiendam eſſe Cicero præcipiat,quàm ubi cõmoditatem in dicendo non negligendam contendat.Nolim(inquit)niſi latinè quidẽ dici poſſit,ſpeciebus,& ſpecierum dicere.Heus tu quiſquis es, patrocinij fides ubi: hoc tu defendere appellas,nõ prodere,teſti denunciare, qui nos iugulet? Sciebas quid is dicturus eſſet perfidia,neſciebas imprudentia teſtem citare ſubiectum ab aduerſario, qui autoritatem habiturus eſſet,nõ arguentis modò,ſed etiam confitentis. Quis hoc peccaſſet tantum non orator? At uerò arbitraria res eſt,uocabulum non profectum natura,ſed ex aliqua quaſi cõuentione hominum,& pactione. Quis hoc negat? ſed & petaſus,& tunica: nemo tamẽ tunicam pedibus circundat, petaſo latus integit.Non omnia quæ placeant,etiam bona eſſe.Braccatum os Mecœnatẽ,quaſi Sarmatam, potuiſſe quidem ius dicere, quoniam arbitraria res eſſet: ſed qui non reprehẽderit fuiſſe neminem. Vt calceos à ſutoribus,& ueſtes ab inſtitoribus, ita rationem dicendi ab oratoribus petendam, & condiſcendam eſſe. Quid tam arbitrarium eſt,quàm leges,quàm iura,quàm cerimoniæ? Quis tamẽ ferat hæc philoſophum, q̃ lubet egregium, q̃ lubet Deo proximũ, uel nouare, uel immutare cupientem? Præſertim nobis,qui de contẽplatore modò loquimur,& ab eo practicen diſcludimus,ſine qua homo,qua homo,nõ philoſophus eſt, inquiunt, ſed ſtupor. Hæc illi neſcio q̃ uera, certè ueriſimilia:neq; tamen protinus herbã dedi. eſt enim hic noſter in diſputando mos,rigere ſemper,nunquam dare terga, nunquam manus,confugia ſemper aliqua,ſiue latebras habere,à quibus ne Ariſtoteles quidem ipſe,ſi reuiuiſcat,poſſet nos reuellere. Quanquã & hac parte nos inceſſunt,ruſticitatem & impudentiam appellantes, natam ex hoc ipſo, quòd literas bonas contempſimus. Mirum dictu, liberalium artium profeſſores non ſatis eſſe liberalibus literis carere,niſi eas & odiſſent,& omnibus modis laceſſerẽt: ut nemo ſit liberalibus ſtudijs infenſior, q̃ qui liberalium artiũ doctores uocari uolunt. O iocularem ambitionẽ,aliquos eſſe;qui nomine glorient,rem cõtemnant.
Quamobrem,inquit,hæc ſumma eſt,aut rationem aliquam euidentem,& neceſſariã pro nobis habent,aut non habent: ſi habent,proferant hanc q̃ primùm: hęc una mihi ſufficit, nec in ea re deſidero patrociniũ hominis eloquentis: ſin nõ habent,loci ſunt communes,& translatitij, non minus contra nos,quàm pro nobis fortaſſe ualituri: & quòd in pari cauſa facilius perſuadẽt,qui appoſitè loquuntur, quàm qui contrà: & quod præiudicijs clarorũ uirorum premimur, Ariſtotelis,et Platonis, & omnium antiquorum, quos non ſolum philoſophiæ, ſed etiam eloquentiæ præſides & antiſtites fuiſſe conſtat. Proinde aut quæſtio tota iaceat, aut ſuſcipiatur ab his,qui loqui neſciunt, hoc eſt, qui partibus noſtris & uerbo & animo fauent.Hanc tu,quiſquis es,anagyrim (ut prouerbio medicorum utar) ne moueris.Malumus tota cauſa cadere,quàm per te ſeruari: ſatius enim eſt, fortiter uinci,quàm turpiter uincere. Quandoquidem & ita uinci minus erit moleſtum: & uictoria per hoſtes quæſita, dulcis & ſpecioſa eſſe non poteſt. Hæc Patauinus ille ſimius,quę omnia ſcripſi ad te libenter,ut intelligeres nullam tibi popularem auram apud iſtos quæſitam eſſe,plurimam apud nos. Cæterùm ſuſcepiſti rem nõ ſolum (ut ſcribis) ὑποζυγιώδη,ſed etiã ἀδύνατον.Quid enim eſt aliud αἰθίοπα λευκαίνειν,quàm rationem philoſophandi barbaram & ineptam uelle defendere? Quid,inquam eſt,cotem alere,niſi gratiam expectare ab ijs quos ipſę deæ Gratię nunquam nouerunt? Quocirca mirum non eſt (patere tecum in re faceta iocer) ſi non modò nobis,contra quos egiſti,ſed ne illis quoque, pro quibus egiſti,cauſam tuam probaris. ὁ μὲν γὰρ λόγος θαυμαστὸς, ὁ δὲ λέγων ἄπιστος. Tu uerò(nec enim

deſino

deſino iocari) credebas ex actiõe tua barbaris extorquere tritũ illud, ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον, ceu per te ſeruatis, & quidẽ ex inſperato, ſed αὕτη ἡ μύρινθος ὕδωρ ἴσακε, captaſti uentos retibus. Quamobrem moneo te, mi Pice, χρησαῖος ἂν μὴ ζῆτα θάλασσαν. εἰ μὴ σύνεργος ἂν, μὴ συνέρζε· καὶ νέους φίλους ποιῶν λῶστε, τῶν παλαιῶν μὴ ἐπιλανθάνου. Alioqui feciſti quod liberales & opulenti ſolent. ὁ γὰρ ἔχων πολὺ τοῦ πνεύματος, τίθεσι κ' ἂν λαχάνοις. Vale. Politianum ſaluta. Venetijs.

IACOBVS ANTIQVARIVS BERNARDO RICCIO SVO S. D.

POlitianus noſter magnus literarum arbiter, imò cenſor, imò aſſertor, id agit, quod omnes, qui ex eadem fidelia ſunt, agere debent: cuius epiſtolis, quas nuper mihi complures legendas tradidiſti, mirificè delectatus ſum. Sed illa me præcipuè affecit in manum ſæpiùs reſumpta, quæ ad Pici laudem, uiri clariſſimi, conſenſuq; omnium nunquam ſatis laudati uerißimè pertinet. Nam meritò eos retaxat Politianus, qui Picum præter quàm honoris cauſa nominarint: in cuius admirabili natura, niſi quoddam noſtro æuo contigiſſe cœleſte munus fateamur, ſentimus ut pecudes, neque melius uocem effundimus, quàm ut balantes. Ille unus omnium mihi ſapientißimus uidetur eſſe, qui gentilitias diuitiarum ſarcinas abiecit: ac beatiſſimum ob id exiſtimo, quoniam à ſapientiæ ſtudio nunquam ceſſat. Qui quanquam in omni diſciplinarum genere admodũ eſt uerſatus, multa tamẽ (ut arbitror) antiſtitibus philoſophiæ inuenienda ſup erfuiſſe, aut adhuc perficienda cognoſcit, ex quibus animũ ſuum dijs ipſis propinquiorem fieri poſſe non deſperet, continuò ueſtigatur. Qui uerò eloquentiam, quæ in eo ſingularis eſt, maiorem deſiderat, hic mihi ſuauitatẽ in melle deſiderare uidetur. Orationis enim uis, ac ornamẽta, rebus ipſis quas feliciſſimè tractat, nuſquam minora ſunt, adeò ut ratio atq; oratio cum ipſo ex eodem utero natæ credantur. Sapienter igitur Politianus (ut aſſolet) ac piè importunas abigit muſcas, nõ à Pico, ſed à uenerando quodã diuini hominis ſimulachro, cui publicè ſerta, ac thura debeantur. Vale. Mediolani, Nonis Iunij M. CCCCXCIII.

ANGELVS POLITIANVS IACOBO ANTIQVARIO S. D.

EPiſtolam quam tu dederas ad Riccium, protinus ut accepi legendã, Pico miſi: quoniã pertinere magis ad ipſum, quàm ad me uiſa eſt, ut in qua laudor ego abs te, nihil ob aliud, niſi quia Picum laudo: quod qui non facit, aut omnino brutus, aut inuidus eſt. Scripſit igitur homo omnium gratißimus, & ipſe ad te hanc epiſtolam ſtatim quam tibi nunc mitto, doctam (ſicuti uidebis) acutam, cordatam, plenamq; humanitatis. In qua facilè perſpicies, quanti non modò officium tuum, ſed & uoluntatem fecerit. Interim conſules tuis pariter, noſtriſq; rationibus, ſi laudanti putabis ei credendum, qui mentiri ferè ſit neſcius, etiam in amicorum laudibus. Ego certè me uerè laudatum ſoleo credere, quoties à Pico laudor. Multò què nunc uerius, quia tecum laudor, niſi (quod opinor potius) in te laudando ueras omneis laudes exhauſit, ac iam falſis utitur, contentus ueris in te, quibus abundat. Vale.

IOANNES.

IOANNES PICVS MIRANDVLA IACOBO ANTIQVARIO SVO S. D.

INter uoluptates, quas cùm eram Florentiæ, de Politiani conſuetudine maximas capiebam, uiri mea ſententia noſtro æuo omniū literatiſſimi, non erat illa mediocris, quod tuas ad ipſum epiſtolas graues illas ſemper, & eleganteis, ut quamq; accepiſſet, ſtatim mihi dabat legēdas. Delectabat in illis me uehementer, & prudentia quędā ſingularis, qua magnis etiam in rebus, negotijsq; tractandis à prudentiſſimis cōmendaris, & orationis cultus, atq; ſobrietas. Tum quòd in nonnullis honorificam noſtri mentionem faciebas, non ſolum mihi tuæ literæ placebāt, ſed in illis quoq; ipſe mihi placebam, ſcilicet teſtimonio tanti uiri cedente conſcientia: quæ nonnihil diſſimulans quod ſentiret, quaſi ipſa ſe proderet, non magnopere pugnans, & propemodum uolens fallebatur. Ita duplici nomine tibi eram deuinctus, inde tuæ uirtutis, hinc collati ſæpius in nos non officij modò, ſed beneficij. Cogitaui non ſemel agere tibi gratias per epiſtolas, ne forte parum gratus, aut ne tecum ruſticus exiſtimarer. Verùm cum tu, Politianusq; noſter pulcherrimū quoddam inter uos literarum commercium exerceretis, nolui Muſis importuna Pica obſtrepere, quaſiq; malè uocalis anſer alternè ſibi concinentes olores interturbare, alioqui tibi animum noſtrum per Politianum ipſum patère ſciebam. Tum conſcius infantiæ meæ, interprete libens utebar eloquentiſſimo. Nunc ab ipſo miſſæ ad nos tuæ literæ ſunt, quas ad Bernardum Riccium nuper dediſti, iuuenem ingenioſum, in quibus tantum tribuis mihi, quantū nec optare auſim, ne dum mereri me credam. Rupit officij magnitudo noſtrum hactenus, neſcio an ciuile, certè non ſuperbum ſilentium. Nec potui non agere gratias immortales, non quòd premas me laudibus immodicis, quas non agnoſco, ſed quòd ita me ames, ut tuum illud alioqui conſtans, robuſtumq; iudicium, tantopere tamen in nobis ſub amoris pondere uacillauerit. Debeo igit̃ tibi ſuprà quàm uel ego poſſim perſoluere, uel tu facilè credere. Nec eſt quicquam tam arduum, tam difficile, quod non æquè pro tua dignitate ſim facturus, ac pro mea ſalute. Tu quidem in Politiano me poſſidebas hactenus, nunc uerò nihil mutata re, tuis tantum rationibus Pici nomen, quod ſuberat, explicabis. Vale. Ex agro Ferrarienſi, quarto Calend. Iun. M. CCCCXCIIII.

IACOBVS ANTIQVARIVS IOANNI PICO MIRANDVLAE SVO S. D.

POlitianum meritò laudare potes, me nō potes: amari abs te cupio, laudari uerò puto ineptiſſimum: ſed neq; antiquius mihi quicquam eſſe poteſt, quàm cùm Antiquarium in tuis nominibus habes. Debeo em̃ tibi plurimùm cùm mea cauſa, tum magis ſeculi, quod à te tantopere illuſtratum cernimus, adeò ut non dubitem gentilem atque cognominem auem tuam à poſteris conſecratum iri miraculo tenus. Sed ſi Aegyptijs figmentis in tegenda rerum fide non delectaris, certè illud palàm eſt, quod philoſophantiū omnium maximū, uiuentium optimum, ſcribentium præclariſſimū nemo eſt qui te non arbitretur. Id ſi inficiaris, caue ne maxima deorum munera penes te depoſita diſſimules, & malè habeas. Iſta enim animi ingratitudine, quam in te nullā eſſe nobis olim perſuaſimus, efficeres, ut quicquid ex omni ætate de uiris unquā clariſsimis fuit prædicatum, ſentiremus deſideratum fuiſſe potius, quàm compertū. Nam ſi quicquam uel ſtudio non quæſitum, uel non tributum à natura, aut à fortuna tibi minus præſtitum fuiſſe cenſes, aliū poſt natos homines ſi adeptū oſtendes, non Picum tenemus, ſed Phœnicem. Nihil damus auribus tuis, adulationes

Græculas odimus ſemper, uera & ſolida eſt gloria tua. Quod animus de te ſentit, lingua depromit. Neq; aliter laudauerim, quàm probem. Nam qui te laudibus proſequendi finem facit, is admirandi rurſus quærit initium. Nec putes, quoniam me nuper tuis literis exornaſti, teſtimoniũ à me tibi mutuò reddi. Meipſum nemo melius nouit, quàm ego. Ex otio nullam, ex negotio autem uel minimam opinionem uſurpaui. Principum benignitas effecit, ne omnino in turba deliteſcerẽ, quibus pręterquàm fidem & diligentiam, quid rependere poſſim, nõ uideo. Itaq; ſi quid in hoc uitæ meæ inſtituto contigit aliquando, quod tibi placeret, totũ illis acceptum refero, qui non ſolum magnitudinem ſuorum magnis liberalitatibus extulerunt, uerumetiam ſępe in regna reſtituerunt hoſtes, quos uicerant. Vale. Mediolani, Nonis Auguſti, M.CCCCXCIIII.

IACOBVS ANTIQVARIVS ANGELO POLITIANO S. D.

DEbebam tibi antea, quantum ſat erat, nec addere poterã aliquid amori erga te meo, ſed tu uiſus es, quod nõ putaram, tuis de meipſo rationibus permultum adijcere, conciliata nuper omnium qui uiuunt, clariſſimi Pici beneuolentia. Sciebam eum mirum in modum comem eſſe: ſed tam citò fieri poſſe familiarem, non credebam. Fecerunt planũ id nuper eius literæ, quas (ut noſti) ita elegantes expuit, ut homo ad gratiam natus atq; expoſitus, & obuius, quicquid à philoſophis præclarum in omni æuo memoriæ fuerit mandatum, tum ad uitæ inſtitutũ, tum ad animi ſui ornamenta libenter uſurpans, utriq; philoſophiæ in admirationem adductæ, priſcam illam Barbariæ expultricem eloquentiã reſtituiſſe cenſeatur: neq; aliud magis uideatur egiſſe, quàm oratorem & philoſophum iuxtà bonum atq; humanum eſſe. Inde quoq; neminem oſtenderet inſoleſcere, niſi agreſtibus moribus conſperſum. Reſcriberem porrò nec ne ad eum, aliquantulum dubitaui, quoniam tam ſuaue de me concinniſſet. Verebar enim ne de illius opinione in aliorũ cenſuram incurrerem, & quem doctum idoneumq; ad ſcribendum ipſe iudicaſſet, iſti longè aliter eſſe deprehenderent. Sed quanquam nihil tutius ſit ꝙ ſilentium, hæſitationem tamẽ euicit meam de memoria nunquam exituri Pici manſuetudo, ad quem quod uidebis, reſpondeo: uerùm fides tua mihi ſpem fecit. Nam proculdubio tuæ opis egemus, tũ aduerſus ſciolos, quorum fœtura his temporibus multa contingit: tum præcipuè, cum eodem Pico, quem orabis, ne literarum cõdimenta ex me requirat, ſed mea ſingulari aduerſum ſe obſeruantia contentus, Antiquariũ inter ſuos habeat, neq; antiquari unquam patiatur ſuſceptæ ſemel amicitiæ legem. Vale, & me ama. Mediolani, Nonis Auguſti, M.CCCCXCIIII.

IACOBVS ANTIQVARIVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

COmplicaueram iam, Politiane, literas ad Picum, eas ſuperſcripturus, ac illius nomen adiecturus: quid ex omni fortunæ, ac etiam uirtutum con ſummatiſſimi hominis aceruo potiſſimũ deligerem, non occurrebat. Nam ſi quid ſpeciatim illi tribuiſſem, uidebar non habuiſſe rationem reliquę multitudinis. Itaq; explorata diligenter trutina, nihil magis placuit, quàm ſelicem appellare illum, in quem dij ſuorum munerum ſinum prorſus effuderũt. Quod omnino haud feciſſem, niſi à te rectè factum cenſeri crederem. Vale. Nonis Aug. M.CCCCXCIIII.

MARSILIVS FICINVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

COntra multos Aſtrologos, qui more gigantum eripere cœlũ Ioui tam frustra quàm impiè moliuntur, meritò & Picus alumnus Palladis, & tu miles Herculeus ſæpe feliciterꝗ; certatis. Nempe Palladem Orpheus Gigantum expultricem canit, & ab Hercule poetæ multi Gigantem Antæum à terra ſimul & è uita ſublatum ferunt. Ego autem quid? Profectò tanquam in omni uita uobis unanimis, in hoc quoque ſtudio conſpiro uobiſcum. Et ſi fortè non decerto ſtrenuè, tamen ita planè decerno. Cæteri quidem Platonici cœleſtes imagines, quas deſcribunt Aſtronomi, pro opportunitate cõmemorant, neꝗ; reprobant eas, neꝗ; rurſus comprobare ſtudent: Plotinus autem talia extra controuerſiam ridet. Ego quoque in Commentarijs meis in eum tanquam interpres æquè derideo, partim quidem eius authoritate confiſus, partim etiam quoniam nullam habeo certam eiuſmodi imaginum rationem. Multas præterea ibidem Aſtrologorum regulas in controuerſiam ſimili ratione deduco. Sed in libro de Vita, ubi profiteor Medicinam, ac remedia uitæ utcunque, & qualiacunque poſſum, undique diligenter exquiro: neque deſpicio prorſus imagines illas, neque omnes reſpuo regulas. Etſi enim arbitror certam his rationem nullam ineſſe, tamen ut ſtudioſiſſimus humanæ medicinæ curator remedia non ſolum ſapientibus certa, ſed etiam multis probabilia ſector, ut ſubſidia paſſim accumulem quomodolibet profutura: ne quid denique prætermiſerim intentatum, quod ad uitam utcunꝗ; conducturum cuiquam uideri poſſit. Nonnulla tamen interſero firmiora, multa quoque paſſim congero, quæ etſi fortè minus ſpero, tamen opto prodeſſe. Quòd autẽ in principio libri tertij dicere uideor, imagines ab antiquioribus Platonicis in cœlo diſpoſitas eſſe, non id equidem uolo. Non enim conſilium ibi meum eſt, Platonicos affirmare cœleſtium imaginum aſſertores, de quibus aut nihil, aut parum quid loquuntur: ſed Platonicorũ quorundam fuiſſe ſententiam, mundi animam cœleſtia ſibi corpora peperiſſe, ſtellaſque cum cœlo, atque ultra ſtellas ſingulas, ſi modò ibi ullæ ſint imagines, eiuſmodi quoque imagines genuiſſe. Narro autem illic diſpoſitiones ſignorum imaginumꝗ;, non quales apud Platonicos, ſed quales apud Aſtrologos obſeruauerim. Iam uerò quantum imaginibus credam, uel arte factis confidam, progreſſio libri declarat. Præterea in libro de Sole non tam Aſtronomica doceo, quàm per hæc morales allegorias affecto, anagogiaſꝗ; ad diuina perquiro. Denique tam in libris de Vita, quàm de Sole & lumine cum philoſophicis poetica miſcens, liberius ſum interdum, & fortè licentius euagatus. Cum Plotino parcius & ſeuerius ago: ut mihi tandẽ non ingratum ſit futurum, aſtrologica portenta fuiſſe à Pico noſtro Mirandula ſingulariter confutata. Quæ enim ego nuſquam affirmo, imò & cum Plotino derideo, explodi à Mirandula gaudeo. Superſtitioſam præterea uanitatem ab illo tanquã à Phœbo Pythonicum uirus extingui tecũ Politiane congratulor. Tu enim ſemper hac in cauſa, ut ubique ſoles, te Herculem præſtitiſti. Soles profectò iam diu hæc Aſtrologorũ prodigia, ut alia monſtra, paſſim acriter inſequi, ut non in terris ſolùm, ſed etiam in cœlo monſtra fortiſſimus Hercules expugnaueris. Vtinam deniꝗ; ſicut Herculi, ſic & tibi ſuperata tellus ſydera donet. Interim in terris uiue diu. Vale feliciter, XII. Calend. Sept.

M.CCCCXCIIII.

ANGELVS POLITIANVS MARSILIO FICI-NO SVO S. D.

QVanta me uoluptate,quãtoq; putas affici gaudio, Marſili Ficine,cum
te, Picumq; meum ſic eſſe concordes uideo , nõ modò ut idem uelitis
in uita,ſed & idem ſentiaris in ſtudijs? quanta rurſus,ubi me uobis nõ
minus eſſe charũ perſpicio,quàm uos eſtis uterq; utriq;? Quid quòd
omnes in hoc incumbimus,ut recta ſtudia pro uirili iuuemus?ac nõ ullo pręmio,
ſed operis amore ſolicitati, ſemper hoc agimus tamen , ita diſpenſatis inter nos
officijs,ut nulla ferme ſtudiorum parte ceſſetur . Etenim Picus ipſe Mirandula ſa
cras omnes literas enarrat , aduerſus eccleſiæ ſeptem hoſtes directa fronte decer
tat, inter Ariſtotelem iam meum , Platonemq; ſemper tuum caduceator incedit.
Tu Platonem,quanquã & alios ueteres,ſed Platonem tamen ipſum maximè,Pla
tonicoſq; omnes,& latinè loqui doces,& uberrimis commentarijs locupletas.
Mihi uerò (quàm diu catechumenos in philoſophia ueſtra ſum) uarietas iſta cer
tè literarum ceſſit,quæ non minus habẽt iucunditatis, etiam ſi minus autoritatis.
Nam quod ad Aſtrologos attinet, de quibus epiſtolam mihi pulcherrimam ſcri-
pſiſti, lætor ſummopere, quòd à Pico noſtro tu quoq; uel nunc primùm ſtes , uel
olim iam ſteteris.Nec enim referre arbitror, utrum tibi aliud alias uiſum ſit, an ex
aliorum potius opinione aliquando ſcripſeris . Nam nec mutare ſententiam tur-
pe philoſopho,qui cottidie plus uidet, & ad opinionem uulgi ſæpe ſe non inuti-
liter accõmodat,quod & Ariſtoteles in Exotericis libris , & in dialogis Plato fe-
cit,qui quidẽ dogmatici non habent. Quin ipſæ quoq; Iuſtiniani principis leges,in
quib.aliquid repugnare cõtra leges eſt,aliud in inſtitutiõibus,aliud in Pandectis
decernũt,hoc eſt (ut mihi uidet) aliter rudibus,aliter eruditis præcipiũt.Ago ue
rò tibi gratias ingenteis,ꝙ me dignatus honore tanto fueris,ut mihi potiſſimùm
tuam ſententiam participaueris.Illud uerò neſcio ſatis ne probem, quòd Hercu-
lem uocare me pergis.Tu quidẽ opinor iocaris. Sed tamen anſam timeo ne præ-
beas cauillandi,ridendiq; maleuolis & inuidis, quibus nemo unquam uir bonus
ac doctus caruit . Quod enim tu, ſi non amore deceptus (quanquam id potius)
at leui certè ſimilitudine , qua parua ſæpe magnis comparamus , adductus , mihi
tribuis, hoc iſti maligni interpretes adulationi , credo,potius aſſignabunt, ac me
quoq; ridebunt,ceu ſi de eo mihi cognomine multum placeam.Mihi tamen om-
nino lõgè pluris eſt argumentum hoc amoris erga me tui, quàm quid omnes iſti
uel ſentiant uel loquantur.Contemno enim falſa,& leuia,uel conſcientia mea frè
tus,uel autoritate tua munitus.Sed hęc tamen coràm cõmodius.Tu,uelim,quan
do Caregianum tuum Sextili menſe nimis æſtuat , ruſculum hoc noſtrum Fæſu-
lanum ne faſtidias.Multũ enim hic aquarum habemus; ut in conualle,minimum
ſolis,uento certè nunquam deſtituimur. Tum uillula ipſa deuia cum penè media
ſylua deliteſcat,totam tamen æſtimare Florentiam poteſt . Et cum ſit in proximo
celebritas maxima,ſemper apud me tamẽ ſolitudo eſt mera, qualem profectò ſe-
ceſſus amat. Vti poteris autem duplici ſpe. Nam ſæpius è querceto ſuo me Picus
inuiſit improuiſus obrepens , extractumq; de latebra ſecum ducit ad cœnulam,
qualem noſti frugi quidem, ſed & ſcitam, plenamq; ſemper iucundi ſermonis , &
ioci. Tu tamen ad me potius,non enim peius hic cœnabis,bibes for-
taſſe uel melius.Nam de uini quidem palma cum Pico
quoq; ipſo ualde contenderim. Vale.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER DECIMVS.

ANGELVS POLITIANVS IOANNI DEI GRATIA INVICTISSImo regi Portugalliæ, & Algarbiorum citra & ultra mare in Africa, dominoq; Guineæ, S. D.

QVANQVAM nec fortuna mea, nec eruditio, nec ulla omnino uirtus eiuſmodi eſt, ut licitū mihi putem ſcribere ad te, Rex inuicte, tanta me tamē dignitatis, ſplendoris, gloriæq; tuę, tantaq; laudum tuarum iam per omnium ora uolitantium perculit admiratio, ut ſponte ſua calamus ipſe meas exhibere tibi literas, teſtari animum, ſignificare uoluntatem, gratias agere denique totius ætatis noſtræ nomine geſtiat. Quæ nunc uirtutū tuarum penè cœleſtium beneficio iam cum uetuſtis ſeculis, iamq; cum omni fortiter audet antiquitate contendere. Nam profectò ſi breuitas hæc epiſtolaris, aut ſi ratio temporis pateretur, ipſa me faceret audacem ueritas, ut oſtendere tentarem, nullius unquam ueterū nec laureas, nec auratos currus, cum tuis poſſe rebus factisq; prorſus immortalibus comparari. Vt enim quæ penè puer aduerſus impias Africæ contumacis gentes prælia geſſeris, ut fuſos diuerſorum hoſtium ualidiſſimos exercitus, ut capta oppida ui, prædas abactas, impoſitas nationibus aſperrimis leges, ut item domeſticas artes, & decora pacis minimè bellicis conceſſura præterirem: quanta ſe mihi tandem rerum uix credibilium facies aperiret, ſi laceſſitos, confractosq; remigio tuo rudes intactosq; prius Oceani tumentis fluctus cōmemorarem, deſpectas Herculis metas, redditum ſibi ipſum, qui fuerat interuulſus, orbem terrarum, Barbariamq; illam, ne rumoribus quidem nobis antea ſatis cognitam, fatuam, immanem, incultam, ſine more, ſine lege, ſine religione, ferino propè ritu degentem, nunc humanitati, nunc uitæ, nunc docilitati, & cultui, nunc etiam pietati reſtitutam? Porrò mihi tum narrandi locus idoneus hic eſſet, quantæ noſtris hominibus illinc inuectæ cōmoditates, quàm larga compendia, quàm multa importata uiuēdi ſubſidia, quanta etiam ueteribus hiſtorijs acceſſio facta, quanta rebus antiquis olim ſanè uix credibilibus adiecta fides, quantaq; rurſus eiſdem ſit admiratio detracta. Tum mihi etiam Plato ille magnus, & Aegyptiorum compares ſeculo annales, omni mendacij ſuſpicione forent abſoluendi, qui de iſtius à te perdomiti Oceani magnis quibuſdā exercitibus, non magno tamen aſſenſu meminerūt. Ergo & Macedonem iurè ingemuiſſe Alexandrum faterer, qui mūdos adhuc alios ſuis reſtare uictorijs ſuſpirabat. Etenim quid tu aliud, obſecro, rex nobis, quàm terras alias, mare aliud, alios mundos, aliaq; poſtremò ſydera non magis inueniſti, q̃ ab æternis tenebris, & à ueteri penè dixerim chao, rurſus in hanc publicam lucem protuliſti? Sed quorſum hæc ego nunc tam multa? Nempe ut te rogem non ſeculi modò iſtius, ſed omnis etiam poſteritatis, omnium gentium uerbis, ne perire rerum tantarum, ne'ue intercidere cōſecrandam ſcilicet æternitati memoriam patiaris, quin ferrea doctorum hominum, atq; adamantina potius ſignari iubeas uoce, quæ nec æui quidem tacitè ſe uoluentis edaci dente conſumitur. Et cur autem, qui uirtuti faueas, nō & comiti uirtutis gloriæ faueas? Aut cur unus generoſi maximè ſpiritus, animiq; rex, non hanc inſtabilem uitæ humanæ breuitatem, quæ ſic exigua ſpe, tenuiq; pendet, quæq; tam

anguſtiæ

anguſtis limitibus concluditur,immortali gloriæ ſemper florentis curriculo pro-
moueas? Cur non memoria rerum maximarum, uel ad ſucceſſores tuos propa-
getur,ut præclara iſta facinora caritura ſemper exemplis, ad inſtitutionem quoq;
ipſorum, regulamq; proficiant? Cur non aliquam rogo formulam natis nepoti-
busq; deinceps tuis relinquas,ne quis ab hac unquam perenni, conteſtataq; ma-
iorum uirtute degeneret, cuius ad inſtar illorum potiſſimùm regalis effingatur
indoles? Cur non poſtremò cæteri quoq; ſub omni, qua latiſſimè patet, ambitu
cœli naſcituri principes habeant ex te,ſi non quod imitentur,at certè quod admi
rentur? Nihil autem intereſt,utrum pulcherrimos quiſpiam filios gignat,nec ci-
bis tamen enutriat,an ingentia edat facinora,nec literis tamẽ illuſtret. Abſit hoc,
abſit excellẽtiſſime rex,ut tuæ iſtæ immortalitate digniſſimæ laudes, in uaſto illo
noſtræ fragilitatis aceruo deliteſcant. In quo uidelicet omnium labores obruti ia
cent,quicunq; doctiſſimorum uirorum ſuffragijs caruerunt. Memineris Alexan
dri, memineris Cæſaris, quæ duo nobis præcipuè nomina faſtoſa uetuſtas obie-
ctat. Quorum uidelicet alterius nobilis illa ad Achillis tumulum fertur exclama-
tio, fortunatum uocantis adoleſcentem, qui ſuarum laudum præconem Home-
rum inueniſſet. Alter etiam in procinctu,ac penè in acie quoq; ipſa, rerũ ſuarum
cõmentarios ita diligenter conficiebat,ut nihil à quoquam tam putetur accuratè
perſcriptum,quod non illorum puriſſima elegantia ſuperetur. Hi tibi ſunt igitur
inſequendi ſaltem,rex optime, quos longo interuallo in cæteris antecellis. Atq;
id quidem tum denique uerè à me, nec adulandi ſtudio dictum intelleges, cum
tutè rex in temetipſum diuinæ mentis aciem reflexeris, cum tanti honoris, tan-
tæ maieſtatis,tanti deniq; iſtius imperij pulcherrimos titulos intentis (quod dici-
tur) oculis perſpexeris,quantumq; teneas in rebus humanis faſtigium,toto peni-
tus obtutu cõſideraueris. Etenim Luſitaniæ te regem cernes, hoc eſt (ut ſemel di
xerim) Romanæ multitudinis,cuius olim tam multis (ſicut accepimus) colonijs
iſta potiſſimùm regio frequẽtabatur. Cernes Africæ te uindicem, quæ tertia pars
orbis,magna ſui parte iam per te catenis exuta Barbaricis, etiã in dies magis ma-
gisq; plenæ libertatis expectatione triumphat. Cernes eundem te uaſti illius, &
indignantis Oceani domitorem, cuius ad primos quoq; impetus etiam domitor
orbis Hercules expauit. Occurres tutè tibi ſanctæ Chriſtianæ fidei, ueræq; reli-
gionis propugnator,ac maximus aduerſus Mahumeticã perfidiam, pacis armo-
rumq; arbiter,rabiem illam teterrimam ſola maieſtate proſternens, ſolo nomine,
ſolo uirtutis miraculo grauiſſima bella conficiens. Idemq; mundi alterius ſeque-
ſter, & ianitor, tot illos ſinus, tot promontoria, tot littora, tot inſulas, tot portus,
tot oppida,tot maritimas urbes, uno ueluti pugillo concludens, & numeroſiſſi-
mas nationes penè ſub manu tenens, ad quas antea tamẽ ne ipſius quidem famæ
quamlibet præpetes alæ peruolarunt. Quid illa? quanta ſunt, obſecro, quòd te
uiſere ignotiſſimi reges,tua geſtiunt adorare ueſtigia,quòd tuis aduoluere ſe ge-
nibus,perq; tuam iſtam tam fide, quàm armis potentem dexteram rigari ſe certa-
tim ſalutari fonte feſtinant? Quid quòd exciti uirtutis amore,priſcis inauditę ſe-
culis,extremi quoq; hominum conuolant ad te populatim, totusq; iam meridies
ſuis penè funditus ſedibus reuulſus,ad eundem te uenerabundus accurrit, ut uul
tum propius iſtum parem cœlicolis, utq; regiæ frontis decus, diuinamq; penitus
maieſtatem contempletur? Conferat ijs nunc aliquis captam Babylona, quanq;
lateritio muro ſuperbam, profligatos Orientis etiam ſuapte natura fugaciſſimos
barbaros. Conferat Scythas, campeſtres, & uagos, ne ſatis quidem fortiter irrita-
tos, dum ne occiſum quoque inter pocula chariſſimum quemque laudi tribuat,

dum ne peregrinos cultus,& indecoras adulationes turpiter aſcitas. Conferat & Gallias,toto etiam decennio uix ſubactas: aut minora his alia rurſum,dum ne ciuilem quoq;,& cognatum toto orbe fuſum crudeliter ſanguinē præconio dignetur. Tu igitur præcipuè dignus (rumpatur inuidia licet)tu præcipuè dignus unice rex honoribus ſempiternis. Tibi aduigilare noſtras lucubrationes, id eſt, omnium quicunq; Muſarum ueneramur ſacra,præ cæteris conuenit. Quapropter(ſi qua mihi eſt apud te,quamuis ignoto homini,tui tamen ſtudioſiſſimo,fides) delegetur, obſecro, magne rex, idoneis hominibus officium mandandi literis (interim quidem)quocunq; ſtylo,quacunq; lingua,materiam ſegetemq́; rerum à te, tuiſq; geſtarū: ſed in qua deinceps operoſius excolenda tam cæteri,quibus idem eſt ardor animi,quàm nos ipſi quoq; neruos qualeſcunq; noſtros intendamus. Et quidem rogaui ego nuper hos tuæ ditionis adoleſcentes , ingenio moribuſq; præſtantes,Ioannis Teixiræ Cancellarij tui maximi liberos, ut mihi iſtic ipſorum opera rerum à uobis geſtarum (ſi qui modò extent cōmentarij) deſcriberentur. Qui quanquam ſe diligentiſſimè curaturos,pro eo quod præceptori debēt,officium pollicerentur,deeſſe tamē ipſemet mihi nolui, ſed has ultrò ad te literas indulgentiſſimum clementiſſimumq́; regem , iam meum quoq; dare decreui : malens utiq; audacis animi ſubire ſcribendo crimē,quàm tacendo puſilli. Iam quod ad perſonam meam deinde attinet, homo equidem ſum mediocris fortunæ, ſed literarum tamen profeſſione me quoque non omnino poſtremæ credunt eſſe aliqui celebritatis. Innutritus autem penè à puero ſum (ſi quid hoc ad rem facit) caſtiſſimis illis penetralibus magni uiri,& in hac ſua florentiſſima Repub. principis Laurētij Medicis: qui cum ſit ipſe quoq; in primis tui cupidiſſimus,etiàm me uerbis aliquando ſuis in iſtius amorem uirtutis ita inflammauit, ut dies, noctesq; de tuis cogitare præconijs non deſiſtam : nec omnino quicquam nunc exoptem magis,quàm ut ea mihi uis,ea facultas,ea deniq; detur occaſio, qua nomen tuum cœleſti prædicatione digniſſimum,qua pietatis,integritatis,innocentiæ,religionis,continentiæ,prudentiæ,iudicij,qua iuſtitiæ,fortitudinis,prouidentiæ,liberalitatis,animiq; magnitudinis,qua poſtremò tot operum,tot illuſtrium facinorum tuorum teſtimonia ſic etiam per me fidelibus ſeu Græcæ,ſeu Latinæ linguæ conſecrentur monumentis,ut nulla humanarum rerum uiciſſitudine, nullo unquam fortunæ uariantis incurſu,nullo etiam ſqualentis æui ſenio deleantur. Vale.

IOANNES DEI GRATIA, REX PORTVGALLIAE, ET ALGARbiorum citra & ultra mare in Africa, dominuſq; Guineæ, Angelo Politiano,uiro peritiſſimo,& amico ſuo S. P. D.

EX ſuauiſſimis tuis literis,doctiſſime uir,iam diu perlectis , & maximè ex dilecti Ioannis Teixiræ Cancellarij noſtri maioris frequenti relatione uberrimè intelleximus,te gloriæ noſtræ (ſi qua in humanis eſt) fore percupidum , & nomen noſtrum cum rebus geſtis , tuo literario beneficio ab obliuionis rubigine reddere exemptum. Quę etſi ſatis magnū ſummæ in nos beneuolentiæ ac obſeruantiæ argumentum teſtantur,tamen ea magis ab animi tui probitate,ingenijq; acumine,atq; doctrinæ copia , quæ longè maiora ſuſpirant,credimus emanaſſe . Pro quibus magnas tibi habemus gratias, quas dum tempus & res exegerint, cumulatiores referemus, ſperamuſq; tuæ erga nos affectionis te non pœnitere . Et ut tibi breuibus ad propoſitum reſpondeamus, ſcias nos tui officij , & pij laboris, quem in noſtræ mortalitatis redemptionē tam crebrò polliceris, eſſe admodum gratos,idq; amplectimur, uehementerq; laudamus.

mus.In cuius executionem curabimus diligenter,ut annales noſtri,quos uulgari
& patrio ſermone ꝓ regni inſtituto poſteris tradendos iubemus, hi Hetruſca lin-
gua,uel Latina ſaltem familiari demum conficiantur, ad te ſcilicet ꝙ primùm de-
ferendi, ut eos iuxtà ueritatis tenorem, noſtram in memoriam ita tuis ſalibus,&
grauitate,doctrinaq; reſpergas, limaq; expolias, ut ſaltem tua conuiuante facun-
dia,lectione dignos efficias.Nam multum intereſt (ut melius noſti) quo dicendi
modo unumquodq;, licet egregium ſit, referatur. Quia quemadmodũ uſu uide-
mus optimos natura cibos prudenter reijci,cum ſordidius parati ſint:ſic etiam hi
ſtoriam,quæ ornatu ſuo ac nitore uacat, cõtemnendam, reijciendamq; exiſtima-
mus.Sed his erroribus minimè metuendũ eſt,quando tibi uiro laudatiſsimo, om
niumq; diſciplinarum genere prædito erit curæ rebus noſtris conſulere. Habes
igitur quæ nobis ſit ſententia menti.Reliquum eſt,Angele noſter,ut præfati Can
cellarij filios, regiæ noſtræ generoſos, omnium tibi habeas commendatiſsimos.
Quod etſi tua ſponte atq; humanitate eras facturus, tamen ut noſtro intuitu ali-
quid cumuli accedat,te nimium rogamus.Hi enim ſunt,quib. te in omni genere
gratitudinis debes credere obnoxium.nam uiciſsim pater,& filij,alter meritis,&
laudibus, & alij approbatiſsimis doctrinæ tuæ teſtimonijs non ceſſant apud nos
te ſæpius extollere,nomenq; tuum in hos mundi fines propagare, quod tuæ glo-
riæ & exiſtimationi haud parum conducit. Sed adoleſcentibus ipſis plurimùm
congratulamur,in id ætatis & tẽporis incidiſſe, quo à tuo literarum fonte aliquid
doctrinæ poſsint feliciter haurire: cũ qua deo præcipuè,& nobis deinde ſeruien-
tes utramq; cœleſtis & terreſtris regni felicitatem promereamur,eamq; ſibi uindi
cent. Vale.Ex Vlixbona,XXIII.die Octob. M.CCCCXCI.

ANGELVS POLITIANVS IOANNI TEIXIRAE MAXIMO REGIO CANCELLARIO S. D.

COnatus perſæpe ſum, ſcribere aliquid ad te, uir clariſsime, quo tibi
meus animus,ſtudium'que,& uoluntas innoteſcerent. Verùm neſcio
qui ſemper, ingenuus dixerim, an ruſticus obſtitit pudor, ut qui nec
me tibi ſatis notum ſciebam, & uirtutis, fortunæ'que tuæ quodam
quaſi fulgore deterrebar. Sed impetrauit à me tandem qualeſcunque has literas
uel mei officij ratio, uel tuę humanitatis opinio. Quod igitur epiſtolæ huius uel
mihi accommodatius, uel tibi acceptius fore argumentum ſperem, quàm ſi de
tuis liberis, ijſdem'que meis diſcipulis ex uero quid ſentiam perſcripſero? Mi-
ſiſti tu quidem illos in Italiam, uir excellens, ut moribus, ut literis, ut omnibus
denique ingénuis artibus ad ſummæ fortunæ cultum formarentur. Sed eos do-
mo ſecum credo paternos attulere mores, ut exempla non magis accipiant ipſi,
quàm præbeant cæteris. Nihil in illis ineptum, nihil improbum, nihil immode-
ſtum, nihil durum. Non inuerecunda frons, non elatum ſupercilium, non li-
centes oculi, non proteruior lingua, non inconſtans uultus, non aliquid poſtre
mò uel in facie tota,uel in geſtu,uel in ſtatu, uel in inceſſu, quod offendat, quod
moleſtum, quod putidum, quod odioſum ſit. Aedes quotidie ſacras frequen-
tant, magiſtris operam dant, non aſsiduam modò, ſed & alacrem. Doctiores
condiſcipulos humanitate ſibi, & obſequio deuinciunt: quos moribus obfore,
uel famæ credant, eorum conſuetudine penitus abſtinent. Nullum inter ipſos,
niſi de ſtudijs, ac de ijs perpetuum certamen. Nullibi ſæpius, aut libentius,
quàm aut in oculis præceptorum, aut in cœtu condiſcipulorum uerſantur.

Horas quoq; tempeſtiuas bonæ ualetudini dedicant, eamq́; ob id proſperrimam tuentur. Ingenijs autem excellũt, ut facilè ſe (ne multa dixerim) tuos eſſe liberos declarent. Percipiunt facilè, quæ traduntur, pronunciant eleganter, retinent fideliter, imitantur feliciter. Iam de ſtudio quid dixerim? Nihil equidem ego ardentius, nihil uidi perſeuerantius. Tantos ergo iam lingua utraq; fecere profectus, ut ipſe quoq; non imperitiſſimus ingeniorum magiſter obſtupeſcam. Quem uerò eis domi cuſtodem, moderatoremq́; dediſti, ſic eos prudenter, amanter, diligẽter curat, excolit, gubernat, inſtituit, ut omnino deſiderari nihil poſſit. Nõ fallo equidem te, ſed nec ipſe rurſus fallor. Ita eſſe rem, uel admirãs inuidia fateretur. Quocirca multum equidem fortunæ iſti tuæ, non minus animo tamen, propoſitó que gratulor. Nec enim leuis hinc ad te quoq; redundat honos, filios tot, ac tales imbecilla adhuc ætatula, tam procul abeſſe à tuis oculis, à laribus, à patria, tamq́; diu non quidem fœnori multiplicando, nec mercibus commutandis, ut noſtri ſolẽt, ſed ut optimis inſtitutis, ut optimis artibus ac diſciplinis imbuti, uiaticum ſibi ad ſenectutem parent: in quod ipſa quoq; fortuna nullum ius habeat. Quæ res tibi iam non modò ſupra ſpem, ſed, opinor, etiam ſupra uota ſuccedet. Mihi autem crede, uir magne, non tibi illi apud nos minus acquirunt gloriæ, quàm ſibi literaturæ. Iam equidem uel tua, uel ipſorum cauſa ſic eos amo, ſic me redamari ſentio, ut in tuum penè mihi locum uidear amore & diligẽtia ſucceſſiſſe. Qua fiducia uidelicet auſim rogare te, clariſſime uir, ut epiſtolæ meæ, quæ iudicium regis tui tanquam Apollinis ſubitura iam nunc tota tremit atq; horreſcit, tantum fauoris impertias autoritate, qua polles, ut indulgẽtiam potius quàm cenſuram tantæ illius maieſtatis experiatur. Vale. Florentiæ, XVI. Cal. Septemb. M. CCCCLXXXIX.

ANGELVS POLITIANVS MARQVARDO BREISACIO S. D.

CVm ſuperioribus diebus Petrus Medices Florentinę decus Reipublicæ, quem nos à tenero educatũ linguæ utriuſq; literis erudiuimus, Romam te proficiſcentem ſalutauiſſet, ac me ſibi comitem fortè in diuerſorium adduxiſſet, memoria tenes, ortam ibi eſſe mentionem cõmentariorum quorundam, quos in ius ciuile Romanorum multis dicebar uigilijs elucubrare. Quo quidem loco, cum tu ex nobis humaniſſimè quæſiſſes, quæ ratio ſuſcepti operis foret, atq; ego eam breuiter (ut in illis temporis anguſtijs) expoſuiſſem: rurſus te cupere adhuc ſignificaſti: ut illud ipſum, quod tibi tum perſtrinxeram, poſteaquam Romam te ſuſpicarer perueniſſe, ſcripto repeterem. Sed ego ne tibi confeſtim tanti regis obeunda legatiõe multum forſitan occupato, moleſtus eſſem, dies compluſculos etiam de induſtria expectaui. Nunc autẽ quoniam nonnihil iam remiſſum tui laboris exiſtimo, propterea quòd in iſtiuſmodi munere prima quaſi coitio ſolet eſſe acerrima: uiſum mihi tẽpus eſt, quod tibi eram pollicitus dependendi. Principio igitur ſcite te illud opinor, imperatorem Iuſtinianũ poſteaquam ius ciuile perpurgauit, in ordinemq́; redegit, cauiſſe illud in primis, ut in omnibus ciuitatibus, quæ dignitate aliqua præcellerent, exemplaria legum quàm emendatiſſima publicè aſſeruarentur, quaſcunque ipſe uel nouas condidiſſet, uel etiam antiquas enucleaſſet. Sed nullum ex his clarius tamen, aut celebratius, ꝙ quod aduſq; urbis eius captiuitatem Piſis magna religione ſit cuſtoditum. Nam & maximus iuris interpres Accurſius, & alij plerique uiri doctiſſimi, quoties de ſynceritate lectionis ambigitur, literam Piſanam (ſic enim ipſi uocãt) quaſi fideliſſimũ quoddam teſtimonium citant, mendumq́; eſſe omnino putant,

quicquid

quicquid uſquam aliter, quàm in quo diximus uolumine, reperiatur. Captis autem deinde Piſis, liber idem Florentiam, cum præda reliqua uidelicet in urbē uictricem translatus eſt. Ibi uerò in ipſa curia loco celeberrimo monachorum quorundam, ſummiq́ue magiſtratus diligentia & religione ſeruatur. Tum quoties profertur (quod ipſum non ſine graui cauſa fieri ſolet) accenſis funalibus (ita enim mos traditus) monachi illi, quos dixi, ſummusq́ue magiſtratus capite aperto uenerabundi circunſiſtunt. Nullæ in eo libro interpunctiones, nulla ſcribendi compendia, grandes ubiq́ue literæ, & compares. Græcum in fronte epigramma, Græcæ præfationes, autorum, librorumq́ue index, quorum hæ leges à fontibus emanarunt, profuſus ubiq́ue argumenta plurima, quæ breuitati ſeruiens omitto, quibus eſſe eum librum Iuſtiniani ætate deſcriptum nō dubitemus: in primiſq́ue uoluminis ipſius ueneranda facies, & quę ſanctam illam uetuſtatem procul oſtentet. Hoc ergo mihi inſpicere per ocium licuit, rimariq́ue omnia, & olfacere: quæq́ue uellem excerpere diligenter, & cum uulgatis exemplaribus comparare. Tribuit enim hoc mihi uni Laurentius ille Medices, uir optimus, ac ſapientiſſimus, fore illud aliquando arbitratus, ut opera, labore, induſtriaq́ue noſtra magna inde omnino utilitas eliceretur. Deprehendi igitur multa nouis in codicibus uitia, multa in interpretibus: quoniam uidelicet inerudito nati ſeculo, cum Latinitatis ipſius imperiti fuerunt, tum Græcam linguam penitus ignorauerunt: multæ uerò ſunt ibi leges Græcis editæ uerbis, quas aut omiſerunt iuniores, aut in Latinum ſermonem peſſime cōuerterunt. Quapropter operæprecium me facturum credidi, ſi commentarios aliquos euigilarē, quibus in integrum corrupta diu lectio reſtitueretur, & linguæ Latinæ uis, quæ tota penè in legibus eſt, explicaretur. Quod ut ex ſententia perficiam, multum quoq́ue me adiuuat, quòd eos quoq́ue ſum libros nactus, quos è Latina in Gręcam linguam Iuſtinianus idem transferendos curauit. Vnum duntaxat eſt, quod quidem me non tam impedit, quàm remoratur: quòd publicis lectionibus dum linguam utramq́ue, dum philoſophiam profiteor, multum mihi operę ſubtrahitur, multumq́ue temporis eripitur. Etenim quæ res præcipuum laborem deſiderabat, in eam uidelicet ſtudia tantum ſubſecundaria contulimus. Sed erunt hæ noſtræ uigiliæ tamen autoritate quoq́ue Maximiliani ueſtri Romanorum inuictiſſimi regis muniendæ. Qui cum deſignatus iam (ſicuti ſperamus) imperator ſit, cuius eſſe legibus armata maieſtas debet, fauebit, opinor, illius ſtudio, qui tantopere ſit in armis ipſius aut expoliendis, aut reconcinnandis occupatus. Vale. Florentiæ, tertio Nonas Februarij, MCCCCXCIII.

LAVRENTIVS MEDICES ANGELO POLITIANO S. D.

EX literis, quas ad Michelotium dediſti, factus ſum certior filiolos noſtros aduerſa ualetudine uexari. Id ut humanum parentem decet, grauiter, moleſteq́ue tuli. Quam profectò moleſtiam tu præuidens, ita multis uerbis ac rationibus animum noſtrum confirmare conatus es, ut in maximam de noſtra cōſtantia dubitationem incidiſſe uideare. Quod tametſi ab amore in nos tuo proficiſci certus ſum, multo tamen maiori moleſtia nos affecit, quàm ſignificatio ulla aduerſæ ualetudinis liberorum. Quamuis enim parentis ſubſtantia liberi eſſe dicantur, multo tamen magis propria eſt animi ægritudo, quàm filiorum. Quibus enim integer ac ſoſpes eſt animus, cæterarum facilè rerum incolumitatē conſequunt: quibus uerò infirmus, nullus unquàm portus eſt à fortunæ fluctibus tutus, nullū eſt tam placatū æquor, tam quieta malacia, quin perturbatiōe uexentur. Exiſtimas'ne me adeò natura imbecillum, ut tam parua re mouear?

Si uerò

Si uerò eiuſmodi noſtra natura eſt, ut facilè huc atq; illuc perturbationib. agatur: multarum rerum experiẽtia confirmatus animus ſibi conſtare iam didicit. Ego filiorum non ualetudinem tantum, ſed fatum quandoque expertus ſum. Pater immatura morte præreptus, cum annum agerem primum & uigeſimum, ita me fortunæ ictibus expoſuit, ut quandoq; uitæ pœniteret meæ. Quapropter exiſtimare debes, quam nobis uirtutem natura negauit, experientiam attuliſſe. Verũ cum tu in epiſtola ad Michelotium imbecillitati animi noſtri diffidere non parum uidearis, atq; in tuis ad nos literis ſummopere uirtutem atq; ingenij noſtri dotes extollas, hęcq; ſimul pugnare uideantur, aut alterum falſum eſt, aut non ea es animi magnitudine, quã in me deſiderare uideris, cum ea in tuis ad nos literis ſilentio prętereas, quæ ſcripta ad Michelotium ſunt, tanquam non tua à me accipienda ſint: utpote qui exiſtimas multo magis nuncium, quàm liberorum ualetudinem, mihi moleſtiam allaturum. Sed nolo eſſe in paruis longior, ut non idem incurram uitium, quod in te uitupero, neq; in ijſdẽ literis & parua ſpernere, & prolixioribus uerbis proſequi uidear. Si quid eſt in epiſtola quod te mordeat, id totum condones amori noſtro, atq; exercitationi, cui, ut puto, abundantius materiam ſuppeditant, ſi in quenquam inuehimur, quàm ſi laudamus, multoq; latior campus eſt in unoquoq; uituperationis, quàm laudis. Gaudeo mirum in modum, Iulianum noſtrum ſe totum literis tradidiſſe, illi gratulor, tibiq; gratias ago, quòd eum ad hæc proſequenda ſtudia excitaueris. Tu uerò fac ut hominem ad literas inflammaſti, ita ſedulò cures, ſtimulosq; adijcias, ut perſeueret. Ego propediem uos reuiſam, comitemq; uobis in hoc felici Muſarum itinere me adiungam. Bene uale, Piſis pridie Calend. Aprilis, M. CCCCLXXVII.

ANGELVS POLITIANVS LAVRENTIO MEDICI SVO S. D.

NOn quòd tuæ conſtantiæ ſapiẽtiæq; diffiderem, propterea literas dedi ad Michelotiũ potius, quàm ad te de liberûm tuorum ualetudine: ſed quoniam ſum ueritus, ne fortè inconſultior uiderer, ſi grauior tibi â me nuncius alieno tempore obijceretur. Tabellarius enim ſæpe literas nõ aptè, non loco reddit: ſcriba uerò temporum captat omneis articulos. Reueritus igitur iure ſum Laurentium Medicem: Cui malè ſi palpere, recalcitrat undiq; tutus. Nec uerò iſta repugnant, quòd hic te reuereor, ibi laudo. Non enim ob aliud reuereor, quàm quòd omni laude puto digniſſimum. Molles uerò illæ tuæ morſiunculæ, tantum abeſt ut me lædant, ut ipſas quoq; neſcio quo pacto penè mihi magis blanditias commendent. Iulianus tuus uerè frater, hoc eſt, ut docti putant, fere alter, ipſe ſibi in ſtudijs eſt nõ modò iam mirificus hortator, ſed & pręceptor. Nihilq; nobis ad ſummam uoluptatem deeſt, niſi quòd abes. Vale.

ANGELVS POLITIANVS LAVRENTIO MEDICI PATRONO SVO S. D.

BAptiſta Leo Florentinus è clariſſima Albertorũ familia, uir ingenij elegantis, acerrimi iudicij, exquiſitiſſimæq; doctrinæ, cùm complura alia egregia monumenta poſteris reliquiſſet, tum libros elucubrauit de architectura decem, quos propemodũ emẽdatos, perpolitosq; editurus iamiam in lucẽ, ac tuo dedicaturus nomini, fato eſt functus. Huius frater Bernardus, homo prudens, tuiq; inter primos ſtudioſus, ut una opera tanti uiri memoriæ uoluntatí que conſuleret, & tuis in ſe meritis gratiam referret, deſcriptos eos ex archetypis, atque in uolumen redactos, tibi repræſentat, Laurenti Medices.

Et cupie-

Et cupiebat ille quidem, ut ipſum apud te munus, autoremq; muneris Baptiſtam ornarem uerbis. Quod ego mihi nulla ratione ſtatui faciendum, ne tam abſoluti operis, tamq; excellentis uiri laudes culpa detererem ingenij. Namq; operi quidem ipſi maius multo ex lectione præconium accedet, ꝙ quantum ego ullis uerbis conſequi poſſim. Autoris autem laudes non ſolum epiſtolæ anguſtias, ſed noſtræ omnino paupertatem orationis reformidant. Nullæ quippe hunc hominem latuerunt, quamlibet remotæ literæ, quamlibet reconditæ diſciplinæ. Dubitare poſſis, utrum ad oratoriam magis, an ad poeticen factus: utrum grauior illi ſermo fuerit, an urbanior. Ita perſcrutatus antiquitatis ueſtigia eſt, ut omnem ueterũ architectandi rationem, & deprehenderit, & in exemplum reuocauerit: ſic ut non ſolum machinas, & pegmata, automataq; permulta, ſed formas quoq; ædificiorũ admirabileis excogitauerit: optimus præterea & pictor & ſtatuarius eſt habitus, cum tamen interim ita examuſſim teneret omnia, ut uix pauci ſingula: quare ego de illo ut de Carthagine Salluſtius, tacere ſatius puto, quàm pauca dicere. Huic autem libro, Laurenti, cum uel præcipuum locum in tua bibliotheca uelim attribuas, tum eum & ipſe legas diligenter, & legendum uulgò, publicandumq; cures. nam & ipſe dignus eſt, qui uolitet docta per ora uirûm, & in te iam uno propemodum recumbit deſertum ab alijs patrocinium literarum. Vale.

ANGELVS POLITIANVS RAMBERTO MALATESTAE PRINCIPI S. D.

NOn poſſum facilè conſequi uerbis, quantum mihi epiſtola tua pariter & admirationis attulerit, & uoluptatis. Admiratus enim te ſum loco fortunaq; iſta iuuenem cùm popularibus regendis, tum uerò militaribus ſtudijs occupatum, ſic iam profeciſſe in literis, ut cõferendus propemodum cum profeſſoribus ipſis, & hoc unum ſemper agentibus uideare. Voluptati autem fuit amor erga me quidem tuus non uulgaris, cuius in epiſtola eadem non ſignificationem modò aliquam mihi, ſed expreſſam propè imaginem oſtendiſti. Quare habeo gratiam meis libellis, quamuis & paucis adhuc, & rudibus, quòd animum mihi tuum tam facilè conciliauerint. Qui tamẽ utinam digni forent laudibus, quas in eos nimis homo humanus contuliſti, magis illud cogitans, quomodo indulgeres amori tuo, ꝙ quomodo pudori meo parceres. Quod uerò ad cauſam tuam attinet, non concedo tibi prorſus, ut eam rem uehementius optes, quàm ego. Quapropter enitar, faciam, experiar, deniq; nullum remittã ſtudium, quò tuæ iſti uoluntati, atq; honeſtiſſimo deſiderio ſatisfaciam. Cęterũ illud moleſtum eſt, quòd certi adhuc, quod quidem ad te ſcribam, nihil habeo. Non enim conueniendi Petri Medicis copia mihi fuit hos dies, quoniã ſcilicet adhuc animi cauſa ruſticatur. Cum primũ ſe in urbem receperit, præſtò erimus, operãq; dabimus, ut illius erga te uoluntas aut eliciatur, aut ſi opus etiam fuerit, impellatur. Rumor certè uanus apud uos de belli apparatu, deq; militum delectibus increbuit. Nam cõtrà, res ad pacem magis (quod bene uertat) & concordiam ſpectat. Librariam prouinciam Marcellus ipſe ſuſcepit, nos ei operam polliciti omnem ſumus. Picus Mirandula noſter, ex tuis literis uel ad me, uel ad Marſiliũ mirificè te diligit: cuius etiam nomine ſalutem tibi aſcribo. Vale. Florentiæ, nono Cal. Auguſti, M. CCCCXCIIII.

ANGELVS

ANGELVS POLITIANVS LAVRENTIO MEDICI, PETRI FRANCISCI F. S. D.

COgis tu quidem me, Laurenti, carmen edere inconditum, inemendatum, & quod in publico ſemel pronunciatum, nimis fuiſſe impudens uiſum ſit. Satis profectò fuerat, uixiſſe unum diem, quod tam foret imperfectũ animal, ac poſſe etiam inter inſecta illa, quæ uocentur Ephemera, connumerari. Namque ego id ad præſentem duntaxat celebritatem, quaſi Adonidos hortũ concinnaueram. Prorogare tu noſtræ Mantus (ita enim inſcribimus) nõ tam uitã cupis, quàm dedecus: ferreus ſim, ſi tibi quid denegẽ, tam nobili adoleſcẽti, tam probo, tam mei amanti, tanto deniq; eam rem ſtudio efflagitanti. Quare habe tibi quicquid hoc libelli, ac tu quoq; deſiderio noſtro aliquãdo ſubueni, & quæ tibi Muſæ amatoria carmina uernaculè ſuggerunt, ne patere quæſo, à nobis expectari diutius. Vale. Florentiæ, quarto Nonas Nouembris, M.CCCCLXXXII.

ANGELVS POLITIANVS IACOBO SALVIATO SVO S. D.

IN Ruſticum tibi, id ſcilicet ab argumento inditum nomen. Tuo coactu prodit in uulgum, tibi eſt uni quicquid acciderit, imputaturus. Iam ne ſentis quàm tibi tuendus ſit, uel tuo ipſius nomine, uel meo? Tua enim fides in eo, meus honos agitur: cuius quidem etſi ſemper cura apud te iam inde à pueritia excubuit, tamẽ eum tueri nunc uel ob idipſum impenſius debes, quòd es nuper Laurentio Medici principi uiro, cuius ego cliens alumnusq; ſum, unus ex omni Florentina iuuentute gener aſcitus. Profer igitur in tali patrocinio autoritatem omnem, atq; gratiam, quam uidelicet tibi & uiri excellẽtis affinitas, & tua egregia indoles, morũq; ſuauitas cõciliant. Vale, & me, ut facis, ama.

ANGELVS POLITIANVS LAVRENTIO TORNABONO SVO S. D.

DEbetur hæc ſylua tibi uel argumento, uel titulo. Nam & Homeri ſtudioſus es, quaſiq; noſter conſectaneus, & propinquus Laurentij Medicis, ſummi præcellentisq; uiri, qui ſcilicet Ambrã ipſam Caianam, prædium (ut ita dixerim) omniferum, quaſi pro laxamento ſibi delegit ciuilium laborum. Tibi ergo poemation hoc, qualecunque eſt, nuncupamus, ut ſit amoris noſtri monimentum, ſit incitamentum tibi ad ſtudia literarum, præſertim Græcarum, in quibus tamen ita iam proceſſiſti, ut uideare ad ſummum breui, ſi modò perrexeris, euaſurus. Vale. Florentiæ, pridie Nonis Nouembrib. M.CCCCLXXXV.

ANGELVS POLITIANVS PETRO MEDICI SVO S. D.

FAcere non poſſum, quin tibi agam gratias, mi Petre, quòd autoritate operaq; tua curaueris, ut in collegium noſtrum Matthęus Francus, homo (ut ſcis) mihi amiciſſimus, cooptaretur. Eſt autem non modò iſto (licet inuidi quidam rumpantur) ſed quouis honore digniſſimus. Prima illi cõmendatio contigit apud patrem tuum, ſapientiſſimum uirum, iocorum & urbanitatis, cùm faceta illa ſcriberet carmina patrio ſermone, quæ nunc Italia tota celebrantur. Quin idem parens tuus, penè infantẽ adhuc te, quædam ex his facetiora ridiculi gratia docebat, quæ tu deinde inter adductos amicos balbutiebas, & eleganti quodam geſtu, qui quidem illam deceręt ętatulam, cõmendabas. Nec tamen inſuauior Francus in ſermonibus, uſuq; domeſtico, ſiue tu dicteria, ſiue

ſiue fabulamenta,ſiue id genus oblectamenta alia requiras, in queis non eius in-
genium magis eminet,quàm prudentia. Nihil enim unquam ſcurriliter,nihil im-
modeſtè,nihil nõ ſuo loco,nihil extra rem,nihil incautè, nihil ſine delectu. Qua-
re ſiue ruſticaretur animi cauſa, ſiue balneis operam daret Laurentius parẽs tuus
(quod te meminiſſe nõ dubito) Francum ſibi adducebat comitem, cuius lepôre
quaſi recrearetur. Adhibuit eum deinde conſiliarium Magdalenæ ſorori tuæ Ro
mam proficiſcenti ad uirum,uidelicet ut rudis adhuc puella, quæ nunquã de ma-
terno ſinu ſe prompſerat, paternũ aliquem circa ſe haberet amicum, ad quam de
re dubia referret. Hic ſe Francus (ut homo eſt eximia patiẽtia, ſed & dexteritate)
ſic neſcio quo pacto diuerſis ignotis'que moribus accõmodauit, ut & uniuerſo-
rum beneuolentiam collegerit, & ſorori ipſi tuæ facilè unus omnia paternæ do-
mus ſolatia repræſentet. Gratus eſſe Innocentio quoq; pontifici mirè dicitur, gra
tus aliquot è purpuratis patribus: tui certè illum ciues, qui Romæ negotiantur,
in oculis geſtant. Quid quòd breui cauſarum foriq; Romani ſic peritus euaſit,
ut iam non inter poſtremos habeatur? Eſt autem omnino ingenio uerſatili Fran
cus noſter,& quod rebus ac perſonis omnibus congruat. Cæterùm diſpenſatiõe
domeſtica nemini ceſſerit, quippe gnarus omnium quæ poſtulat uſus, non tam
præſcribere familiæ poteſt ac ſolet, quid quiſq; agat, quàm quomodo, & quate-
nus agat. Addam unum adhuc illius inſigne,nemo diligentius amicos parat,ne-
mo fidelius retinet. Meus certè in ipſum, contraq; ipſius in me ſic amor innotuit,
ut quod gratiſſimum eſt,& nos inter rara admodum paria numeremur. Itaq; bis
me eſſe canonicum puto abs te factum,quando illum quoq; nunc,id eſt alterum
me,noſtro cœtui aggregaſti. Nõ enim minus in eo mihi,quàm in meipſo uideor
honeſtatus: Vale.

ANGELVS POLITIANVS FRANCIOTTO VR-
SINO SVO S. D.

EXigebas à me ſuperioribus diebus, ut ponderum nomina, & menſu-
rarum breuiſſimè tibi colligerem, ſed quorum potiſſimũ ſit apud Ve-
getium Renatum mentio libro,quem nunc in manum ſumpſeris,quo
medicinam ueterinariam pertractat. Geram tibi morem,ſed & libẽter
mi Franciotte. Nam cũ tu Petri Medicis alumni,patroniq; mei ſis amitinus, ijſdẽ
cum ipſo laribus educatus, excellentis & indolis, & uirtutis, & ingenij iuuenis,
idemq; ſingularis erga me ſemper humanitatis, nihil eſt utique, quod magis ex
animo faciam,quàm quod eſſe tibi quàm gratiſſimũ ſentiam. Prius igitur de pon
deribus accipe,mox uerò & de menſuris. Minimum pondus eſt, qui latinè Scri-
pulus,& idẽ græcè dictus Obolus: pendere is putatur Siliquas omnino ſex,quæ
Ceratia græcè nominantur: hoc eſt,quantũ lentis octo ſemina. Tres uerò ſcripuli
drachmã faciunt,quod eſt argẽtei põdus. Duplex drachma Sicilicũ facit. Drach-
mæ additus Scripulus,Sextulam creat. Sextulas Vncia ſenas habet. Sextulæ duę
Duella uocantur. Octo Drachmæ reddunt Vnciam, quæ & Scripulos omnino
cõtinet quatuor ac uiginti. Sed & Vncijs duodecim Romana libra cõſtat: nanq;
Attica minor eſt,ut quæ drachmis cõficiatur ſeptem & ſeptuaginta, cùm Roma-
na ſex & nonaginta. Sic drachmæ centum minam conſtituunt, maiorem drach-
mis quatuor Romana libra. Talentum uerò Atticum maius eſt, ac minus: quod
minus his,minas habet ſexaginta,quæ ſex millia drachmarum ſunt: quod maius,
tres & octoginta minas,ſed & uncias inſuper quatuor, nec maius ullum pondus
Attico talento. Dixi de ponderibus,dicam uerò & de menſuris, illis, inquam,nõ
quibus agros, ſed quibus aut fruges aut liquores demetimur. Incipiendum uerò

ab Amphora conſecrata Romanis in Capitolio,ne cui uiolaretur.Capit hæc omnino quantũ teſſera quoquouerſus in area pedum quatuor. Pes autem ſedecim conſtat digitis.Duplex amphora modius eſt, aut ſi mauis græcè, medimnus : eademq́ triplex efficit ſextarium . Sextarij dimidium Cotula uocatur, & hemina: quatuor uerò ſextarij chœnica cõplent, ita ſex congium, qui latinè chus dicitur. inde forſitan ſextarij nomen,quod eum ſexies congius capit. Scribit tamen Pollux,cotulam chœnicis eſſe tertiam partem,chœnicas octo & quadraginta medimno contineri.Sed et hemina ſex implet̃ cyathis,cyathi uerò pondus ferè drachmæ decem,ſicut oxybaphi quindecim . Cyathi pars quarta myſtros , huius tertia cyame,quæ duo cochlearia capit.Sunt & Artabæ, quæ ternæ denos capiunt modios.Et omnium maximus culleus , quem uiginti amphoræ complent. Addam notas etiam quaſdam , quæ legentem perturbent. Sextarij nota hæc eſt ~~ss~~ , ſcripuli ɘ,unciæ ~., ſemis ÷,libræ Λ . Abſolui iam q̃d mihi penſum dediſti . Si quid eſt,quod in eo genere adhuc deſideres, etiam atq; etiam potes audacter uti opera noſtra.Reſtat ut te laudem, Franciotte, quòd ſtudium tantum adhibeas comparandis equis bellatoribus, & alendis,ſic ut libros etiam diligenter , quibus ipſorum cura continetur,& exquiras,& euoluas,ac peritos,id eſt,ueterinarios conſulas,quorum ſcilicet ope uocabula quædam deſita , ne doctiſſimis quidem uiris intellecta conſequaris.Decet hoc te bellicis laudibus inhiantem, ueſtigijsq; maiorum , gentiliumq; tuorum fortiter inſiſtentem : qui ſemper in armis incredibili gloria floruerunt,& nunc cum maximè florent : ſic ut familia Vrſina nihil eſſe aliud uideri poſſit, quàm militum fortiſſimorum , ducumq; magnanimorũ quoddam quaſi ſeminarium. Vale.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER VNDECIMVS.

ANGELVS POLITIANVS LODOVICO SFORTIAE VICECOMITI, PRINCIPI CLARISSIMO S. D.

ETSI minora fortaſſe uideri poſſunt,optime princeps,de quibus ego nunc ad te ſcribam, quàm ut animaduerſione curaq; tua digna ſint,tamen quæ tua eſſe humanitas dicitur , æquo animo laturum confido,ſi,dum probari tibi quàm maximè ſtudeo, deuocare pauliſper ad hæc inferiora , uelut ab excelſiore quodam faſtigio te coner. Nam cum tu princeps habearis ingenij perſpicaciſſimi, prudentiæq; ſingularis , idemq; bonas arteis, & hæc ingenua ſtudia,quæ profitemur,præ cæteris foueas: omni ope contendere debemus,ut tu quàm honeſtiſſimè de nobis loquaris,& ſentias.Eſt enim bonorum principum,cum uiris eruditis tacita quædam,naturaliſq; ſocietas,ut alteri ab alteris illuſtrẽtur, ac dum ſibi mutuò ſuffragantur,&gloria principibus & doctis autoritas concilietur.Sed ut ad id ueniam aliquando,quamobrem ſcribere hanc epiſtolam inſtitui . Georgium habes Merulam prouidentiſſime princeps,hominem doctiſſimũ, qui non ſolũ docendo politiores cottidie tuos ciues reddit,uerùm ſcribendo quoque res tuas geſtas,maiorumq; tuorum non poſteritati modò,ſed etiam (ut credimus) æternitati commendat. Hunc ego uirum cùm antea ſemper dilexi, & colui, tum poſteaquam ſub tuum quaſi uexillum ſe contulit,quibuſcunq; officijs potui,ſum proſecutus.Nam & quoties incidit mẽtio,laudaui,ſic ut neminem magis : & ob-

trectatori-

trectatoribus eius,quibus profectò non caret,audaciſſimè reſtiti: & eiuſdem po-
ſtremò nomen,quàm honorificentiſſimè potui,ſcriptis meis intexui:ſperaui'que
fore ne minor eſſe inter nos animorum, quàm ſtudiórum coniunctio diceretur,
quæ me tamen ſpes ual de fefellit.Nam triennio iam & literis ſuorum familiarium
& multorum ſermonibus,& fama deniq; ipſa cottidie certior fio,non modò eum
de nobis aſperè & acerbè quacunq; occaſione,ſed etiã contumelioſiſſimè ſolere
loqui. Poſtremò librũ quoq; aduerſus Miſcellanea noſtra cõpoſuiſſe dicitur,ple-
num fortaſſe(quod ipſe ait)erraris noſtris,certè plenum conuitijs.Quo equidem
libro tantum abeſt ut offendar, ut etiam gratias agam,modò aliquando edatur.
Sed hoc moleſtum,quòd cùm diu uulgo recitet,adhuc tamẽ domi retinet, multa
iactans, multa minitans.Itaq; uiſum mihi eſt,dare ad hominẽ literas,honoris mei
cauſa: non equidem ut in his iniurias illas expoſtulem , ſed ut eum tamen rogem
uerbis amiciſſimis, ut mihi etiam aliquando poteſtatem faciat audiendæ accuſa-
tionis: ne ſcilicet indicta cauſa condemner,ac ſi non excuſandi,quæ ſcripſi,certè
caſtigandi copia quandoq; fiat.Hoc eſt denique, quod ab ipſo non ſolum multis
precibus , ſed loco etiã maximi cuiuſdam beneficij peto. Verùm ne quis fortaſſe
ad te mearum literarum ſententiam ſecus deferret, ex quo tuus animus offende-
retur,mitto exemplum ipſius epiſtolæ, qua uidelicet æquitatẽ poſtulationis meæ
cognoſcas:quod etiã ut impetrem,rogo me adiuues,nutu autoritateq; tua . Nam
ſi mihi reſpondendi facultas dabitur,neminem equidem alium,niſi teipſum iudi-
cem nuncupabo. Tum ut alia multa poſthac, ita nunc reſponſum meum tuo cla-
riſſimo nomini dedicabo.Quanq; enim adhuc nõ contigit, ut te ullis officijs de-
mererer, curabo tamẽ,ſapientiſſime princeps, ut intellegant aliquando homines
fuiſſe etiam Politianum glorię ſplendoris'que tui ſtudioſiſſimum. Vale.Floren
tiæ,pridie Calendas Februarias,M. CCCCLXXXIII.

ANGELVS POLITIANVS GEORGIO MERV-
LAE SVO S. D.

EX literis, & ſermone multorum cognoui iam diu , te parum amicè de
nobis & ſentire,& loqui: ſcripſiſſe etiã contra Miſcellanea noſtra , li-
brum criminoſiſſimum,quem ſoleas quoq; libenter,ut in quemq; in-
cideris,recitare: deniq; meipſum abs te (quod uix equidẽ credo) ter-
tio quôque uerbo contumelioſiſſimè appellari. Quæ quoniam res magis rumo-
ribus increbuit,quàm ut diſſimulari iam poſſit, uiſum mihi eſt dare ad te has lite-
ras , quibus uoluntatẽ ſenſumq; omnem tibi meum declararem . Ego te ad hanc
diem,mi Merula,ſemper & dilexi,& colui,cottidianiſq; ſermonibus,atq; hoc ip-
ſo Miſcellaneorum opere,quod reprehendis,collaudaui. Nullaq; deniq; eſt à no
bis in te unquam (cuius quidem mihi ſim conſcius) orta iniuria. Quapropter nõ
uideo quæ cauſa ſit,cur tu ſuſpicionem dare maleuolis alienati à nobis animi con
cupiueris: aut cur nõ potius ipſe ad me liberè ſcripſeris,copiamq; feceris amiciſſi
mo tibi homini , uel agnoſcendi errores ſuos , uel refellendi.Non enim mihi fieri
iniuriam puto,ſi quis aliter atq; ego ſentiat aut ſcribat:quoniam ſententiarum di-
uerſitate, præſertim in literis, amicitiam diſtrahi non eſt neceſſe : quin potius de-
bere me illis magnopere intellego , qui me ab inueteratis erroribus aliquãdo re-
uocent. Quare tu quoque, ſi quid in me tale uel peperiſti iam,uel adhuc parturis,
unde ego bonam frugem ſim laturus , adeò non offendar, ut etiam perpetuò me
tibi debiturum profitear. Rogoq; te per amicitiam noſtram , per cõmunia ſtudia,
perq; tuas uigilias obteſtor,ut iſtud quicquid eſt,edas aliquando in lucem, ne'ue

mihi occaſionem uel emendandi mei eripias, ſi uero, uel defendendi, ſi falſo accu
ſer. Illud me fateor ualde mirari, ſcripſiſſe ad me familiares quoſdam tuos, quibus
adhuc ego tui honoris cauſa, ne reſpondi quidem, ſolere te in omnes inuehi no-
ſtræ ætatis profeſſores, ac ſuſtuliſſe animos de libellis quibuſdam modò repertis,
unde etiam lactis gallinacei (quod dicitur) hauſtū ſumpſiſſe te iactes. Quos ego
tamen ſermones ab obtrectatoribus tuis confictos, quàm abs te uſurpatos liben
tius crediderim: non enim decēt canos iſtos. Nam quid habes in hoc ſeculo Me
rula, quod contemnas? Aut cur tantum libris ijs cenſeri te poſtulas, quos auſpi-
cio Ludouici Sfortiæ, ſapientiſsimi principis inueneris? Cuius tu beneficiū ſi ſup
primes, quod patêre quàm latiſsimè debet, magnam profectò in te calumniam con-
citabis. Cæterùm de eo tu uideris. Multo enim tu melius perſpicere quàm nos, quod
tuum officiū ſit, & potes, & debes. Ergo illud à te breuiter peto, notas ut iſtas ſcri
ptorum meorum (quas aiunt) aliquando publices, locumque mihi des uel purgan
di meipſum, uel corrigendi: quod ſi feceris, polliceor me quoque par pari rela-
turum. Vale.

IACOBVS ANTIQVARIVS ANGELO POLI- TIANO SVO S. D.

BErnardus Riccius inter diſciplinas & alumnationes tuas ſanè iuuenis
non pœnitendus, poteſtatem mihi fecit legendi exempla earum litera-
rum, quas cùm ad Merulam, tum ad ſapientiſsimū principem Ludoui-
cum eadem de re nuper conſcripſiſti, & quid à me conſilij poſtulares,
oſtendit. Conueni cum eo in ſententiam, ut literæ ipſæ ordine ſuo redderētur, ne
illis fortè ſuppreſsis, aut diſsimulatis, ſi res ad aures perueniſſet, de Miſcellaneis
tuis in aliquo metu fuiſſe uidereris, cum defenſio longè ualidior, quàm accuſatio
ſit parata. Quid iſte ſenex uir, alioqui (quod noſti) lectionis multæ, atque eloquen-
tiæ non indiligentis, ex literarijs tumultib. uelit, planè iam cerno. Satis gloriæ ſibi
cōparauit: quoniam quæ cōmentatus eſt, & quæ ſcripſit, magna poſteritatis ſpe,
& uiuentium gratia ſunt recepta: nunc alienæ ſi quo fato imminet famæ, tam ma-
lè audiet, quàm malè dixerit alteri, laudis oblitus, aut prodigus ſuæ. Inter profeſſores
primas ſibi partes uendicat: id ambienti concedatur, & merenti, ſed ea lege, ut ab
illo ſecundus eſſe non debeas, niſi ætatis conceſſu. Spero tamē (ne à ioco abſim)
hominem tibi non multum nocere poſſe, cui undique dentibus ſit os uacuum. In-
terea uerò pietatis erga illum meæ fuerit, & amoris quoque in te maximi, diligenter
curare, ne te mordicus laceſſat. Sed quod æquiſsimè petis, ſi quid in tuis libris à
ueritate, aut à maieſtate Latina, cuius aſſertor ſtudioſiſsimus ſemper fuiſti, remo-
tum reprehendit, & alienum, oſtendat boni cōſulentis more: quia ſis paratus her
bam dare, neque puditurus errata corrigere: qui plurimū prodeſſe ingenijs concu-
piſti. Vale. Mediolani, XV. Februarij, M. CCCCLXXXIIII.

LVDOVICVS MARIA SFORTIA ANGELO PO- LITIANO S. D.

ID ab naturæ & maiorum inſtituto erga doctos nobis inſitum eſt, quod
fieri tu optas, ut eos diligamus, & ubi accidit, etiam libenter ornemus.
Hoc autem tecum eo ſtudioſius agimus, quòd ad doctrinam hoc plus
habes: quia in Medicum gente nobis amiciſsima & uixiſti hactenus, &
illi charus haberis. Itaque minimè grauatim cum Georgio Merula id egimus, quod
petijſti, non modò ut tu clarius intelligas, quæ per obſcuros hominum ſermones
de illius in te accuſatione iſthuc ferri dicis: uerumetiam quia minimè probamus,
ut uiri eruditi aut mutuò odia exerceant, aut quod inuicem fraternè agi deberet

amicê

amice monendo, id durius agendo ad mordacitatem transferant. Reſcribit tibi
ille, quod ſcribæ oratoris apud nos agentis dedimus. Itaq; putamus eum tibi ſatiſ-
facturum, & oſtenſurum, quamuis moleſtè tulerit, quę ſua putat ab alijs tanquam
ſua uſurpari: non obliuiſci tamē quod ueteri amico, & homini literato à ſe debea
tur. Vale. Vigleuani, die 11. Martij, M. CCCCXCIIII.

GEORGIVS MERVLA ANG. POLITIANO S. D.

COnquereris Angele per literas, quòd maledictis ſiue profitear, ſiue in
circulis aduerſus literatos ſermo habeatur, te inſecter: criminoſiſſimū
præterea libellum confecerim, quem etſi nondum edidi, tamen ut in
quemq; incido recitem: atq; non parum miraris, cur hæc in te moliar,
qui me colueris, laudaueris, & nulla iniuria affeceris. Ego, mi Angele, priuſquam
te noſſem, fama nominis tui adductus, quib. potui officijs ſum proſecutus: libros
Græcos, in quibus eruditio ampla, & recondita continetur, Florētiam ad te miſi,
nihil ſanè ueritus, quòd æmulus & imitator ſtudiorum fores. Quid? quòd de te
ſemper honorificè ſum locutus, tantumq; tibi deferebam, ut qui audirent, plus à-
micitiæ q̃ ueritati me tribuere exiſtimarent. Meminiſti, credo, quid in frequenti
auditorio Venetijs, cùm ad me acceſſiſſes, palàm dixerim, te illum eſſe, quem pri
ſcæ & Romanæ doctrinæ inſtauratorem mihi pollicerer. Nihil unquam contu-
meliosius ſum locutus, nec eſt qui audiuerit Merulam aduerſum tua ſcripta (Mi-
ſcellanea excipio) quicquam, quod te offendere debeat, protuliſſe. Notauere alij
ſyllabas in metris uitioſe poſitas, alij ſolœciſmos tetigere. Ego hæc, & talia in Po-
litiano nec exigi, nec culpari debere duxi. Miſcellanea ut primùm mihi oblata
ſunt, titulo ipſo permotus, carptim legi. Cum in eum incidiſſem locum, ubi cum
honeſta præfatione mentionem de me facis, non potui non gaudere teſtimonio
tuo. Quis enim à uiro erudito laudari non expetat? Cæterùm familiares quidam
& diſcipuli animaduertiſſe ſe mihi retulere nō admodum pauca, quæ iampridem
à me didiciſſent, & literis prodidiſſem, ceu autor eorum eſſes, in Miſcellaneis à te
uſurpari, atq; ſuppreſſo nomine, alia uelut peruerſè interpretata damnari. Mouit
ea res mihi ſtomachum, extra tamen iram & obtrectationem. Deinde paulo cu-
rioſius dum capita percurro, plus inueni, quàm à familiarib. accepiſſem. Ita dum
mea partim ſubrepta, partim ſubdolè deſignata cognoſco, pauca tumultuariò in
aduerſarijs magis, quàm in codice adſcripſi. Dices, cur non continuò mecū iniu-
riam expoſtulaſti? Non æqua facere me exiſtimabam, quaſi tu errata nec cogno-
ſcere nec corrigere ſcires: ita ſatis habui in ſumma magis quàm particulatim quid
peccaſſes indicare. Potuiſti, niſi tua nimis amaſſes, ubi te notare ſenſiſti, diligētius
Miſcellanea explorare, tum retractare, ſi quid perperàm ſcripſiſſes: & quod bo-
na nomina facere ſolent, ſi non erat unde debitum redderes, ſaltem apud credi-
torem, quantū debeas profiteri. Quòd autem indignaris, & ęgrè fers, q; dictitem,
noſtri tēporis profeſſores non admodum doctos mihi uideri: abſtineas quæſo ab
ira & indignatione. Satis enim conſtat ex commentarijs noſtris, qui circumferun
tur, quid in re Latina præſtare ualeat Merula. Exibunt in publicum, & in aciē elu
cubratæ noſtræ Centuriæ, quarum uim & impetum quis ſuſtinebit? Terga proti-
nus dabunt, et diffugient. Cæterùm ut ad libros redeam, quos auſpicio Ludouici
principis excellentiſſimi, à ſitu & propinquo interitu uindicauimus, quid reum
calumniæ me facis, quaſi beneficium ſupprimere uelim? Publicaui autorum no-
mina, & operum titulos. Geſtiunt credo umbræ, & ſcriptorum manes, ad quos di-
ligentiam & fidem Merulæ iam perueniſſe puto. An̄ exiſtimas ex ingenio, ſi non
tuo, certè multorum me eſſe: qui ſi theſauros hos inueniſſent, iterum eos defo-

diſſent? Canos mihi obijcis, importuni non ſunt, ſupereſt animi uigor, corporis robur, celeres ingenij motus, manet prȩterea pertinax, & ampla illa tam rerum ꝙ literarum memoria. Et hæc ſatis ad Politianum noſtrum. Vale. Ex Mediolano, VI. Calend. Mart. M.CCCCXCIIII.

ANGELVS POLITIANVS GEORGIO MERVLAE SVO S. D.

GRatæ mihi omnino literæ tuæ fuerunt, gratiores futuræ tamen, ſi quod ego in primis optabam, petebamq; à te, ſecũ quoq; Miſcellaneorũ noſtrorũ notas attuliſſent. Nam iſta quidẽ ratio ſcribendi tua, nec diluẽdi criminis mihi poteſtatẽ, nec agnoſcendi fecit: ſed quoniã in manu mea non fuit, q̃ tu tandẽ pacto reſcriberes, breuiter ad hæc ipſa q̃q; epiſtolæ tuæ capita reſpõdebo. Cõmemoras officia, quæ adhuc ignoto præſtiteris. Miſiſſe eñ Græcos ais libros ad me Florentiã, plenos eruditionis recõditȩ, nihil ueritũ ꝙ ȩmulus & imitator ſtudiorũ forem. Nõ ſoleo Merula nec facilè obliuiſci, nec libẽter diſſimulare, ſi quod aliquãdo in me quiſꝗ beneficiũ contulerit. Cȩterùm tu quidẽ ad me libros miſiſti nullos, ac ſi qui Florentiam Venetijs allati ſunt, eorum copiam ſenatus Venetus Laurẽtio noſtro Medici ſemper fecit. Sed nec ego æmulus, aut imitator ſtudiorum tuorum: quanꝗ enim tu uir omnino in literis magnus, non tamen planè tantus, ut te mihi unquam ad imitandum propoſuerim. Nam quòd te ſemper de nobis honorificè ais locutum, malo equidem tibi quàm tuis familiaribus credere. Solent enim minuti quidam, & puſilli, famam quoq; libenter magiſtrorum ſuorum detrectare. Cuiuſmodi hominum malignitates, ingratumq; animum in nos quoq; interdũ, magis etiam ꝙ uolumus, experimur. Videlicet cõmittere me tecum ſtuduerunt, falſiſq; ob id ſuſpicionibus impleuerunt. Sed uitioſas deprehendi ſyllabas, inquis, in noſtris uerſibus. Rogo, quas? an eas fortè dices, quas in fronte ipſa ſtatim, ſicut alia errata librariorum collegimus? At hoc periniquum eſt: non enim præſtare alienam culpam debeo, quã præſertim correxerim. Neſcis ꝙ ſæpe ſemidocti illi, qui librorũ excuſorib. operam nauant, ita explicare ſe ſoleant, ut in quôque hæſitauerint, ut aut inducta pro receptis ſupponant, aut ipſi ex tempore ad ſuum cõmodum falſa quæpiam cõminiſcantur? Præſertim ſi confuſè ac perturbatè ſcripta ſint exẽplaria, ſicuti pleruncꝗ ſolent, quȩ prima procudimus. Nam & illud uſu quandoq; uenit, ut ne ipſi quidem ſcripta noſtra facilè relegamus. Quòd ſi calumniæ iſti ſit locus, quomodo quæſo illa tua defendes? Non ſtratũ, non ulla ualent uelamina pati. Et item? Cui dat latratos obuia turba panes. Non enim ſaltem codices proferre antiquos potes, qui corruptæ lectioni adſtipulentur, ſicuti nos in Catulliano illo uerſiculo, quem quidã fruſtra inuadũt. Iſta tamẽ lingua ſi uſus ueniat tibi poſſis. Fit autem interdũ profectò, ut ne noſtra quidem relegentes, mendum quod ibi eſt librariorũ, deprehẽdamus. Ecce enim ꝙ multa me præterierũt, quæ nemo bonus & æquus obiecerit. Eulabiam ſcilicet artifices iſti, pro ablabia, Sabadium pro Sabazio, Theodoritũ pro Theodoreto ſubdiderunt. Iidem capite duodeuigeſimo, Pȩdianũ pro Pompeio, pro Iuuenale Vmbricium. Capite rurſum duodequinquageſimo, quintũ ac uigeſimũ Plinij uolumen, pro quinto & trigeſimo. Sexto autem octogeſimoq;, Martialis ſeptimũ pro undecimo citauerunt. Muſtellariam quoq; alibi ꝙ Moſtellariam: & Cæcilianos annales, ꝙ Cælianos maluerunt. Solœciſmos porrò adhuc nemo mihi ex doctioribus obiecit. Nam quæ uiliſſimi quidam nugatores in angulis garriebant, ea nos propalàm citatis autoribus confutauimus. Verùm hæc & talia, inquis, in Politiano nec exigi, nec culpari debere duxi. Rectè tu quidem, quando hæc errata

noſtra

noſtra nō ſunt. Nam ſi noſtra ibi culpa ulla foret, magis aliquantò in nobis & exi-
genda fuiſſent, & reprehendenda, ꝙ in quibus nulla iactura fieret, quocunq; mo
do tandem uel loquerentur, uel ſcriberent. Venio ad Miſcellanea, in quib. offen-
ſum te ſcribis, quòd tua quædam ſubripuerim, quædam autem ſubdolè (ſic enim
inquis) deſignauerim. Ita nobis & plagium Merula obijcis, & dolum malum: gra
ue utrunq; crimen, ſed utrunq; falſum: nihil enim eſt apud me, quod tibi ſubreptū
dicas, quoniam quæ ſcripſi, partim nihil ad tuos cōmentarios attinent, partim ab
ijſdem magnopere diſſentiunt. Tantum de Baptis nonnihil apud te, ſed rude ta-
men adhuc, & inchoatum, de quo mihi tacendum putaui, ne ſtatim ibidem repre-
hendere in Corytto nominatim te cogerer. Nam quòd Ouidianū tu quoq; uerſi-
culum citaſti de Naulijs in cōmentariolis quibuſdam, quos adhuc equidem non
uideram, tam puſillū, minutum, tamq; nihil eſt, ut illius etiam fortaſſe te pudeat.
Vbi autem ſubdolè tua notauerim, nondum profectò intellego. Bis equidē toto
opere laudaui, prius à doctrina, poſterius & à moribus. Sed tu fortaſſe iniuriam
tibi factam credis, quòd de rebus ijſdem non eadem tecū prodiderim: quaſi uerò
maior tui mihi, quàm mei ipſius habenda ratio fuerit. Satis opinor amicitiæ dedi-
mus, quòd ut quæq; fuit occaſio, te laudauimus, nunquā reprehendimus. Iam no-
ſtra illa errata, quæ te alijs indicaſſe prædicas, rogo nobis quoq; ipſis aliquando
indices. Efficiam, credo, efficiam Merula, protinus ut ſententia decedas. Nec ta-
men ſi quid uſquam peccaſſe oſtēderis, defendam: ſed agnoſcā protinus, agamq;
tibi meritò gratias. Nam & ipſe poſterioribus ſcriptis non dubitem quædam in-
terdum ex prioribus, exemplo doctiſſimorum uirorū retractare: ſicuti Pityliſma
illud apud Iuuenalem, quoniam Pityſma quoq; pulchrè uideor poſſe tueri, quo
poeta illos innuat, qui conceptos ore aquarum hauſtus, per laconicum ſpargant:
uerbum enim ipſum ἀναπυτίζειν etiam apud Alexandrinū Clementem, qui Stro-
mateus dictus, inuenitur: cuius ſignificatū grammaticus declarat quiſpiam, ſicuti
nos antè meminimus, & uulgaris etiamnum Græcorum lingua uſurpat: à quo Te-
rentianū quoq; illud pytiſſare formatū crediderim. Quòd ſi tibi idem ſenſus atq;
animus eſt, ut indicari à nobis uiciſſim tua tibi uel optes, uel ſaltem non moleſtè
feras, profiteor hoc me quoq; lautè munus adminiſtraturū. Nam quòd & tu Cētu
rias facis, ac ne titulis quidem noſtris abſtines, facilè patior. Sed quid eſt, quod ais
fore, ut terga dent protinus, ac diffugiant? An ex Parthorum gente tuæ iſtæ Cen
turiæ ſunt, ut uidelicet fugientes prælientur? Sed hoc iocatus. neq; enim me fu-
git aliud planè ſenſiſſe te, quàm quod in tuis omnino uerbis expreſſeris. Libros
autem recens inuentos, ſi publicaueris, optimi uiri officio fueris functus. Ita nos
quidem Græcos è tenebris permultos eruimus, quorum cottidie noſtris quoque
non modò æmulis, ſed etiam obtrectatoribus copiam facimus. Illud miror, quòd
obijci tibi canos pro uitio putas: utinam enim mihi quoq; ſic aliquando obijcian
tur. Non enim turpis canities homini docto præſertim, ſicut tu es, uerſantiq; ſem-
per, quod ipſe facis, in ſtudijs literarum. Vale.

GEORGIVS MERVLA LVDOVICO SFOR-
TIAE DVCI S. D.

POſtulat apud te, princeps excellentiſſime, Merulam titulo iniuriarum
Angelus Politianus, atq; acrius premit, quòd in illius ſcripta inuectus
ſim, neq; parcam quoties de literis agatur: & proinde iniquum & in-
gratum me eſſe: qui cùm me coluerit, & aduerſus obtrectatores de-
fenderit, non aliquid gratiæ reponam, aut crimina impingam. Poſtremò pe-
tit, ut ab obtrectatione deſiſtam, & quod domi, & in capſis clauſum contineo,

cur id aliquando non publicem, ut cauſam is dicere poſſit. Ego princeps clementiſſime, ſi quicquam de Politiano paulo licentius locutus ſum, citra cõtumeliam id feciſſe fateor: poetas & oratores enarramus, & ſi quid in illis habetur, quod interpretatiõis indigeat, illud palàm aperimus, etiam cum offenſa grammaticorum noſtri temporis, quibus fortiter repugnamus. Hunc morem tenuere priſci, quoties difficiles quæſtiones, aut occultum quiddam, & abſtruſum enucleare & expedire oportuit. Interceſſiſſe inter nos amicitiam non diffiteor, ſed prior Merula magnis beneficijs in Politianũ prouocauit. Græcos libros eruditionis uariæ partim meos, alios mea opera & diligẽtia Venetijs tranſcriptos Florentiã miſi, quos optarem, ut paulo curioſius tractaret; gratiam ſe retuliſſe exiſtimat, quòd de Merula in Miſcellaneis cum præfatione honeſta mentionem fecit. Quorſum tendit agnoſco. Pugnãt facta cum dictis: nam quoties explicare quippiam, & obſcuros ſenſus explanare tentat, Merulam perſtringit. Hæc animaduertunt, & rident, qui Miſcellanea legunt. Et, quod nõ bene literati hominis eſt, interuertere, ne dicam circumducere ijs Merulam conatur, quæ aliquot abhinc annos expoſuimus, & literis prodidimus. Hermolai manibus & umbris bona optamus: is ingenuè fatetur per quos profecerit, ita ſortem facit ex uſura. Politianus plus æquo ſibi arrogat, nec pati poteſt, ſi contrà ꝗ ſentiat, aut ſcripſerit, quippiã proferatur. Mutuis aſſentationibus quidam ſibi aures permulcent, & ut audio, uelut diſciplinarum proceres triumuiratum in literis ſibi uendicant, qui ſine ſole, puluere, & lucta parari minimè poteſt. Pugnandũ eſt perpetuò pro literis: tantum abeſt ab iniuria huiuſmodi concertatio, ut nihil honorificentius, aut quod magis cõducat ſtudioſis, fieri poſſit. Cæterùm quid tantopere depoſcit, ut quæ iam triennium conſcripſi, edam? an non uidet datum ſibi ſpacium, ut ea retractare & corrigere poſſit, quæ minus eruditè conſcripſerit? Illud, ut coniector, hominem ad uiuũ pungit, quòd libros, te auſpice, & noſtra diligentia inuentos, Florentiã non miſerim: ſemel atq; iterum illos efflagitarunt, breui exibunt in publicum, tibiq; gratias habebit poſteritas, quòd tuo auſpicio magis renatæ, quàm reſtitutæ literæ Romanæ fuerunt.

Vale, Princeps potentiſſime. Ex Mediolano, quarto Calendas Martias, M.CCCCXCIIII.

IACOBVS ANTIQVARIVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

GEorgio Merulæ nunquã uideo familiarior fuiſſe, quàm cum è uita modò diſceſſit: neq; ſenem unquam tanti feci, quanti cùm illũ amiſimus. Ipſe enim tum docendo, tum quoq; ſcribendo admodum occupatus, niſi cum animum contemptim tamen aliquando relaxaret, nihil de ſe nobis reliqui faciebat. Et ego principis negotio aſſiduè implicitus ad eum nõ accedebam, niſi in uia fortè fortuna conſpicatus, greſſum ad ſalutandũ deflexiſſem, filij officiũ præ me ferens. Cœperat proximè ægrotare, de cuius ancipiti morbo cùm ad principem Ludouicũ, qui tum prandebat, nuncius eſſet allatus, animum & menſam non mediocriter conturbauit. Eſt enim princeps ipſe natura ſua in omnes bonos facilè procliuis. Sed Georgium in primis uehementer amabat, quia de ſe & de maioribus ſuis ab eo ſingulari fide, ne dicam æternitatis ſpe, ſcribendi ſtudium ſuſceptum fuiſſe animaduertebat. Itaque de miniſtrantium, atque aliorum turba, quæ menſam circumſtabat, ſenſim me ſubtrahens, ad ægrotantem conuolaui. Offendo non ſynanche, & angina, ſed quodam nouo faucum caſu oppreſſum, libero alioqui uocis meatu loquentem. Saluto, hortorq; ut bene ſperet. Animo reſpondit ualido ſe eſſe. Et quanquam cerneret

medicos animi pendentis,ipſe tamen nihil metuere ſtatuerat. Qui inſecutus eſt, ac tertio etiam die ad ipſum redeo,alebatur fiſtula argentea in eiuſmodi uſum fabrefacta: quoniam craſſioris materiæ neq; manſum,neq; pinſum deglutire per ſe quicquam poterat.A uino prorſus,cuius alioqui per ætatis indulgentiã,ac etiam per morbum auidus erat,medici temperandum fore præceperant. Dies decem produxit, præter poſtremum biduum,in bonam ſpem. Vbi uerò è uita diſcedendum eſſe cognouit, expiato animo, & religione Chriſtiana ritè recognita, in ſomnum abeuntis more,ut ſperamus,cœlo receptus eſt.Concordiam.tibi,complexum,& oſculum,teſtamento reliquit. Atq; in his,quas ſcripſerat,Latinarum literatum obſeruationibus,& cæteris id genus,ob Miſcellanea tua,nomini tuo parci mandauit.Nam ut totam eam amaritudinem mihi condonaret,tempeſtiuè rogaueram.Mi Politiane,nullis equidem uerbis cõſequi poſſem,quantum mors eius, qui principi gratus,qui utilis inſtituendæ iuuentuti,rerum memoria, & iucunditate omnes oblectabat,doloris mihi attulerit. Verùm abs te illud contenderim, ut iacturam noſtram tibi communem exiſtimes, & quod ſemper feciſti, fato functum illa tua pietate cõſequaris,per quam in tuo nomine illius nomẽ ſemper coniunctum appareat,& quę fortè in diuerſum alterius fuerat cenſura,utriuſq; ſtudiũ pari uoluntate ſemper copulaſſe cernatur. Vale.Mediolani.

ANGELVS POLITIANVS IACOBO ANTIQVARIO SVO S. D.

AIn uerò Merulam noſtrũ fato functum? O incertam ſpem, fragilemq́ hominum uitam.O nimiam profectò ſtudiorũ iacturam. Sed quò me uertam Antiquarie? quod ue conſiliũ capiam? Tacebo ne penitus, & ipſe me prodam? an potius iniquiſſima conditione certabo cũ mortuo? cui ſcilicet in inuidiæ locum miſericordia ſucceſſit? At, inquies, teſtamento cauit,ne nominatim taxareris: quaſi uerò quicquam interſit, nomine an ſignis noſciter.Sed quicquid futurum,rogo,obteſtor,cures ne diutius animi pendeam, notæq; illę ſcriptorum meorum,quales quales omnino ſunt,ut ꝙ ocyſſimè publicentur. Dederam in hoc ad eum iam literas,quibus hominem leuiter pungẽs ad edenda quæ ſupprimeret,euocabam: ſed retraxi ſtatim,poſteaq; tu me certiorem de illius interitu feciſti.Fuit autem impetus etiam concerpere quæ ſcripſeram. Nec abfuiſſet,quin facerem,niſi tu eum deceſsiſſe,dimiſſo prius in nos aculeo, ſignificaſſes. Libuit ergo mittere eas ad te literas, quanq; ſcio intempeſtiuas, imò uerò etiam inuidioſas, illo iam mortuo. Sed tamen perire uigiliolas meas pati nõ quiui.De cætero,quod mihi conſiliũ dederis,id exequar.Nam cùm,uiuente illo, retaxatio quoq; foret honeſta,nunc mihi neſcio quo pacto parum etiam ſpecioſa uidetur defenſio. Quòd uerò tu tam officioſus rebus omnibus erga me ſis, ago quidem gratias,ſed ita tamen,ut fatear gratiam, quæ tibi à nobis maxima debet; nulla ex parte agendis tantum gratijs poſſe referri. Vale.

ANGELVS POLITIANVS GEORGIO MERVLAE SVO S. D.

DEderam cõmodùm literas ad te,quibus ad eas reſpõdebam,quas proximè acceperam,cum redditum mihi eſt eius ipſius epiſtolæ exemplũ, quam tu paulo antè ad Ludouicum Sfortiam ſapientiſsimũ principem ſcripſiſſes.Miratus in ea epiſtola ſum, non quidem quòd in ordinẽ me coegeris,aut ꝙ uiros in literis præcellenteis,quibus ego ſim charus,obliquè perſtrinxeris: neq; eñ hæc in te iam quiſpiam miratur: ſed quòd apud eum principẽ

tam

tam multa,nõ dico mentiaris,ſed certè fingas,cuius & autoritatem uereri debue
ras,& ingenium.Cæterũ ego ad cõuitia illa tua,ſiue quæ propalàm aduerſus me,
ſiue quæ aduerſus homines me mihi ipſo chariores obſcurè fudiſti, nihil in præ-
ſentia reſpondebo.Non quia non & facultas nobis,& materia ſuperſit, ſed quo-
niam certare maledictis tecum,hoc eſt,cum homine exercitatiſſimo, non libet.
Illud adhuc ut taceam,perſuaderi mihi non poteſt, nullum me unquam abs te be
neficium accepiſſe,præter hoc unum fortè, quòd arrogantẽ me uocas apud prin
cipem.Licebit enim tandem correcto mihi(quando ætas mea diſcendi nondum
præterijt)doceri abs te modeſtiam & humanitatem : qui cum ſis homo omnium
(ſicut uis)eruditiſſimus,adeò teipſum deijcis,adeoq; ſummiſsè geris, ut conferri
te cum profeſſoribus cæteris non patiaris. Hermolaum iure laudas hominem do-
ctum,& probum: quem tamen,ſi uiueret,ut morem tuum teneres,non laudaſſes.
Is tamen ſemper à nobis,neſcio quo pacto contra te ſtetit,ne tibi ex illius iudicio
nimium placeas. Illud omnino uanum, quòd ſemel atq; iterũ me dicis à te libros
iſtos efflagitaſſe : quod ego profectò nec feci,nec ſi facerem (quæ tua liberalitas
eſt)impetraturum confiderem.Porrò autem,quòd ais non poſſe me pati,ſi cõtrà
quàm ſentiam,aut ſcripſerim,quippiã proferatur : adeon' quæſo oblitus nuncio-
rum,literarumq; mearum,quibus ad edenda quæ aduerſum me ſcripſeras, cohor-
tabar,debiturum tibi me magnopere profeſſus, ſi mihi uel quod defenderẽ obij-
ceres,uel quod emendarem? Quod quoniã ut faceres,nec meis ullis adduci pre-
cibus,nec autoritate pręclariſſimi principis potuiſti:fateris' que tamen apud eum
ſcripſiſſe iam triennio contra nos, quod in tuis ad me literis ferè negaueras : alia
iam uia te Merula adoriar, eliciamq; tandem,ſi potero, ex umbraculis in ſolem.
Nec uerò te imitabor, ut in uniuerſitatem inuehar ſcriptorum tuorum, quod bel
liſſimè poteram: ſed ad parteis accedam potius,in quibus ingenium, doctrinãq;,
præterea memoriam illam amplam tuam, quam prædicas, deſideramus. Cæte-
rùm quoniam epiſtolam ſcribo,non librum,ludoq; tecum blandè potius, quàm
adhuc certo,paucula tantum de multis,eaq; breuiter attingam.De ſatyra non be
ne ſentis,confundis ſpecies,confundis autores.Quod ſi non ſtatim fateris,profi-
teor argumentis euicturum.Peccas idem,quòd ais,cauſas primùm reddere poe-
tam,cur relicta frequenti poetarum materia,ſatyras adgreſſus. Non enim hoc ille
primùm,ſed cur omnino carmen componat: deinde autem, cur & ſatyras potiſsi
mùm, quo loco ita ſubdit : Cur tamen hoc libeat potius decurrere campo. Nam
de Rhinthone bis peccas, & quòd ruſticos authores hic quoque contaminas,
& quòd uiliſsimum fuiſſe nugatorem falſò credis, cuius etiam Græco epigram-
mate poemata celebrantur. Nego uerò uſquam legi, quod aſſeris excogitatum
fuiſſe tum primùm, ut rubigo uulneribus adhiberetur, cum Telephum curauit
Achilles : in quo te Plinius quoque tuus nihil adiuuat. Sed à ſpadonibus uxores
duci ſolitas, notari credis epigrammate Martialis, in quo non magis uxor quàm
meretrix: non magis ſpadonis eſſe uidetur Egle, quàm ſenis.Lacernam credis u-
bique militarem ueſtem,parũ memor exemplorũ,quæ paſsim refragantur, quale
nunc illud ſubit: O quantos riſus pariter ſpectata mouebit, Cum Palatina noſtra
lacerna toga.De Latino & Thymele uaniſsima omnia. nam nec illa uſquam La-
tini uxor,nec eius celebre adulterium, nec à mœchis Latinum cæſum ſignificant
alapæ,nec ipſius unquam noua perſona inducta eſt à mimographis : quæ ſi men-
tior,refelle.Sequitur uelut extra ordinem corruptus à te Naſonis uerſiculus, ubi
pro Teuthrantia turba, de qua nos in Miſcellaneis,tu Theſtitiam ſuppoſuiſti.
Vt igitur & erratum tuum pariter agnoſcas, & beneficium meum, qui de hoc

etiam

hoc etiam tanta illa occaſione cum iactura aliqua debitæ mihi gloriæ tacuerim, dico te quater in una uoce peccaſſe, quòd antiquam pariter, & uulgatam dictionem ſuſtuleris, ac pro Teuthrantia contra omnium fidem exemplarium Theſtitia ſubdideris, quòd Theſtiũ credideris fuiſſe, qui ſit apud Euſtathium Theſpius, quòd à Theſtio Theſtitiam contra analogiam deduxeris, quòd antepenultimam feceris longam, quæ breuis eſſe in Theſtio debuerat. Hinc ſi te, Merula, extricabis, uirum putabo. Nolo nunc tibi quæſtionem ſuper Ichthyocolla mouere: ſatis enim te (ſi modò ſentis) Hermolaus ipſe Barbarus confutauit. Illud quæro, Præſepia pro meretricibus, aut quod mox adijcis, pro ipſarum locis, ubi nam legeris, cur neceſſe habueris ad lupanar cõfugere, cum ſtatim illud ſequat̃: Dum peruolat axe citato. Quid autem pugnantius, quàm per amicam lacernatam puerum ſignificari Sporum, quòd uirilis habitus lacerna ſit, eundemq́ tamen dicere muliebriter fuiſſe ueſtitum? Quid porrò tam ridiculum, quàm ſupinum accipere pro ſuperbo & erecto, tum autores ibidem aduocare, qui delicatũ & mollem tueantur? quod & uſus doctorum comprobat, & hiſtoriæ fides. Quid poſtremò tam rude, quàm putare traductam Gyaris turbam, ſignificare in Gyaras relegatam? Quid quòd & tabulam doces, in quam teſſeræ mitterentur, etiam dici latrunculariam? Quare ad autores te uoco. De lithoſtrato nihil dixerim, quoniã quamuis exceptione iſta non uteris, conferre tamen in librarios culpam facilè poſſes. Criſpinum certè ſignificari per hominem, qui ſit ad Euphratem natus, mihi Merula non perſuadebis: cum fuerit Criſpinus (ut apertè Iuuenalis oſtendit) Aegyptius, non Armenius. Volo de hemiſtichio quoq; illo taceamus: Quid confert purpura magis, ubi te nõ ſentis hexametrum uerſum pyrrhichio clauſiſſe. Nam rancidulæ illi tuæ ciconiæ, qua repræſentari concordiam putas, nullus, opinor, idoneus autor, ſicuti noſtræ cornici ſuffragatur. Docebo aliàs quàm multa prætercam, ſed & hæc ipſa uides, quàm preſſè, quàm aſtrictè, quàm breuiter: necdum ſatyram unam exhauſi, nimis tamen epiſtola extenditur. Itaq; ne mihi in libellum ſurgat, carptim paucula tantum ſequentibus delibabo, uidelicet ut quæque in oculos incurrerint. Ergo ſecunda ſatyra, uuluam dici uis in reliquis animalibus, in muliere uterum. Nos è diuerſo uuluam quidẽ mulieris ibidem legimus, uterum uerò cerui, & equi, apud Vergilium. Defende igitur hoc quoq; ſi potes. Defende illud etiam, Creticum deriuari à Græco iudice, reclamantibus, opinor, & orthographia, & ſyllaba. Tum doce nos, magiſter, ubi ſit is locus, à quo præclara iſta Cocytos, repugnante ſpacio ſyllabæ, cognominetur. Etenim de Laide ſatis dictum opinor, in Miſcellaneis. Illa uerò tua ratiocinatio in ſatyra tertia eiuſmodi eſt, ut planè palmarium repereris: colligis enim (ſicuti uideo) peracutè alium eſſe hunc apud Iuuenalem Vmbricium, alium de quo Plinius ut aruſpice meminerit. Quoniam hic, inquis, aruſpicinæ imperitum ſe dicit: ſed oſtendas uelim, quo loco dicat hoc Vmbricius. Nam ranarũ uiſcera tu quoq; ad ueneficiũ transfers, & rectè quidẽ. non enim pro uictimis credo ranæ quoq; cædebãtur. Iam palliolum, quod eſſe tu linteũ putas, crederẽ fortaſſe, niſi tutemet aduerſus te Martialis hunc uerſiculũ aduocaſſes: Succida palliolo uellera quinq; petit. At opicos pro frendentib. accipis, & barbaris. Sed opicos eſſe autores idonei perſuadẽt illos qui græcè neſciant, etiã ſi latinè non indocti ſint. Itaq; feſtiuè mures opici uocantur, qui græca rodebant carmina, quæ nec intelligebant: & malè Græciſſantis amicæ uina uelut opicæ mulier illa mera Cecropis caſtigabat. Verùm deos etiam Phæcaſios apud Appianũ legiſti, nos calceos ibi Phæcaſios legimus, nõ deos. Sed & ſtrigiles corruptè profers, Perſiumq́ aduocas in ſyllabæ quantitate reluctantẽ. Iam ſi placet,

ad quartam

ad quartam deſcendamus, niſi nimium fatigatus, uerùm quieſcas paululum, mox tamen opus repetemus. Nego Aricinos axes ad Bouillas pertinere. Nego te uerũ ſcripſiſſe in pegmatis etymo. Nam chironomonta tam corruptè legis in quinta, quàm indoctè explicas: quæ enim de tribus nominibus aliena prodidiſti, ſatis, ut arbitror, in Miſcellaneis arguuntur. Nec illud in ſexta defendere à riſu poſſis: Et agello cedo paterno: ubi pariter & latinitatis obliuiſceris, & intellectum confundis. Glaphyram uerò, qui tamen eſt apud te Glaphyrus, nunquam profectò comœdum, citharœdum'ue credidiſſes, ſi Græca teneres Antipatri epigrammata, & Philippi. Nec inter Veneris figuras Grecus uſpiam concubitus reperitur, ut ad has confugere ineptias neceſſe habueris, cùm taxentur ibi fœminæ etiam inter coeundum Græco ſermone blandientes. Certè Capitolina quercus, quomodo conſulatum triumphum'ue ſignificet, haud intellego. Nec tu quercum doces fuiſſe in Capitolio, ſed (quod nihil ad rẽ facit) in palatio. Numeroſum hic agmen quaſi tranſmitto, breuitati ſeruiens, ad columnas tamen Delphinorũ te uoco, rogo'que uideas aliquãdo, ſi potes, quæ Dion hiſtoriæ ſcriptor, libro undequinquageſimo de Agrippa prodidit. Intelliges profectò, quàm malè iſtud intellexeris. Vis & ſeptimam percurramus? An tibi Cacethos defendes? pro quo nos Cacoethes: quod ſiue ulcus, ut multi, ſiue etiam febris eſt, ut Galenus tradit, malam certè conſuetudinem ſignificat. Etenim de Parnaſſi iugis, Helicone illo Cithærone'que tuis, leuauit onere nos Beroaldus, à quo ſimul cum Seruio refelleris. Beroaldus, inquam, ille doctus homo, & celeber, qui tuis & ipſe conuicijs irritatus, dentes acuit timendos, ut in te morſibus incurrat. Hic tibi credo non concedet, ut hydros à crinibus caſuros, ad Turni galeam referas, ſicuti nec eſt Hermolaus noſter paſſus, à quo te laudari falsò credidiſti, Statum Lacertam ditiſſimũ uideri cauſidicorum, qui noſtram quoq; cum laudauit Cramben, nõ ſine magno credo tuo dedecore laudauit. Chryſogonum quoq;, & Pollionem rhetoras credis, oblitus quæ ſuprà legeras, quæ citaueras. Octaua iam nos appellat, ubi Numantinos ortus, nobilemq; tuam de luciferi ortu non ſatis aſtronomiam percipimus: quanquam illud omnino teneamus, quoniam rotunda terra ſit, alijs ſydera tardius, atq; alijs gentibus exoriri. Me quidem interprete, pernox alea luditur ante Numantinos, hoc eſt, in atrio pleno imaginibus maiorũ, quos poeta per Numantinos potiſſimũ triumphales homines, ac fama celebres indicauit. Tum ortu luciferi legerim, non ortus, ut ſit, oriente lucifero. Nolo quicquam de Laureato mimo. Tantũ polliceor indicaturũ me ubi uoles, non modò uana te, ſed & pugnantia ſcripſiſſe. Teſtem præterea idoneum non habes, qui coronari pinu doceat eos qui Nemea uicerint. Nam Lucianus apio teſtatur. Nec tamen illa me prætereunt, quæ de pinu & apio ſcribit Plutarchus in quarto Sympoſiacôn, ubi uictores Iſthmijs utroque coronat. Græcũ quoq; neſcio quid in Satyra nona reperitur: quod ſi quis legat, ut adhuc ipſe legis, non eum equidem dicam nullas, ſed nimis potius lõgas habere aures. Librarium uerò partiendis penſis præficis, ipſo quem aduocas Vlpiano ſtomachante. Sed ſtrumam tergo, gibbum pectori aſtruis in decima, quib. obſecro autoribus? Non enim hoc uſpiam Celſus. Sed in undecima, laniſta ille coquum ſe negat eſſe, & lanium. Nam pytiſmati noſtro puto iam credis, ſaltationemq; tuam Lacedæmoniam derides, ſicuti artificem Parthenium duodecima. Tum ſi cui ſanum fuerit ſinciput, non ſemper eſſe, quod tute in tertiadecima coctum ſinciput æſtimabit. Remitto ſpithamen tibi, & pleureſim: quoniam quartadecima nos urget, quæ uitem libello poſci, non poſt libellos ait: ſed quo libello principi ſupplicatur. Nam de Attegijs & Cerealibus nihil tibi compertũ credo,

nec de Petauro. Non enim ſcimus unde expiſcatus, ludum eſſe in quo homines per aera rotarum pulſibus iactarentur. Duæ reſtant ſatyræ, quarum prior minimè illos innuit, qui currentes facem tenerent, poſterior de Bardiaco non conſentit, Martialisq; uerſiculum tribus abs te plagis deformatum grauiter fremit. Hæc atque alia multa in tuis iſtis famoſis cōmentarijs nos homines indoctiſſimi deprehendimus. Sed erit operæprecium credo, aliquando etiam in emendatiões Plautinas, in quibus Herculem te facis, inquirere. Qualem enim te ſpondes in cęteris, qui emuſſitata legas in Milite, pro eo quod eſt amuſſitata: quod nemo ignorare poterat, qui modo uulgariſſimum ſcriptorem Nonium Marcellum ſumpſiſſet in manus. Verùm de hoc, & item de ruſticis autoribus aliàs prolixius. Nunc autem rogo te Merulā, concedas hæc, aut defendas: quoniam in altero ingenuus, in altero etiam doctus haberi poteris. Des etiam ueniam noſtræ inſcitiæ, ſi tibi paulo aſperior uidetur craſſa hæc, & ruſtica ueritas indocti hominis, cui deliniamēta illa uerborum nota non ſunt, quibus epiſtolę uidelicet eruditiſſimorū uirorum, tuiq; ſimilium condiuntur. Vale.

ANGELVS POLITIANVS LVDOVICO SFORTIAE, PRINCIPI CLARISSIMO S. D.

ITa mihi contingat in otio & literis molliter conſeneſcere, clariſſimè princeps, ut hoc tam ſubito, tamq; inexpectato Merulæ noſtri obitu non leuius cōmotus ſum, quàm ſi ei diſcipulus, aut alioqui familiariſſimus fuiſſem. Quod fortaſſe parū credēt, ſi qui certamē hoc inter nos de communibus ſtudijs exortum, parum benignè interpretabuntur. At enim, quod ego ſæpiſſimè ſum teſtatus, non uideo quid impediat, quo minus diſſidere inter nos de literis, ſaluo tamen amicitiæ iure, potuerimus. Cæterùm contracta hæc opinio eſt, quorundam immodeſtia, qui lædi ſe capitaliter ab ijs exiſtimant, qui dictum ſcriptumq; ipſorum, de leuiſſimis etiam rebus confutauerint. Ego certè ſemper & ſum profeſſus, & præ me tuli maximi loco beneficij poſiturum, ſi notas aliquādo meorum ſcriptorum mihi Merula noſter indicauiſſet. Dediſſem uerò protinus manus, & gratias ingentes egiſſem, quòd admonitu illius eſſem conſecutus, ut iterum (quod dicitur) ad eundem lapidem non offenderem. Denique certamē hoc inter nos eiuſmodi futurum uidebatur, ut ego nec uinci turpiter ab homine tam docto, nec eum contrà uincere, niſi magna mea cum gloria potuerim. Dolendū profectò ſtudioſis omnibus illius deſiderio eſt: in quo publicè res latina iacturam fecit. Sed quoniam ſic ille uitam, quaſi bonus poeta fabulā in magna laude, magnaq; omnium approbatione peregit, nō lachrymis eius interitus, uerùm dulci grataq; potius mentione proſequendus eſt. Quod ego profectò, quantum ratio ſtudiorum meorum patietur, polliceor quacunq; occaſione libenter, cumulateq; facturum. Nunc autem quando ille hiſtoriam familiæ ueſtræ luculenter ſcriptam, libroſq; item quoſdam uetuſtiſſimos auſpicio tuo repertos, quoniam mors præuertit, publicare non potuit, rogamus te princeps, quicunq; in ſtudijs literarum uerſamur, ut iſta latêre diutius non patiaris. Quòd ſi tibi ad utranq; editionem, quamuis doctiſſimis hominibus abundes, conferre aliquid tamen noſtra quoq; mediocritas ualet, utere quæſo audacter, non dicam ingenio & doctrina, ſed labore induſtriaq; noſtra. Nam cū defungi hoc ultrò tam honeſto munere cupio, tum uerò tibi, quē meritò plurimi facio, gratificari: profiteorq; ſi uelis, me uel hiſtoriæ, uel antiquis publicandis codicibus, pręfationes additurum, cum tua (quod primum eſt) illuſtri gloria, ſic tamen ut ne Merulam quidem noſtrum, debito ipſius doctrinæ, diligentiæq; teſtimonio fraudemus. Vale.

IACOBVS ANTIQVARIVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

Conſilium ego tuum ſemper, ac ualde probaui, qui nec aduerſus pugnantem remittis quicquam, neq; ubi aduerſarius ceſſit loco, uictoriã ullam honeſtiorem eſſe putas, quàm uincere potuiſſe. Sed Merula prouocator tantum fuit: quem cum cœpti ſui pœniterer, mors nobis ſubtraxit. Itaq; in eum qui deſiit eſſe inter homines, quod cudas nihil eſt amplius: ſi teipſum fueris imitatus, qui ad omnia humanitatis officia magnis paſſibus ire conſueuiſti. Nam quid cõficere potueris, delectis ad prælium ex illius commentarijs in Iuuenalem uarijs locis, probè atq; ſatis oſtendiſti. Sed quia ſuæ erga te optimæ uoluntatis ſequeſtrem me eſſe uoluit, tu nunc reconciliandæ cum fatis eius, priſtinæ beneuolentiæ ne deprecatorem auerſeris etiam atq; etiam rogo, curaturum diligenter, ne ullius unquam aculei ueſtigium inter uos ſuperfuiſſe cernatur. Vale. Mediolani, Non. Aprilis, M.CCCCXCIIII.

LVDOVICVS MARIA SFORTIA ANGELO POLITIANO S. D.

Facilè credimus tibi, uiro eruditiſſimo, mortem Merulę noſtri, doctrina & eruditione multarum rerum excellentis, grauem fuiſſe. Quid enim minus ei conueniat, qui bonus eſſe, & haberi cupit, quàm ita literariam cõtentionem ſuſcipere, ut eam ad odium plus quàm ad ueri inueſtigationem exerceat? Facis ergo probè, qui fateris uiuentem amaſſe Merulam adeò de literarum ſtudijs meritum, licet in quibuſdam ambo diſſideretis, & nunc amiſſum mentione amoris plena proſequeris. Quòd monumẽta eius mones ne perire patiamur, & operam tuam offers ſiue in hiſtoria eam, ſiue in uetuſtis codicibus Merulæ diligentia inuentis deſideremus: agnoſcimus in eo bonitatem tuã, ac magnæ nobis uoluptati eſt, quòd uir literatiſſimus tantopere & famam nominis noſtri, & rei literariæ cauſam curare uideatur. Nos uerò etſi minimè neglecturi ſumus, quod ad utramq; rem pertinet, tamen quia recens caſus amiſſi Merulæ & maiorum cura nos ab hac cogitatione auertit, dum quid agi uellemus conſtituendi facultas fuerit: quicquid autem agi continget, ſi aliunde quàm hinc, opem ab literatis petendam duxerimus, oſtendemus & uirtutis, & eruditionis, & in primis amoris erga nos Politiani rationẽ minimè in obſcuro apud nos fore, & pergratum habuiſſe, quòd tam ſtudioſè & amanter operam tuam nobis obtuleris. Vale. Vigleuani.

ANGELVS POLITIANVS BARPTOLEMAEO CHALCO SVO S. D.

Obſecro uos, Chalce, ne tolli patiamini ſcriptorum meorum notas de Merulæ commentarijs. Multo enim uos mihi grauiores notas inuretis: occupabunt hanc inuidi anſam, credituri ſemper, imò futuri ſimiles credentibus, hoc me à uobis imbecillitatis meæ conſcium multis precibus impetraſſe. Si iurè me carpit, cur ipſius inuideris laudi? Si iniuria, cur meæ? Reſpondeas forſitan ad biceps argumentum. Si iniuria te carpit, illi parcimus: ſi iure, tibi. Nempe igitur à ueſtra iſta indulgentia ueritas rurſus in Democriti puteum demergitur. Sed teſtamento cauit, ut tollerentur. Eſto, ſcio, quale illud teſtamentum, graui malo expugnatus, ac præſenti iam morte ſolicitus, roganti hoc Antiquario, multum'que inſtanti negare non potuit. Quod utinam ut faceret, Antiquario noſtro nunquam ueniſſet in mentem. Hoc enim illius officium,

quanquam ſcio ſedulò, ac piè ſuſceptum, metuo mihi ne ualde offecerit. Sed pauca ſunt, & leuicula (ſic enim audio) quæ mihi obiecerit Merula: cur ergo ea deletis, tanquam ſi multa, tanquam ſi grauia? Iubet, inquis, princeps Ludouicus. Ille uerò iubet, quoniam ſe mihi beneficium facere, nõ iniuriam putat. Notum enim quantopere mihi faueat, quàm de me bene ſentiat, honorificè loquatur. Rogate meis amabò eum uerbis: meis dico, ſtudioſorum imò omniũ, ne fœdari doctiſſimi uiri lucubratiões turpiſſima litura patiatur. Imitetur Auguſtum Cæſarem, qui Vergilij Aeneida contra ipſius teſtamenti uerecundiam, uindicauit à flammis. O ſi liceat iſtuc excurrere, quàm me ſuppliciter aduoluam principis genibus, quib. eum uerbis, quibus (ita me Deus amet) etiam lachrymis obſecrem, ne tantũ fieri flagitium, ne rurſus extingui Merulam permittat, ne illius fructu uigiliarum ſeculum noſtrum, poſteritatemq́; defraudet, ne mihi Lydium lapidem quaſi de manibus excutiat. Non quo aurum purum, ſubæratumq́; diſcernam, ſed quo uerum falſumq́; diiudicem in meis ſcriptis. Per fortunas, Chalce, circumfuſi omnes exorate principem, ne quid ibi mutari, neue quid interlini ſinat. Edantur autem quàm primùm, nec uerò interpolentur, non modò quæ ille abſoluta reliquit, ſed & quæ rudia, quoniam magni artificis opera, ſperamus illa optima, quæ poſtrema: fruſtraq́; ſumma deſiderata manus eſt in Apellea Venere, ſiquidẽ tantopere inchoata protinus oculos tenuit. Vale.

IACOBVS ANTIQVARIVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

REm ambiguam, & ancipitis conſilij plenam ex obitu Georgij Merulæ tibi eueniſſe cerno: quoniam nec cum uiuo licet cõferre pedem, neq; iacentem decet, ac deloricatum uulnerare. Nulla tamen res tam difficilis unquam fuit, aut moleſta, in qua ſi animum ſedabis, non reperias modum, & laudem pares. Centurias quaſdam in te ſcripſiſſe aiebat. Ferebas grauiter, quòd eas non ederet. Nos uerò qui putabamus aliquid eſſe quod cudendũ cenſuiſſet, ut eſt tui nominis dulcis cura, ne rumuſculis adoleſcentium inter uos diſſidium aleretur, agere cœpimus, ut utrinq; rediretur in gratiam. Ego quoq; iocabundus ſæpe id ætatis hominem aggreſſus, ne ſe ad Vergilianum Entellum referret hortabar. Iam in amicorum preces totus conceſſerat. Iam te ut antea diligebat, cum ſubitò in eum morbum incidit, unde à nobis deſijt poſſe amplius uideri. Prius tamẽ quàm è uita diſcederet, quam tibi concordiam inſtituiſſet, ſatis noſti: uerùm adhuc patienti fronte uelle inſpicere uideris, quod ille admodum ſegniter de literis certamen parauerat. Morem tibi profectò gereremus, niſi Ludouici ſapientiſſimi principis decreto, Chalcus uir optimus, & rariſſimus, id genus quicquid Merula ſcripſerit unquam, diligenter collectum conieciſſet in uincula: Centurias in primis, neque quidem reluctantes: non enim ſunt eiuſmodi, quæ lucem perferre poſſint. Vix triginta adnotamenta ſunt, in queis tam ad alienas lautitias compellere muſcas, quàm inde abigere, quę alioqui nuſquã erant, uiſus eſt, adeò ut uicem hominis doctiſſimi pudenter doleam. Repetit (ut audio) pauca quædã de Miſcellaneis tuis tanquam ſua: non multa rurſus per te ab alijs accepta, quòd tua eſſe uolueris, ſomniculoſè conqueritur. Quę igitur euanida fuit illius, ac edentula morſicatio, tam ad te eam pertinere credimus, quàm ad elephantũ culices Indum. Neque tibi ex uſu amplius foret illius manes ad pœnitentiã reuocare: quoniam hiſtoriæ, quam de Vicecomitum geſtis, ab ipſius gentis primordio fuerat orſus, omnem ſcriptoris autoritatem ſaluam eſſe oportet. Vale.

ANGELVS POLITIANVS IACOBO ANTIQVARIO SVO S. D.

VTar igitur conſilio tuo, prudentis hominis, & amici: quoniamq; non poteſt fieri, quod uolo, id uolam, quod poſſit. Sed quid tu ais? Adeo ne pauca Merula noſter, adeon' incōdita reliquit, ut iuſſu principis etiam ſupprimantur? Vbi ergo Cēturiæ illæ, tam paratæ, tam inſtructæ, tam formidabiles? Vbi tam diu nobis expectatæ, toties promiſſæ Plautinæ quæſtiones? An eas ſecum forſitan tulit ad manes, nec dignos putauit nos quicunq; ſuperſtites eramus, indoctos prorſus homines rerum tantarum lectione? Sed extra iocum. Parcam ego Merulæ ſemper, quando nos euaſit, cui tamen iratus nunquam fui, ne me ſimultatem credas exercere aduerſus umbram. Defero hunc honorem libenter ſapientiſſimo quoq; principi Ludouico Sfortiæ, cuius autoritas non minus tueri nunc extinctum, ꝗ olim uiuentem debet. Vale.

BARPTOLEMAEVS CHALCVS ANGELO POLITIANO S. D.

EX literis quas nuper ad me dediſti, intellexi te ſummo deſiderio teneri, ut quæ Georgius Merula iampridem aduerſus Miſcellanea tua conſcripſit, aliquando in lucem prodeant. Idq́; ut magis animum tuū oſtendas, non ſolùm multis rationibus, ſed multis etiam precibus contēdis, ut Ludouicum principem comprecer, ut aſſentiat, uelitq́; Georgij ſcripta, quòd iniuriam tibi atq; illi faceret, litura non deſtrui. Eſt quidem tua hæc petitio nō honeſta tantum, uerumetiam ingenua, quando non tam ut te ab offenſione & notæ uindices, quàm ut ſtudioſi homines iacturam in fruge, quam ex ſcriptis Merulæ ſperant, non faciant: id ut optes, te adduci profitearis. Neq; uerò nos hoc ipſum abs te deſiderari permiſiſſemus, niſi Ludouicus princeps, qui acceptis abs te literis, te ſubmoleſtum id ducere animaduertit: & ne in lucem proferrētur, anxiè per uicarium agere deprehēdit, in eam ſententiam deueniſſet, ut ne offenderis, edi ea non debere ſtatuiſſet, & Antiquarius, quod tu ſcribis, idem etiam ab Merula, ut uelle uideretur, extorſiſſet. Verùm quando utraq; res in gratiā tuam facta eſt, tuq; nihil minus ꝗ id uoluiſſe uideris: & maximopere copiam tibi horū ſcriptorū fieri petis, dabimus operā, ut & principis ſententia, qui te omninò ꝓmereri optat, & uiolentum (ut ita dixerimus) decretum tibi, quò minus mos geratur, non obſtet: ſed quod quęris, tibi largiter ſuppetat. Sed quoniam ea adhuc uix notata prima in forma ſunt, neque Georgius morte occupatus, ea elimare, & meliore nota conſcribere potuit, primùm curabimus ut prius quàm edantur, cenſeantur: & in eum ordinem quem prætendiſſe Georgius uidetur, redigantur, moxq́; ita abſoluta ad te mittentur. Vale.

ANGELVS POLITIANVS BARPTOLEMAEO CHALCO SVO S. D.

AGo tibi gratias ingenteis, quòd de Merulæ ſcriptis edendis rem confeceris ex animi noſtri ſententia. Ludouico autem, ſapientiſſimo pariter, humaniſſimoq; principi quantopere debere me, uel hoc ipſo nomine ſentiam, non explico: tantum enim mihi ille tribuit, quantum ego uix optare unquam auſus. Nam & antea ſupprimens, & nunc emittens, honori præcipuè meo conſultum uoluit. Sed quid ais, animaduertiſſe eum de meis literis, moleſtè me laturum ſi publicarentur? An ego unquam aliud precatus, quàm ut copia fieret audiendæ accuſationis? Deniq; quos ego iſthic habeo uicarios? Aut quid unquam cuiquam mandaui, niſi ut omneis machinas adhiberet, quò notæ

iſtæ

iſtæ de latebris eruerentur? An fortè amicus iſtic aliquid plus in mea re uidere ſe, ꝗ ego uidebam, credēs, meumq; animum ſpectans ex animo ſuo, quicq; uel egit inſcio me, uel dixit, quod ego nollem? Expoſtulabo iniuriam, ſi reſciero, quāuis ille ſedulò, quamuis amicè, quamuis officioſè fecerit. Sed cui magis eredendum, quàm tot epiſtolis meis uulgatis, conteſtatis: Latinè (ut arbitror) ſcriptis, & perſpicuè? Quare apage quæſo à me iſtam calumniam, quo nemo unquā fuit & confeſſioni paratior, & defenſioni. Quò maiorem tibi nunc habeo gratiam, qui ut mihi utriuſq; fieret poteſtas, opera & autoritate curaueris. Vale.

IACOBVS ANTIQVARIVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

IAm in Merulanis reb. nihil melius ſentio, ut qualē ſe effinxit, planè relinquamus, prȩter hiſtorias & epiſtolas quaſdā, ſine alijs monumentis ſuperſtitem. Plautinæ quæſtiones apparent nullȩ, cōmentarios in Iuuenalem uix illius fuiſſe crediderim, niſi ipſe ſuos edendo affirmaſſet. Tu quidem rectè facis, qui ab eius nomine temperandū ſtatuiſti, cuius retaxatio impietatem non effugeret, etiamſi Ludouici nobiliſſimi principis autoritas non interceſſiſſet. Qui te amant, ut in literariam & communem rem pro conſuetudine tua ſtudium conuertas, magnopere cupiunt. Quippe id tuum erit, quod poſt te non deſiderabitur. Vale.

ANG. POLITIANVS BERNARDO RICCIO SVO S. D.

SIgnificas deſperandā planè mihi eſſe publicationē Georgij Merulæ ſcriptorum, ꝙ friuola, quòd paucula, ꝙ imperfecta, ꝙ perturbata ſint, & interlita. Sed à Corycæo tamen quodā tuis ais eſſe auribus inſuſurratum, reprehendi ab illo me quodam loco, quòd albæ lineæ prouerbium ſecus acceperim, quàm debui, uidelicet in bonam partem. Reſpondebo leuiter, & quod aiunt, ſuſpenſa manu. Nō enim defenſio grauis, ubi leuis oppugnatio. Græcum prouerbium celebratur, λευκὴ στάθμη, quod Aulus Gellius albam lineam tranſtulit. Poſſis tu tamen & amuſſim dicere, filum ſcilicet illud fabrorum, quod oblinitur rubrica. Valet ergo in eos prouerbium, qui ſine diſcrimine dicūt aliquid, aut faciūt. Vt autem rectè dixerimus haberi odio malos omneis ſine diſcrimine, ſic rurſus & amari bonos. Certè Socrates in Charmide Platonis, is qui nullius rei ſcientiam ſibi præter amoris uindicat; albam ſe tamen eſſe lineam dicit erga formoſos: propterea quòd omnes amaret ex ȩquo. Quod idem tranſtuli, ego prorſus ad hominē non doctū quidem, ſed amatorem tamē utcunq; doctorum, cuius amori pudenter (ut mihi quidem uideor) iudicium, delectum, diſcrimenq; detraxi; ne mihi ſcilicet ob eum quaſi iam planè docto nimium dicerer tribuere. Nec amico tamen iniuriam feci. Nam uulgò quoq; laudatorib. noſtris dicimus falli quòd ament. Eſt uerò integrum, ſicuti quidam referunt, hoc adagium, λευκῷ λίθῳ λευκὴ στάθμη, quod ita cōmodè uertas: In albo lapide, alba linea, uidelicet quæ nullum faciat diſcrimen. Id eſſe autem ſic integrum in Cidalione Sophòclis, tam Græci quidam Platonis interpretes, ꝗ Suidas ipſe (ſi qui modò hic unq; Suidas) non omnino malus autor, teſtati ſunt.

LVDOVICVS MARIA SFORTIA DVX ANGELO POLITIANO.

NOn eſt quod uerearis, Angele, ne tibi notam aliquam inurant; ſi ſupprimantur ſcripta, quȩ in te Merula paraſſe dicebatur. Tua enim opera minimè factum putari debet, qui non quæſiuiſti ut occultētur: ſed multis precibus per noſtros agere apud nos non deſtitiſti, ut ea in lucē ue-

nire pateremur. Quod ſcribere ad te uoluimus, ut hæ noſtræ apud omnes teſtari poſſent te ſcripſiſſe, non modò nõ futurum graue tibi, ſi in manus hominum uiri literatiſſimi ſcripta uenirent, ſed etiam ſi ita pateremur, nobis te gratias ingentes debiturum affirmaſſe. Vale.

ANGELVS POLITIANVS LVDOVICO SFORTIAE, PRINCIPI SVO S. D.

NOn tam gloriæ meæ conſulis, quàm tuę, quòd & ueritati ſuffragaris, & literarum profeſſorẽ uindicas ab iniuria. Sic itur ad aſtra, mi princeps. Non enim tam ſolidam, tam ueram laudem uanæ prędicationes, quàm ſua cuiq; rectè facta conciliant. Sed tamen & rectè factorum memoria ipſa parum per ſe fida, niſi literarum teſtimonio roboretur. Equidem quantũ tibi debeam, nec ipſe ignorõ, nec tu pateris ab alijs ignorari. Si tamen æſtimas, quantum præſtare tibi uolo, ſoluendo ſum: ſi quantum ualeo, non ſum. Vale.

LVDOVICVS MARIA SFORTIA ANGELO POLIT. S. D.

ANgele, ſi dum tibi operam damus, ut ueritas locum ſuum habeat, gloriæ noſtræ conſulimus, in lucro nobis labor noſter eſt, & deſideriũ nobis ſæpe pro te laborandi relinquitur. Eſt autem hic fructus eo gratior, quòd etiam præter expectationem contingit. Satis enim putabamus, ſi dum mutuè præſtitimus officium noſtrum, in eo conſuetudo noſtra nõ intermitteretur benignè cum omnibus agendi: quanquam id etiam tecum libentius agebatur, cuius uirtus & doctrina iam diu nobis nota eſt, & in quem beneficium noſtrum eſſe ſemper optauimus. Itaq; iam plus eſt, quàm quod ſpectabamus, ſi cum tuo etiam noſtrum beneficium coniungitur. Te autem ſoluendo eſſe nobiſcum, & dum quę potes agis, ducimus: & plura tibi uidemus ſuperfutura, cum ſolueris, ꝗ ea erunt, quæ ſoluendo quod debes, impenderis. Vale.

PHILIPPVS BEROALDVS ANGELO POLIT. S. D.

QVòd Merula impoſturam fecerit poſteritati, minimè miror. Sic enim glorioſi milites facere conſueuerũt, qui uerborum ſtrepitu uigentes, reflaccescunt. Nimirum egregius hic noſter imperator, dum Centuriarum impetum impatibilem minitatur, nondum decurias in acie collocauerat: & dum haſtatos triarioſq; terrificos cum ſolicitudine prętolamur, uix rorarios, accenſos'que centuriauerat. Sed iam uiuat, ualeat'que Merula apud manes cum ſua canina facundia, qui ut belliſſimè ueriſſimeq; ſcripſiſti, iam perierat, niſi perijſſet: prout ſementẽ feciſſet, ita meſſem planè facturus. Quod ad nos attinet, ſcito mi Politiane, te hic propè plures ꝗ iſthic habere fauiſſores, buccinatoreſq; tuæ politiſſimæ eruditionis, quæ ueluti frutex odoratiſſimus fragrat inenarrabilem quandam ſuauitatem. Scribo quod ſentio, ſentio quod ſcribo, cõcors dat calamus cum corde, lingua cum animo. Vale.

ANG. POLITIANVS LVDOVICO BOLOGNINO EQVITI, AC IVRECONSVLTO BONONIENSI S. D.

VEllem, Ludouice uir clariſſime, cæteris quoq; Iureconſultis, quæ tibi eſt corrigendis reſtituendiſq; legibus in ueram atq; eam ipſam lectionem, qua ab Imperatore Iuſtiniano publicatæ ſunt, & olim fuiſſet, & nunc eſſet diligentia. Non enim nos puderet multorum quæ tum ridiculè, tum perperam leguntur in legibus, ſed emaculata omnia, & uera haberent. Scripſiſti tu ſuperioribus diebus ad Laurentium Medicem, ætatis noſtræ Mecœnatem alterum. nam ut Romanus ille Mecœnas conſilio, diuitijs, opera fauebat ſui ſeculi literatis uiris, ita & hic noſter facit: quandoquidem doctos omneis

doctus ipſe iuuat ſemper, ſuſtentat, alit, dat munera, prodeſt omnibus ſtudioſis. Scripſiſti, inquam, ut legem quartam, titulo de uerborum obligat. De Pandectis quæ olim Piſanæ fuerunt, nunc Florẽtinæ, ad unguem exſcriptam ad te mitteret, propter contextum eius §. Cato in uulgatis exemplaribus incuria temporũ deprauatum. En igitur ea tibi ex ipſo archetypo eius ipſius Laurentij Medicis iuſſu excerpta à nobis ſumma fide. Eſt autem liber characteribus maiuſculis, ſine ullis compendiarijs notis, ſine ullis diſtinctionibus, nec Græcus, ſed Latinus: uidelicet ille ipſe, quem inter cæteros publicauit Iuſtinianus, quod et hoc pulcherrimũ in fronte libri græcum epigramma oſtendit.

βίβλον ἰουστινιανὸς ἄναξ τεχνήσατο τήνδε
τὴν ῥα τριβωνιανὸς μεγάλῳ κάμε παμβασιλῆϊ,
οἷα τις ἡρακλῆϊ παναίολον ἀσπίδα τεύξας,
ᾗ ἔνι μαρμαίρουσιν ἀγάλματα πάντα θεμίστων
ἄνθρωποι δ' ἀσίης τε, δ' εὐρυκλῆτε τε λιβύσσης,
εὐρώπης τε πίθονται ὅλου σημάντορι κόσμου.

PAVLVS LIBRO DVODECIMO AD SABINVM.

EAdem dicemus, & ſi dolũ abeſſe à te hæredeq́ tuo ſtipulatus ſim, & aut promiſſor aut ſtipulator pluribus hæredib. relictis deceſſerit. Cato libro 15. ſcribit pœna certæ pecuniæ promiſſa, ſi quid aliter factũ ſit mortuo promiſſore ſi ex pluribus hæredibus unus contrà q̃ cautum ſit fecerit aut ab omnibus hæredibus pœnam cõmitti pro portione hæreditaria aut ab uno pro portione ſua. ab omnibus ſi id factum de quo cautum eſt indiuiduũ ſit ueluti iter fieri, quia quod in partes diuidi non poteſt ab omnibus quodammodo factum uideretur: at ſi de eo cautum ſit quòd diuiſionem recipiat, ueluti amplius non agi tum eum hæredem qui aduerſus ea fecit pro portione ſua ſolum pœnam cõmittere. differentiæ hanc eſſe rationem quod in priore caſu omnes cõmiſiſſe uidentur, quod niſi in ſolidũ peccari non poterit illam ſtipulationem per te non fieri, quò minus mihi iure agere liceat: ſed uideamus ne non idem hic ſit, ſed magis idem quod in illa ſtipulatione Titiũ hæredemq́ eius ratum habiturũ: nam hac ſtipulatione & ſolus tenebit, qui non habuerit ratũ, & ſolus aget à quo fuerit petitũ, idq́ & Marcello uidet, quamuis ipſe dominus pro parte ratũ habere non poteſt, ſi is qui duplam ſtipulatus eſt, deceſſerit, pluribus hæredib. relictis, unuſquiſq́ ob euictionẽ ſuæ partis pro portione ſua habebit actionem: idemq́ eſt in ſtipulatione quoq́ fructuaria, & damni infecti, & ex operis noui nunciatione, reſtitui tamen opus ex operis noui nunciatione pro parte non poteſt: hæc utilitatis cauſa ex parte ſtipulatorũ recepta ſunt, ipſi aũt promiſſori pro parte neq́ reſtitutio neq́ defenſio contingere poteſt.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM LIBER DVODECIMVS.

ANGELVS POLITIANVS IOANNI PICO MIRANDVLAE SVO S. D.

QVANTOPERE me ſemper, dum uixit, Hermolaus Barbarus dilexerit, quantum'que ego illi uiciſſim tribuerim, notum tibi mi Pice: qui ita utrumque amabas, ita rurſus ab utroque amabaris, ut ſicut uterque ſe eſſe apud te primum, ſic tu primum te eſſe apud utrumque exiſtimares. Adeo'que ſingularis hic inter nos amor alios delectabar, alios rurſus perſtringebat, ut qui unum uel laudabat è tribus, uel uituperabat, idem ſibi cæteros uel laudandos eſſe, uel uituperaudos arbitraretur.

Edidit ille paulo antè quàm diem obijt, opus (ut ſcis) elegans, & eruditum Plinia narum caſtigationum: quo in opere, quantum equidē æſtimare poſſum, iuuit apprimè rem Latinam: ſiquidem multum ingenio niſus, & ſtudio uetuſta diligenter exemplaria contulit, & autores utriuſq; linguæ penè omnes aduocauit. Libertate autem uſus eſt omnino aliqua, ſed modeſta, nec tam in alios, quàm in ſe quoq; ipſum: multa enim poſterioribus confutauit, quæ prioribus cōmentarijs defendiſſet. Ita (quod ego in primis laudo) nihil ſibi prius eſſe fide putauit agenti negocium poſterorum, qui ſententiam de nobis ſine gratia, ſine inuidia laturi ſunt. Sed in me unum tamen paulo fuit indulgentior: ubi enim occaſio laudandi, nominatim me citat: ubi rurſus diſſidet, rem refellit ipſam, nomini parcit. Et cupiebam deſenſionē omittere, quoniamq; ſunt utriuſq; noſtrū ſcripta in manibus, doctiorum iudicio relinquere. Sed occurrunt interdum ſcioli quidam, malè inaugurati literis, qui pro damnato accipiunt, quicquid non protinus defendatur. Quocirca tu mihi nunc adeundus, mi Pice, doctorum omnium doctiſſime, non quidē ut iudex, ſed ut arbiter honorarius, qui uidelicet inter amicos diſceptantes litem dirimas. Defenſus à nobis Cicero eſt, quòd Endelechiam ſic exponat, motionem quandam continuam & perennem. Placet hoc Hermolao, ueteremq; ſuam reuocat ſententiam. Cenſet autem nihilominus Entelechiam ſcribi t litera oportere, quod in hanc uertere d ſoleant Attici. Tum id autoritate Luciani tuetur, & grammaticorum quorundam ignobilium, qui de Dialectis conſcripſerunt. Cæterùm ſi Luciani uerba ipſa græca perpendas, nihil ibi aliud inuenias, niſi furtum obijci t literæ, quòd ea quæ ſit Endelechia, uocare malit Entelechian. Quare cùm conſtet apud omneis uocabulū id ab Ariſtotele primitus fuiſſe cōfictum, non dubiū eſt, quin Endelechian, quod prius fuerit, non Entelechian, quod poſterius, & autor ipſe protulerit, & autorem Cicero ſecutus. Apparet autem naſutiſſimum hominem Lucianum carpere indoctos iam tum linguæ philoſophos, qui dum uocem contaminant, etiam intellectum non aſſequerentur: quem tamen Luciani ſalem parum deguſtantes, quicūq; iſti inſipidi literatores, ad Attici ſermonis diſcrimina detorſerunt. Quod & ipſum tamen Hermolao quoq; non fauet, quando utrunq; in confeſſo eſt, & autorem fuiſſe uocis eius Ariſtotelem, & in d locum, t literam ſucceſſiſſe. Nec ego tamen, quod ille (ut uideo) putauit, occaſione abutor deprauati exēplaris. Nemo igitur me magis defendit, q̄ qui ſic accuſauit. In Tetraonibus uerò mecū planè ſentit aduerſus Erythrotaonas, g tamen inſertat, & ſcriptos calamo Plinianos aduocat codices. Ego uerò contrà tam Suetonianos profero, q̄ etiam Plinianos, ſed uetuſtos utroſq;, quales in Medicæ quoq; gentis bibliotheca patent. Nam tetrax apud Athenæum lib. 9. nihil ad Tetraonas. Illi enim à Plinio dicuntur abſoluta eſſe nigritia, & quaſi coccinis ſupercilijs, quidāq; tamen uulturū colore. Tetracē uerò porphyrioni ſimilē tradit Athenęus, eiuſq; uolucris admirat̄ τὸ ϑαυλὶς, quaſi picturatum ſignificans, & floridū, quod Hermolaus forma conſpicua conuertit. Tum pendêre utrinq; ab auribus paleā, ſicut gallinaceis oſtēdit. Paleam enim interpretari τὰ κάλλαια malo, q̄ quod Hermolaus criſtas. Melos quoq; defendi apud Perſiū poſſe putat, autore in Hymnis Homero: quaſi uerò nō conſtet hymnos iſtos, quos etiā uatis eſſe Homeri quidā dubitant, plurimis eſſe locis mendoſiſſimos: quod & Demetrius Chalcocondyles in pręfatione quadā ſua conqueriť. Scio aūt uerſiculum citari quendā malè cōpaginatū de hymno ipſo, puto in Mercuriū: quē ob id opinor, Hermolaus ipſe nō citat, quoniā uidelicet in eo fides uacillabat. An igiť cum uniuerſis Gręcorū latifundijs unus iſte infamis angulus cōferetur? nec quicq̄ profuerit, q etiā tum cū locū

ipſum

ipſum tractabamus,friuolis iſtis autoritatib. occurrimus? Iam quòd Aſcoperam nos inueniſſe putat in codicibus antiquis,non meminit ad liquidum. Sicut enim ſcopa eſt in peruulgatis exemplaribus,ita in uetuſtis Aſcopa. Quod ipſe tamẽ ob id rectum putat, quòd eo ſit uſus Hieronymus: nec autẽ animaduertit idem eſſe utrobiq; lubricum mendum,nec Græcum tamen probari Aſcopa,nec Latinum. Cæterùm ſecunda editione quaſi priorem ſententiam pertæſus,Græcos quoque allegat autores,apud quos Aſcoperam reperiſſet. Illud etiam quidam pertinere ad nos contendunt,quòd Dionyſium nõ à Priſciano, ſicuti ego prodideram,ſed à Rhemnio Fannio conuerſum dicit. Verùm quoniam nec argumentis hoc ille, nec autoritatib. obtinet, & æquo iure utimur omnes in literis, ad noua pariter & uetuſta,quæ indicari poſſunt,exemplaria prouocamus. Illud equidẽ miror,quòd ut Theodorum Gazam defenderet à nobis in ſuada reprehenſum, cui tamẽ nec ipſe pepercit,mella neſcio quæ poetica miſcuit,quæ nihil omnino(ut uidetur)ad rem. Deniq; iſta ſunt ferè, in quibus aliter quàm nos Hermolaus noſter prodidit: cùm tamẽ idem pleraq; inuenta noſtra nunc edito, nunc ſuppreſſo nomine tutetur. Declarãt hoc illa quę de Bœotia,de Crambe,de Oaxi,de Cicuta,de ſalutis augurio,de Hecale, de Prœtidibus,de Cauſarijs, de Harpocrate, de Ocno,de Priapeis,de Philyra,de Poppyſmo,de Catulliano paſſere diſputat. Quin idem, quæ fabulatus ego cum eo Florentiæ inter cœnam de ſolſtitiali herba, de Elutriato uellere,ſed & de Dioſcoride domi tuæ ſum,retulit in hoc ipſo ſtatim libro mei honoris cauſa. Quanquam ego inibi tamen etiam Dorcada nõ recipio. Sed cum mihi pleraq; omnia placeant in Hermolai ſcriptis,tum illud in primis, quod utiq; ſentit,quanta in perplexitate uerſemur librorum enarratores,quos & barbaria confudit,& ueritas obſcurauit,ut uituperandi non ſint, quorum etiam ſedulitas retrahere illa non poteſt,quæ maioribus noſtris (ut Varro inquit)ademit obliuio fugitiua: digni magis æternis honoribus,qui hæc aſſequi,tam remota, tamq; obliuia quoquo modo potuerũt: quò minus ferendi, qui uel ſe, uel alios refelli talibus in rebus ęgrè ferunt. Contrà ego profiteor tam magis reprehenſoribus debiturum, quàm magis erraſſe me docuerint. Etenim,ut idem teſtatur Marcus Varro,non ſi non potuero indagare,eo ero tardior,ſed uelocior ideo,ſi quiuero. Non mediocres enim tenebræ in ſylua,ubi hæc captanda. Tantum illos nec ferre interdum, nec diſſimulare poſſum,qui de me tacẽt,& mea ſuppilant. Vale mi Pice. In ruſculo Fæſulano,ſexto Nonas Maias, M.CCCCXCIIII.

ANGELVS POLITIANVS PICO MIRANDVLAE SVO S. D.

QVàm uellem te quoq; hodie nobiſcum Paulus Vrſinus inuitaſſet ad epulas, uir ut in omni militari gloria celeber, ita nec abhorrens à literis,nec à literatis. Filiolus eſt illi Fabius undecim natus annos, inſigni cùm pulchritudine,tum uirtute. Flaui puero crines in terga molliter fluentes, alacres oculi, facies liberalis, uultus ingenuus, ſtatus elegans, decorus habitus, atque is militaris. Vt ergo diſcubuimus,canere quædam iuſſus notata Muſicis accentiunculis carmina ſimul cum peritis alijs, ſtatim ſuauiſſima quadã uoce ſic in aures noſtras illapſus,imò uerò in præcordia eſt,ut me quidem (cæteros neſcio) penè extra me rapuerit,certè ſenſu tacito diuinę prorſus cuiuſdam uoluptatis affecerit. Pronunciauit heroicum deinde carmẽ, quod ipſemet nuper in Petri Medicis noſtri laudem cõpoſuerat. Id ab ipſo reuera,nõ(quod ego tamẽ ſuſpicabar)ab alio factũ,ſignis euidentiſſimis,argumẽtiſq; poſtea cognoui. Rogas quale carmẽ: quale ferè nec meũ dici ſanus recuſem. Vox ipſa nec quaſi legentis,

nec

nec quaſi canentis,ſed in qua tamen utrunq; ſentires,neutrum diſcerneres: uariè tamen,prout locus poſceret,aut æqualis,aut inflexa, nunc diſtincta,nunc perpetua,nunc ſublata,nunc deducta,nunc remiſſa,nunc cõtenta,nunc lenta, nunc incitata,ſemper emendata,ſemper clara,ſemper dulcis,geſtus non otioſus, non ſomniculoſus,ſed nec uultuoſus tamen,ac moleſtus. Roſciolum prorſus aliquẽ diceres in ſcena uerſari.Poſtularunt ſubitò quidam carmen ut illud in proſam retexeret,& oratione ſoluta totum rurſus ut argumentum colligeret.Cunctatus paululum quaſi deliberabũdus cœpit mox dicere,uerecundè quidẽ,ſed tamen admirabiliter. Et fluebant ex ore tenello uerba lectiſſima,tanto curſu, quantum facilè nec ſtylus ipſe ſuppeditat.Miraris hæc Pice? dabo aliud maius,maiusq; quod mireris.Impleuerat hoc iam munus,& cum pater iuſſerat ibidem cibum capere ſtantem: non enim ſolet aliter.Iam ſecundæ menſæ,cum proponere iubeor , quot & quæ argumenta epiſtolarum uelim, quas ille ſimul pluribus dictaret extempore, propoſui quinq; duntaxat(non enim plura libuit,ne fortè puerum fatigarem,plura tamẽ ille blandè adhuc depoſcebat) ſed quæ propoſui nata ibidem ſtatim ſunt uaria,noua,quædamq; ridicula,ſic ut ad ea comparare ſe prius non potuerit.Collocati quinq; igitur per ordinem librarij cum ſtylis,& pugillaribus , excepturi q̃d ille dictaſſet.Conſiſtit in ſummo puer terram intuens modeſtè,cogitat aliquantulum,mox tamẽ oculos attollit,imperat ei qui ſummus conſederat,ut iam ſcribat: ubi pauca dictauit.innuit & ſecundo,dictat & huic alterum argumentum, pergit ad cæteros deinceps,donec ad infimum : rurſus quoq; ad primum reuertitur farciens quod omiſerat,fulciens quod pependerat: diſſidebat ibi nihil , claudicabat nihil.Ita ſæpius in orbem remeans,epiſtolas uno tempore (quis credat?) quinq; abſoluit.His actis equos conſcendimus,ut concurrẽtes haſtatos, inq; ijs Petrum Medicem noſtrum ſpectaremus.Ibi res accidit,quæ ſicuti me ſtatim maximè turbauit,ita diuinitatem penè quandam poſtea pueri huius oſtendit. Vehebat̃ equo Fabius,quo plurimùm delectatur,pulcherrimo illo quidem,ſed qui nimium freno repugnet.Hoc perſultare campum ſolet,hoc decurrere,citat,flectit, ut ſcienter,ita ferociter.Ibat ergo mecum ſermonibus captus,ac fabulis inhians literatis, auresq; mihi penitus,animumq; dediderat,cum repentè collapſus equus in limite quodam ſuper equitem ruit ipſum reſupinus.Clamat puer, quiritatur,ut in extremo periculo: accurrunt undiq; famuli, pro ſe quiſq; , ſubleuant : quorum unus etiã dum ſalit incautius,ſibi miſer crus defregit. Plena omnia tumultu, me terror, horror,obſtupefecerant.Pater adeſt,hortatur animo bono ſit. Ille ubi patrem uidet (ut generoſi ſpiritus facilè indolem cerneres) nullum ultrà clamorem, nullos gemitus edere,tantum hortari pedetentim,cautimq; agerent,ne fortè ipſum grauius,dum conſurgere conatur , equus affligeret. Abſciſa igitur cingula iacenti equo,ſubtractusq; ita Fabius,nobis multũ pauefactis,incolumis reſtitutus:quanquam tamen uexatus nonnihil,atq; ob id in ædibus deinde relictus.Ego uix mei compos,omiſſo ſpectaculo,nec mihi ipſi adhuc de ſalute pueri ſatis credens, domum ſum reuerſus, penè attonitus , ac periculi tanti metu quaſi præſentis exanimatus.Habes diei unius hiſtoriã de Vrſino Fabio, qui ſi ſuperſtes fuerit , ætatisq; numeros(quod ille ſinat Deus)impleuerit,ſi iam quo gradu cœpit,ad excellentẽ gloriam perrexerit, auguror euaſurũ talem , qualis tu ſolus mi Pice noſtro ſeculo eſſe uideris:hoc eſt,ut eum quoq; propter admirabilem uirtutem mortales omnes , tanquam ſi cœlitus demiſſus , uenerentur. Vale.

ANGELVS POLITIANVS PICO MIRANDVLAE SVO S. D.

QVòd honoris mei cauſa tu quoq; ſederis inter auditores meos, non habeo gratiam. Nam ſi placui, iam retuli: ſi non placui, nec debeo. Vale.

IOANNES PICVS MIRANDVLA ANGELO POLITIANO S. D.

NArrabas mihi ſuperioribus diebus, quæ tecum de ente, & uno Laurentius Medices egerat, cum aduerſus Ariſtotelem, cuius tu Ethica hoc anno publicè enarras, Platonicorũ innixus rationibus diſputaret, efficaci adeò uir ingenio, & multiformi, ut uideat factus ad omnia. In quo illud præcipuè admiror, quòd cùm ſit ſemper in republica occupatiſſimus, quaſi tamẽ otioſiſſimus literarium ſemper aliquid aut loquitur, aut meditatur. Et quoniam qui Ariſtotelẽ diſſentire à Platone exiſtimant, à me ipſi diſſentiunt, qui concordem utriuſq; facio philoſophiam: rogabas quomodò & defenderetur in ea re Ariſtoteles, & Platoni magiſtro conſentiret. Dixi quæ tunc mihi in mentem uenerunt, confirmans potius quæ tu Laurentio inter diſputandum reſponderas, q̃ nouum aliquid afferens. Sed non tibi hoc ſatis. Efflagitas enim, ut quanquam de ijs fuſius in ipſa, quam adhuc parturio, Platonis, Ariſtotelisq; concordia ſim ſcripturus, breui tamen ad te cõmentariolo perſtringam ea, quæ tunc tibi coràm de hac quæſtione ſum locutus, cùm fortè & Dominicus Beniuenius adeſſet, utriq; noſtrũ pro ſua & doctrina & integritate chariſſimus. Ego uerò negare tibi quid poſſum, in re præſertim literaria ſocio penè dixerim indiuiduo? Liceat autẽ mihi per te linguæ politioris uindicem uerbis uti quibuſdam, nondum fortaſſe Latij iure donatis, quæ tamen ipſa rerum nouitas, & quædam propè neceſſitas expreſſit, nec elegantioris ſtyli lenocinium quęras: ut enim Manlius inquit, Ornari res ipſa negat, contenta doceri. Vale.

ANGELVS POLITIANVS PICO MIRANDVLAE SVO S. D.

ARſi penè ſemper, nimis improbè forſitan, ſed arſi tamẽ ſemper ſtudio famæ perpetuæ, ſic ut pro nihilo diuitias, dignitatem, potentiam, uoluptates habuerim, ſi cum ſuperſtite gloria conferrentur: ſed quoniam quæ ſcribebam, uix etiam uetuſtatem nominis pollicebantur, extitiſti tu Pice, qui, quod ego mihi non poterã, præſtiteris, dedicato cõmentario de uno & ente (ſic enim titulum facis) in quo riuos per Lycium decurrentes, & Academiam reuocas ad uerum caput, & cum philoſophia magis una q̃ gemina noſtram quoq; theologiam copulas. Quod igitur iam Glauci gramẽ requiram uicturus æternùm per te, ſed & tecum? Narrabit autẽ quandoq; poſteritas, fuiſſe olim Politianum quendam, quem tanti fecerit ipſe quoq; Picus, omniũ doctrinarum lux, ut ne librum quidem nuncupare illi pulcherrimũ de rebus altiſſimis dubitauerit. Ago itaq; tibi gratias pro immortalitate, ſed immortales. Vale.

ANGELVS POLITIANVS PICO MIRANDVLAE SVO S. D.

CElebrauit hodie noſtra iuuentus equitum certamen, haſtis concurrentium, quo mihi ſpectaculo carere penè non licebat, certè non libuit. Etenim pleriq; certatorum de ſchola noſtra prodierant, tu tamen à me ſolos fieri poetas, aut oratores putas: at ego nõ minus facio bellatores. Et uicerunt omnino quos optabã, Petrus Medices, ac Laurentius Tornabonus, noſter uterq; non diſcipulus modò, ſed & alumnus. Duplex ibi palma, prioremq;

Petrus,

Petrus,alteram Laurentius abſtulit,ſed inſigni tamen populi totius acclamatiõe,
plauſuq́ multiplici: uidelicet admiratio quædam ſuffragabatur, quòd primæ no-
bilitatis iuuenes alias in toga & foro conſpicui, cum militib. exercitatiſſimis con
currerant,& eos in ipſorum(quod dicitur)arena ſuperauerant.Scis autem quàm
gratus multitudini ſit,& ciuibus,Petrus noſter, non minus iam ſua quàm familiæ
gloria,ſcilicet in quo patris ingenium,patrui uirtus,patrui magni humanitas, aui
probitas, proaui prudentia, pietas abaui reuiuiſcit: omnium uerò maiorum ſuo-
rum liberalitas, omniumq́ animus. Sed & ipſi Laurentio mirè fauetur,non ob o-
pes modò,& nobilitatem,quanq́ ob has etiam:uerùm multo magis quoniã cum
Petro aſſiduus eſt,utpote conſanguineus, utpote ſimul educatus, utpote fidiſſi-
mus.Itaq́ ſicuti rem nummariam curat eius uniuerſam diligenter,cautè,fideliter,
ita diligit ipſum uehemẽter,ſic tamen ut & colat & imitetur.Eſt enim Laurentius
quoq́ doctus admodum lingua utraq́,poetarumq́,uel ex tempore. Dat & Mu-
ſicis operam,uires etiam corporis exercet,omniaq́ feliciter,uni Petro longè con
cedens,id quoq́ feliciter,ut qui plus ei fauet etiam q̃ ſibi. Deniq́ cum receſſeris
à Petro,nihil apud nos inuenies Laurentio placidius, manſuetius, dulcius, nihil
etiam blandius,humanius,benignius,poſtremò nihil modeſtius,candidius, ama
bilius.His igitur artibus celeberrimi iuuenes fauorem colligunt, plauſus excitãt,
acclamationes eliciunt.Optarem profectò tu quoq́ adfuiſſes nobiſcum: quanq́
popularia iſta uos philoſophi magni contemnitis, mihi tamẽ philoſophaſtro ad-
huc uenia dabitur credo, ſi pluris id ſpectaculum feci, quàm tuum quoq́ conui-
uium. Tu certè, cuius hodie uocatores feſelli, ſcio dabis facilè: nam (ſi te noui)
non minus libenter hanc à me accipis epiſtolam, quàm me accepiſſes conui-
uio. Vale.

ANGELVS POLITIANVS IOANNI PICO MIRANDV-
LAE SVO S. D.

CVm ſuperioribus diebus enarrarem Florentinę iuuentuti Ruſticũ no
ſtram, cui tu quoq́ poemati nõnihil tribuis: & ad eum iam locum de-
ueniſſem, quo lunares dies Heſiodũ ſecutus, alios aliis aut inſpectio-
nibus, aut operibus tribuebam: dubitare mecum cœpi doctiſſime Pi-
ce,nunquid iſtiuſmodi tam ueteres obſeruationes à naturę cauſis,an à uulgi ma-
gis credulitate profectæ ſint. Quare quoniam tu nunc librum cùm maximè com
ponis aduerſus aſtrologos,multiplici doctrina, magniſq́ argumẽtis inſtructum,
quibus hęc eſſe uel propria,uel certè finitima uideri poſſunt,adeundus pręcipuè
mihi es,qui præſcribas quatenus his antiqui uatis legibus, quas iam noſtras imi-
tatione fecimus,obtemperandũ ſit. Ac ne tibi grauioribus, & quaſi ſanctioribus
literis occupato,requirendi,relegendiq́ Ruſtici poetæ onus imponam, breuiter
hac epiſtola complectar,& quid ille prodiderit,& quas ego uel rationes, uel cau
ſas partim de Procli,cæterorumq́ lectione, partim uerò de mea coniectura poſſe
uidear afferre.Summa igitur eſt Heſiodi partitio, dies ut alios admittat uel ad in-
ſpiciendum,uel ad efficiendum,rurſus ut alios uelut emortuos prætereat. Tres ta
men Iouis appellat,ut primum diem menſis,quartumq́, & ſeptimum. Primũ pu-
to,quoniam princeps unitas numerorum,principiumq́ omne diuinũ(ſicuti Pla-
to docet)ex quo menſis apud Orpheum μονικὸς μόσχος dicitur.Quartum uerò
quoniam in eo rationes omnes muſicæ continentur,quæ de numerorum propor
tionibus euocant,quarum prius in unitate ſemina latitabãt, ex quo ueteres eum
Pana uocabant. Septimum deniq́, quoniam ſolũ hunc numerum producit uni-
tas, qui tamen & quaternario congruit, propter quadruplam proportionem,

quæ

quæ uidelicet in unitate, binario quaternarioq; reperitur, & omnino inter hos numeros Arithmetica eſt proportio: ſed quaternarium nuptijs accõmodat, quoniã de binario naſcitur, ſiue cõponas eum, ſiue ducas in ſe. Porrò binarius fœcundus appellatur: eſtq; duntaxat inter duos matrimonij copula, quod illa tamen quam diximus harmonia præ cæteris indiget. Sed & denarium conſtituit quaternarius, modò partes ipſas inter ſe iunxeris, qui primum limitem cludit, ac perfectiſſimus habetur. Iubet item uates quarto die naues ædificari, fortaſſe quoniam ſolidi natura quaternario debetur, ſub quo uidelicet tria, ſuperficies, linea, punctum comprehenduntur. Idemq; primus eſt numerus pariter par. Nec à nauibus conſtruendis abhorret harmonia, ſic ut Homerus Harmonidem quendã putetur ob id appellaſſe. Septenarium tamen etiam ſacrũ uocat Heſiodus, ut in quo natus Apollo ſit, ut ipſe ait, atq; ob id arbitror cõſtare ſeptenis fidibus Apollinis lyram. Sextum puellis inutilem, maribus generãdis utilem perhibet. Credo quòd à binario ternarioq; naſcitur, hoc eſt, à fœmina, maſculoq;: in eo maſculus tamen pollet, ut ex cuius partibus ipſe reſultat. Itaq; tum maximè caſtrare agnos iubet, ut planè uidelicet emaſculentur, ſed & includere ſeptis pecora, quo ſcilicet perfectus numerus (talis enim ſenarius, etiam ut ſuis æqualis partibus) ipſum quaſi recenſeat numerum. Cauillis etiam, mendacijs, blandimentis, & clancularijs omnino ſuſurris hunc diem dedicat: quoniam lunæ facies ipſa quoq; tũc mentitur, utpote quæ dimidua uidetur, cum tamen ex æquo lumen, umbramq; non habeat. Octauum laudat, ut operibus efficacem, ſuibusq; tamen, & bubus caſtrandis accõmodat. Eſt enim primus hic cubus, cuius interualla tria ſunt: ideoq; Neptuno ſacer, cuius inſigne tridens, cui maximè uerres, ac tauri cæduntur: quoniam ſiſtere impetũ creditur: itaq; contra terræmotus etiam colitur, atq; ob id ἀσφάλειος appellatur. Nonum uocat innoxium, pangendis arboribus aptum, gignẽdisq; liberis. Hic enim primus ab impari quadratus, in cuius etiam radice principium, medium finis'que ſit: ſed & componitur è cubis duobus, hoc eſt, ex unitate, & octonario: quorũ alter reuera cubus, in altera cubi ſemen. Tum ſibi rurſus adijciens unitatem, numerum creat pleniſſimum, quo limes ipſe tandem numerorum primus excurrat, ut meritò tot eum priuilegia genituris incrementisq; præfecerint. Vndecimũ meſſi, tondendisq; lanis: ſanè quoniam ſecundi limitis initium, quo lunæ maximè lumẽ augetur, idq; lumen ipſius eſſe uel pabulum, uel indumentum non abſurdè dixeris. Huic tamen duodecimus præfertur, ut quòd initium præ ſe agat incrementi maioris: ſed & numerus ipſe nouenarium cum latere continet, repetitumq; ſenarium perfectum, ſicuti diximus. Eſt uerò deorum quoq; numerus. Tot enim colligit Ennius geminis uerſibus: hoc igitur telæ cõgruit, ut cuius cauſa tonſura peragitur. Igitur in hoc araneus (ut ipſe ait) fila ſua net, in hoc & ex aceruo formica prædatur. Caſtrari quoq; mulos eodem præcipit. Mulis enim lunam fabulant inuehi: bos quippe ſoli ſacer, aſinus typhoni, qui terreſtris deus. Inter hos media luna eſt utriuſq; particeps, hoc eſt, obſcuritatis, & luminis. Sed & numerus eſt hic primus impariter par: itaq; progreſſum quaſi ſiſtit, quod & domitor facit, & ut mixtus numerus, ita mixtum eſt animal. Tertiuſdecimus conſerendis arboribus idoneus, quòd (ut ait Plutarchus) inſita uis radicibus pleniore iam lumine diffunditur. Idem ſeminibus iaciendis incommodus, quòd iactum ſemen pluuijs magis adiuuatur, ut computreſcat & germinet. Quartuſdecimus & ipſe ſacer dictus, fœminis gignendis, bubusq;, & ouibus, prætereaq; mulis, canibusq; manſuefaciendis laudatur, in quo ſit & dolium deguſtandum. Diues hic luminis uidelicet, ut in quo luna ſub occaſum ſolis oriatur. Tenet & dimidiam partem numeri, quo

ſuum luna peragit orbem. Perfectio uerò circuli totius in ſemicirculo, præſertim tamen in luna, cuius à medio ſint incrementa utrinq; & decremēta, & humidius lumen eſt, ideo fœminis conuenit. Ita ſextuſdecimus quoq; maribus magis quàm fœminis congruit, quòd eſt eius tepidius tunc, & minus humidum lumen: unde nec habilis plantationi, quòd germina non euocet. Nec idem nuptias amat, ut in quo ſol à luna procul abeſt, ut ob id Athenienſes lunæ ſilentio Theogamia celebrarēt, quaſi naturales hæ ſint nuptię, cū ſol ac luna coeant. Decimoſeptimo cędi arbores tempeſtiuum, quòd decreſcere luna incipit, & humor qui cariem faciat, imminuitur. Comportari quoq; iubentur in aream fruges: quoniā uenti poſt plenilunium ſurgant, quibus à grano palea ipſa, & gluma diſcernantur. Vndeuigeſimi pomeridianum tempus duntaxat in tranſcurſu laudatur, quòd tunc Athenienſium more ciuitas luſtrabatur. Vigeſimus ideo magnus opinor uocatus, ꝙ è tribus portionibus ipſe duas occupauerit. In quo gigni prudentes ait, & gnaros; fortaſſe quoniā ſatis ille doctus haberi poteſt (ut ſunt humana) cui plura ſint perſpecta, q̃ ignorata. Vigeſimuſquartus mane q̃ ueſperi laudatur, fortaſſe quoniā ueſperi iam uigeſimæ quintæ coniungitur: ut enim quartas omnes laudat Heſiodus, ita quintas uituperat. In quibus errare furias, & uindicare periuria teſtatur. Hunc enim Pythagorei numerum iuſtitiæ tribuebant. Vetat autem uigeſimoquarto die conficere animum curis. Non quòd idem cæteris quoq; diebus facere non ſit utile, ſed quòd ſacris potiſſimùm diebus retinenda ſit animi tranquillitas. Trigeſimus quoq; laudatur, in quo ſit lunæ coitus, qui ueritatis imago creditur, ut cuius propria ſit unitas, ſicuti mendacij multiplicitas. Præcipit igitur, ut opera inſpiciamus, & cibaria familiæ diuidamus, hoc eſt (ut arbitror) quod Latinè demenſum uocabatur. Tunc enim ceſſatur ab opere: quod & formicam facere dicunt. Eſt uerò uulgatum præceptum, quæ ſunt uſui faciendo operi, præparanda eſſe cùm uacamus. Sed proceſſit epiſtola longius, & uides quàm multa comprehenderim, quàm paucis, quæ mihi tamen ipſi uix interdum probantur. Quamobrem te rogo, dicas ad hæc aliquid abſtruſum, remotū, & (ut Horatij uerbis utar) inſigne, recens, adhuc indictum ore alio, quod potes uel in epiſtolam (quod commodo tuo fiat) colligere, uel ſi hoc ratio ſtudiorum tuorum non patitur, in aliquā noſtram (ſicut ſoles) longiuſculam deambulationem conſerre. Mitto etiam ad te Gręcum hoc epigramma, quod effutiui nuper, aſtrologis iſtis tuis iratus, qui cum profeſſiōe ipſorum rixantem, diutius etiam quàm uelim, ruri te remorant. Vale.

ANGELVS POLITIANVS BARPTOLEMAEO SCALAE SVO S. D.

EGi tecum liberius (ita enim ſoleo) qui quoniam tu culicē muliebri genere, quod cōtrà uirili decuit, uſurpaueras in epigrammate, luſerim ſic extempore Culicis uerbis:

Non ſum fœmina Scala nec Latinis,
Nec Græcis, ideo placet puella.

Quos tu meos uerſiculos alijs eiuſdem generis remuneratus es, bellis mehercules, & facetis, ſed in ſyllaba tamen una & altera negligētibus, ut in quibus hoc ſit: Congreſſum petis ſic meæ puellæ. Rurſusq;. Sed tu ni caueris, ſcio iacebis. Poſſis tamen in priore, ſicuti ueteres illi ſolebant, cum fluerent adhuc lutulentiores, elideres literam: quod hendecaſyllabis tamen puto non licet, ſicuti nec hexametris iam liquidioribus: niſi tu Grammaticis credis, parum doctè putantibus ita legendum eſſe apud Maronem: Inter ſe coijſſe uiros & decernere ferro. Sed & illa

uidentur

uidentur ἄκυρα, citare ſomnũ, bonam cutem ferire: ſicut ὑποσόλοικον, Paſce meas carnes, pro illo, ueſcere meis potius carnibus. Cæterùm, quoniã tu uerſiculos ais iſtos ad imitationem te feciſſe Græci cuiuſdam epigrammatis, libuit etiam mihi nunc epigrammate græco tueri cauſam Culicum. Quod an quibuſdam placiturum ſit, neſcio: imò planè ſcio non placiturum, quia non tranſmarinum, quamuis ipſi quoque iampridem (ſicuti uides) tranſmarini homines muſſent. Vale.

Τὰς κώνωπας ἐρᾶν μᾶλλον πρέπει, ἤπερ ἄνδρας
 φύντας τῶν γονίμων ὡς κύπρις ἐξ ὑδάτων.
καὶ μιμουμένους ἀβροπότητον ἔρωτα
 εἰρεσίῃ πτερύγων, ἰούς τ᾽ ἔμμεν αἱμοπότας,
τὸν κῶμον τ᾽ ᾄδοντας ἐγρεσιγμύκια, πλανήτην,
 αἰνῶς ἀναπαστῶν ἱεμένους ὀάρων,
ἐς λέχος ἐμπίπτοντας, ἐς αὐτοὺς πολλάκι μαζοὺς
 κἀμφαφόοντας ὅλους ἄψεα θηλυτέρας,
ψαύοντας χειλῶν τε καὶ ἐκμυζῶντας ὀπωπῆς
 μαρμαρυγάς, γλώσσης τ᾽ ἤρεμα γευομένους
ἀγρύπνους, ἰταμούς, σκοτοθηρικέας, ἆρα τίς ἀνδρῶν
 ὅσσα τε κώνωπες δάγματ᾽ ἔρωτος ἔχει.

BARPTOLEMAEVS SCALA ANGELO POLITIANO SVO S. D.

AGo iam errori illi meo, quo fœminino appellaui culicem genere, gratiam: & quod cauſam dedit tibi elegantiſſimo diſticho illo hendecaſyllabo admonendi mei, & mihi utcunque reſpondendi. Fateor, uix putaui ut quicquam ſuccederet adeò inexercitato, adeò id carminis genus ignaro: ſed ridicula ego non minus forſan ipſe ridiculus ſum perſecutus. Vale.

BARPTOLEMAEVS SCALA ANGELO POLITIANO S. D.

NImis emunctæ es naris Politiane. Non ſcribuntur (mihi crede) noſtratia hæc tibi, qui ad antiquitatem planè acceſſeris propius. Nos quoque popularibus iſta, & qui noſtra hac mediocritate elimandi quæ ſcribimus, contenti ſunt. Quid enim iſtis tuis eruditiſſimis auribus conuenire poteſt? Quid iudicium implere tuum quæſo? Te tamen uide, ne quãdo uel iniuria acrior eſſe accuſator ſcriptorum alienorum uideare, conſuetudine docendi credo, qua Florentinam iuuentutem tot iam inſtruis annos, reddisque pro uirib. meliorem. In hendecaſyllabis in tuum culicem meis, nondum à me editis, quędã carpis feſtinantius, mea ſententia, quàm grauem uirum deceat. Non quòd refugiam, faſtidiamque limam tuam, qua nihil accidere talibus in rebus quicquam poteſt optatius: ſed neſcio quomodo pręcox illa (ut ita dixerim) uileſcere ſic uidetur ſeueritas. Mitto uerò alia, quæ legeris poſtea forſan emendatiora. Illud rigidius à te caſtigatum eſt, quàm è re fuerit. Solet amor mutuus, etiam quę minus firma poſita ſint, ut quandoque accidit, excuſare & munire. Tu contrà, quod rectum eſt (ut mihi quidem uidetur) intorques. Citare certè mouere eſt, uerbum (ut puto) à cio per frequentiam ſignificandi factum, unde concito eſt, & incito, & oſcito, & excito, et alia huiuſcemodi, in quibus eſt omnibus cõmouendi uis, qua nihil ſomno eſt magis contrarium: ſiquidem otio is ali ſolet, & quiete, quæ & ipſa ſomnus eſt, autore Vergilio, apud quem Venus placidam per membra quietem irrigat. Nõ ſatis uideo, cur citare ſomnum, non ſit cõmouere, & turbare. Adde quòd quantũ

ego nouerim, nemo de ſomno inducendo ſic ut tu interpres eſſe uis, nunc loquitur. Veruntamen ſi diſplicet, uelim mutes, fugare ſit pro citare. Fit aliquando difficilis mutatio, ſi quid dempſeris: ut quod quadret reperias, hic nihil negotij fuit. Non placet, paſco meas carnes, nec tam bonam cutem ferire. Non miror, delicatior guſtus eſt tuus, uix appoſueris quod ſapiat. Etiam acipenſer fatuus erit, ſi inciderit in tuũ palatũ. Sed paro hæc minus doctis, nõ Perſio, quẽ & C. Lucilius nõ curat ſua legere apud M. Tullium. Volo ego quoq; L. Decimũ, qui hæc omnino non cõtemnat. ut rideam, ſic cum amicis in iſtis æſtatis feruoribus, cum otiũ eſt, non quod poſteritas cuſtodiat & miretur, cudo, aut quod ditet informatores hos librorum, quorum tam cupidè quidam implorant operam. Græcum epigramma quod ad me miſiſti, tanta inopia linguæ eſt Grçcæ, uix uerbis interpreror, nedum elegantiam perſpicere poſſim carminis, ſed puto tuum eſt. Vale. Venit neſcio quid in mentem de græco epigrammate, poſtquam hçc ſcripſeram: uereor ne Venerem læſeris, & eius filium ἀφροπότηνον, ut tu appellas: an ex aqua ortus culex, ut è mari Venus? Niſi Thaletem indicas, uix perſuaſeris: hyemis tempeſtatib. potius, aut ueris aquoſis magis natura ortum oportuit: feruẽtioribus magis æſtibus naſcitur, ſæuitq;. An tu Amorem deum ita terrificum numen, atq; hominum culici confers? Vide ne tibi quoq; Palinodia opus ſit, ne cæcus cantites. Quid age culici eſt rei cum mulieribus, id eſt, cum hominibus? Amoris is ludus eſt, non fœdiſſimi inſectuli, natiq; in ſterquilinijs. Naturam melius imitantur figmenta poetarum. Nam ſi ita libera fiant carmina, quid iam non carmen erit? Piſcis mihi uidetur Veneri magis ſimilis, ſi originis captes ſimilitudinem. Si uolatus, Aquila: ſanguinis uerò ſugendi Hirudinis palma eſt. Nam & Veſpertiliones quoq;, & Noctuæ, & id genus uolantes in tenebris aues, uidẽt per noctis umbras, arbitror & quidem culicibus minus obſcuriter: magis forſan appoſitè cæcum induxeris, ſi Cupidini comparandum putas. Nam quòd ais eum mulierũ excitatorem, aduertas & hic licet, ne Comum tu alterum numen offendas, cuius officiũ id eſſe Græci putant. Neq; culice Cupido indiget adiutore, fratres habet ſedulos eius officij miniſtros. Homini tu quoq; ipſi tandem in amando præfers culicem. Ridiculum eſt, dabunt ueniam. Sed tu uideris melius. Ego ſic indoctè, ſicq; amicè garrio. Iterum uale.

ANGELVS POLITIANVS BARPTOLEMAEO SCALAE SVO S. D.

OFfendit (ut uideo) te nimis, quòd in tuis uerſiculis de culice quædã parum probauerim, quo etiam nomine me nimis acrem uocas accuſatorem ſcriptorum alienorum: nec grauem ſatis uirum putas, quod feſtinantius carpſerim, quæ nec dum fuerant edita. Tu negas iſta tua ſcribi mihi, nimis uidelicet emunctæ naris, & cui ſit fatuus uel acipenſer. Vteris idem uulgata & publica iudicum reiectione, quæ ſit apud Luciliium: ſed & tentas quçdam tueri contra meam ſententiam, cùm de cæteris taceas: arcesq; deniq; à tuis etiam ſcriptis ipſam poſteritatem, nec uel eis omnino parcis, quicunq; ſuas uigilias formis iſtis nouitijs excudunt. Poſt hæc tandem ludis in epigramma noſtrũ, quod ad te græcè ſcripſimus. Pudet igitur (ut uerum fatear) me reſcribere ad hçc tam leuia. Sed ut tibi ſatisfaciam, reſpondebo tamen. Offendi Scala te non oportuit amici magis officio, quàm, ut tu parum benignè interpretatus es, accuſatiõe: ſcilicet qui ſecum non ita dixerit (ut eſt apud Horatium) Cur ego amicum offendam in nugis? quoniam uidelicet ſequitur: Hæ nugæ ſeria ducunt. Nam quòd ita ſuperſcripſiſti literis tuis, Angelo Politiano monitori meo, et patrono: quanq;

ſubeſſe

ſubeſſe ſtomachus, & ironia quædã uideri poteſt inſueto titulo, tamen ego libenter homo ſimplex agnoſco: propterea quòd & monui te ſedulò, & cõtra malè ſenſuros exhibui patrocinium. Quòd uerò edita negas, quæ iam publicaſti, quodq; ab ijs meretricis, quæ ſcripta mihi tua manu miſiſti, mox etiam epiſtola dicaſti, nõ queo ſatis mirari. Sed nec feſtinantius carpſi, qui penè ſerò te ut emẽdares admonui, quæ iam periculoſè uulgaueras. Iam quòd in me grauitatem deſideras, nõ eſt moleſtum, uidelicet homo grauior etiam quàm uelles: ut cui ſit res (ètenim liberius iocabor) diu iam cum podagra. Sed & grauitatem prorſus aſpernatur culex iſte tuus, qui nobis materiam ſcribendi præbuit. Nec inſipidus mihi tamen fuit acipenſer (ut ais) imò rana, & gobio: quos te mihi non acipenſerem poſuiſſe, uel illud indicat, quòd & tu quædam ex ijs ipſis etiam conuiuator expuiſti. De illo autem Citare fruſtra laboras, quoniam ne ſi mouere quidem ſomnum pro illo fugare dixeris, probabitur: ſicuti nec autores ipſi fugantur, qui quidem citantur. Nec rurſus qui fugatur exercitus, is ideo citatur. Vt autem bona crura, bonam formã puellæ dixerim: ſic bonam cutem facilè non dixerim, ſed nitidam potius, tenerã, beneq; curatam, quanquam hæc duntaxat impropria. Minus illud ferendũ, paſce meas carnes, quod tamen ſine autoribus defendis. Ego certè ne triuialibus quidem literatoribus, ut ita loquanẽ, permiſerim: ſicuti nec ut hendecaſyllabos duodecim, tredecimq; ſyllabarum faciant, quales in tuis nõnullos reperies. Certè ſtridaculum tibi, & clangacem, quæ nunquam lecta ſunt apud idoneos, ideo concedimus, quoniam Perſio te non ſcribere teſtaris, & poſteritatis negotium non curare. Sed heus tu, quæ tandem inuidia eſt, ideo quoniam tuas ipſe prædamnaueris, nos uigilijs noſtris fidere nonnihil, ac dare formis propagandas, quæ ſic flagitentur, celebrentur, laudentur à doctis, eędemq; rurſus (quod fortaſſe non minus optandum) ab indoctis uituperentur? Non enim (quod tu putas) operam nos librariorum, ſed illi noſtram potius implorant, dum ſuum compendium ſectantur. Venio nunc ad epigramma, cuius elegantiã perſpicere te negas (ut homo es modeſtus) ob inopiam Græcæ linguæ: ſed putare tamen ais eſſe meum, quod in utrã partem mihi ſit accipiendum, non uideo. Nec enim adhuc ſcio de noſtro ingenio quid omnino ſentias. Cauillaris tamen, & quaſi totum mox uellicas argumentũ, uererisq; ne Venerem lęſerim, ne Cupidinem, quòd cum ijs culicem contulerim. Læſerit ergo Troianos pariter Vergilius, quòd formicis: læſerit & Græcos Homerus, quòd eos muſcis comparauerit. Nec uerò putas ex humore natum culicem, quem Vergilius idem uocat humoris alumnum: cuiuſq; gratia conopeum illud Aegyptijs militibus, utpote paludoſis exprobratur: nec rurſum quòd ęſtate magis compareant, ideo nõ ex aqua naſcuntur, niſi ſi ſtagna tam penitus ebibi credas. Illa certè nimis friuola, ſed & nihil ad rem, quę tu de piſcibus, aquila, noctuis, hirudine congeris. Non enim ideo non ex aqua culex, quia ſit & piſcis ex aqua: nec ideo non uolat ille, quia uolet altius aquila. Nec ἀφροιπότητος aquila, ſed araneus uocatur ab Heſiodo. Nec itẽ abeſt à ſuctu ſanguinis culex, quòd hoc ſit magis hirudinis. Nam certè hirudini comparat amorem Theocritus, nec amorẽ creditur offendere. Deniq; eodem pertinent, quæ tu de noctua, quæ de Como ſubiciſti. Nos autem non piſcem, non aquilam, non hirudinem, non etiam ueſpertiliones, & noctuas, non illum poſtremò comeſſationis deum, ſed omnino ipſum tuum culicem tractabamus. Nec item ſi paſtor quidem apud eundem Theocritũ, cæcum dixit eſſe amorem, propterea nos eum quoq; uelut exoculabimus, cuius etiam ſunt (ut ait Moſchus) ὄμματα δριμύλα καὶ φλογόεντα. Iam ne illud quidẽ abſurdum eſt, ut homini culicem præferamus, quando hoc ſemel argumentũ ſuſce-

peramus in amoribus:utpote qui columbis quoq́ cedant,lepuſculis,gallinaceis, cuniculis,paſſerculis.Nec ſi ſit argumentum poetæ,contrà quàm natura ferat ſuſceptum,ideo minus artis habebunt,quæ ſuſcepto ſemel argumento reſpondeāt, quod & culex Vergilianus,& ipſa Homeri Batrachomyomachia declarant. Ac de ijs hactenus.Non enim ſatis mihi digna uidentur,in quibus opera diutius noſtra ponatur,uidelicet ne fiat Elephantus è culice. Tantum illud addidero, nihil me habere obſcurum,nihil fictum,nihil clancularium, nec eorum blandimentis præſentem capi,qui facilè obtrectent abſenti.Placet enim mihi illud Homeri:

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν
ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δὲ εἴπῃ. Vale.

BARPTOLEMAEVS SCALA ANGELO POLITIANO SVO S. D.

VIx adducor ut credam hanc poſtremam, quam ad me miſiſti de culice epiſtolam tuam eſſe.Leuior eſt,moroſior eſt,ſuſpectior eſt, uanior tandem.Aliquis credo ex tuis diſcipulis, dum tu in penetralibus iſtis philoſophiæ uerſaris,& contemnis iſta leuiora,id ſibi muneris reſpondendi mihi deſumpſit. Non ſapit ſalem tuum, multa miſcet, omnia confundit,nihil probat. Aut ego fallor, tuo nomine indigna eſt. Ferunt præ ſe tua neſcio quid tuum,id eſt,expolitum,candidum,luculentum,elegans. Quid multa? Tuum. Tu quoq́ ſi incideris in hendecaſyllabos, una plus, alterá ue ſyllaba, meos eſſe ſcies, ut ego quoq́ habeam meum aliquid. Vale.

ANGELVS POLITIANVS BARPTOLEMAEO SCALAE SVO S. D.

SI tibi reddita eſt illa ipſa epiſtola, quam dedi, nō eſt quod dubites, quin mea ſit. Quæ ſi te tamē nimis læſit,in cauſa tuæ ſunt aures,quas habes profectò nimis teneras.Soletis enim quidā blandiri ſemper inter uos, & quod dicitur,mutuum ſcabere: nos è diuerſo ſicuti uerum libenter audimus, ita facilè dicimus. Sed & clamas, penè dixerim rabioſius in epiſtolam meam,quo tamen ego non modò non offendor, ſed & propemodum delector, ut qui uideam tui iudicij rem non eſſe. Nam de epigrammate ſi quæris quid ſentiam, ſimilimū cæteris tuis eſt,omnino (q̄d dici uulgò ſolet) eiuſdē farinæ. Vale.

BARPTOLEMAEVS SCALA ANGELO POLITIANO SVO S. D.

HEſterno die ueſperi redditę fuerūt mihi literę ex Fęſulano tuo:& quòd erat aliquid mihi cum podagra negotij,quæ dextram manum pro arbitrio(ut ſæpe ſolet)cruciabat,nec tum quidem amanuenſis alicuius copia erat,differebam in aliquod felicius tempus reſponſum. Iam cœnaueram, & captabam ſomnos attentus: prius uerò quàm cum ſomno uenirem in gratiam,uoluebam (ut fit cum aliquid curæ impendet)cum animo,ſic reſpōdendo,ſic agam,hoc ſic diluam.Illud rectum eſt,& ſapit barbatum magiſtrum. Sed nihil lædere Politianum poteſt.Num amicus eſt? num bonus uir? num etiam apprimè eruditus? Num ex Mediceo tandē cōmuni gremio, etſi meritis ualde diſparibus,fortuna tamen pari, ſi illa deſæuierit? quod dij prius omen in hoſtes conuertant.Nō ſunt monitis tuis teneræ meæ aures,auidas dixeris potius uelim.Nec me precor ex quorundam metiare exemplo, qui uel tantillo dicteriolo commouentur. Error meus fuit, ſi fuit illa epiſtola tua. Id enim ſatis iam ſuperq́ eſt, ſi tua eſt.Neſciui rectum uidere: quidam ex amicis, qui etiam ante me lectitarant (nam tu non ſignatas mittis epiſtolas) tuam eſſe enixè aſſeuerabant. Hoc ſic agebam.

Nam

Nam quòd uerum & audire & dicere libenter ſolere uos ſcribis, ô fauſtam & felicem ſortem. Perrarum eſt: at præclarum: neq; qui id audiat, aut ipſe dicat, facilè inuenire eſt, hoc quidem tempore: nam ueritas odium parit, comico prouerbio: & hoc ſic. Nam de epigrammatibus meis ut feras tu tuum iudicium, opus nõ eſt, neq; ea de cauſa ad te ſcripſi. Satis ipſe quàm curta ſint illa quidem didici, & quidã familiares monuerũt: ſi ſim in meis iudex iniquior. Volui ludere tecũ amicè, ut mos eſt meus, ſimul ut tu lætior tuis fieres, qui tanto te ſuperiorẽ facilè cognoſceres. Illud mirabar, cum ridicula penè omnia ſint in meis ſcriptis, te tamen nihil ridere, neq; tu ἀγέλαστος es, quod Græci uocant: qualis Craſſus apud Romanos fuiſſe fertur, & apud nos una familia, qui inde cognominantur, quòd non rident. Sed arbitror, uos ueri auditores minus ridetis, nugarum magis comes riſus eſt. Sic agebam & iſta, & oblangueſcere cœpit agitatio, ſopore circumeunte. Itaq; ea omiſſa, dormiendo indulgebam & aucupandis & ineſcandis ſomnis, quos mihi difficiliores & morbus cum ille plus ſæuit, efficere ſolet. Et ecce nocte ferè intempeſta cum obdormiſſem tandem, multa prius cum moroſiſſimo deo colluctatus, uenit ad me Merula: Et quid Scala, inquit, inſanis? Tu cum Politiano certamen inis literarium? Letale eſt. Atq; illinc ego ad te umbra uenio. Miſit me uerò Laurentius Medices ex alto cœlo, ut te ſic admonerem, tibi ſubtimens. Cum hæc dixiſſet, cum umbra pariter ſomnus diſceſſit. Mi Politiane uale. Non inſaniã profectò gratis, audacior tu quidem es, pugnacior es, ſternacior es: miles q́;, & dux, neque ego reſiſto. Vale, & me ſerua amicum, & cultorem tui.

ANGELVS POLITIANVS BARPTOLEMAEO SCALAE SVO S. D.

Literas accepi tuas multo blãdiſſimas, in quibus receptui canis, ac multa repetens reconciliare te mihi ſtudes, quo nihil accidere mihi quidẽ potuit optatius. Nam quis non tecum malit officijs, humanitate, gratia, quàm iniurijs, altercationibus, odioq́; contendere? Nec ego profectò tam fuiſſem tuis reſpõdendo literis inciuilis, niſi te uiderim nimis agi iam præcipitem, non dico aduerſus nos (nam de nobis facilè eſt) ſed omnino aduerſus eruditos omneis. Itaq; putaui beneficium tibi me facturum, ſi te tibi ipſi tanquam in ſpeculo oſtenderem, perſuaſionemq́; iſtam ſciẽtiæ falſiſſimam de pulmone reuellerem: quæ facit, ut ſuper ætatis noſtræ doctos homines etiã ueteres illos contemnas: quos tamen extra aleam tot ſeculorum conſenſus diu poſuerit. Nõ enim credo reputaſti fortuna dulci nimis ebrius, tantundẽ te deſcẽdiſſe in literis, quantum aſcenderis in honoribus: ut compenſatione quadam paria tecum literati fecerint. Quod ad nos attinet, nec aſpernamur amicitiam tuam, nec inimicitias deprecamur. Tantum illud breuiter teſtamur, ut tu fortunam, ſic nos te Scala feremus. Vale.

BARPTOLEMAEVS SCALA ANGELO POLITIANO SVO S.

Modeſtius, ut mihi uidetur, feciſti tandem, qui obſignatas ad me miſiſti literas. Puto enim inter alias quoque cauſas antiquæ huius conſuetudinis ſignandarum literarum modeſtiam quoq; ipſam non in poſtremis locũ ſibi uindicaſſe. Conſtituerã uerò modũ facere ſcribẽdi ad te, quia iratior ſemper in reſpondendo fueris. Sed uel Merulam interea potius q̃ ita modò uel amicitiæ uel antiquitatis cauſam indefenſam ſiuerim. Mouit me uidelicet impudẽs, da ueniã, neſcio q̃ appellẽ pacto, iſta diſputãdi cõſuetudo. Fingitis, refingitis, machinamini, demolimini, aſſeritis, diluitis ꝓ arbitrio. Quis quietus ſit

quis non animo cõmoueatur? Appellant te quidem Herculem, neq; te inuito, quod audio, utputa qui tibi temporis huius monſtra, præſertim quantum ad literas pertinet, ſuperanda ſuſceperis. O ego tardi ingenij, qui quid id rei ſit neſciuerim hactenus perſpicere. Nunc ſenſi, & uideo. Es tu quidem Hercules, uel multo etiam meliore conditiõe, quàm ille Iouis filius Alcides, quem imperij neceſſitas trahebat in periculum. Ille iuſſa adibat monſtra, tu tibi ea confingis, inſtruisq;, ut ſuperari à te queant. His demis arma, hæc eneruas uiribus prius, quàm aggrediare, etiam quæ nulla ſunt: & quæ tu pro ingenio effinxeris, euicta à te trahis in popularem gloriam. Si placet, uolo & ego indere tibi aliquod cognomẽtum. Volo ut ſis mihi Hercules factitius, nomen certè factum ex re, habiturum apud te ꝗꝗ autoritatem. Habeat ille ſua nomina, habeat ſacra, habeat cœlũ: nos hic fortuna noſtra gloriemur. Quæſo te bone uir, quid tibi cũ amicitia, quid cum inimicitia, cum ridicularia, ita ut nos fecimus, ſcribuntur ab amicis? An ita leuis eſt apud te amicitia, ut uel leuiſſima etiam quaq; de aura fluctuet? Cõſtantior illa multo eſt, ac firmior: multo uirtus elegantior, quàm quæ hos amicorum ludos pertimeſcat. Arbitror non tenere te penitus amicitiæ uim, quam quidem in animo cõſtituiſſe ſedes oportuit, & ieciſſe grauiſſimas ancoras, ut contra tempeſtatũ omnium uim illæſa, & quieta maneat. Quæ quidem ab amoris conſuetudine nomen habet, ut quædã plebeię magis amicitię, & in horas mutabiles, ab hamo eſſe appellatas duxerim: ut ſunt illæ, quæ ob formam, quæ ob auaritiã, quæ ob ambitionẽ, cæteraq; peruerſa animi deſideria conciliantur. His cauendum eſt ne uacillent. Illa ſtabiliora ſunt: atq; ut rem facilius intelligas, uelim induas patris alicuius perſonam, qui unicum habeat filium, atq; eum quidem haudquaquam ſatis morigerum. Nunquid ex omni erratulo abijciet? An uincet potius paternus amor: & quoad ſpes aliqua effulxerit mutandorum morum, tolerabit? Naturam melius & reliquæ amicitiæ imitantur. Peruicacior eſt (ut ita dicam) uera amicitia, uix cùm uapulauerit, diſceſſerit. Parum multa ſcio eſſe hæc ad amicitię conditionem: ſed ipſa ſe melius tuebitur, quæ teſtis mihi eſt, de ea cuntanda tecum, aut minuenda, ne cogitationem quidem ullam in animum incidiſſe. Sed quid tu mihi antiquitatem narras? an ego non ſum ſemper eã admiratus? Profer ſcripta mea, profer dicta. Nõ legiſti (ut uideo) Apologũ meũ de antiquitate, qui facilè arguat hac in parte tuam de me antiquitatis opinionem. Noſtrorum piget temporum, pudetq;. Hoc ego ſcripſi, hoc aſſerui, hoc potes pro meo lacerare, ſi ita ferat impetus. Volunt tamẽ laudari quidam, & collocari inter diuina monumenta antiquitatis: non poſſum. Date quæſo ueniam. An ego ſum tanti, ut iſtam beatiſſimam fortunã ueſtram uiolem? Neq; ego auidior gloriæ ſum, gratius fecerit qui me prætererit, ut ego prę-teritum eſſe à uobis diu putaueram. Quid tu mihi fortunam, quid tu honores uitæ obijcis? Sed teneo in fortuna quid agas. Confingis tibi tuo more monſtrum, quem deuincas. Cũ honore meo difficilior tibi colluctatio erit. Veni nudus omnium rerũ bonarũ, egenus ad remp. uiliſſimis ortus parentibus, multa eũ fide, nullis omninò diuitijs, aut titulis, nullis clientelis, nullis cognationibus. Coſmus tamen pater patriæ noſtræ me complexus eſt, recepitq; in familiæ obſequia. Interea Florẽtinus populus ad prioratũ me euexit, deinde ad uexilliferatũ: tandẽq; & in ſenatoriũ me ordinẽ equeſtremq; collocauit, tanto profectò ſuffragiorũ cõſenſu, ut nihil eſſe factum unquã popularius, multi putarent. Extat & illa de me Laurentij Medicis præclariſſima uox, qua nuſquam collocatum melius fuiſſe honorem homini nouo teſtificatus eſt. Cũ illo nunc tibi de honore meo agenti, cũ Florentino omni populo res habẽda eſt. Hoc ego affirmauerim, me multũ fuiſſe cõſecutũ

plura

plura quàm aut putauerim, aut optauerim. Neq; habui quod referrē, niſi fidei integritatem. Ea in me (uolo eſſe uanus) ſemper fuit quàm excellentiſſima. Atque hoc quoq; aſſeruerim in calce epiſtolæ, nullum me honorē ſine honore geſſiſſe. Reſpublica ipſa, resq; à me geſtæ in magiſtratibus, citentur teſtes uelim. Sed nondum claudere poſſum epiſtolam. Irritant tua monſtra. Nam illud quod ſcribis, ut reuellerem de pulmone ſcientiam, ex illo genere eſt, Herculis indiget uiribus. Scribis in quib. receptui canis, ac multa repetens recōciliare te mihi ſtudes. Sunt & hæc ex eodem genere monſtrorum, quæ tu ad uanitatem alis. Quando ego nō fui tibi conciliatus? quæ argumenta contra habes? non tuli te tam diu ita inſanientem, ita inſultantem, ſæuientemq; penè in mortuum? Relege epiſtolas ad te meas, uidebis uanam eſſe omnem reconciliationis mentionem. Sed ut uideo, de amicitia, ut ſuprà dixi, non rectè ſentis. Apud me inuiolata eſt, atq; maior multo ijs quæ ita inferri poſſunt iniurijs. Receptui canis, inquis. ô præclarum duellum. De culice concertauimus. Canant ſigna, effundat ſe ad ſpectandū uniuerſus orbis. Taceant deinceps Philenorum aræ. Dent uiam Curiatiorum, Oratiorumq; ſepulchra. Culex maior eſt, quem tu ex aqua ortum inter monſtra tua confingis. At Græcus excellentiſſimus poeta telluris animal appellat γαίης ἐνάδαλα δίπτερυγα. Putauiſti facturum te mihi beneficium, ſi tanquā in ſpeculo me mihi oſtenderes. Laruam tu mihi meam oſtendiſti, qua adeò ipſe contremiſco, ſi quando in eam incido neceſſarius, ut nihil magis ego iam de induſtria refugiam. Rectius feceris, ſi tu te aſpexeris, quem iſta ætatis deformitas non tangit. Multò id tibi erit utilius, ſi ille contutus falſum de pulmone reuellit. Expurgaui iam mi Politianè, uirus q̄d tuæ literæ excitarunt. Redij ad me, quietus animus eſt meus, & de amicitia quod eam aliam facere poſſet, ne cogitatū quidē. Velim autem ut ad beneficium conuertas animum. Da mihi hanc ueniam, ut hanc epiſtolam meam illi tuæ cui reſpondetur, apponi cures. Nolo enim defraudare te tua gloria. Tu ſi durior fueris, quæcunq; te cauſa mouerit, mutaueris conſilium meum. Adibo informatores hos librorum, & curabo ipſe, ut & mea impreſſa legatur: quod non feci hactenus, nec putaui eſſe me facturum. Vale.

ANGELVS POLITIANVS BARPTOLEMAEO SCALAE SVO S. D.

ACcepi literas tuas, neſcio magis'ne uirulētas, an ineptas, omnino tamē ridiculas, itaq; me magnopere delectarunt. Quibus tamen adhuc non reſpondebo, quia nondum conſtitui (quando ego tibi Hercules ſum factitius) quomodo tu mihi ſis tractandus, monſtrū ſurfuraceum. Cogito etiam pauliſper mecum, uocandus'ne tu ſolus ad partes, an cum tuis omnibus. Quicquid decreuero, ſtatim ſcies. Vale ut meritus.

ANGELVS POLITIANVS BARPTOLEMAEO SCALAE S. D.

HErculem factitiū me uocas in epiſtola tua, propterea quòd (ut inquis) monſtra mihimet fingam, quæ ſuperem. Tum negas iniuriam te mihi unquam feciſſe, negas antiquitati derogaſſe, pigere tamen, ac pudere tuorū temporū præfers: multa quoq; de tuis honoribus falſò iactas, falſius nōnulla de noſtris meritis. Poſtremò quaſi iubes ut exprimi formis, & interſeri epiſtolis epiſtolā tuam curem. Quare tibi ad ſingula reſcribam, ſed breuiter, ne nimiū temporis in nugis tuis ponam. Vocari me igitur Herculem, Scala, non epiſtolis modò, ſed & libris editis Marſilij Ficini tanti philoſophi, profectò (ut uerum fatear) non moleſtè fero. Nam ſi cognomen hoc mihi (quod equidem nō puto) cōgruit, illius iudicio: ſi minus, illius amore delector. Auget aūt uoluptatē,

quòd

quòd tu nec hoc iam ferre,nec diſſimulare potes. Factitiũ uerò cur appelles Herculem nõ intellego.Nam nec tale ſignificas,quale natiuo repugnat,nec itẽ quale fit à ſono uocis,ut ſunt murmur,& ſibilus. Itaqꝫ tutè uideris, quid hic aut ſenſeris; aut expreſſeris. At ego monſtrũ uocaui te furfuraceum.Monſtrum quidẽ,quòd ex colluuione monſtrorum compoſitus es. Furfuraceum uerò, quòd in piſtrini ſordibus natus,& quidem piſtrino digniſſimus.Audes autem negare, factã mihi abs te iniuriam,quam neqꝫ clàm tuleris,neqꝫ diſſimulaueris,ut qui dux & ſignifer uſquequaqꝫ cõtra me fueris.Poſſum tibi(ſi ſit opus)impingere atqꝫ inculcare longam illam,quam ſcis amici quondam tui,nunc uerò mei epiſtolam,quæ frõtis integumentum detrahet,neqꝫ tergiuerſari te diutius patietur.Eam tamen adhuc nõ oſtendo,ne ſimul domeſticæ(quod nollem)tuæ maculæ proferantur. Non enim tam quid te,ꝗ quid me dignũ ſit,reſpicere debeo. Sed & antiquitati fauere te dicis,in quam penè ſolenniter ſic ubiqꝫ declamitas,ut ſit hæc iam notiſſima fabula, nihil Ariſtotelem ſcire,nihil Ciceronem ſapere iudicio Scalæ. Nam ſeculum tibi tuum diſplicere non miror,cum tu uiciſſim quoqꝫ tuo ſeculo diſpliceas.Diſplices aũt meritiſſimò,quoniam nihil ei fermè deerat ad ſummam laudem, ſi te uel non tuliſſet,uel certè non extuliſſet. Etenim tibi maximũ ſemper ſtudiũ fuit extirpandi radicitus bonas artes(ut utar Liuiano uerbo) ſuboleſcentes,ſic ut nec ei quidẽ uiro peperceris, qui uel ſolus illuſtrare quodlibet ſeculũ poſſet: nec inſtauratori Platonicæ familiæ,cuius famam publicè per te,perqꝫ tuos ire oppugnatum nõ dubitaſti.Quorum quamuis hoc loco neuter nominetur, uterqꝫ tamen ſuo ſibi titulo agnoſcitur.Reliquos taceo doctos uiros,qui me cùm maximè nunc celebrãt, affectantur,adorant, quòd unus extiterim, qui fumos inaneis tuos contemnam, qui publicam ſeculi cauſam ſuſtineam, qui nimiam iſtam inſolentiam retundam. Nam de honoribus quidem nihil eſt quod tibi nimiũ placeas: uetus enim ludus hic,ut indigni tollantur in altum,uidelicet ut hoc quoqꝫ ſe poſſe fortuna declaret, cuius tu ſolius opus es,quæqꝫ iam tamẽ (ſicuti credo) lõgè alio uultu te reſpiciet, exactura ſortem cum fœnore ac puluiſculo. De Coſma quæ iactas, deqꝫ Laurentio Medice,falſa omnia.Certè Laurentius(hunc enim familiariter colui)quoties de te mecum loquebatur,ſatis indicabat,alienum ſe iudicium fouere, non ſuum. Scis aũt tu quoqꝫ literas illum ſæpe tuas publicè ſcriptas reieciſſe,nobiſqꝫ de diſſe formandas,quę prima odij,liuoriſqꝫ in me tui cauſa extitit.Nec me paſſus Iambicum carmẽ,quod in te ſcripſerã, concerpere: quippe qui diceret eſſe indignũ nimis,ut ita bonũ carmẽ interiret.Illa duo ſunt apud te ueriſſima, ꝙ & de tua fide locuturus,uanũ te eſſe uelle profiteris:es aũt profectò uaniſſimus,id eſt mendaciſſimus. Et omniũ bonarum rerũ egenum ueniſſe te ais ad Rempub. Debueras hoc tamẽ adijcere,rerũ omnium malarũ ueniſſe te diuitem.Stultiſſimũ uerò eſt,quòd excellentiſſimũ poetam uocas neſcio quem iſtũ,qui de culice ſcripſit,& qui mihi fraterculus eſſe tui culicis potius,hoc eſt, ipſe quoqꝫ terræ filius uidetur. Quid ꝙ epiſtolam cupis tuam,quippe bellam,propagari formis opera noſtra? Sed fruſtra mi Scala cupis:non enim tam mihi es odioſus,ut tuam prodere inſulſitatẽ uelim, puerisqꝫ te deridendum propinare,lecturis uel hoc ita ſcriptũ in ea epiſtola,monſtrum quem deuincas: ſic enim tu monſtrum uirili genere nunc dixiſti, quemadmodũ prius muliebri culicem, quæ ne in ludo quidem triuiali dicerẽtur impunè. Mitto enim dehoneſtamẽta illa Romanæ linguæ, uexilliferatũ, prioratum, mille alia prorſus hauſta de uulgi fæce: quæ publicari nolim Florentinorum cauſa, ne tam præclara ciuitas habere Scribam dicatur, qui literas omnino neſciat. I nunc igitur,& nega Politianũ tibi eſſe amiciſſimum. Vale.

ANGELVS

ANGELVS POLITIANVS BARPTOLEMAEO SCALAE SVO S. D.

VTrum pugnantia ſcribam, pòſt uidero. Tu certè reprehẽdis apud nos, ut monſtra, quæ bonorum defendit autoritas. Inelegans enim tibi uidetur illud, reſpondeo ad literas: at elegans Quintiliano, qui dixit: ad propoſita reſpondeat. Monſtrum putas, quod reſpondere me tuis literis nego, cum tamen aliquid ad te ſcribam. Sed Auguſtino monſtrum hoc nõ uidetur: qui cùm ſe reſpondiſſe dixiſſet epiſtolæ cuidã Paulini, ſic adijcit: ſi tamẽ reſpondi, tanquam non reſpondiſſe uideatur, qui paria nõ retulerit. Itaq; monſtrum erit (ut tu uis) cum quis Taceo dicit, non enim tacebit is, qui ſic loquetur. Monſtrum quoq; illud Terẽtij: Quęre qui tibi reſpondeat: negat enim ſe reſpondere, quæ reſpondet. Tectius etiam tibi uidetur furfuracei nomen, quod tamen ego, ſi uis, in tuam graniam retegam. Sed ſi Latinè dictum negaueris, & ego latinè dictũ probauero. Sapere monſtrum uidetur, & illud mecum cogito: ſapiet ergo tibi monſtrum Terentianum quoq; hoc: Cepi egomet mecum inter uias, ita ut fit, ubi quid in animo eſt moleſtiæ, aliam rem ex alia cogitare. Verùm exactiora, inquis, à philoſopho expectantur. At nos à philóſópho didicimus, loquendum eſſe ut multi, ſentiendum ut pauci. Nec tamen pro philoſopho me gero, quãuis Ariſtotelis publicè libros enarrem. Nam quòd perobſcurum dicis illud, uocandus ad partes, non noſtra, ſed Iuuenalis eſt culpa, cuius uerba retulimus. Illud ſtultum, quòd in tuis mundanos omnes accipis: hoc uſus argumento, quòd & tu mundanus es: tanquam ſi quoniam lactuca hortenſis eſt, diceres quæcũq; in horto ſunt, eſſe lactucas. Quis acumen hoc tuum non admiretur? Plus ipſe nimirum uidiſti, quàm Cicero, qui ſic in prima ſtatim ad Lentulum epiſtola ſcribit: Amorẽ tui abſentis præſentes tui cognoſcẽt. Et ad Appium: Velim ita fortuna tuliſſet, ut quanti omneis ego tuos facio, tãti tu meos facere poſſes. Sed & inſulſius multo, quod fieri non poſſe credis, ut quod ego nunc neſciam, ſcire alius à me quãdoq; poſſit. Ergo ſi cras didicero Vergilianos puta uerſus, quos hodie neſcio, docere ipſos perendie non potero? Vides q̃ te demonſtrent iſta non ſolum literas ullas non habere, ſed ne ſenſum quidem cõmunem. Quare teſtor me poſthac ad hæc ita frigida & inania non reſponſurum: non enim reſpondendũ eſt (id quod Ariſtoteles præcipit) ijs qui ſine ratione loquantur. Vale.

Ἄγγελος ὁ πολιτιανὸς ῥαφαήλῳ τῷ βολατεῤῥαίῳ εὖ πράττειν.

Ἐξέπληξάν με, ῥαφαῆλε, τὰ σὰ γράμματα, καὶ νὴ δία, πολὺν χρόνον ἠπίστουν αὐτοῖς, ἀδύνατον ἡγούμενος τὸ, οὕτως δὴ ἀποδεδωκότα σε, ὡς ἄκρον ἐληλακέναι τὸν ἀττικισμόν. πῶς γὰρ ἐχρῆν πιστεύειν ἐμὲ ῥᾳδίως, ὡς αὐτὸς ὑπῆρχες ὁ αὐθέντης οὕτως ἀκριβῶς ἀττικισμένης ἐπιστολῆς, ὃν ἐγὼ καὶ πρώην πάντως ἄπειρον οἶδα καὶ ἀνήκοον τῆς ἑλλάδος ὄντα φωνῆς. ὑπερτεθαύμακα γοῦν, πόθεν ἐξαίφνης ἐκπεπόρισαι δυσπόριστον οὕτω χρῆμα. καὶ πῶς οὕτως ἐν βραχεῖ, διανύσας ἤδη τὸ στάδιον, ὃν οὔπω οὐδ' ἐφ' ὕσπληγγος ἑστήκαμεν. ἄπιστον γὰρ, ὡς λόγος, τὸ παράδοξον. ἐγὼ μὲν σὺν καί τοι πεταλαιπωρημένος τὸν ἅπαντα βίον ταῖς καματηραῖς ἀγρυπνίαις, καὶ ὀλίγου δεῖν, ἐγγεγηρακὼς τοῖς τῶν ἑλληνικῶν βιβλίων ἀναλεγμοῖς, οὔπω τοσοῦτον προκεκοφέναι μοι δοκῶ, ὅσον σὺ νῦν εὐθὺς ἔχεις, οὐδ' ὅλον ἐμαυτὸν ἐσχολακὼς, καὶ ταῦτα κατὰ μόνας, καὶ ἀδιαλείπτως; τίς γοῦν εἰπέ μοι, θεῶν σε, τὴν ἀκροτομωτάτην ἐδακτυλοδείκτησεν ὁδόν; ἢ πῶς οὕτως ἐν ἀκαρεῖ, ἕλλην ἡμῖν κατέστης ἐκ ῥωμαίου; ποῖαι δέ σε μέλιτται, ὅλας τὰς ὑμηττίους ἐνέσταξαν σίμβλους; ἀποδύομαι νὴ τὸν λόγιον, ἀντεπιστέλλειν σοι μεταξὺ

ῥαφαῆλε

ξεφαῦλε, καὶ δοκῶ μοι γέλωτα ὀφλισκάνειν ὁ τέως κεκλημένος διδάσκαλος, καὶ τῶν καθ' ἡμᾶς ἑλλήνων τοῖς δοκιμωτάτοις ἀντιτεταγμένος. οὐ γὰρ μόνον τὴν ἀκρίβειαν ἀπολείπομαι τῆς σῆς ἐπιστολῆς, ἀλλὰ δὴ καὶ ὅτι πολλῷ ῥᾷον ἢ τὸν πύθωνα, καὶ κεχηνότα κατεφρόνει, ἀλλ' οὐδὲν καὶ τῆς χειρὸς ἀπολειπόμενος, ἴυγγος δέ γε καὶ παντοδαποῦς ὑποβρέχων. καὶ ταῦτα μὲν ἐπὶ τοσοῦτον. τὸν πίνακα δὲ τῶν βιβλίων, οὐχ οἷόν τέ σοι, τό γε νῦν πέμψαι. κεῖται γὰρ ἅπαντα μίγδην καὶ πεφυρμένως. μᾶλλον δὲ σωρηδόν. ἐμφερῆ δ' ὅμως, καὶ ἀποτεθησαυρισμένα πως, ἐς αὐτὸ τὸ βιβλιοθήκης οἰκοδόμημα πάντως ἀποτελεσθῇ. καὶ δὴ καὶ ῥαβδοφόρον, οὐ χρὴ συνιστάναι ἐμοί. ἔχω γὰρ αὐτόν, ὃν παιδὸς μοῖρα. ὑπόνωθρον μὲν, καὶ ὀκνηρῶς ἔχοντα, ὡς φῇς, ἄμωμον δ' ὅμως τὸ ἦθος, καὶ ἀνεπίληπτον. ἔῤῥωσο, μαΐου ὀγδόῃ ἐκ φλωρεντίας.

PETRVS CRINITVS ALEXANDRO SARTIO S. D.

SCripſeram pridem ad te Alexander, tum & illud monueram, ut quos collegiſti adhuc Politiani labores, pro tua nunc diligẽtia in bonorum uſum proferendos curares. Tu enim, quod omnes iam norunt, ſiue Politiani manibus hoc debeas, ſiue debere te putes, hoc totum in te oneris reclinaſti, ne quid omnino ab eruditis deſideretur, quod ingenio partum Politiani, & induſtria effectum eſt: rem profectò & te dignam, & in qua laudem tuo nomini haud immeritò amplam concilies. Atque ut tu quidẽ Alexander Politiani noctibus & uigilijs proſpiciendum putaſti: ita hercle crediderim & ſtudioſorum ingenia plurimum tibi debitura, qui unus ſis autor, ne tot, tam uariæ, tam multiplices eruditorum lucubrationes intereant. Cæterùm literis me tuis rogas, ut locos tibi aliquot recenſeam, de quibus in ſecundam Centuriam Politianus retulerat: quòd à me credas uel obſeruata de ijs quæpiã, uel potius corãm ab eo percepta, qui cum de literis ſæpe agebam. Ego uerò Alexander nihil in uotis maius, aut antiquius habeo, quàm ut ſuus cuique aſſignetur labor, ac in proprios hęc aliquando referantur: alioqui malim ego non uiuere, quam per alios cum eorum iniuria uiuere. Quo ingratitudinis uitio quidam ex Græcis notati ſunt: ſicuti ex Latinis Iulius Solinus, qui ut parum de Plinio gratus, à doctis inceſſitur: uel ipſe item Macrobius, qui dapibus partim emendicatis, partim ſuffuratis ſuas cœnas inſtruxit. Minus autem hi ferendi, qui aliena pro ſuis non uertunt tantum, ſed tranſcribunt ad uerbum. Vtinamque plebei quidam Grammatici tantundem hac ætate non agerent: qui ſatis ſe nunc putant cõſpicuos, ac ſupra cæteros cenſeri, ſi alienis ornati titulis extumeſcant, reprehendentes ea in primis, quæ anxiè ac percupidè cõquirant: ſicut diuitias auari ſolent, qui dum eas reprehendunt, tum inhiant. Sed ineptam horum impudentiam noſter meritò Aldus, uelut admotis facibus extimulat. Dixi aliàs tecum quemadmodum Politianus alteram Centuriam abſoluerat, quod ab eo te propè hortante factum eſt, qui tantopere ſuis fauebas laboribus. Sed dequeri nunc boni iuuenes poſſunt, quòd hoc publicũ munus quidam priuati iuris fecerũt: in eorũque manus deuenerit, qui aut talia nõ agnoſcãt, aut ſi agnoſcant, diſſimulent. Nos autem tuo nũc animo ſatisfeciſſe uidebimur, ſi locos tibi aliquot ex ea ſubijciamus: quod à me tamen breuibus abſoluetur, ne bonorum otio & abutar, & ſtudioſis illudam. Inter cætera igitur, quæ in Centuriam ſecundam retulerat, hæc olim mecũ Politianus, cum ad Arni fortè præripia ageremus, de Thalamego naui. Trechedipna ueſte, Callimachi ætijs, ſed & de poeta Dorſenno, de Amabæo uerſu, de Caprotinis, de nodo Herculeo. Cæterùm ut ingenio fuit parato, memoriaque ad cuncta exprompta, alia tum permulta commemorauit. Sed illud in primis ſcito, quòd quæ in Suetonio Tranquillo, Plinioque, noſtris habentur, ſecus multa expoſuit. Iam & locos in iure ciuili multos, præterea que ex ipſis

ex ipſis philoſophiæ gyris quæpiam parum cæteris intellecta adnotauerat. Sed erit ſatius aliquam uelut notam retexere, ut ex ijs & rerum iactura conſideretur, ac furta quorundam deprehendi facilius poſſint, ſi hæc aliquando qui togati obambulant, pro ſuis deproment. Hæc igit Politiani manu inter exchartabula quędam deprehendimus, quæ & noſter Fabianus cum legit, iniuriam factam Politiani manibus non ferendam inclamauit. Subijciam aūt ut in pagella erant, ad hunc modum: Capita Centuriæ ſecundæ. De diuinatione, Stratocles, Sybotes, Manſuetiores, Manuprecium, Oſiris, Erynna, Oculatiſſimus, Flaccus, umbræ, Pauſanias: pro Plinio contra reprehenſores, caſtratio, Polyphemus, quadrupes nodus apud Terentium, decuſſare, Creſphōtes, Taras apud Statium, ſororiantes mammæ, Phryne meretrix. Et hæc Alexander, aliaq; permulta à Politiano in ſecunda Centuria explicata ſunt. Sed ego dum ſingula reſpicio, dum ex ipſa ſtellographia maiora quædam ꝙ antea cōcipio, uix me comprimo, uix retineo, quin ſtudioſos nunc omnes adhorter, ut milite collecto Fidentinos in iſtos, & plagiarios impetum faciant. Commodum uerò erit, ſi de paucioribus plura ſuggeram, qui de multis notaui perpauca. De Thalamego igitur naue afferri hæc poſſunt: quemadmodum apud Suetonium Politiani obſeruatiōe, tum ueterum codicum teſtimonio, quod nec tu ignoras, ſic utiq; legendum in Iulij Cæſaris uita: Cum Cleopatra Cæſar conuiuia in primam lucem ſæpe protraxit, & eadem naue Thalamego penè Aethiopia tenus Aegyptum penetrauit. Hæc enim uera & genuina lectio. Cæterùm quæ nauis Thalamegos, qua forma & habitu fuerit, docent ex Græcis permulti. Vt enim Appianum modò Alexandrinum mittam, Suidas de hoc, & Pollux, Athenęus quoq; in quinto Dipnoſophiſtôn copioſiſſimè, cuius rei teſtimonium & Azarolo noſtro damus. Aedificauit, inquit Athenæus, Ptolemæus Philopater nauem etiam fluuialem, quæ Thalamegos uocabatur: longitudo eius ſemiſtadium, latitudo quæ eſſet ampliſſima triginta cubitis, altitudo ipſa cum ſuggeſtu tabernaculi paulo minor quadraginta cubitis: figura eius neq; longis nauibus, neq; rotūdis adſimilis, ſed ex utroq; mixta. Proſequitur dein parteis omnes, & ornatum nauis, quod ego breuitati ſtudens prætereo. Ad Trechedipnam ueſtem accedam. Apud Iuuenalem de Trechedipna ad hunc modum:

Ruſticus ille tuus ſumit Trechedipna Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.

In hoc autē loco Recydna uulgò legitur, ſed Plutarchus in Sympoſiacis de Trechedipna ueſte meminit. Athenæus quoq; libro Dipnoſophiſtôn ſexto, cum de paraſitis loquitur, Alexim Comicum citat, mentionemq; de Trechedipna ueſte pluribus facit. Quibus adductus credo Politianus, Iuuenalis carmen atq; cæteri aliter exponebat. Poſſent & alia afferri, ſed ea parū nunc ſuppetunt. De ætijs Callimachi uerſiculus eſt poetæ Martialis: Nec te ſcire iuuat ætia Callimachi. Quid autem operis hoc titulo à Callimacho editum ſit, ex multis elicitur: nec enim contra quenq; dicturi ſumus. In epigrāmatis igitur Græcis cùm locis permultis, tum libro maximè primo:

Καλλίμαχος τὸ κάθαρμα, τὸ παίγνιον, ὁ ξύλινος νοῦς,
αἴτιος, ὁ γράψας αἴτια Καλλιμάχου.

Afferuntur & Callimachi Aetia à Stephano de urbibus, & à Clemente Alexandrino in Stromatis. Sed ut Grammaticos nunc Græcos mittam, illud à me quoq; obſeruatum, quemadmodum & Probus Valerius de ijs, & Priſcianus ad Iulianū, qui uerſiculos quoq; ex Aetijs citat. De ijs nonnihil etiamnum apud Politiani libros in aduerſarijs. De Dorſenno poeta dictum à nobis in libris de poetis, quos

propediem edituri ſumus: deductus enim is labor propè ad umbilicū, quod alijs ad te literis ſcripſimus. Porrò autē de Fabio Dorſenno in Sextianis collectaneis, apud Plinium quoq;, Horatium, & Anneum Senecam mentio eſt, Epiſtolam nos Beſſarionis adiecimus, ad Theodorum Gazam, in qua de hoc ageret. Et id, Alexander, eſt illud ex quo Politiani Centuriam auidius conquirebam. De amabæo uerſu, Creſphonte, Caprotinis, & nodo Herculeo tam multa Politianus ſcripſit, ut niſi omnem ego nunc explicem bibliothecam, parum mihi ſatisfaciam. Quanquam de nodo Herculeo nonnihil ab Hermolao, multisq; à me locis de hoc iam dictū, ex Anneo Seneca, Plinio, Macrobio, Seruio, & alijs. Nam & de Nonis Caprotinis, ut breuiter tecum agam, Varro Terentius, & in Cœnis Macrobius, ac Plutarchus locis multis, qui tamen inter ſe diſſentiunt. Putauit autem Politianus de Caprotinis apud Ouidium intelligendum uerſiculis illis:

Porrige & ancillæ, quæ pœnas luce pependit,
Luſa maritali Gallica ueſte manus.

Iam & illud aliàs ad te ſcripſi, quod apud Iuuenalem de Pytiſmate ſententiā commutauerat, affirmans in Pytiſmate ludum magis quendam in laconicis frequentē ſubinnui, cum quis alter alteri aquulam inſpuens colluderet, quòd in Herone de ſpiritalibus id eſſet: unde illa Terentij pytiſſatio: quanquam & Epictetus alicubi patrocinetur, & Clemens in Stromatis. De Amyſtide quoq; Threicia apud Horatium nunc ſubit: Baſſum Threicia uincat Amyſtide. De hac autem ueſte Politianus multa ex Græcis ſcripſerat, non ut plebei quidā agunt literatores, qui conlecturis, non autoribus nituntur. De Amyſtide enim Athenæus quidē libro Dipnoſophiſton ſexto, q̃ loco Epicharmi etiā Comici uerba citat, ſed & libro idem Athenæus 10. Euſtathius quoq; in undecima Homeri Rhapſodia. Hæc ſatis pro tempore Alexander, in quibus noſtram nolim eruditionem probes, ſed ingenuā magis ſimplicitatē, qui ſua uelim autoribus reſtituta. Alia dein cum inciderit, ad te mittam. His enim ſeptus anguſtijs, uix otiū ad autores reſpiciendi ſum nactus, nedum ſchedulas omnes, cōmentariaq; propè innumera liceat euoluere. In ſumma noſtrum magis tibi obſequium probari nunc uolo, q̃ ingenium. Vale, & Aldum noſtrum ſaluta. Idibus Martijs.

PETRVS CRINITVS ALEXANDRO SARTIO S. D.

NImis tu mihi, nimis ingenio faues Alexander, qui noſtrum hoc ſtudiū tantopere in dies prouehas, ut multi iam probēt. Facis tu autem quàm par eſt humanius, qui nimium quandoq; tuis tribuas. Ego enim aureis adhuc meas teneriuſculas iſta nolim perſuaſione tua oppleri, ne ſic extra omnem hominis ſenſum uidear, ut quod cæteri de me non ſentiant, credam: imò quod tu magis credas, ſentiam. Si accedas propius, ſi me introſpicias, Crinitum dices tuum in literis quidem exudare, ſed nec tamen ita promouiſſe, ut ſtudioſi nomen tranſiliat. Satis id mihi, ſi intra meam me claſſem retineo, & ſtudioſi gradum tutor. Ignoſco tamē & tuæ de me opinioni, & officio. Quippe nec is reprehendendus, qui ad bonas arteis ſtudioſorum ingenia inuitet, acuat, impellat. Sed ueniam ad epiſtolam nunc tuam, qua nos iterū mones, ut à promiſſis me abſoluam, ac ea mittam ad te, quæ ex Medicea bibliotheca inter Politiani libros inuenta ſunt: ne pars hæc etiam tanti muneris non rependatur. Mitto igitur prælectiones illas, ut ſum pollicitus. Sed addis ad hæc, ut & capita ſubtexam ex ſecunda Politiani Centuria, quorum uix argumenta inueniamus, quod in parte alijs ad te literis fecimus. Futurum enim, inquis, ut ex rerum ſaltem indicijs, facilius iſtis

plagiarijs

plagiarijs pudor imponatur, ſi quando talia pro ſuis edent. Subijciam uerò ex Politiani autographis, quæ multi etiam è charis legerunt. Hæc igitur ſunt, de periochis Terentianis, de Pygmea matre apud Ouidium, de Lyde Antimachi, de feruis orcinis, quid diribitorium, quid Auguſti clauis, quid tintinnabulum, & pædagogia, quæ apud Suetonium contra reliquorum ſententiam explicauerat. Ita em̃ ipſe Politianus mihi retulit, atq; illi hoc itidem ſciunt, qui pudore ſequeſtro ſecluſa hæc domi detinent. Illud autem teneo, quòd & uerbum hoc quod eſt Nouiſſimum, contra Gellij ſententiam apud Tullium obſeruarat. Quam rem & iuniores quidam non ignorant, qui Gellium quoq; in eo defendant, quoniam ſemel id, inquiunt, apud Ciceronem ſit: quod enim fieri ſemel dicitur, ac ſi nunquam fiat, ut Pædianus ait, accipi ſolet. Ego tamen Alexander, ut non Gellium quidem in hoc defendam, ita & amicos puto excuſandos: quoniam proprium uiri ſit hallucinari interdum, & incurrere. Tu autem ſcito id à me uerbum ſæpius in M. Tullio obſeruatum: reperies non in libro tantum de Oratore ad Brutum, quod omnes ſciũt, ſed uel in epiſtola ad Octauium, & in oratione pro Roſcio Comœdo: quæ tamē oratio rariſſima adhuc eſt inuentu. Sed ad Politianum redeo: is apud Terentium obſeruauit argumenta illa, quæ ſenarijs conſtant, ac initio fabularum apponunt, haudquaquam eſſe poetæ Terentij, ut multis ferè perſuaſum, ſed Apollinaris Sulpitij: quod eſſe uerum neutiquam putamus addubitandum, modò antiquitati fidem non derogemus. Hic autem Sulpitius Apollinaris Gellij præceptor fuit, ab eoq; in Atticis lucubratiõibus pro uiro doctiſſimo laudatus. Verùm ſuo loco de Apollinari à me dictũ. In uetuſtiſſimo itaq; Terentij codice, literis, ut noſtræ Pandectæ, maiuſculis, ad hunc modum ſuper Terentianis argumẽtis: G. SVLPICI APOLLINARIS PERIOCHA. Cuius rei teſtis mihi & Petrus Bembus, miràiuuenis & indole & ingenio. De Pygmea matre in Ouidiano uerſiculo: Altera Pygmeæ fatum mirabile matris. Facta uerò eſt de re hac mentio cùm locis multis, tum apud ipſum Athenæum libro Dipnoſophiſtôn decimo. De ijs autem locis apud Suetonium, de quibus ſumma adhuc eruditorum concertatio, paucula quædam in Politiani autographis deprehenduntur. Sed unum in eis agitur, uti lectorem ferè ad Centuriam alteram releget, quoniam de ijs copioſa illic explicatio: ita nos in eum demittit locum, ut facilius ceruí corniculos deprehendamus, Illud autem ſcio, Alexander, non idem me ſemper de ijs ſenſiſſe, quando & iuniorum ſententiæ inter ſe longè diſſentiunt: ac ipſe quidem Politianus non eadem credo repetiſſet, quæ in Commentarijs uulgatioribus extrita ſunt. Tantũ de Lyde nunc Antimachi ea ſubijciemus, quæ haud tibi erunt ingrata. Verſiculus eſt Ouidianus ad uxorem: Nec tantum Clario Lyde eſt dilecta poetæ. Fuerunt autem qui Clarium poetam de Apolline intellexerint: tum de Lyde alia quoque non minus abſona confinxerint. Cæterùm in eo quidem loco de poeta Antimacho intelligendum, qui Colophonius fuit, hoc eſt, Clarius, ubi & Clarij quoque Apollinis templum. Nam & Nicander ipſe Colophonius Antimachi ciuis fuit, ſicuti de ſe ipſo in Alexipharmacis. Cõſtat autem ab Antimacho Lyden dilectã, ac de eius obitu carmen eum ſcripſiſſe. De qua re permulta Suidas. Aſtipulatur & Plutarchus, qui in conſolatione ad Apollonium poetam, inquit Antimachum Lydæ uxoris titulo, quam uehementer amabat, elegiam ſcripſiſſe, qua ſeipſum ſit conſolatus. Sed & de Lyde Antimachi frequẽs apud Græcos grammaticos mentio ueluti apud ipſos quoq; Apollonij interpretes, Lucilium Tharreum, Sophocleum, & Theonem. Sed hæc, Alexander, à me alibi copioſius. Venio nunc ad eam partem epiſtolæ, qua meos poetas flagitas: quoniam ſuperioribus noſtris

ſcripſeram hoc me operis ita urgere, ut creſcat in dies & labor, & laboris amor. Facis tu autem amicè, qui noſtris quoq; uigilijs ſtudeas. Mittam mox librum ad te primum, quo antiquiores cōplexi ſumus, eos uidelicet ex Latinis omnes, qui ante Vergilij tempus ſcripſerunt. Ex eo tu facilè, quæ tua eſt eruditio, de cæteris coniectabis. Aldum noſtrum etiam atq; etiam ſalutes. Vale. Cal. Aprilis.

EPIGRAMMA DE ANG. POLITIANO.

Huc huc uiator paululum gradum ſiſte.
Vatem potentis ſpiritus uides clarum:
Qui mente promptus acri, & arduum ſpirans,
Ac ſumma quæq; & alta conſequi ſuetus.
Is ille ego Angelus Politianus ſum.
Fouit benigno me ſinu Flora, & illic
In fata ceſſi, Parthenopeos reges
Cum Gallica arma irruerent minabunda.
Tu uale, & hoc ſis meriti memor noſtri.

MICHAEL ACCIARIVS VTIANENSIS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

SVm tibi togatus iam decennium, & cùm lautiore cœna comites ſuos princeps iam nullus accipiat, nondum te dimitto. Mirum mehercle liberalitatis exemplum, cùm plura cottidie exquiſitiora, & precioſiora multo, ex uberrimo iſto ſinuoſi pectoris tui penu nobis apponas. Si Græcum enim ſcriptorem, ſi Latinum enarras, quàm acutè ſenſum exquiris? quàm prudenter elicis? quàm etiam purè, quàm eleganter eloqueris? Tum demum ſcriptor ille doctus, quiſquis eſt, tum facundus te promente pernoſcitur, tum extat ingenium, tum uirtutes apparent. Non enim tu modò capis, quid ſcriptorum omne genus dicat, uerùm (mirabile dictu) quid item dicere uel cogitare debeat, quibus etiam ſingulis tu ſitu longiore iam ſqualentibus, & diuturno propemodum ſilentio mutis, crudelem uicem miſeratus, piè ſimul, & liberaliter affuiſti: atque oraculo certius mentem omnibus rectam, & ne inuiti barbarè loquantur, ſuam quoque ipſorum linguam reddidiſti. Quod ſi quis temerè, ut eſt hominum ingenium, liuidus homo neget, iuuenum claſſes, & marmora loquãtur, atq; adeò Miſcellanea ipſa liquidò teſtãtur: cuius planè eruditiſſimi operis gratia, eos quidem qui legunt, & qui per te ipſi leguntur, omnes tibi uno eodem'que munere deuinxiſti. Tu lumen obſcuris, & fœdiſſimè mutilatis, membra formam'que reſtituiſti: tu quaſi peritiſſimus gubernator ſcopulos, qui in latina & Græca lingua latebant, loco procul ſignato ſtudioſæ iuuentuti pariter indicaſti. Ergo çùm te uel audio, uel lego, non equidem priſcis Romanis inuideo: illi ſuo, nos te noſtro Cicerone lætamur. Et ne uidear laudationem aggreſſus, quoniam pro rerum omnium ſcientia ſumma, & uberrima facultate dicendi, unde multi iam doctiſſimi defierunt, inde cœpiſſe uideris, iam ſilebo. Cur enim te laudem, tuas cum laudes niſi tutè conſequi dicendo nemo poſſit? tua culpa ſcilicet, qui tantum ingenio et doctrina cæteris antecellis, ut ſperare auxilium niſi à te ipſo non queas. Tranſeo uerſus, ſyluasq; tuas haud certè Statianis abſimiles: imò uerò ſi materiã, ſi flores, ſi fructus inſpectes, illi ſyluæ facilè relinquentur, tuæ uerò ſyluæ iure potius amœniſſima uiridaria, pomaria'que dicentur. Præterirem quoque Herodianum, ſed ecce mihi iratus aurem uellit, qui ſe ait in Latium te duce honeſtiſſimè tralatum.

Itaq;

Itaq; in Romanam ciuitatem omnibus quaſi punctis allectum, ut penè patrij ſermonis oblitus, melius multo latinè libentiusq; loquatur. Omnia præterea nunc prudens omitto, ne ultra terminum uager: teq; tantum uehemẽtiſſimè rogo, poſt opiparas adeò, ſplendidasq; dapes, guſtum ut iterum acuas, bellaria ponas, id eſt, epiſtolas edas, quæ tanquam ſingularia modo, conuulſaq; membra uelut ſine ſpiritu iacent, in ſuum deniq; coactæ corpus retiuiſcant: ut academia Florentina teneat tandem quod optat, poſſitq; te audacter in omni eruditionis genere cũ ipſa quoq; antiquitate conferre. Atq; adeò ſi codices & teſtimonia uetera literarum incurſu barbarorum, uel omnia pereant, pro cũctis unum te habeat, ſecura quaſi nihil amiſerit, quem libentiſſimè legat, imitetur, & colat. Vale.

SCIPIO CARTEROMACHVS ANGELO POLITIANO SVO S. D.

PVdet equidem Politiane, præceptor optime, eam potiſſimùm expectaſſe ad te ſcribẽdi occaſionem, unde neceſſitudinis potius quàm uoluntatis, aut officij ratio appareret. Nam cum debuerim initio ſtatim, quo huc profectus ſum, ſcribere ad te, ut eſt amici officiũ, ac multo magis diſcipuli, ego id prætermiſi tum, cùm poteram honeſtiſſimè facere, ut nũc ſcilicet non ſponte (ut uideor) ſed coactus efficerem. Verùm ſi cogites, cur id officij, aut qua ratione ſubterfugerim, inuenies nulla alia de cauſa id eſſe factũ, quàm nimio tui ſtupore, ac potius reuerẽtia. Quoties enim mecum ipſe cogitabam, ad quem eſſet ſcribendum, ſi ad te ſcriberem, continuò animus decidebat, omneq; ſecum auferebat ſcribendi conſilium, ut fatear imbecillitatem meam, quæ ſiue timiditas eſt, ſiue reuerentia, ſiue utrunq;, me certè nunquã ante hunc diem promptum alioqui, cupidumq; ſemper ad te ſcribere paſſa eſt. Atq; in hoc ego (niſi fallor) non accuſandus magis, quàm uenia dignus uideor, quòd eius uiri iudicium tantopere perhorruerim, qui ob ingenij pręſtantiam, multiplicem'que doctrinarum cognitionem, omnium animos in ſui admirationem ſolus conuerterit. Sed cur nũc demum inquies, ἐς τί νῦν τὸν ἀγῶνα ὑπῆλθες; Quoniam ut ſcis, φιλία πρόφασιν οὐ ποθουμένα. Cum enim eſſet aut amici perdenda ſalus, aut ad te ſcribendum, turpiſſimum eſſe duxi, non periclitari potius in re minima, quàm maximam perdere. Cum præſertim ſi ad te ſcriberem, & amicum aliquando, & diſcipulum me gererem: εἰ δὲ μὴ, præterquàm quòd & amicũ perderem, & diſcipuli officio nunquam perfungerer, in te quoque minimum confidere uiderer, à quo tantum me amari ſcirem, quantum poteſt à præceptore diſcipulus. Cur igitur uerear amici ſalutem tibi commendare? nam ſi meam ipſe diligis, ut profectò diligis, proculdubio et amiciſſimi nobis nõ negliges. Is enim eſt, de quo ad te ſcribere inſtituimus, q̃ nemo nobis in hac urbe familiatior, cognitus à teneris annis Romæ, cùm eiſdẽ ſtudijs, ſub eiſdemq; præceptoribus ambo erudiremur. Atque (ut uerum fatear) nihil me hic uel inuitũ tam diu retinebat, quàm ne ab huius conſuetudine diſtraherer. Quin & cum profectionis noſtræ nos ſtatim pœnituiſſet, hac una tamen re huc me ueniſſe gratulabar: quòd amiſſum iamdiu amicum recuperaram: de quo enim iam decennio nihil reſciueram, is nimirum amiſſus mihi credebatur. Qui & iterum nunc amiſſus per te denuò recuperandus eſt, atq; eo honeſtius, quàm prius, quò tunc è nullis infortunijs, ſed ex abſentia tantum, & quaſi obliuione eſt nobis reſtitutus: nunc è ſummis miſerijs & calamitatibus eſt reſtituendus. Quid enim homini miſerius eſt, quàm uiuentem ualentemq; (quod dicitur) quotidie mori? Id autem eſt carcer, cui hic noſter ſupplicio damnatus eſt, quia monachum

eiuſdem ordinis, cuius & ipſe eſt, uulnerauit, quo illum uulnere mori contigit, ἀ-πὸ φαυλιδίου. πολλάκι γὰρ πλάξας εἰκὼν φόνον ἐξετέλεσσε. Cum enim ille in eorum cœnobio uerbis in hunc noſtrum aſperioribus, neſcio qua de cauſa prorupiſſet, percitus ira noſter, cum primæ animi motiones (ut dicunt) noſtra non ſint in poteſtate, conuiuali cultello, quem ſecum habebat, hominem attigit, non ſe eum interempturum exiſtimans, quando nec uellet. Nam quis eiuſmodi gladiolo hominem ſe occiſurum crederet? ἀμφὶ δὲ ἀνθρώπων φρεσὶν (ut Pindarus inquit) ἀμπλακίαι ἀναρίθμητοι κρέμανται. Exceptus namq; ictus in dextrã mamillam profundius quàm ſperaſſet quiſpiam, pulmonem interius commaculauit. Ex eo paucis ille ſuperſtes diebus deceſſit miſer. Atq; hic noſter continuò captus à ſuis, in carcerem eſt truſus, ut uitam ibi finiat, nec cœlo fruatur amplius, niſi tu auxilio ſis. Qui cùm plurimũ gratia & autoritate ualeas apud Medicẽ Petrũ ob incredibiles tuas uirtutes, admirabilemq; ſapientiam, facilè (ut puto) impetrabis, ut generalem eius ordinis exoret, quò noſtrum hunc carcere liberet: aut ſi hoc nimium eſt, alio quouis ſupplicio afficiat, alio'ue potius traducat, quàm hic eum ſinat marceſcere. Quod eò etiam libentius extorquebit, quò generalis idipſum cupere, ac uelle dicitur, ſi modò aliqua honeſta ratione id ſe facturum uideat. Nouit quippe quem hominem ſit liberaturus, Græcis & latinis literis adeò eruditum, ut mirum ſit & antea inauditum in eo ordine talem extitiſſe uirum: philoſophiæ uerò ſtudijs nulli eius ordinis inferiorem. Nam de integritate ac moribus quid attinet ſcribere, cùm uel hoc ipſo perſuaſum tibi putem, uirum eſſe optimum, quòd ſit tantopere nobis probatus? Deniq; is erat hic, qui & ordinem ſuum illuſtraret, & gloriã illi (ſi uiueret) pareret immortalem. Nomen uiro Ioanni Benedicto Fulginati. Qui ſi per te reuixerit nobis: neq; enim uiuit, ut nunc uiuit, primum, eius patriæ ſuum columen & ſalutem reddideris: deinde communi literatorum collegio non paruum attuleris & ſolatium & adiumentum: poſtremò & mihi ipſi amicum recuperaris, quo beneficio uitam & illi & mihi ſimul reſtitueris: illi, quia in carcere (ut dixi) uiuere, non eſt uiuere: mihi, qui ſine illo uiuere non me exiſtimem. Et quanq; non unà ſemper, & ubiq; uicturi ſimus, attamen uel hoc ſatis eſt nobis futurum, quòd cum uiuere ſciamus ubi ſit, ne nos angat cottidie memoria ſæuiſſimi carceris. Pluribus apud te mihi opus eſſe non exiſtimo: aut enim cauſa ipſa te perſuadebit, uel quia de optimo uiro, uel quia noſtra: aut ſi hoc nõ perſuadeat, nec queuis noſtra oratio te perſuaſerit. Vale, Patauij, 4. Cal. Maias, M.CCCCXCIII.

SCIPIONIS CARTEROMACHI CARMEN.

Nelidæ ſimiles ſua ſi bis quinq; tuliſſet
   Terra uiros, citius Pergama uicta forent.
Angelus at nobis uiuat precor unus, & omnis
   Barbaries Latio cedet abacta breui.
Cliniadem geminum nunq; oſtendiſtis Athenæ:
   Lyſandros nec habes Oebali terra duos.
Angelus & nobis ſic non erit unus, & alter.
   Natura oſtendit quid bene poſſet in hoc.
Aurificis quondam ditata eſt inſula ſolis
   E pluuia guttis tota, uolente Deo:
Nunc Latium totum pluuio perfunditur auro,
   Labitur hic, cum uult Angelus, ipſe Tagus.
De patria magni certatum eſt ſemper Homeri,
   Vindicet ut tantum hunc urbs ſibi quæq; uirum.

Tu

Tu maioris eris certaminis Angele cauſa:
  Terra etenim, ac cœlum te uolet eſſe ſuum.

EIVSDEM GRAECE.

Ἄγγελε τῶν ἀγαθῶν ὄφελος μέγα, χ' ὅτι τῶν ἐσθλῶν,
  πᾶσιν ἄπιστον ἐὸν, ἄγγελε θαῦμα βροτοῖς,
ἐκ ὧν τε νέων ψυχαῖς φῶς, ἠέλιός τε μαθόντων.
  εἷς μὲν ἀθηναίων φίλτατος, εἷς δὲ σοφός.
χαῖρε φίλη κεφαλὴ, καὶ ὅπως μοι μακρὰ βιώσῃ,
  θηβαίου μὲν ὑπὲρ τειρεσίαο βίον
ἀθάνατοι σῶον γε φυλάξατε εἵνεκα πολλῶν
  φιλοσόφοις δὲ μάλισθ', ἠδὲ διδασκάλοις.
καὶ πόσον δ' ὠφέλησ' ἀγαθὸν, δίομαι, φθονέοντες;
  εἰς σῶον καὶ γὰρ πάντες ἀναβλέπομεν.
ὃν γὰρ ἐν ἀνθρώποις πάντων ἀντάξιον ἄλλων,
  ὑμετέρου τις γοῦν ἔμμεν ἔοικε γόνος.
ἀλλὰ σύ τ' αὖ σκότα ὧν κατακείμεθα πάντα δίδασκε,
  ὡς θεὸς ἐκ βουλῆς θεσπεσίοιο πεσών.
ἀμβροσίην δ' ἄρα γλῶσσ', καὶ νέκταρι τοῦ στόματος πάντη
  ταῦτα γὰρ ἐκ στόματος ἄλλά τε καλὰ ῥέει.

HERMOLAVS BARBARVS M. L. PHOSPHORO EPISCOPO SIGNINO S.

QVòd tu octonariolos meos probes, amicitiæ eſt: quòd alij, felicitatis: quòd ad eos populi concurſus fiat, partim lætor, partim doleo: alterum, ut adeuntes æmulatio exacuat: alterum, quia fore uideo ut multi me rideant, quaſi aut cum Plauto certare ſalibus, & eloquentia uoluerim, aut rem latinam ſuppoſititio quodam partu uelut auctario iuuare cogitauerim, ceu non multo melius ſit, comœdias eius poetæ ambuſtas & mutilatas circumferri, quàm reconcinnatas interpollatasq́; de meo, non ſecus Hercule, quàm qui ſtatuas antiqui operis ſine capite aut pedib. inuentas reficiunt ferruminantq́;, nec uident longè minus ſic integras placere, quàm truncas. At enim, inquies, Plauti gloria ex comparatione creſcet. Id curat ſcilicet eminentiſſimus poeta, qui tot ſeculis in ſupremo ſtetit, in comparationem modò ueniat, in ordinem ſe cogi, & uulgari ſentiat. Alioqui ſtultitiæ proximum eſt, ut alienæ famæ conſulam, meo ipſius nomini officere. Sed ſi hoc uidebam, cur non temperaui à ſcribendo? Ingenium (ut fit) exercui. Nec in eam rem (ita mihi manes Plautini non iraſcantur) amplius ſeſquihora impenſum eſt, ſed nec edendum id putaui, nec editum uolo, tu me inuito reclamitanteq́; ſubinuolaſti. Vitium non eſt ſcribere, quæ ſcripta nō placent, ſed emittere: nec fama ſcribētis agitur in eo quod ſcribit, ſed in eo quòd probat: ſcripſi fateor, non probaui: tu probaſti, non ſcripſiſti: tua res agitur, non mea: ſi fabulam edi uoles, penes te ius, & poteſtas eius rei tota eſto. Itaque iam non doleo, mecum belliſſimè deciditur. Labor meus eſt, periculum tuum. Quid ſi laus aliqua ſequatur, utrius futura eſt? tuâ qui probaueris; an mea qui condiderim? Dubium non eſt, quin mea: uide quem in locum rationes tuas conieceris: ſi laudatur, aliud agis: ſi damnatur, malè agis: ſi nec recipitur nec exploditur, nihil agis. Vale. Pridie Nonas Decemb.

HERMOLAVS BARBARVS M. L. PHOSPHORO EPISCOPO SIGNINO S. P. D.

LOcum in Plinio de cometis, ubi legitur: Oſcenis autem moribus, &c. ut interpretarer à te rogatus, quia nullam moram dabas tumultuario imperio, ſubitarius miles parui, & hercle tam inuitus, ut nihil unquam fecerim inuitior. Eram fortè, cum puer tuus affuit, nõ dico impeditus, ſed obrutus negotijs. Nihil minus cogitabam, ꝙ de Plinio, aut etiam cometa: ſed Manlianum erat edictum, nec uitari, nec differri poterat quod iubebas. Proinde ſtudium meum fuit, nõ interpretandi ſubtilitate, ſed obedientia placere. Nõ probo ex omni parte quod ſcripſi, alia mihi uenit in mentem expoſitio. Dixi ſigna ingenij eruditionis, eſſe Geminos & Virginem, aut his ſimilia. Verũ id quidem eſt in ſe, ut Ptolemæus, & apud nos Manilius & Maternus docent: ſed uerba quę ſequuntur, ad alium ſenſum me trahunt, ut lectionem eius loci corruptã arbitrer, atq; ita reſtituendam putem. Tibiarum ſpecie arti muſicæ portendere. Obſcœnis autem moribus in uerendis partibus ſignorum, ingenijs & eruditioni, ſi triquetram figuram, quadratam'ue paribus angulis ad aliquos perennium ſtellarũ ſituũ edant. & ſanè uetuſti codices non edunt, ſed edant habent. Vale.

HERMOLAVS BARBARVS F. PICOLOMINEO, CARDINALI SENENSI S.

INterrogatus Ariſtoteles, quamobrem argẽto indignum quendam & improbum donaſſet, reſpondit eam ſe pecuniam non perſonæ, ſed homini crediſiſſe. Si tu quoq; hoc exemplo erga me liberalis eſſe uoluiſti, rectè facis, & grauiſſimi philoſophi cõſilium autoritate tua redimis ab omni culpa. ſin ratus es eum eſſe me, cuius te memorem eſſe uel abſentis oporteret, latè falleris. Alioqui nihil miror, quandoquidem ex candore tuo metiris alios, & pietas (ut Bianti placet) facilè decipitur: calliditas & inuidia circumſcribi ſe non patitur: hallucinatur & conniuet bonitas, præſertim tot præſidijs munita, quot in te cernimus. Hæc ad animum tuum donantis. Quod uerò ad munus ipſum attinet, ſcito ſacchareas tuas placentas non modò ſalutares, & uoluptarias nobis fuiſſe, uerumetiam eruditioris cuiuſdam interpretationis occaſionem dediſſe, ut uidelicet aut ab inuentore Martios panes appellatos dicamus (nam & Martios paſtillos, & Martiatum unguentum in medicina legimus) aut ſi hoc parum placet, à maza & pane, mazapanes uocatos exiſtimemus. Eſt aũt maza Græcis modò panis offa, quæ aut uinum, aut oleum, aut omnino liquidum acceperit: modò panis genus hordeacei, modò libum, placẽta'ue, ſed ſui atq; certi generis, cuius ſpecies Athenæus innumeras ferè commemorat. Quia porrò miſcella hæc Hetruſca ex amygdalis, ſaccharo, farina, latice roſaceo precioſiſſima uidetur, hodie per quandam exochen mazapanis dicitur, ut poeta, qui ſit Homerus, aut Vergilius. Hetruſcam dixi, non quòd alibi non pinſatur, fingatur'ue, ſed quòd iſthic apud uos egregiè, præcipua in eo gratia, quòd non ſicceſcat, ſed diu recens mollisq; ſeruetur, nec periculum eſt ut heſterna, quaſi caſeus Xenocratis oboleat. Nos quidem tecum iſta uelut cum magno literarum cenſore luſitamus, perſonã depone principis, ſume grammatici, qui ſis in utroq; ſummus: quod & reges aliquando factitauerunt. Ego aliàs, ut noſti, multa de ſaccharo cõmentatus ſum. Sed dij boni, quantum intereſt, ego ſaccharum ſcribo, tu donas. Vale.

HERMO-

HERMOLAVS BARBARVS ORATOR, PATRIARCHA AQVIleienſis clariſſimo uiro Antonio Caluo, patritio Veneto S. D.

AMantiſſimis literis tuis, Antoni ſuauiſſime, non reſpōdi, quòd propediem ſperabam caſtigationi Plinianæ extremam manum imponere, ſed creuit opus, & labor, & laboris amor. Quis crederet? nullum utraque lingua extare autorem, quem ferè non legerim, ut hæc noſtra lucubratio communiri poſſet, id'que ſpacio non amplius ſemeſtri: quinq; millia in eo librariorum errata comperimus, nō pridie, nudius'ue tertius, ſed multis retrò ſeculis inolita, & recepta lectoribus. Peruenit quidem res ad umbilicum. Sed nullus tamen dies eſt, quo non aliqua fiat acceſſio. Nunc cum impreſſoribus agitare cœpi lentè, de induſtria rem differens, ut diutius in fermento ſit. Nihil time: diligentiam adhibituri ſumus, qualem in altera editione prætermiſſam ſæpe mecum queſtus es. Erit autem ordo noſter talis. Verba Plinij corrupta primo loco ponimus, per ſingula cuiuſque libri capita. Deinde quemadmodum corrigenda ſunt, adiungimus citatis autoribus, unde id quod uolumus, facilè comprobari poſſit. Id'que præfationibus ſummotis omnibus, & ſine ulla uerborum pompa: nè, quod multi faciunt, dum nimis labores ſuos mirantur, lectorem finis alicuius auidum oratione ambitioſa detineam. Ita defatigatur animus, antequam paſcit: & bonæ alioqui res faſtidiuntur, antequàm diſcuntur. Multo autem plus operis & laboris adij, ꝙ putabam, quod omnium rerum quæ in cœlo, & ſub cœlo ſunt, gnarum eſſe oportet, qui Plinium profitetur intelligere, tanto magis caſtigare. Nihil me torſit ęquè quàm ſitus ipſe terrarum. In quam maximè partem negligentia librariorum carnificinam exercuit. Optaui quidem ſæpenumero, ut optimus uir adeſſet Antonius Leonardus noſter, cuius conſilio adiutus, & autoritate confirmatus, difficultates & nodos in eo genere inextricabiles non tam multiplici negotio ſoluiſſem. Mille & quingenta, & amplius, in ea tantum parte loca manifeſtiſſimè deprauata, reſtituimus: ut totidem uulnera ſanaſſe uideamur, imò uerò monſtra domuiſſe, minora quidem omnino, ſed longè plura quàm Hercules.
Cur enim tecum non iocer, hoc præſertim tempore, quo minuti quidam, & exilis animę philoſophi concedendum mihi putant, ut doleam? Alij feſtam frontem parum decere fortuna minus læta prædicant. Alios noſtra lædit, urit'que conſtantia, & hæc natura. Multo plus æſtuant qui nocent, quàm quibus nocetur. At ego nihil unquam expertus in me ſum hoc animi, quo me Deus muniuit, robore pręſtantius, nihil iucundius: ut quemadmodum alias ad te ſcripſi, non ſolum feram modicè, quæ patior, uerumetiam multo ſæpius fructum & uoluptatem ferendo ſentiam. Nihil queror, nihil quæro, nulli ſum infenſus, accuſo neminem: pax, hilaritas, & gratiarum actio uigilantem me ſolantur, dormientem fouent. Non tam compoſito ſunt animo, non dico qui me perſequuntur, ſed quos nemo perſequitur. Non ignauia eſt hæc, aut ſtupor, non item contemptus, aut ſuperbia, ſed humanæ ſortis expenſio, & meditatio interitus. Si magna ſunt pro quibus uita dimicat, parui æſtimanda ſunt, quia breui duratura: ſin parua, noſti quod ſequitur.
Vale. Decimotertio Calend. Januarias, M. CCCCXCI. Nunc nunc literas alteras accepi tuas, quibus reſpondebo, cùm primùm licuerit, quanquam ſpero fore, ut hæ ſatisfaciant parte aliqua. Didymus plurimùm ſe tibi commendat.

HERMO-

HERMOLAVS BARB. ORATOR, PATRIARCHA AQVILEIENSIS, ANTONIO CALVO PATRICIO VENETO S. D.

QVàm tibi nouum fuit audire factū me de pagano ſeculi, militem Chriſti, tam mihi uetus eſt intelligere Caluum meum ex Hermolai ſui honore ſolidam uoluptatem cepiſſe. Quicquid hoc eſt, qualiſcunq; mihi ſtatus obtigit, quacunq; fortuna utor, uſurus'ue ſum, Antoni ſuauiſſime, tibi, cōmodisq; tuis, perinde ac mihi ſeruit, ac ſeruiet. Agnoſco pietatē tuam erga me, ſtudium, charitatem, fidem, ita planè cerno, ac ſentio, ut nihil poſſim magis. Ago gratias, & referre cogito, cùm primùm licuerit: ſtudiū mihi ſemper fuit, ut gratus erga omnes eſſem. Hanc uirtutem cooptatus in ſortem domini, augere cogito, non perdere. Tu interea mecum preces ad deum funde, ut hæc dignitas mihi non ad inanem gloriam, quæ mortis eſt imago, ſed ad uitam ſalutemq; proficiat: & ut cum Auguſtino doceamur terrena calcare, & ſitire cœleſtia. Vale. Romæ, octauo Idus Aprilis, M.CCCCXCI.

HERMOLAVS BARB. ORATOR, PATRIARCHA AQVILEIENSIS, ANTONIO CALVO PATRICIO VENETO S. D.

ANtoni uir præſtantiſſime, bono ſis animo, qui me ad ſacerdotium dormientem, atq; adeò reluctantem uocauit, etiam conſtantem & fortem eſſe uoluit: æquiore animo aduerſa hæc fero, quàm ſecunda illa tuli. Deum iuſtitię & innocentię meæ teſtor, ita ſine omni ſolicitudine ſum, ita liber curis, ut uerear, ne tanta ſecuritas aut temeritatis, aut negligentiæ argumentum ſit maleuolis. Miſit mihi dominus auxilium de ſancto, & de Sion tuebitur me: illi in curribus, illi in equis, nos autē in nomine Dei noſtri inuocabimus. Iterum dicam bono ſis animo, ſurreximus, & erecti ſumus. Mirabiles elatiões maris, mirabilis in altis dominus: qui tam multos annos philoſophatus ſum alijs, credo fore, ut mihi quoq; philoſophari poſſe uidear. Dices, fortis es, quia breui ſperas futurum, ut tempeſtas iſta tranquilletur, & qui modò te oderunt, ament & amplectantur. Nihil hoc cogito, nihil me ſpes in lætiorem exitum collata ſubleuat: non eſt fortis, qui fortis eſt ſpe: fortis eſt qui præſentia mala ſentit, & perfert, atq; ita perfert, ut etiam ſi duratura uiderit, contemnat, in futurum nihil reſpiciat: alioqui ſi præſentia incōmoda expectatione cōmodorum tolerat, compenſatio eſt, non fortitudo: aut ſi fortitudo, non ingenua certè illa, & abſoluta, ſed mercenaria planè, atq; mutila. Cum ſpem à fortitudine ſummoueo, non illam ſpem intelligo, de qua dicitur: Bonum eſt ſperare in domino: ſed illam de qua ſcribitur: Maledictus homo, qui confidit in homine. Tibi porrò, Antoni ſuauiſſime, quantum debeam, quantū ſemper debere uelim, ex magnitudine, & puritate amoris erga me tui penſa. Literæ tuæ adeò pietatis & charitatis plenæ ſunt, ut omnibus quos diligis, & uoluptatem in proſperis, & ſolatium in aduerſis afferre poſſint. Nicolaum Foſcarenum non minus mihi q̃ tibi amiciſſimum ſaluta meo nomine. Vtinam mihi aliquando liceat, ut aliquando licuit, urbaniſſimis & feſtiuiſſimis altercationibus ueſtris intereſſe. Vale. Romæ, Idibus April. M.CCCCXCI.

HERMOLAVS BARB. ORATOR, PATRIARCHA AQVILEIENSIS, ANTONIO CALVO PATRICIO VENETO S. D.

DIſtinuit, & diſtinet me, quanquam ad umbilicum perducta ferè Pliniana caſtigatio, quò minus aliquid tibi de rebus, non dico meis, ſed communibus, imò tuis planè ſcriberem. Dolore aliquo, aut mœrore id factum putent alij. Tu, qui me noſti, caue ſuſpiceris. Fortunæ ludum uideo, tempeſtatis uim intelligo, aculeos detrahentium conſidero.

Quid dicatur, quid item dici poſſit, audio & cogitatione conſequor, animaduerto quanta mihi fieret iniuria, niſi fieret à patria, à qua nihil in ciuem crudeliter, & iniuria factum uideri poteſt. Non ideo dolore careo, quia hæc aut nõ percipiam, aut parũ ſentiã. Cognoſco Antoni omnia hæc, & quanti ſint æſtimo fortaſſe ſubtilius, quàm cæteri: quia multo ſæpius in mentem noſtra, quàm aliena ueniũt: utcunque, multa ſunt, quibus efficitur, ut dolore nõ ſolum frangi, ſed tentari me nõ ſinam: primùm conſcientia ſuſcepti, non modò ſine ſordibus, ſed ſine ulla cupiditatis aut precum ſuſpicione ſacerdotij. quàm cunctanter imperium admiſerim, quæ lucta mentis fuerit, quanta cum pudore prælia, Deum appello, cito, nuncupo cognitorem, teſtem, iudicem. Quæ innocentia tantum iudicem non horreat? inuicem quis puer, quæ fœmina, quod mancipium patrono & aſſertore tanto formidet? Ego uerò nedum ut dolori latus dem, etiam lætari poſſum, & debeo, cùm Fortuna gloriæ (ut inquit ille) carnifex tam parcè graſſetur, ut multo plus in patientia ſit commodi, quàm in ipſo eius uulnere diſpendij. Vide quantum abſim ut expoſtulem, aut uices meas conquerar, qui ultrò fortunã defendo. In quo'nam obſecro, illa mihi leuius obeſſe potuiſſet, quàm ſtante Republica, ſuperſtite familia, incolumi re domeſtica, ualetudine corporis, & animi proſperrima, ſæuiſſe in particulam honoris aduentitij? quid honoris dico, non oneris potius? quod ſanè tantum eſt, ac tam latè patet, ut qui hoc non uidet, aut diſſimulanter uidet, nõ poſſit eſſe nõ tardiſſimus. Nihil te fortuna inceſſo, nihil damno. Si magnam fore mihi cladem hinc rebare, falleris: ſi exercere cogitabas, gaudeo: ſi fortitudinem experiri fortaſſe deliteſcentem uolebas, ago gratias. Nihil eſt hac uirtute animi præclarius, nihil erectius, nulla plus enitet, nulla pacis & uoluptatis maior opifex. Et cum omnia impotenti fortunę pareant, ſola fortitudo cominus it obuiam, & innectit fortunæ uincula. Sed finge magnũ me aliquod & inſigne uulnus accepiſſe, quantum mihi cenſes extare præſidij, & ſupereſſe ſolatij ex ijs literulis, quas à puero hauſi? Quæ mihi ſano mente ac corpore tanta poſſet accidere calamitas, ut ſtudia mea mihi excuteret? quibus ſeruatis, exceptis'que, non poteſt mihi uita eſſe non tranquilla, non iucunda, non ſplendida. Literis natus, literis dicatus, ſine literis eſſe non poſſum, ſine ijs poſſum quæ literas impediunt, interpellant, ſubmouent. Honores in Republica geſſi multos, & magnos, qua fide, qua opinione, qua gratia, non dixerim. Placet quidem impendiſſe annos penitus duodecim, ſed octo Reipub. continuos, totum id tamen tempus literis ferè perijt. Appellabant me quidem illæ, ſarcinã id ſibi à me identidem iubebant: ego cõtrà in diem ducere, ac differre, non quidem honorum & magiſtratuum dulcedine: ſed ut patri, fratribus & amicis obſequerer, qui meam operam in Repub. profuturam putabant, ipſe nõ uidebam. Cum ergo toties cõmonitus profeſſiõis, & uoti poſtliminio reuerti nollẽ, aut non poſſem, retractus ſum à fuga ui, nec unde ea mihi ſit illata uideo, præterquã à literis: quæ ſibi me iam cornua erigentẽ & excubantem libertati, uindicare uoluerũt in ſeruitutẽ, excogitata ratiõe, ut otiũ non ſine dignitate conſecutus, à negotijs publicis excluderer. Hæ ſunt illæ meæ, quas multi ſic appellãt, ærumnæ: hæc illa clades, illa calamitas, qua me plerique profligatũ & conſternatũ putant: hæc illa fortunæ ſcilicet acerbitas, cui me paſſim imparẽ fore amici timẽt, inimici prædicãt. O felix calamitas, quæ literas mihi, & me literis, imò ipſum mihi me reſtituit: ó beata clades, quæ meã mihi pacẽ reddidit: ó candida tempeſtas, quæ mihi ſecuritatem peperit: ó dulcis acerbitas, quæ me in ſuauiſſimum portũ è lõga iactatiõe, ne dicã naufragio reduxit. Si tranquillitas quęrit, parabũt literæ: ſi gloria, literæ: ſi cætera quæ partim ſuppetũt iam, partim cõtemno, literę.

Viuens experior tam modica in me doctrina, quantũ uiri literati ſperare poſſent
in morte: ſi qua nomen noſtrum uoluntate Dei funditur, nemo id legationibus,
aut magiſtratibus, quos geſſi acceptum refert, ſed literis, multo plures Hermolaũ
quàm candidatum me diligunt. Fallũtur quidem fortaſſe illi, ſed ita eſt. Honores
in repub. ſoli mirantur municipes, literarum decus ęmulatur orbis. Vale. Quinti-
lianum à te patri reſtitutum ſciebam, quanquam non reſtituit, qui ſuum reſtituit:
etenim tua eſſe uolo mea omnia. Romæ, XI. Cal. Auguſti, M.CCCCXCI.

HERMOLAVS BARBARVS PATRIARCHA AN-
TONIO CALVO SVO S.

Literas tuas, quibus dolorem noſtrum ex Zachariæ patris obitu uehe-
mentem atq; iuſtum lenire uoluiſti, gratiſſimas habuimus. Non ibitur
inficias tibi præſertim Antoni amicorum fidiſſime, durum id nobis, &
perquàm triſte nuncium fuiſſe. Quid enim obſecro magis alieno tem-
pore aut illi aut mihi poterat contingere? Atq; ut alia prætereæm, quæ tibi æquè
ac mihi ſunt cognita, utrum ei moleſtius fuiſſe putas, quòd decederet, an quòd
abſente me decederet? Noſti quo affectu erat in me, quàm non cõmuni & pro-
miſcuo, ſed ultrà quàm patres ſolent. Compertum & exploratum habeo, ſi fuit ei gra
ue mori, non propter ſe, ſed propter me tantum fuiſſe. Angebat & illud eum, cer-
tò ſcio, quòd neſciebat quàm æquo animo tantam cladem meam laturus eſſem:
& qui ſecurus ibat ad mortem, erat de meo tantum dolore ſolicitus: qui ſi affuiſ-
ſem, & robur illud noſtrum, quo me non uirtus, non doctrina, non uſus rerum ali
quis, ſed ſolus deus ſepſit, uidere potuiſſet, nihil dubito, quin ſi non alacriter, cer-
tè nullo dolore abiturus fuerit è uita. Quanquam ut ex literis tuis, & aliorum in-
telligo, ea fuit hominis in adeunda morte conſtantia, ut non dico animi conſter-
nati, ſed ne mœroris quidem tantilli ſigna prætulerit, uſqueadeò ſemper intrepi-
dus, ut in domum aliquam è domo, non è uita migrare uideretur. Triduum conti
nuum de Deo, de religione, de animorum immortalitate, uel diſſerentes audiret,
uel ipſe diſſereret. Sacramenta illa extrema, quæ nemo non reformidat, & quorũ
ægroti ferè à neceſſarijs ſerò & cunctanter interpellari ſolent, non modò non re-
fugeret, ſed prior, & ultrò depoſceret. Senſus omnes mentis & corporis, quibus
pauci eum mortales uincebant, non ſolum integros, uerumetiam longè ſubtilio-
res, quàm prius unquam ad extremũ uſq; oſtenderet: demũ ecunculas duas, alte
ram Chriſti, alteram uirginis in ſinum manu ſua compoſitas, & ad pectus applici
tas, arctiſſimè complexus, deoſculatus'que halaret animam. Hoc genus non
dico mortis, ſed glorioſæ mortis, imò uerò ſalutis, & melioris uitæ, quantas uires
habeat ad temperandum dolorem, explicari ſatis non poteſt. Accedit quòd ſe-
ptuageſimum ingreſſus annum, quàm diu in familia noſtra uixit nemo, quòd fun
ctus omnibus honoribus, quòd repub. incolumi, quòd liberis honeſto loco poſi
tis, incredibili deſiderio, & amore ciuitatis exceſſit. Frequentia funeris tanta (ut
audio) quanta in ciue nunquam. Reliquum eſt, ut fratres tibi meos cõmendem,
& quando mecum eſſe non potes, illos mihi, non modò ut conſolator ſedulitate,
ſed ut pater amore proſequaris. Vale. Romæ, Idib. Decemb. M.CCCCXCII.

HERMOLAVS BARB. PATRIARCHA AQVIL. M. L.
PONTIFICI SIGNINO S. D.

PVtabam Signina tantum uilla, atq; pyra celebrari, ſed uideo & Signi-
nis epiſtolis ſuum decus eſſe. Placent mihi tua ſemper omnia, ſed quæ
cum pyris proximè ſcripſiſti, mirificè probauimus, adeò ut præ illis py
ra, quæ alioqui præſtantiſſima fuere, ſorduerint. Interpretationẽ tuam

de Gellio

de Gellio ita planè ſequor, ut nihil magis poſſim. Delector uerò maximè, quòd Plinium à nobis iure laudatum cenſeas, quòd ſunt nonnulli, qui ſiue quòd libros eius nõ intelligunt, ſiue quòd præpoſteris imbuti literis, iniquo animo ferant tantum uni uiro tribui, quantum ipſi perſpicere, & aſſequi coniectura non poſſunt. Ita eſt, idem' que ſemper fuit: Damnat quiſq; quod ignorat. Dolemus ferè in eo quenquam uideri ſapientẽ, in quo ipſi nullo modò ſapientes eſſe poſſumus. Nec eſt hoc uulgi modò uitium, magna quoq; ingenia plerũq; implicat. Obrepit hæc multis, hæretq; labes alioqui honeſta ſpecie, quaſi quod ſentiant, liberè loqui uelint: bene autẽ ſentire, cuius quiſq; ignarus ſit, non poteſt. Ita fit, ut qui ſeipſi noſſe debuerant, & ſuſpẽdere iudiciũ de aliena profeſſione, petulanter & temerè pronuncient, quodq; ſequens eſt, maximè rideantur, & ſuggillentur. Huic peſti contraria uirtus eſt candor, qui bonis & ſimplicibus ingenijs, etiamſi nõ ſumma illa & eminenti doctrina cultis, adeſſe ſolet, ſua uitia cognoſcere, alienas uirtutes extollere, quæ ſciunt ipſi parua ducere, quæ alij ſaltem non contemnere, uires ſuas ex alienis laboribus expẽdere, non ex ſuis alienas æſtimare: quid ſuo ſeculo profecerint, quanti ſit, ꝗ ſunt, quòd ſpirant, ꝗ in cœtu uerſant hominũ, quantũ operę literis impẽderint, quantũ diei, quantũ noctis in iocos, in nihili res abſumpſerint, quantũ legerint, ꝗ multa nõ legerint. Faciunt hoc alba, & (ut Gręci dicunt) bene nata ingenia: quorũ ſumma, & certa proprietas eſt nunq; docere, doceri ſemper uelle, iudiciũ odiſſe, amare ſilentiũ: quibus duobus tota Pythagoricorũ & Academicorum continetur præceptio. Hæc illa eſt, aut nõ magnopere diſſimilis, uirtus, humilitatis nomine celebrata Chriſtianis: quæ ut ad ſalutẽ æternitatiſq; gloriã certiſſima eſt uia, ſic in omni uita homini, præcipuè literato, neceſſaria comes eſt, ſine qua nec dociles in inueniẽdo, nec prudentes in iudicando futuri ſumus. Sed tranſuerſos rapit audacia & ſuperbia. Imperitia ſua cuiq; mala eſt, ſed ignorata peſtis. Initium ſapientiæ (ut Plato ſcribit) imperitiæ ſuæ agnitio: neglectũ hoc confidentes, & miſeros facit. Euectus ſum, non dico inuectus, ultrà quàm uolui: ſed nunquam ſatis eſt arrogantiam inceſſere: alioqui ſi nominib. parcas, nulli hominum generi conuicia periculo minore facimus, quòd nunquam de ſe dictum putant, qui omnia ſibi tribuunt. Caſtigatio Pliniana, quando ita uis, imò iubes, urges, increpitas, exibit quocunq; alite. Mirum dictu, quantum doctis uiris improbari hæc noſtra cupiam, ut mihi, quod alijs quoq; pluribus eueniat, non fuiſſe iſthæc errata, ſed parum intellecta, quæ mihi errata uideantur. Nam indocti noſtra recipiant, an reijciant, parum intereſt: ab ijs enim laudari etiam laudanda, laus non eſt. Hunc mihi ſtomachum uel autoritas tua, uel Signina certè pyra faciunt. Vale, ſexto Calend. Nouemb. M.CCCCXCII.

HERMOLAVS BARBARVS PATRIARCHA AQVILEIENSIS PICO MIRANDVLAE SVO S. D.

SAluus ſis. Accepi literas tuas, quib. magnopere lætari te ſcribis, quòd Plinianam caſtigationem ſuſceperim. Iactare me hoc opus Naturalis hiſtoriæ nobiliſſimũ, & ſine dubio cœleſte, in quo uno barbari & Gręci nobis inuidere poſſunt, minus auidè à ueteribus exceptũ fuiſſe, ſerò in manus haberi, parciſſimè legi cœptum. Reſpondeo uerum eſſe. Ita prædicare ſoleo, eiuſq; rei argumẽta duo ſunt. Primum, quòd eum pauciſſimi citant, idq; in leuiſſimis ferè cauſis, aliqui etiam coarguunt. Gellius dum malignè laudat, in ordinem quoq; redigit. Macrobius poſt Q. Fabium miratur quidem eum, ſed ſi legiſſet, cœnas ſuas fortaſſe lautiores fecisſet, nec aliqua parum uera in ſecundas,

& arbotarium ſuum contuliſſet. Hieronymum aliquantò plus ſtudioſum eius hominis fuiſſe conſpicio. Nam Seruius Grammaticus uidetur eum non guſtare, ſed olfacere: imò quaſi canis Aegyptius currendo lambere. Alterum indiciū, quòd nullus ferè liber maioribus, & pluribus non dico uitijs, ſed portentis ſcatet, nempe quia diu iacuit infrequens, & cunctanter aditus. Sunt libri eodem quo arua fato, ſi negligantur, ſentes alunt, & monſtra, quibus tollendis non unus Hercules ſit ſatis. Dixi rem, nunc cauſam eius accipe. Duo ſunt ꝓpter quæ ad nouos libros concurſus fiat, res & uerba: utrunq; ueteres affluebant, nobis emendicanda ſunt turpiſſimè, uel minimè: illis Romanæ linguæ decus ſtabat, nobis concidit. Latinus illis ſermo quaſi uerna erat, nobis alienus, externus, uenalitius. Illis utraq; lingua ſuppetebant autores, à quibus omnia ea tanquam à fontibus haurire non ſolum facultas, ſed uoluptas erat. Vnde iſthæc præſidia nobis? unde uiui latices? unde auxiliares illæ copiæ? In tanta librorum non iactura, ſed naufragio, non clade, ſed interitu, non ſumus omnino dijs odioſi, quando ſuperſtes eſt Plinius: ſuſtentat ille nos utcunq; mutilus, decurtatus, lacer. Niſi extaret, actū eſſet, tunderemus aquam omnes: ſi eadem quæ cæteros ademiſſet nobis eum calamitas, profligata ſpes omnis eſſet latinæ rei conſtituendæ. Nunc eo duce, quanquam ſemianimi, & exangui uiuimus: & niſi ipſe mihi blandior, uidetur in dies proficere, habetur in manibus, celebratur, colitur. Ad eum omnia ferè ſcripta & dicta relegamus. Cenſetur indoctus, qui Plinium nō legit: indoctior, qui lectum contemnit: indoctiſſimus, cui non ſapit. Debet ætati noſtræ plus quàm ſuæ Plinius: ſed nos ei magis qui per illum maximè ſubſiſtimus. Alij rem latinam iuuerūt, ille ipſe nobis eſt Latium. Tria millia, & quingenta errata in eo, necdum toto comperi, & quantum in me fuit, reſtitui; edenda primo quoque tempore, ſi amici probauerint. Vale.

HERMOLAVS BARBARVS PAVLO CORTESIO S. P. D.

PEriculoſius mihi eſt iſta, quæ poſtulas, decernere, quàm laborioſius. Sunt enim talia, in quib. diu hæſitauerim: utcunq; tibi nec poſſum negare, nec debeo, alioqui ſi tua cauſa periculum adiero, minus dolebit. Dicam igitur quod ſentio. Sturionem Gręci modò appellant hyſcam, ſiue hyſcam, id nomen porcum ſignificat. De lampreda non conſtat, ipſe tamen lampetras dici crediderim fontanas tincas, & uulgò nominatas lampetras, quaſi à lambendis petris. Sunt qui à fulgore lampyndas uocent eas, ſed autorē nullum habent. De trutta non uideo quid ſit, niſi troctam quis uocet. Ita enim piſcem nominat Ambroſius in Hexaemero, itemq; Aelianus, ſed inter marinos. Vale.

HERMOLAVS BARBARVS IOANNI PICO MIRANDVLAE S. D.

TV uerò Pice adeò nihil mihi debes, aut ſilentij, aut officij alicuius erga te mei nomine, ut mihi literæ tuæ magno etiam rubori fuerint; qui negligentiam meam pro tua deprecaris apud me, cum utrunq; à nobis apud te prius quacunq; mercede redimi debuerit. Hæc ingenij tui bonitas, candor, ęquitas. Agnoſcis alienam culpam, cum aut uitare, aut partiri certè poſſis, in mutuo crimine ſolicitus es, qui & anticategoria, & cauſa etiam meliore ſecurus eſſe poteras: aut reus eſt uterq;, aut non tu. Alioqui iam ꝙd ad te attinet, purgaſti. Reliquū eſt, ut & ipſe ſatisfaciā. Sed quid à me ad te potiſſimū ſcribi poteſt? Inhortabor ut literas amare pergas, in quib. es eminētiſſimus? Monebo ut uirtuti et bonis moribus dedare, in quib. tantū profeciſti, ut difficile cognitu ſit,

utri philoſophiæ parti maiorem operam impenderis, ei quæ ſpectatiuas, & inſtru
menta continet, an ei quæ dogmaticen, parænetic enq́; complectitur? Omnino
ſummum, & humano captu maius eſt, quod tu aut genio, aut certè opifici tuo de-
bes, tam tenera ætate conſecutus, q̃d extrema ſenectute impudentiſſimum opta-
re. Non ſunt hæc Pice tua, naturæ ſunt, Dei ſunt: quanq́; ſi aliquid tuum eſt, hæc
maximè tua ſunt. Vide quanto minus tua dici poſſunt, nobilitas fortunæ, ualetu-
do, forma, quibus bonis tam nulli cedis, quàm nec illis, quæ magis tua ſunt. Huc
te hortor conuerte, hoc diu, & noctu uolue, quantum nomen ei ſis, qui te uſque
adeò ditauit, ut nec ſoluendo, nec expunctando ſis unquã futurus, quæ poſſides.
Cogita quantum poſſit, qui te iſta poſſe uoluit: quantum amet, qui te de tam mul
tis millibus ſibi legit, qui ſenes puer ferè uinceres: quibus nondum ephebus, eru
ditorum hominum coronas in admirationem doctrinæ tuæ uerteres. Niſi hoc ui-
des, niſi æſtimas, iam nunc affirmo tibi, & libera uoce prędico, te non tantum eſſe
quantum es. Immenſum & infinitum eſt, quod mihi de te pridem ſpopondi, &
ſpondeo: ſed opinionem præſumptam nec oratio nec prædicatio conſequitur.
Facio ego ut ſolent, qui quanto plus aliquem mirantur, & explicare uolunt quod
ſentiunt, eo minus id aſſequuntur quod uolunt: ut quanquã magnum aliquid ani
mo concipiunt, uerba tamẽ deſint, & moliri potius quàm dicere potuiſſe uidean-
tur. Proinde tu ne hæc auſculta, quę nunc deſcribo, foraſq́; promo, ſed illa potius
intellige, quæ intus de te ſolus & tacitus loquor, tanto hercle maiora, quanto co
gitatio ſermone hoc eſt. Marſilium ſaluta, & Saluiatum tuum. De Politiano nihil
opus eſt labores, qui breui (ut audio) mecum erit, quo nihil mihi poterat in hac
legatione tota iucundius accidere. Bibliothecam iſtam in dies maiorem & orna-
tiorem inſtrui tam gaudeo, ut nihil ſupra. Debent Florentinis literæ, & inter Flo-
rentinos Medicibus, & inter Medices Laurentio, qui gentilitium hoc familię ſuę
decus non minori cura fouet, q̃ Rempublicam, cuius adminiſtrandæ conſtituen
dæq́; ius habet. Vale. Mediolani, Cal. Ian. M. CCCCLXXXVII.

HERMOLAVS BARBARVS ROBERTO SAL-
VIATO S. D.

FAlleris Saluiate, ſi quid aliud præter occupationes meas ſuſpicaris fu-
iſſe, quamobrem tibi nondum reſponderim. Vulgaris hæc, & iactata
ſilẽtij redemptio, ſed meherele tam uera, ut niſi tu eam probes, de meo
in te amore, fide, ſtudio malè meritus eſſe uidearis. Gratiſſimę mihi ſem
per literæ tuæ omnes, ſed illæ ſupra modum, in quibus Mirandulani mei nomen
atq́; mentio: nihil eſt eo uno mirius in literis, nemo quem laudari, ornari, in cœlũ
tolli malim, nemo à cuius prædicatiõe digredi minus poſſim: in quo ſum fortaſſe,
nulli tamen eſſe uideor, intemperans: tam multa in eo laus, tam nulla fini, ut iam
& ambitioni, & aſſentationi locus deſit. Apologiam eius legi, & in ea me. Quid
ille mihi tantum tribuit, tam parum merenti? cur ordinario teſti, ne dicam grega-
rio, tam honorifica præfatione denũciat, illo præſertim opere, quo nihil ſubtilius,
uehementius, acutius? de quo tamen ſatius eſt iudicium meum differã tantiſper,
dum planè totum perlego. Quoniam autẽ reſcire cupis quid agam: ecquid aliud
poſſum dicere, quàm ſtudeo? Publica quidem curatio, nonnihil inſtãtiæ illi meæ
detrahit, imò ſtudijs non inſtantiæ: inſto enim acrius, & penſum exigo acerbius:
quod mihi uis maior abſtulit, aſſiduitate ſarcio, quãto mihi negotiorum plus ac-
ceſſit, tanto auiditatis & alacritatis plus incuſſit. Itaq́; ferias illas omnes, quas ua-
letudini priuatus homo dabam, in publica diſtribuo: ita quod mihi ex una cauſa
deperit, ac decidit, alia ratiõe corrogo. Credo aliàs ad te ſcripſiſſe, aut dixiſſe tibi,

qui ex me audierint, inſtrumentum Ariſtotelis: ita enim logicen Peripatetici ferè appellant, itemq; libros octo de auſcultatione phyſica, & treis eius rhetoricos in latinum à me pridem conuerſos eſſe. Dioſcorides iam perfectus eſt, manus ei nunc à me ſumma imponitur: parata filiæ dos eſt, propediem locabitur. Tum leuatus onere Ariſtotelem aggrediar totus totum, qui niſi aliò me deus auocet, ab Dioſcoridis editione biennio ferè prodibit, abſolutus utiq; in logicis, & cum eo cõmentarij, quos in poſteriores analyticos iam perfecimus. Poſt emiſſa hæc inibo naturalia, & diuina, itẽ rhetorica, & poetica, partim cõmentationibus, partim annotationibus, omnia eius philoſophi uolumina pro uirili mea inſtruens. Sunt enim & in problematis, & in animalium hiſtorijs nonnulla, quę claritatẽ lucemq; deſiderant, ea curſim, & breuis annotamenti lumine præterfluam: paratus nihil præterea nouum aggredi tota uita. Etenim comprimenda mihi eſt auiditas, imò improbitas hęc ingenij, ne dum reſtibile ac fertile haberi ſe uult, idem operoſum, & ambitioſum eſſe uideatur: cottidie uerius experior, quàm dici ſolet, paria eſſe amplecti omnia, & nihil. Vale. Mediolani, duodecimo Calendas Nouembres, M.CCCCLXXXVIII.

HERMOLAVS BARBARVS IOANNI PICO MIRANDVLAE S. D.

HExaemeron tuum nudiuſtertius ad nos Saluiati opera delatum, ita auidè legi, ut prima ſtatim die, nec tota, ſine interſpiratione totum hauſerim. Tria me in eo mirificè delectant. Primùm, quòd oratio tua docet, & mouet, id quod & in ſacris literis ueteres theologos, & in philoſophia etiam naturali Pythagoricos & Platonicos obſeruaſſe conſtat, recentiorib. in docendo tantum ſudantibus. Alterum, quòd in tanta rerum copia & impunitate diripiendi, tam caſtas & innocentes manus habes, ut in hoc ſcribendi genere teipſum, non alium ſequutus eſſe uideare: atq; hoc iam nec cum ueteribus, nec cum neotericis commune, ſed tibi peculiare, atq; tuum eſt. In quo quidem (ſenſum tibi meum aperiam) ita ſum affectus, ut quoniam hæc priores illi non dixerunt, quæ tu dixiſti, nihil ferè dixiſſe mihi uideantur. Tertium, quòd uideo te non tam Ariſtotelis, quàm Platonis, & ſectarum eius ſacris initiatum, plenos inde hauſtus in hanc lucubrationem contuliſſe. Omitto quàm multa ex Plotino egregia, quàm curſim & eleganter attigeris, ut quicquid ferè quatuor eius & quinquaginta uolumina in ſex nouenarios à Porphyrio digeſta continent, non plus legiſſe, quàm edidiciſſe uidearis. Nec illud præterire poſſum, ꝙ inter nouos & ueteres theologos ita medium te geris, ut nec illorum ſimplicem maieſtatem oderis, nec horum ambitioſa ſubtilitate rapiaris. Ita fit, ut dum alteros potes, utriuſq; generis optima decerpſeris, id quod in ipſa quoq; Dauidici poematis enarratione facturum te ſperamus. Vale. Venetijs, pridie Nonas Septemb. M.CCCCXCIX.

HERMOLAVS BARBARVS IOANNI PICO MIRANDVLAE S. D.

SAlue humaniſſime Mirandula. Ego uerò de te tam libẽter ubiq; prædico, ut nihil maiore uoluptate faciam: non ſolum quia nihil (ut inquit Plato) iucundius auditur, quàm ueritas, ſed etiam quia (ut Palemo inquit) multo eſt dicere, quàm audire uera iucundius. Accedit quòd labore nullo (ut eſt apud Aeſchylum, Menandrum, & Euripidem) ſæpe etiam non quæſita ueritas prodit, inuitiſſimo etiam plerunq; homini exprimitur, nullis quęſtionibus, ſed ſua tantũ ui. Hæc eſt tyrannis illa, quam tu candorem tuum ſecutus,

huma-

humanitatem & bonitatē interpretaris. Et hercule tu iam tantus es, ut qui te non
laudat, iudicio & exiſtimationi ſuæ detrahat. Rem ſuam agunt, rationib. ſuis con
ſulunt, ſuam famam redimunt, qui fauent & cupiunt tuæ. Multa ſunt in diario tuo
nomina, quæ tu neſcis, tibi creditores tui debent. Multi conſiliū Prodici ſequunť,
dant ut accipiant, manus manum ſcabit, ut Epicharmus recinit: quanto ſanè cre-
ditoribus, id eſt, laudatoribus tuis minus debes, tanto plus tibi, qui eos uelint, no
lint, creditores facis tuos. O inauditū genus ęris alieni, creditores eſſe, nō eſſe de-
bitorē. Sed occupatior ſum, ꝙ ut tecū diutius luſitare poſſim. At tu ꝙ ſolutus es,
dij boni, ut quenquā patiare feriantem. Hactenus obſecro me tuleris: longiorem
iocum aliquem ut admittas non poſtulo, oſcitatiunculam breuem poſtulo. Vale
cum Politiano meo. Romæ, Idibus Auguſti, M.CCCCXC.

HERMOLAVS BARB. ORATOR VENETVS, PATRIARCHA AQVILEIENSIS, IOANNI PICO S. D.

BEne eſt, bene conuenit, qui multū amas, multum ut mihi pontificatum
Aquileienſem congratuleris, multo etiam maiora mihi tribuas, & omi
neris, ꝙ aut poſſim optare, ſi ſim cupidiſſimus: aut promereri, ſi mode
ſtiſſimus. Scio pietatē tuam erga me, uideo quanti me facias, agnoſco
uim amoris tui, nihil habeo cōpertius. Vtinā aliquando ſit, ut mihi tecum uiuere,
de natura, de Deo, de ſanctis moribus philoſophari liceat. Quantū hoc cupiam,
quantū ſecundis meis rebus acceſſionis factū iri iudicem, ſi hoc eueniat, nec poſ-
ſum exprimere, nec ſi poſſim, hoc utiq; loco uelim. Obſecro, ſi me unquā bene-
uolentia tua dignum exiſtimaſti, eodem numero, & loco etiam meliore, ſi fieri po
teſt, apud te cenſear Hermolaus, & ſacerdos: ut quem paganū ſeculi dilexeris, mi
litem Chriſti factum arctius colas, & chariorē habeas. Ego te & clariſſimas uirtu
tes tuas tam poſſum non prædicare, non admirari, non tollere, ꝙ tu non augere.
Si aſſentior, aut mentior, tibi, hoc eſt, doctis omnibus ſim cōtemptui. Tenuit me
pridem ſuper te, rebusq; tuis * nunc ſtupor, & ectaſis ſcientiæ. Patienter hæc
leges, nec exaltatum erit cor tuum, nec elatos habebis oculos. Cur enim tibi pla-
ceas: qui noueris hęc bona, quę poſſides, nō tua, nec de peculio tuo eſſe, ſed pro-
fectitia, & dominica? Ignoſce, rapuit & euexit me tranſuerſum ueritatis Aquilo,
& charitatis Fauonius. Vale. Romæ, pridie Cal. April. M.CCCCXCI.

HERMOLAVS BARB. GEORGIO MERVLAE S. D.

PLato in diuina illa ſua inſtitutione de legibus, inter prima cōmemorat
in omni repub. præſcribi, caueriq; oportere, ne cui liceat, quæ compo-
ſuerit, aut priuatim oſtēdere, aut in uſum publicū edere, anteq; ea con
ſtituti ſuper id iudices uiderint, nec damnarint. Vtinam hodieq; habe-
retur hæc lex, Merula uir doctiſſime: neq; enim tam multi ſcriberēt, neq; tam pau
ci bonas literas diſcerent. Nunc & copia malorū librorum offundimur, & omiſſis
eminētiſſimis autoribus, plebeios & minutulos conſectamur. Et quod calamito
ſiſſimū eſt, periti iuxtà, imperitiq; de ſtudijs impunè ac promiſcuè iudicāt. Ex hoc
fonte perſuaſio illa exitialis & monſtroſa manauit, philoſophos, iureconſultosq;
non poſſe eoſdem eſſe, & eloquēteis. Quam ſententiā quia multis locis tum fan-
do coràm, tum ſcribendo taxauimus, non dubito quin odia, & offenſionem mul
torum incurrerim, aut, quod tibi frequēs prouerbium eſt, irritauerim crabrones.
Sed quando militiæ huius ſacramentum adijmus, capitale eſt decedere pręſidio.
Equidem ſtatui, modò in me aliquid facultatis ſit, non rixando, iurgandoue, ſed
ſcribēdo interpretandoq; probare cauſam meam uiris doctis: ut ipſa mihi res te-

ſtimonium afferat, nullam eſſe omnino materiam, quæ genus illud dicendi preſſum ac floridum æquè recipiat, atque hiſtoriam naturæ. Non eam modò, quæ rationes eius particulares & ſenſiles cõtinet (nam hoc Plinius Secundus extra omnem controuerſiam conſtituit) ſed eam quoque, in qua uniuerſales & ſpectatiuę quæruntur. Quod genus in Themiſtio primus ego attigiſſe, quod ſciam, credo. meum propoſitum, rogo te Merula, quibuſcunq; potes rationibus prouehe. Eſto mihi non defenſor adeò, ſed adiutor, & cenſor. Quoniam uerò negari non poteſt, incidere in philoſophia locos, quibus explicãdis fingere ac nouare quædam neceſſe ſit: idq; & M. Tullius, & omnes ueteres concedunt, modò id nobis cum præfatione quadam, ceu præſtito honore agatur: aut, ut ille ait, modò quæ ita nouis nominibus notamus, latina monera uideantur percuſſa: in hoc te æquiſſimũ habere uelim æſtimatorem, & iudicem, ut ſi qua in libris inueneris aut omnino factitia, aut licenter, ne dicam immodicè ac duriter tranſlata, aut per abuſionem audaculè tranſpoſita, aut imitatione aliqua fortiter afformata, culpam tu nobis hanc totam præſtes atque condones. Nec tamen multa te, ut arbitror, offendent. Decẽ ſummum, aut circiter uerba opere toto comperies, quæ arrepta de foro dici non poſſint, atque horum etiamnum aliqua iam latinis auribus trita deſumpſimus, alíqua ipſi peperimus. Cætera non abhorrent ab uſu uel doctorum. Sed explicare non poſſum, quàm mihi hæc, quæ ſcripſi, non ſatisfaciant. Non quòd melius potuerim tum, cùm illa ſcribebam, ſed quòd nunc ſi mihi eadem exigenda ſtylo eſſent, infinitum, quàm uideantur mihi poſſe & commodius & locupletius dici.

Nec mihi aliquis illud obijciat, cum te excuſaris, Barbare quid loqueris? Non enim ad id ualere hoc, quod modò dixi, uolo, quo qui perfrixiſſe ſe queruntur, ſed ut declarem me in illa hæreſi conſtantius perſtare, ut putem ferè facilimũ eſſe, philoſophiam latinis literis mandari: quandoquidem illa ipſa minus latina, quæ aut quòd in rariore ſunt uſu, aur quòd priuata, & ſua philoſophis ſunt, quæſita uenia dicere neceſſe habuimus, nihilominus arbitramur poſſe illuſtrius & elegãtius nominari. Alioqui ego ea non proinde ſignanda eſſe, recipiendaq; cenſeo, ſed tantiſper dum aptiora aut inuenio, aut ab alijs doceor, tanquam precario ijs utemur. Dicauimus porrò tibi libros Themiſtij de ingenio animæ, utranq; ob cauſam, & ut argumẽto hoc utcunq; ſcires te à nobis amari, colíq;, & ut agnoſcens in nobis impetus aliquos, bonę frugis indices, pro tua bonitate humanitateq; quibuſcũq; rebus poſſes, faueres. Vale. Venetijs, M.CCCCLXXX.

HERMOLAVS BARBARVS PETRO CARAE IVRECONSVLTO ET ORATORI FACVNDISSIMO S. D.

DVxit uxorem clarus bello, & pace uir Triuulcius Neapolitanam prænobili familia. Inuitatus ſum ad conuiuium, imò ad pontificiam & adipalem cœnam. At ego ad epulas primas ſatur, ſpectator potius quàm conuiua fui. Credo gratũ fore uel tibi, uel poſteris, ſi fercula quàm breuiſſimè deſcripſero: non ut Macrobius apud noſtros, nec ut apud Græcos Athenæus iuſtis uoluminibus, ſed ut occupatus homo, & ad epiſtolæ menſuram. Primùm, aqua manibus data, non ut apud nos ſtantibus, ſed accumbentibus, utique roſacea. Tum illati pugillares ex nucleis pineis, & ſaccharo paſtilli. Item placentæ nucleis amygdalis, & ſaccharo cõfectæ, quos uulgò Martios panes uocamus. Secundum fertum, altiles aſparagi. Tertium, pulpulæ: ita enim popinæ appellãt, & ieiuſcula. Quartum, caro dorcadis toſta. Quintum, capitula iunicum, uitulorum'ue, unà cum pellibus elixa. Sextum, capi, gallinarum columbarumq; pulli, bubuleis comitati linguis, & petaſonibus, ac ſumine, omnibus elixis, addito Ly-

moniacæ

moniacæ pultario: ſic enim cupediarij Mediolanenſes uocant, quam noſtri ſermiacam. Septimum, hœdus integer toſtus, in ſingulas ſinguli capidas, cum iure, quod ex amaris ceraſis, ſiue ut quidã malunt appellare, lauroceraſis, condimenti uice fungitur. Octauum, turtures, perdices, phaſiani, coturnices, turdi, ficedulæ: & omnino plurimi generis auitia, molliter & ſtudioſè toſta. Colymbades oliuæ condimenti loco appoſitæ. Nonum, gallus gallinaceus, ſaccharo incoctus, & aſpergine roſacea madefactus, ſingulis conuiuis ſinguli patinis argenteis, ut & cætera quoq; uaſcula. Decimum, porcellus integer toſtus, in ſingula ſinguli crateria iuſculento quodam liquore perfuſi. Vndecimum, paui toſti, pro condimento ſeu copheon ius, imò ferrugineum è iocinoribus piſtis, & aromate precioſi generis, ad portionem & ſymmetriam additum, Hiſpani * appellant. Duodecimum, tortus orbis ex ouo, lacte, ſaluia, polline, ſacchareo, ſaluiatũ uocamus. Tertiumdecimum, ſtruthea cotonea ex ſaccharo. Quartumdecimum, carduus, pinea, ſcolymon, ſiue cynaram potius appellare conuenit. Quintumdecimum, à lotis manibus bellaria, & tragemata omnis generis ſaccharea. Inducti mox hiſtriones, pantomimi, petauriſtæ, aretalogi, funambuli, choraulæ, citharœdi. Singulis porrò fer culis præibant faces, atque tubæ: ſub facibus incluſa caueis altilia, quadrupedes, auiculæ, omnia uiuentia generis eius uidelicet, cuius ea quæ magiſtri & ſtructores cocta menſis inferebant: menſæ per atrium abacis ſingulæ ſingulis diſpoſitæ, ſed & priui priuis miniſtri. Ante omnia ſilentium, quale ne Pythagorici quidem ſeruare potuiſſent. Vale. Mediolani, Idibus Maijs, M.CCCCLXXXVIII.

Ἑρμόλαος ὁ Βάρβαρος Ἰουστίνῳ τῷ Δεκαδύῳ
εὖ πράττειν.

Καὶ πολλὰ φιλῶν, καὶ διὰ τὴν φιλίας ἀρετὴν, ἄξιος αὐτὶ φιλεῖσθαι πέφυκας, ἄλλως τε καὶ ἀπὸ τῶν σῶν μεγάλης τῆς σπουδῆς. ἐγὼ δὴ πρῶτον μὲν, σοῦ παρ' ὑμῶν ἐπαίνους κατὰ πολλὰ μείζους καὶ πλείους τῶν προσηκόντων ἐπίσταμαι. ὅμως συγγνώμη σοὶ τὸ πρῶτον ἐπιστεῖλαι ἐκ τοῦ ψεύδους ἀρχομένῳ. αἴτιος γὰρ τούτου, σαφῶς οἶδα οὐ σὺ καθέστηκας ἀλλ' ἐκεῖνος ὁ περὶ λόγους παιδείας, σαυτὸν τ' ἔλαθες διὰ τῶν ἐγκωμίων νόμους ὑπερβάς. καὶ τὴν περὶ ἐμοῦ τ' ἀνδρὸς ἔδειξα γνώμην οὐκ ἀληθῆ. μᾶλλον δὲ καὶ παρελήλυθας πολὺ οὐκ ἄκων γε σύ. πῶς γὰρ ἀπιστεῖν οὐκ ἔδει περὶ τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα ἐς ἡμᾶς ἔδωντι, καὶ μὴ μελαγχολᾶν ἡγεῖσθαι τὸν διηγούμενον; ἐπῆρον ταῦτα περὶ φίλους αὔγουστος, ἐπίδοται. μαρτυρήσει περὶ τούτων ὦ 'γαθέ, εἰ καὶ συμβὰς τοῖς ὅρκοις καὶ θεῶν φάμενος ὑγιὲς οὐθὲν, τῇ τε ἄλλῃ γνῶμαι ὤν, καὶ τοῦ ψεύδεσθαι φειδόμενος, ταύτῃ ἀναιδὴς καὶ πανταχοῦ σαθρὸς φανήσεται. χάριτας μὲν οὖν σοι περὶ πολλὰς ὀφείλων οἶδα, ὅτι μου μετ' εὐφημίας ἀεὶ μνημονεύων διατελεῖ. σκοπείτω δ' ὅμως τὸ εὐεπίδεον ἐκεῖνο. αἰνούμενοι γάρ φασιν, οἱ ἀγαθοὶ, πρόσθεν τινὰ μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἐὰν αἰνῶσ' ἄγαν. ἔστω. ὃ μὲν δὴ λέγεις σὺ, ἐπειδὴ περὶ τὸ διασήμαδος πολλῷ κεκώλυσαι καὶ γνωρίζειν ἡμᾶς, καὶ ἡμῖν γενέσθαι γνώριμος, χρῆσθαι δ' εἶναι περὶ δευτέρῳ, δηλονότι περὶ γράφειν ἐπιστολὰς, ποιεῖ τοῦτο παρακαλῶ σε προθυμότατε μοι ἐκεῖσε, συνεχῶς. καὶ τοῦ πνεύματος ἁμαρτάνων, φασὶν, ἐπὶ τὰς κώπας χώρει. ἐμὲ δὲ τῇ τε ἄλλῃ προθυμίᾳ καὶ περὶ πρὸς τὸ ἀντεπιστεῖλαι ἐπιμελεῖ, μηδέ ποτ' ἀπῃλλαγμένον εὑρήσεις, κἂν ἴδωσε ποτὲ τὴν ὄψιν (τοῦτο γὰρ ἴσως οὐκ εἰς μακρὰν θεῶν τε δίκαιμα ποιούντων συμβήσεται) ἅμα τοῦ νῦν καὶ φιλῶν καὶ γράφων, οὕτως εὖ ποιῶν τότε κατὰ δύναμιν ἐπαύσομαι. ἑκάτερον ἅμ' ἐλέγξαι φιλοτιμούμενος, τήν τ' ἐπωνυμίαν, ὡς ἄρα Βάρβαρος οὐχ ὑπάρχω, καὶ τὴν παροιμίαν, ὅτι καὶ αὐτῷ Βαρβάρῳ χάριτες. ἔρρωσο. ιε τοῦ ἰουλίου.

Ἑρμόλαος ὁ Βάρβαρος ἀντωνίῳ πυρροπύλῳ ἐνδοξοτάτῳ ἰατρῷ καὶ φιλοσόφῳ εὖ πράττειν.

Καὶ πολλῶν καὶ πολλάκις ἀκούειν ἡμῖν δεῖ διεξιόντων περὶ σοῦ, τήν τε γενναίαν ἱκανὴν καὶ πάνυ φιλόσοφόν σου προαίρεσιν περί τε τὴν ἄλλην σοφίαν, καὶ δὴ τὴν περὶ τὰ μαθήματα, καὶ τὴν φύσιν, καὶ τὸ ταύτης ἀξιολογώτατον μέρος ἰατρικήν, καὶ τέλος ὡς ἄρα μόνος ἁπάντων ἀνθρώπων εἴης, ὅ γε καὶ ὑπὲρ τὸ γινέσθαι φίλον, καὶ διαλέγεσθαι, παρόντα πάντα δέοι φιλοτιμεῖσθαι. καὶ οὐδένα πόνον ἄγασθαι τούτου κρείττω. οὕτω τοίνυν πολλῶν καὶ μεγάλων ὄντων σοι πλεονεκτημάτων κατὰ ἀρετήν, ἀθυμίας ἔχομαι δι᾽ ἑκάστης κατ᾽ ἀμφότερα, καὶ ὅτι κινδυνεύω σοι διατελῶν τοιούτῳ ἀνδρὶ ἄγνωστος. καὶ ἐπεὶ τοῦτό γε θεραπεύειν ἔξεστι ταῖς πρὸς ἀλλήλους ἐπιστολαῖς, ὅτι γε διὰ οὐδεμίαν ἐλπίδα ἔχω τοῦ ἐντυγχάνειν σοι ποτὲ κατ᾽ ὄψιν, ἔστι δ᾽ ὅμως ἡμῖν παραμυθία τῆς λύπης ὑπόλοιπος ἐλαχίστη μὲν ἐκείνη ὦ Ζεῦ καὶ θεοί, μόνη δὲ καὶ ἄλλας ἀγαπητή, τὸ ἐπαινεῖν σου τὴν ἀρετὴν ἀεί. καὶ τὸ γράφειν συνεχῶς πρός σε, ἅπερ μὴ δὴ ὄχλου ἔσται, ἀλλὰ καὶ βουλομένῳ σοι μάλιστα συμβαίνοιτο. κἀγὼ μὲν οὐχ οὕτως εὐήθης, οὐχ οὕτω σκαιός εἰμι, ὥστ᾽ ἀγνοεῖν τῆς τοιαύτης φιλίας τὸ ἄνισον, καὶ ὅτι τὸ συμφέρον ἐμοὶ τὸ παρὰ σοῦ πολλῷ μεῖζον προσγίνεται, ἢ σοι τὸ παρ᾽ ἐμοῦ. ἐπεὶ δὲ τὸ τῆς φιλίας τίμημα ψυχικόν ἐστι μᾶλλον, καὶ μέτρον οὐκ ἔχει λυσιτελές, ὡς ὑμεῖς οἱ φιλοσοφοῦντες φατέ, μεγάλου ἂν ἀνδρὸς εἴη, καὶ τὸ ἦθος σεμνοῦ καὶ μετρίου, προσδέξασθαι τοὺς αἰτοῦντας εἰς φιλίαν, μήτε βαρβάρους, μήτε κακοὺς τὸν τρόπον ὑπάρχοντας, καὶ ὅλως μέντοι σὺ καλὸς κἀγαθὸς ὤν, ἅπερ τις ἄλλος, ἀντιφιλήσεις οἶμαι τοὺς φιλοῦντας. εἰ δὲ μὴ τό γε φιλεῖσθαί σε καὶ θαυμάζεσθαι, τοῦ σοφοῦ ἀλλ᾽ ὅτι οὐκ ἂν ἡμᾶς ἀφίλοις. τὸ μὲν γὰρ μεμνῆσθαί σου καὶ τιμᾶν τὴν μνείαν ἐφ᾽ ἡμῖν ὂν τυγχάνει. ὅπως δὲ χαίρω, καλούμενος ὑπὸ σοῦ εἰς φιλίαν, καὶ ξένος σοι γενόμενος, τοῦτο δὴ σοι κατέσχον. εἰ μὴ οὐδὲ τοῦτο ἤδη δεῖ σοι. πῶς γὰρ οἷός τ᾽ ἂν ἀντέχειν σοφὸς ὢν καὶ πάνυ χρηστὸς ἀνήρ, καὶ τὸν οὕτω προσκείμενόν σοι τὴν διάθεσιν μὴ προσίεσθαι. ἔρρωσο. ἐκ ἐνετιῶν γαμηλιῶνος ἕκτῃ ἱσταμένου.

HERMOLAI BARBARI IN PARAPHRASIN PHYSICES THEmiſtij præfatio ad Antonium Galateum.

Philoxenum Eryxidis, & Gnathonem Siculum gulæ proceres, imò uerò extremos, ac perditos gulones, cupediuoras'que infamant literæ, quòd conuiuijs adhibiti emungere ſe in pultarijs ſoliti eſſent, ut abſtinentibus cæteris, ſoli epulis ampliter fruerentur. Idem mihi uidentur peccare qui ſtudia liberalium artium docere, aut ſcribere ingreſſi, uocabulis ſordidis, & ex intima plebei ſermonis fece acceptis, fœdant, & contaminant omnia, ut bonis mentibus, & præclaris ingenijs, aut auerſis, aut perterrefactis, ſoli rerum potiantur, uoluptentur'que citra æmulum. Ita fiet, ut qui paulo modò humanius educati inſtitutiq́ ſunt, non reformident hæc adeò, ſed fugiant, oderint, deſpuant. Contrà, rudiſſimus quiſque, infantiſſimus'que admoliri manus ijs audeat. Quod nō contingeret, niſi quòd (ut in prouerbio eſt) balbi balbos intelligunt. Ac ſunt quidem nonnulli tam malè affecti, animatiq́, ut putent quæ in philoſophia, matheſi, iuris ſcientia tractantur, Latinè dici aut explicari non poſſe: non tam propter egeſtatem linguæ, & rerum nouitatem (ut Lucretio uidetur) quàm quòd ſentiunt humanas literas, quaſi negotium faceſſere, & impedimento eſſe maioribus doctrinis. In quo alij etiam importunius, ſtolidius'que affirmant pugnantia eſſe hæc non alio genere, quàm ea quæ diſparata, & contraria aientibus dicuntur. Proinde, uitio uertunt, ſi qui utrunque aut iunctim condiſcat, aut ab eloquentiæ ſtudijs ſe ad philoſophiam conuertat. Hi ſunt,

qui

qui plauſus modò in celebritatibus captant, qui per urbes uehuntur conſpicui, qui unicos ſe Ariſtotelis lectores, narratoresq; & credunt & prædicant. Durius fortaſſe uerbum, quàm ut uel homo minimè iurgioſus, immodeſtusq; afferat, uel ut abeſſe ab eo inuidia poſſit. Sed, fortis fortuna dicendum eſt. Nihil æquè pernicioſum in omni Republica eſt, quàm iſta perſuaſio: nihil tota uita incommodius, indignius, fœdius, quàm peruerſio hæc, & deprauatio ſtudiorum. Addicerem hoc neceſſarijs rebus, & teſtibus, ſed nolo eſſe longior in re non dubia. Illud non poſſum tacere, hoc quod uulgò creditur, philoſophos non eſſe rebus gerendis aptos, nauosq; nō aliunde habuiſſe ortum, quàm quòd ex ijs plurimi, dum ſe totos ponunt in una illa, cui addicti ſunt arte, aſpernant & deſerunt cætera, eloquentiam abdicant, id eſt, cultum & elegantiam uitæ, hiſtoriam negligunt, id eſt, magiſtram & ducem bene ac beatè uiuendi, de qua & uſus rerum omnium prouenit, & peritia tota Reipublicæ adminiſtrandæ conſtituendæ'que paritur. Hi cum legati ad externos mittuntur, cum prætores iuri dicundo ſederit, cum in ſenatu ſententiam rogantur, mirum non eſt, ſi aliquando præſentibus riſum excutiunt, ſi fatua, ſi delira, ſi extrema deblaterant, ſi tota eorum non plus incompta, quàm imprudens oratio eſt. Et hercules nullum hominum genus uiſitur tam abhorrens à ſenſu cōmuni, tam diſtorto & corrupto iudicio, quàm qui aut philoſophiam, aut ius ciuile ſine literis cultioribus adierunt. Sed mittamus obſecro hos, qui nō uerbis, ſed ferula commonendi eſſent: niſi quòd ſenex eſt pſitacus, negligit ferulam. Prius tamen quàm hinc decedo, de genere hoc ita ſtatuo, quemadmodum luſcitioſi exquiſitius cernunt ueſperi, quàm interdiu: ita hi facilius præpoſtera & confuſa, quam recta, & explanata percipiunt: & quemadmodum qui miſerè degunt (ut inquit Plato) dicunt humanum genus felix ac beatum eſſe non poſſe, ita qui diuerſum à Muſis ingenium obtinent, negant habitare eas poſſe, in quibus ipſi artibus uerſentur. Cæterùm hortor te, mi Galatee, ut adoleſcentibus iſtis ueſtris nouitios philoſophos cum ueteribus conferas, penſites'que, ut quantum interſit intelligant. Incumbe omni ſtudio, labore, dexteritate, prudentia, ut opinionem illam, de qua ſuperius dixi, quæ ferè in hominum mētibus obduruit, aut diſcutias, aut mollias. Ita enim & illos priuatim, & literatos omnes in cōmune promeritus fueris. Multum te in hoc iuuabit Pontanus noſter, cuius tanta eſt uel doctrina, uel autoritas, uel utrunque, ut ſperare ſit eum (ſi uires intenderit) talem huic malo futurum, qualis aut Sphingi Oedipus, aut hydræ Hercules fuit. Quòd ſi quos nactus fueris egregiè pertinaces (ſunt enim & in uolucrum, & in terreſtrium genere animalia, quæ fœtidis gaudeant) ad hos tu ceu aui præpoſtera ortos, luſtratos, & intemperijs actos, ac planè depoſitos deploratosq;, ne manum quidem admoueas. Nunc reſtat, ut de meipſo tibi aliqua dicam. Mirari te nolim, ſi infinitos errores, quos iſti partim imperitia linguæ, partim Ariſtotelicæ diſciplinæ inſcitia prælegunt, & defendunt in ſcholis, non coarguo. Nec enim hanc prouinciam ſuſcepimus ſcribendi res phyſicas, ut cum illis tanquam in palæſtra (ut dicitur) certaremus de laude & gloria: quippe quos uincere nullum negocium ſit: ſed ut uel nobis ipſis commentaremur hæc, ſi nullos habituri lectores eſſemus: uel ſi quibus idem, qui nobis, ſtomachus eſſet, ijs ad bonas literas aliquid opeculæ adderemus. Nec enim ſpiritus magis magnos in hoc, quàm utiles (ut ille inquit) afferimus. Nec de nobis quicquam magnopere arduum pollicemur, ſed quædam tamen inueniſſe non negamus, quæ aggredientes ad hæc tantiſper morari nō inuenta potuerint. Illud tēpus eſt in calce uti dicamus, nos tibi interpretationē in paraphraſin phyſices, pro noſtra ueteri ac ſtabili neceſſitudine

uolētes dicaſſe

uolẽtes dicaſſe: alioqui dicaturam hanc ſtipulatus à nobis es, cum eſſemus iſtic: oppigneratam tibi fidem reluimus: quanquam præſcriptione uti poteramus & fori, & decennij, ſed beneficio harum legum renunciant philoſophi, quib. in fraude ponitur uel furioſo abiurare gladium. Vale. Venetijs, M.CCCCLXXX.

HERMOLAI BARBARI IN PARAPHRASIN THEMISTII Peripatetici præfatio ad Sixtum quartum, pontificem maximum.

QVi tibi ſtudiorum ſuorũ opera nuncupant, Sixte pontifex ſumme quarte, alij id agunt, ut te utcunq; ſibi promereantur, alij ut fructũ aliquem ſentiant iudicij tui de ſe, alij ut abs te tantum probẽtur, alij ob alias cauſas. Ego uerò hæc tibi dedico, tum ut meam in te obſeruantiam, præſertimq; Zachariæ patris, qui iſtic ad te pro Venetis agit legatus, agnoſcas: tum uel maximè ut te pro fide ea, quæ à me tibi ut principi meo debetur, ſumma, inſtituti illius tui præclari, & diuini commoneam, quòd protinus quàm creatus pontifex es, flagrantiſſimè amplexus uideris, adiuuandi prouehendiq; literas, quę proculdubio ſine autoritate & diligentia doctiſſimi principis, aut interiturę penitus uidebantur, aut ad priſtinam barbariem rediturę. Nam & ingenia undique conduxiſti, et bibliothecam opulentiſſimam ære tuo, impenſaq; publicaſti. Nunc te obſecrant, obteſtantur'que bonæ omnes artes, ne (quæ tuæ maximæ occupationes ſunt) negligentiuſculè in poſterum habeantur. Errant qui credunr grauius eſſe cum quibuſuis hoſtibus, quàm cum imperitis, & indiſertis bellum. Inteſtinũ hoc, & intra parietes, ac perpetuum: illud externum, temporariumq;. In eo libertas, imperiũ, uita ſub alea eſt: in hoc labes animi certa. Per illud deſinas uiuere, ut res peſſimè cedat: per hoc uiuas omnino, ſed uiuas non homo. A barbaris, à feris, à uulgo differimus, quòd literas habemus, illi non habent: cæteris uincimur. Tolle hoc diſcrimen, deteriores ſumus quàm Barbari, quàm feræ, quàm uulgus. Hoc tibi (quod cepiſti) ſpectandum identidem, premendumq; aſſiduè propoſitum eſt. Nullæ ſint cogitationes tuæ tam multæ, tam arduæ, quæ curam tibi hanc aut excutiant, aut offundant. Sub Nicolao principe exerere ſe, ac reuireſcere ſtudia cœperunt. Niſi tu (quod facis) facere perſeueres, neceſſe eſt conſeneſcant denuò atque decedant. Igitur Themiſtium è familia Ariſtotelis elegantem philoſophũ, ad te in Latinum ſermonem conuerti: ratus non ingratiſſimam tibi rem me facturum, ſi philoſophia ea, quæ de natura eſt, Latinis literis quanta modò legitur in ſcholis, contineretur. Videbam nihil incultius, horridius, ineptius, quàm partem iſtam literaturæ haberi. Placuit periclitari in Themiſtio, an iſthęc quoq; proprietatem & lucem Romanæ linguæ reciperent. Oppido quàm laboratum mihi in hac interpretatione eſt. Non tam quòd nihil iuuari ab ijs autoribus potui, qui Ariſtotelem cõmentati fœdè ac barbarè pridem ſunt, quàm quòd ne ab illis ꝗq;, qui ætate noſtra Latinam eloquentiam profeſſi Græca eius philoſophi commentaria tranſtulerunt. Horum plerique dum alienam inſcitiam inſectantur, ſuam prodidere. Adeò omnia ab ijs peruerſè deprauateq; ſunt perſcripta, ut ſi quis interpretationes eorum cum illis ueteribus conferat, quas reprehendunt, uel in aliqua Ariſtophanis libra, aut Critolai appenſas examinet, utrę earũ uergant, internoſci non poſſit. Percenſerem ſigillatim quæcunq; peccaſſent, niſi plura eorum eſſent errata, ꝗ̃ uerba. Alioqui non inceſſendi quenquam, lacerãdi'ue ſtudio, ſed iuuandi bonas mentes hæc ſcribimus. Magnam incõparabilemq; iacturã iampridem fecimus pontifex maxime, in Theodoro Gaza, qui uir græcus Latinos omnes in

nes in

nes in hoc munere ſcribendi interpretandí que ſuperauit. Is ſi diutius uixiſſet,
linguam latinam hac quoq; parte locupletaſſet. Quod & fecit in libris illis abſo-
lutiſſimis de animalibus Ariſtotelis, & Theophraſti de ſtirpibus. Hic unus mihi
certare cum uetuſtate ipſa uiſus eſt, hũc mihi quem colerem, quem imitarer pro-
poſui. Ab huius ſcriptis adiutum me & fateor & prædico. Hunc ego nõ magno-
pere incurioſius legi, quàm M. Tullium, Plinium, Columellam, Varronem, Sene
cam, Apuleium, & cæteros, quos in hoc genere cõmentandi diligenter euoluere
neceſſarium eſt. Ne ille quoq; minimus labor noſter fuit, quòd in ijs libris uerten
dis non modò non expreſſimus uerbum è uerbo, quod interpretes indiſertos ſo
lere Cicero meminit, ſed liberè & translatiõibus, & figuris, & tropis uſi ſumus ad
morem Romanum ſenſibus ſtantibus. Luſimus arbitratu noſtro, ſed ſententiam
integram dedimus autori. Tantum uerò abeſt, ut aliquid prætermiſerimus, diſſi-
mulauerimus'ue, ut illud periculum ſit, ne quòd eruditioni impenſè ſtuduimus,
addidiſſe aliqua potius, quàm detraxiſſe, inuiſoribus uideri poſſimus. In plenum
non tam Latinum reddere Themiſtium, quàm certare cum eo uolui. Hæc enim
laus, ut ille ait, linguæ latinæ eſt, ut græcam proprietatem & gratiam in transferen
do, aut æques, aut etiam antecellas. Hoc me non dico aſſecutum fuiſſe, ſed crimẽ
meum cõfiteor. Laboraui planè hoc ambitu. Sed an effecerim quod quærebam,
alij iudicent. Ipſe certè mea nec magnifacio, nec probo. Sed quid te princeps hu-
maniſſime, oratione longa detineo? Finem faciam, ſi quædam de Themiſtio di-
xero. Is Libanij ſophiſtæ, & Iuliani Cæſaris temporibus floruit. A quibuſdam ab-
breuiator creditus Alexandri ex Aphrodiſiade eſt, ſed falſò. Nam & ab eo diſſen
tit haud timidè, cum collibuit, & ab ordine ac ſerie eius uariat. Præterea ipſemet
ſe paraphraſten Ariſtotelis facit. Eſt autem paraphraſis exercitamenti apud rhe-
toras genus. Ea finitur à Græcis hoc modo, ut ſit, quæ narrationi proportione re-
ſpondeat: aut ſic, in qua uertimus aliorũ ſcripta, non in alia, quæ humiliora, gran-
diora'ue ſint, ut à metaphora differat, ſed in paria ſenſu modò ſeruato. Quod &
Fabius duob. locis ſic explicat: Tum mutatis uerbis interpretari, tum paraphraſi
audacius uertere, qua & breuiare quędam, & exornare, ſaluo modò ſenſu permit
titur, quod opus conſummatis profeſſoribus difficile, qui cõmodè tractauerint,
cuicunq; diſcendo ſufficient. Alio item loco: Sed & ipſis, inquit ſententijs adij-
cere licet oratorium robur, & omiſſa ſupplere, & effuſa ſubſtringere. Neq; ego pa
raphraſin eſſe interpretationem tantum uolo, ſed circa eoſdem ſenſus certamen,
atq; æmulationem. Dictus eſt à quibuſdam Ecphraſtes. Eſt autem Ecphraſis me-
ra puraq; enarratio. Quod ergo diximus inter initia, doctiſſime pontifex, ſuſce-
ptum abs te patrocinium literarum ne deſere: cum dico literas, philoſophiam in-
telligo, quæ coniuncta cum eloquentia ſit. In te eruditio ſumma, & ſumma fortu-
na. Facilè ſperare poſſumus temporibus tuis futurum, ut recta ſtudia uolente te
(nam potes, nec alius poteſt) ad dignitatem priſtinam reuocentur. Vale. Vene-
tijs, M.CCCCLXXX.

HERMOLAI BARBARI IN CASTIGATIONES PLINIANAS ad Alexandrum ſextum pontificem maximum PRAEFATIO.

QVi lucubratiões ſuas regibus inſcribũt, Alexander ſexte, pontifex ma
ximè, ueterẽ conſuetudinẽ ſequunt̃. Nec intereſt qua materia, modò
nõ obſcœna. Quãdo ea literarũ dignitas, & quaſi prærogatiua ſemper
fuit, ut dicari eas ſibi principes & honeſtum & glorioſum putarent.

Adeoq;

Adeoq; nullũ genus faſtiditũ eſt, ut Iulius Pollux ad Cõmodum Cæſarẽ de grammatica, Vitruuius ad Auguſtũ de architectura, Oppianus ad Antoninum de piſcibus, Diophanes ad Deiotarum regem de agricultura ſcripſerint. Ego uerò Plinianas caſtigationes, quas legatus Romæ, necdum ſacris initiatus inchoaueram, optimis & doctiſſimis uiris ſuadẽtibus perfectas, emiſſurus, grauiſſimè reprehendendus fuiſſem, niſi eas (qualeſcunq; forent) nomini & maieſtati tuæ conſecraſſem. Futurum enim erat, ut cùm alia, tum illud quoq; diceretur: ideo me tibi eas dicare noluiſſe, quia neſcirem aut quantum ſemper ingenijs fauiſſes, aut quo demum animo princeps factus, in bonos & ſtudioſos homines futurus eſſes. Nicolaus quintus, à te ſeptimus, cum ei renunciatum eſſet, quoſdã eſſe Romæ, qui bonos uerſus facerent, negauit bonos eſſe. Cur enim, inquit, ad me non ueniunt, qui poetis etiam malis pateo? Moleſtè tulit homo ſapiens in urbe ſua eſſe, qui literas ſcirent, & neſcirentur. Quanto mihi iuſtius tu ſuccenſeas, pontifex maxime, ſi & militiæ, & ſacerdotij iure tibi ſecundum Deum maximè deuinctus, autoratuſq;, teſtimonio ſæpiſſimè ornatus, patrocinio adiutus, autoritate ſeruatus, commiſero, ut labores mei (quicunq; ſit eorũ genius) atrati, hoc eſt, ſine auſpicio tuo prodeant? Iam ipſe Plinius, ſi quemadmodũ reſtitutus ferè creditur, ita redire poſſet ab inferis, cui quæſo alij ſalutem & dignitatem ſuam, quàm tibi commendaturus eſſet? Quem ſimul atq; ſuſcepiſſes, periculum non eſſet, uti (quæ tua felicitas & autoritas eſt) denuò peſſimorum latronum præda fieret. Quinq; millia in eo ferè uulnera librariorum ſanauimus, aut certè quemadmodum ſanari poſſent, oſtendimus. Dixi librariorum, ne quis aut me parum pudentem eſſe, aut Pliniũ erraſſe dubitaret. Fuit & hęc utilitas, quòd in Pomponio quoq; Mela, quem nemo ignorat corruptiſſimum haberi, trecenta ferè loca, totidemq; in alijs autoribus mendoſa, properè in tranſitu, atq; aliud agentes correximus. Nec omnium tamen par conditio. Prodigioſa quædam, & monſtris inſignia. Secundæ tribus aliqua, minuſq; fœda. Iam quædam ex confeſſo falſa, quædam ad electionem libera. Erunt & quæ tutiſſimum fuerat omittere, ſi utilibus ambitioſa prætuliſſem, aut placere magis quàm prodeſſe laboraſſem. Nuda aliqua, & quæ uelut notare inter agnoſcentes ſatis habui: aliqua paulo pluribus uerbis explicata. Paſsim uerò authores poſuimus (id quidem uerboſum fuit, ſed occurrendum erat inuidiæ) paucisſimis exceptis, in quibus tamen non aleam, aut libidinem, ſed rationem aliquam ſecuti ſumus. Nec mihi fiducia eſt, ut (quod Fabius quoq; dixit) ea ſola eſſe cõtendam. Scio quædam inuenturos adhuc, qui ſagacius indagare uoluerint. Vtinamq; ſit tempus unquam, quo noſtra hæc & leuia & parum neceſſaria fuiſſe uideantur.

Ego uerò tametſi quantum mediocritate ualui, ſummum in ijs quærendis & exponendis ſtudium adhibui: quia tamen nec ſcire omnia profiteor, & conniuere multo ſæpius, atq; falli proprium eſt hominis: paratus ſum, ſi in ullo unquã opere, in hoc præcipuè, quod ad bonorum iuuenum aliquam utilitatem componitur, non pudorem modò adire deprehenſus, ſed & culpæ ſatisfacere. Reliquum eſt, pontifex ſumme, ut Plinium, et in Plinio literatos omnes fidei tuæ creditos, ita tueare, ut omnes intelligant, te non modò religionis, ſed etiam ſtudiorum, & bonarum artium eſſe principem. Falleris, ſi alium fuiſſe põtificem exiſtimas, de quo ſibi omnis ordo, ſexus, ætas, uel maiora, uel plura ſpoponderit. Aſſentari neſcio, etſi ſciam, nolim. Ridiculi ſunt, nec animi tui magnitudinem intelligunt, qui ea te prædicant feciſſe, quæ nouus princeps nondum facere potueris, imperium promouiſſe, autoritatem ſanxiſſe, innocentiſsimas manus habuiſſe, religionis & iuſtitiæ pertinacẽ fuiſſe. Flagitantur & expectantur hæc à te: laudari ſine adulatiõe,

priuſquam

priuſquam fiant,nec poſſunt,nec pateris. Atq; ut hæc ipſa priuatus cumulatiſſimè præſtiteris,neſcio tamen quo pacto pinguiora quædam,& grandiora deſiderantur in principe. Illud citra ſuſpicionẽ captatæ gratiæ teſtari licet,cum tu maximo rerum uſu,incomparabili prudentia,ſuprema gloria,incredibili felicitate,admirabili facundia,promptiſſimo ingenio,caſtiſſima eruditione polleas,facere nõ poſſunt homines præſertim eruditi atq; ſtudioſi,quin ſumma omnia de te ſibi, etiam tacente,polliceantur. Huius autem ſpei ſuæ fructum ſatis uberem conſecutos ſe putabunt,ſi Plinium,ſine quo uix poteſt latina res conſiſtere, in clientelam tuam ſuſceperis,ut opinionem de illo iam receptam,non ſolum agnoſcere,ſed etiã approbare uidearis.Conuelli quidem exiſtimatio eius nullo modo poteſt.Habetur in manibus,celebratur,colitur.Perſuaſiſſimũ eſt indoctos eſſe, quibus ille non ſapit. Vix tamen dici poteſt, quantum ornamenti atq; præſidij eminentiſſimo autori patrocinium tuum afferre poſſe uideatur. Romæ,octauo Calend. Septemb. M.CCCCXCII.

PRAEFATIO HERMOLAI BARBARI, CVM LIBROS ARIſtotelis domi cœpit prælegere,quas lectiões ἑωθινὰ uocauit: cœpit autem manè ſub emerſum ſolis ferè.

QVod propoſitũ meum eſſet in hac prouincia,quàm ſuſcepi, adoleſcentes optimi:quanquam priuatim & ſeorſum uobis ſępe dixi,tamẽ nunc quoq; dicendum uniuerſis,& in cõmune puto. Animus eſt,& profeſſio primũ Ariſtotelis ipſius tum uerba, tum ſenſum interpretari, deinde quid expoſitores eius utraq; lingua dixerint, referre: ſed breuiter, & cum delectu: ita nec onerati, nec inanes abibitis, id quod econuerſo faciunt philoſophi ætatis noſtræ. Expoſitores enim ipſos magna cura prælegũt,Ariſtoteles ipſe negligitur.Quam quidem rationem docendi utrum reprehendam, nec ne, nõ ſum dicturus hoc loco: certè non ſequor. Sed aliud eſt reprehendere, aliud nõ ſequi. Illud ſine iniuria cuiuſquam modeſtè dictum arbitror,eos qui philoſophiæ pręcepta tradunt Ariſtotele poſtpoſito,philoſophos fortaſſe magnos & admirabiles dici poſſe:Peripateticos utiq;,uel ſaltẽ Ariſtotelicos nec haberi nec appellari poſſe, niſi quis cõtendat Peripateticæ ſectæ placita melius ab alijs q̃ ab Ariſtotele ipſo tradi.Neq; tamẽ deterreri uolo quenq̃, ſi qui ſunt è uobis, qui præceptores huic inſtituto noſtro cõtrarios audierint,imò gratulari poſſũt utrũq;,& ꝙ perſpicaciores futuri ſunt,& ꝙ facilè iudicabũt, quid interſit inter hoc & illud præcipiẽdi genus.Cõtrà q̃q; ſi qui penitus rudes acceſſiſtis,nihil ꝓpterea deſperandũ uobis eſt, niſi potius gaudendũ, quibus cõtigerit incunabula philoſophię ab ipſo protinus Ariſtotele doceri,& eam ſtatim uiã ingredi, quã clariſſimi & caſtiſſimi quiq; ſecutores eius ſolam nouerunt. Alioqui qui putant hunc aditum patere nemini, qui ſcholas illas philoſophiæ nunquam intrauerit, in magno uerſantur errore: quandoquidem tales ſcholas nec Marcus Varro,nec Brutus,nec Plancius,nec Chalcidius, nec Boetius ingreſſi, non Alexander, non Themiſtius, non Porphyrius, non Iamblichus,non Simplicius,philoſophi tamen eminentiſſimi,& Ariſtotelis interpretes iuratiſſimi fuere.Sed reuertor unde ſum digreſſus,credo polliceri uobis poſſe duas res.Alteram: interpretaturum me uobis intra triennium, uel ſummum quadriennium,Ariſtotelis omnia uolumina, hoc eſt, quicquid ad dialecticen, quicquid ad philoſophiam naturalẽ, quicquid ad tranſnaturalem pertinet: item quicquid ad moralem,ad rhetoricen,ad poeticen. Nam de omnibus ijs Ariſtotelem ſcripſiſſe conſtat.Quorum ne centeſima pars quidẽ legitur, nec ipſa planè legitur uidelicet. Nam ex uoluminibus Ariſtotelis centum & uigintiquinq;,

aut ſex, aut ſeptem tantum legũtur. Alteram, effecturũ me pro uiribus, ut nihil ſit in Ariſtotele tam difficile, tam obſcurũ, quod aſſequi non poſſitis omnes intelligentia. Reliquum eſt, ut horter uos non ad hæc ſtudia, uideo enim incitatiſſimos uos eſſe, ſed ut ad hoc deſideriũ ueſtrũ ardens & concitatũ, afferatis & diligentiã & conſtantiam. facilè cogitamus, ut in auſcultatione naturali legitur, ſed magis facilè non conſequimur. Nihil eſt tam arduum, quò humanũ ingeniũ penetrare nõ poſſit: ſed ſine labore, ſine uigilijs peruenire nemo poteſt ad ea, quæ nos à uulgo ſeparant, & à populo. Cauendũ aũt uobis inter prima eſt, nõ dico, ne per ignauiã deſiſtatis ab incepto, ſed ne uicti difficultate uideamini, atq; ita in numero eorum eſſe, quos ipſemet Ariſtoteles à lectione cõmentationũ ſuarũ reiecit. Omnes enim philoſophi diſcipulorũ ſuorũ ingenia probabant. Pythagoras ex inſomnijs quæ per quietẽ uidiſſent: Plato in conuiuijs atq; potu. Ariſtoteles utroq; melius, ex ipſa ſermonis obſcuritate, ad quam non præſentes adeò, ſed & poſteros explorauit, quaſi aquila infantes ſuos, ut quorum oculos conniuere ſenſerit, præcipitet è ſchola tanquam adulterinos: quorum uerò acies firma cõtrà ſteterit, educet, & recipiat ut legitimos atq; ſuos. Quamobrem enitendũ uobis eſt, ut huius aquilæ uideamini generoſa ſoboles fuiſſe, non pulli degeneres & eiecti. Cęterùm tacere nolo unũ, quod ego maximũ & præcipuũ ad ſtudia philoſophiæ cõperi: quod equidẽ qui ſequi uolet, nemo eſt ingenio tam retuſo, tam hebeti, qui euadere non poſſit ad huius apicem doctrinæ. Quæritis quid hoc ſit? Abſoluo breuiter, Voluptatum fuga, id quod uerſu quodam Græco præcipitur:

γαστρὸς μὲν πρώτιστα καὶ ὕπνου καὶ φιλότητος.

Quem per iocum nos expreſſimus paraphraſi:

Venter, pluma, Venus, laudem fugienda ſequenti.

Sed finem dicendi faciam, ſi addidero ijs quæ dixi, breuẽ ſententiolam. Non ſum adeò tardus, nec impudens, qui magnitudinem huius profeſſiõis meæ ignorem, ſed fretus ſum non eruditione aliqua mea, ſed nonnulla fortaſſe diligentia, ut q̃d uel ingenio uel doctrina non poſſum, labore ſaltẽ, & cura perficiam. Propter quę ſi ſunt è uobis aliqui uel ſtudioſi, uel amantes mei, hanc unam mercedẽ poſtulo, ut Ariſtotelẽ non dico diligenter auſcultetis, ſed diligatis atq; ametis. Atq; amari quidẽ & ipſe uelim: ſed ſi amare ſimul duos non poteſtis, Ariſtotelẽ ſolũ pro me diligite atq; amate: amabit aũt tunc demũ, cum cœperit intelligi. Illud uerò perſuaſiſſimũ habetote, nullam uobis maiorẽ uoluptatẽ futuram, q̃ cum ita familiarẽ habebitis Ariſtotelẽ, ut libros eius legere continenter & inoffenſè ualeatis, expoſitoribus non conſultis. Hęc enim ſumma profectus eſt, hic finis librorũ, unde fructus ille cumulatiſſimus, & uerè beatus capitur, ut cum ipſo planè uiuo & pręſente loqui uideamur. Sed accedendi tempus eſt ad inſtitutũ noſtrum. Dixi.

ORATIO HERMOLAI BARBARI, ZACHARIAE F. LEGATI VEneti, ad Federicum imperatorem, & Maximilianum regem Romanorum, principes inuictiſſimos.

POſtquam literæ tuæ, ſacer imperator, iucundiſſimũ reſpub. noſtræ nuncium attulere, Maximilianum celſitudinis tuæ filium, principem celeberrimum & fortiſſimum, admirabili populorum & optimatum conſenſu lectũ & ſalutatum eſſe regem Romanorum, Senatus & uniuerſa ciuitas noſtra nõ contenta id per epiſtolam feciſſe, congratulatum utriq; nos miſit, & in mãdatis adiecit, ut magnitudinẽ gaudij ſui, quod pro tanta re meritò concepiſſet, nõ duob. modò uobis principes inuictiſſimi, ſed Galliæ, ſed Germaniæ, ſed omnib. gẽtibus, omnibus nationib. teſtatiſſimã & conſpicuã faceremus: cùm quia nihil tã amplũ, tam glorioſum ſacratiſſimę maieſtati ueſtrę poteſt cõtingere,

ut cui

quod ſibi quoq; pro ſua in uos obſeruantia,fide,beneuolentia commune non pu
tet:tum uerò maximè,quia cum Chriſtianum nomen,& Romanum imperiũ hoc
altiſſimo prouidentiæ ueſtræ cõſilio diuinitus amplificatum ſit,hoc tanto,& tam
cõmuni bono ſic afficitur uniuerſa noſtra reſpub.ut ſolicita ſit admodũ,ne lætitiã
incredibilem ſuã oratione conſequi ualeamus. Quanquam enim,Cæſar glorio-
ſiſſime,ut à te primùm incipiam,nihil eſt ferè,quod uel à natura, uel à uirtute,uel
à fortuna ſit expectandum,quin cumulatiſſimè conſecutus eſſe uidearis: & iam-
pridem eas res geſſeris artibus pacis & belli,quæ nomen tuum æternitati cõmen
dare poſſint: hinc tamen opinione noſtra fructum omnis anteactæ uitæ tuæ maxi
mum cepiſti,quòd filium generoſiſſimum,qui nobiliſſimas gentes, ferociſſimos
populos,bellicoſiſſimas nationes non minus armis quàm ſapientia uiciſſet, regẽ
Romanum te uiuo renunciari permiſeris.Multa ſunt maiorum tuorum Cæſar e-
gregia cùm bello,tum pace monumenta,quorum perſecutio neq; loci, neq; tem
poris huius eſt: ſed omnia ea,ut per ſe magna ſunt, & immortali memoria digna,
ita cum hoc uno tuo facto comparata multo reperiuntur eſſe minora, quàm præ
ſe ferunt.Ac geſſerunt quidem illi rem Romanam tam præclarè, ut nihil addi po
tuerit.Sed quàm diu uixerunt,& utiq; ſibi. Tu autẽ filio tuo ad gubernacula tan-
tarum rerum promoto, poſteritati quoq; conſulis, & pluribus in futurum ſeculis
prouides, ratiõe inuenta, quemadmodũ curam publicæ ſalutis retinere uidearis,
etiam poſt mortem: ratus id quod eſt,imperatoris eſſe boni, proſpicere ne poſſit
eſſe malus imperator.Principem eſſe malum,quem uitia ſucceſſoris cõmendent,
& bonum uideri faciant.Nam quotus quiſq; princeps nõ bonus ſit,ad alterũ col-
latus? Congratulatur ergo tecum ſibi, & ſecum tibi,princeps eminẽtiſſime, non
Reſpub.modò noſtra,ſed Chriſtianus orbis uniuerſus, ꝙ principem eum, quem
certatim omnes efflagitabant,& tibi facere,& ſibi habere contigerit. Rara & ui-
ſenda felicitas tua,Cæſar beatiſſime,filium genuiſſe,quem Galliç,quem Germa-
niæ,quem Barbari,quem Romani,quem populus Chriſtianus imperatorẽ opta-
re, te uiuo,te reluctante,nõ erubeſcunt.Dixi te reluctante: nam hæc tua, diue Fe
derice,propria laus eſt,non minus tibi,quàm cæteris moderari. Verebaris audio
modeſtiſſimus & grauiſſimus imperator, ne ſi precibus populorum, & principũ
omnium protinus annuiſſes, aut charitati patris in filium,aut ambitioni datũ eſſe
iudicaretur: parum tibi uidebatur præſtare Cæſarẽ in alios, niſi aduerſus teipſum
quoq; præſtitiſſes,imò qui clementiſſimus,humaniſſimus & facilimus es in cæte
ros,id quod ego non famæ credo,ſed expertus loquor: in te parum æquus & du
riuſculus eſſe uoluiſti.Nihil erat apud te fuga uoluptatũ,& continentia,quas uir-
tutes uno te nullus ante te magis cõmendauit,niſi & paternum affectũ,quo nihil
eſſe conſtat in homine potentius,nihil tam legitimum,caſtigaſſes & compreſſiſ-
ſes.Nec enim uitium erat in Cçſare,liberos ſuos,qui & ipſi ſunt Cçſares,protinus
ꝙ naſcuntur,reges eſſe cupere: quandoquidem non magis honeſtum eſt, regem
uocari,quàm Cçſaris eſſe filium.Iam patris in filios indulgẽtia popularis & plau-
ſibilis quoque ſolet eſſe,nedum ut uel inuidioſa ſit,uel probroſa. Nam in Cæſare
cõmendabilis ſemper fuit,in te uerò etiam expetitur quaſi debita. Nec iam indul
gentiæ nomen habet,ſed iuris & æquitatis. Quis enim eſt filio tuo uel bellò, uel
pace clarior? quem res aduerſæ magis exercuere? Quis proſperis & ſecũdis mi-
nus intumuit? quis in utraq; fortuna conſtantior? in labore pertinax? in remiſſio-
ne diligẽs ac præcinctus? Mitto bellicas uirtutes, quæ ut in eo præſtabiles & exi
miæ,ita nec temporum ſunt omnium,nec locorum.Attingantur pacis artes,quæ
ſemper & ubiq; ſunt uſui,ſapientia, temperantia,placabilitas,innocentia,religio,

frugalitas: hæ in iuuene uno tam præclarę, tam eminentes eſſe perhibentur, ut ne in ſene quidē imperatore maiora deſiderari poſſe uideanť: futuræ prorſus incredibiles, niſi eum ex Auſtria gēte celebratiſſima, & filiū tuū eſſe meminiſſemus. Quę cum ita ſint, immortales tibi gratiæ prouinciatim oppidatimq; habentur, & ſemper habebunť, imperator conſultiſſime, ꝙ pro cōmuni bono uerecundiā & modeſtiam tuam expugnari paſſus es. Ergo his teipſum uiciſti Cęſar inuictiſſime. Primò, cum oblatū filio tuo regnū minimè diſſimulāter auerſatus & deprecatus es, naturalemq; patris in filios pietatē uirtute plus ꝙ heroica, imò diuina quadā mentis, & animi magnitudine ſuperaſti. Secundò, cùm hanc ipſam uirtutē, qua modò te uiciſſes, utilitatis publicæ contēplatio peruicit: & impetrauit à Cæſare, ꝙd impetrari non potuiſſet à patre. Sed iamdudū mihi Cæſar innuit, Maximiliane Auguſte princeps generoſiſſime, ut à ſe digreſſus orationē ad te conuertā: obtemperabo lubens, atq; lætus: cùm quia laudes tuas pater æquiore animo ꝙ ſuas audit, tum quia per hunc modū imperio ſenatus, & deſiderio reipub. melius & uberius ſatisfecero. Ergo maieſtatis tuę nomen apud nos tam celebre ſemper fuit, ut ad diligendum amandumq; te propenſos, etiam ad colendū & obſeruandum impulerit. Eſt hic mos reip. noſtræ peruetus, atq; ſanctus, pernicioſos & improbos tyrannos exitialiter odiſſe, principibus bonis, & fortibus non ſolū fauere, ſed etiā obſequi, dignitatē eorū & amplitudinē omnib. modis iuuare, tueri, defendere. Aetate porrò noſtra nemo de regū & principū numero fuerit, quem collidi tecū & comparari poſſe iudicemus. Omnino talis & tantus es apud nos, in quo uel plura, uel maiora, ꝙ præ te feras, optare, cōminiſci, deſiderare pudor ſit: ut nemo mirari debeat, ſi lætitiam immortalē, gaudiū incredibile, uoluptatē incomparabilē, quā te Romano rege declarato, concepimus, dicendo repræſentare nullo modo poſſumus. Enitent ac prælucent in uno te, ſed iuuene, mirū dictu, uirtutes omnes imperatoriæ, iuſtitia, liberalitas, animi magnitudo, clemētia, placabilitas, abſtinētia uoluptatū omniū: & ut cōplectar uno uerbo multa, ꝙ immaturum æui te cernimus, tam maturū imperij te cognoſcimus. Peruidit hāc indolis altitudinē Carolus rex Belgarū, experientiſſimus belli dux, & acerrimi uir ingenij, qua uſq; adeò exarſit, ut nihil prius habere uidereť, ꝙ ut unicā ſibi filiam uirginē magnæ ſpei, fœminam lectiſſimā, hæredē multarū gentiū nationumq; futurā, et omnino quā multi reges appeterēt, obſeruarēt, ambirēt, tibi uni ferè puero, nec uxorio, nec quærēti deſpōſare poſſet. Vndeuigeſimo aūt ætatis anno, quū princeps ille, cui mox aſciſcēdus gener eras, ab Leucis & Heluetijs interceptus eſſet, ſoceri tui regnū à Gallis occupatū ingreſſus, parua manu ſiſtis, & trucidatis ingentib. hoſtiū copijs, ſeruitute liberaſti, uxorē defuncti ducis, & filiā fortunatiſſimas modò fœminas, tū miſerrimas & exangues, nec plus mœrore quàm metu cōfectas, omni diuina & humana ſpe deſtitutas erexiſti, ſubleuaſti, redemiſti: uitam earum, & dignitatem, & pudicitiam conſeruaſti. Hoc mater, hoc prouinciæ tanto & tam immortali beneficio deuinctæ uirginem ope tua recreatam, uirtute tua defenſam, tuis armis inimicorum ereptam iniuriæ, deſponſatam à patre prius animo, tunc certatim opere tibi collocant, uidelicet ut eundem generum, atque uirum haberent, quem habebànt & aſſertorem & uindicem. Hactenus rudimenta uirtutis & fortitudinis tuæ diximus. Quid illa, quæ mox egiſti? quàm famigerata? quàm mira? quàm uiſenda? Nato tibi filio ciuiles ortæ ſeditiones ſunt Morinis autoribus: quorum opera factum eſt, ut chariſſimum tibi pignus, neſcio quo pretextu cuſtodiendum & aſſeruandum eriperetur. Fuit hoc eorum non perfidia, non defectio, princeps glorioſiſſime, ſed fati uis hoc agentis, ut per inteſtina quoq; bella clarior & cele-

brior

brior fieres. Nec enim plus eos amat fortuna, quos indulgenter habet,& quibus
parcit,ſed quos iactat, quos exercet: alioqui clari nec bello, nec pace duces intel
liguntur, quibus omnia proſperè cedunt, ſed quibus contingit per labores, per
ærumnas,per incõmoda ſplendeſcere.Nam ut ſecundæ res felicem,magnum cer
tè faciunt aduerſæ. Alexandrum illum Macedonem ſunt qui minus egregiũ bel-
lo ducem fuiſſe prædicent, quòd ei nullius pugnæ non ſecunda fortuna fuerit,
quodq; in ipſo rerum incremẽto nondum uertentem fortunam expertus, ita de-
ceſſerit.In te uerò,quem certa ſyderum decreta ſceptro patris,& ſolio deſtinaue-
rant,quid mirum ſi aliqui operam dederunt,ut triſtiora tibi tempora inciderẽt,ne
aut uirtus quiete langueſceret,aut parum dignus imperio fuiſſe uidereris,qui om
nino futurus eſſes imperator. Itaq; continuos nouem annos in caſtris agẽs diffi-
cilima quinq; bella profligaſti, Gallicum, ſiue Francicum, Eburonicum, Sicam-
bricum,Batauicum, Morinicum: quod quidem poſtremum haud facilè iudicari
poteſt,utra tibi re glorioſius fuerit,eo'ne quòd filium tam diu tibi ademptũ auul-
ſumq; recepiſti, an eo quòd nobiliſſimas gentes, ſcientiſſimos bellicæ rei popu-
los,urbes opulẽtiſſimas ad deditionem & pœnitentiam compuliſti, id quod nec
Carolus ſocer,nec proſocer Philippus excellentiſſimi duces,hic bello,ille ſapien
tia,conſequi potuiſſe memorantur.Non cogito Panegyricum, rex clariſſime,nõ
laboro uerborum ambitu,nihil amplifico,nihil alleuo, ſed decurro per capita, &
nudas rerum à te geſtarum ſummas attingo. Mirantur tamen hæc omnes,miran-
tur etiam citra fucum & negligenter effuſa:plus mirentur,ſi qui te propius intro-
ſpicerent,& uirtutes eas intuerentur,quarum præſidijs munitus, tot inſignes ui-
ctorias,tam multa belli decora conſecutus eſſes: uideretur iſtud os tam probum,
tam facundum,hæc tracta de cœlo ſpecies,iſta lacertorũ & pectoris firmitas, hic
totius corporis uigor, hæc animi tempeſtiuitas, & uolucritas, hic imperatorius
ardor oculorum:pręterea quàm ferox in prælio,mitis in cõtubernio,effuſus alijs,
tibi parcus,in caſtris non ueſte,non menſa præcipuus.Aguntur hyemes cum cæ-
tero milite ſub pellibus,ſudantur æſtates æqualiter: Epulæ modico & caſtrenſi ci
bo contentæ.Iam quis te ſolertius caſtris locum capiat? cõmeatus expediat? ho-
ſtem ludificetur? pugnæ tempus eligat? aciem inſtruat? urbes obſidione cingat?
Neq; uerò partes imperatoris,& optimi ducis imples,militis non imples. Nullũ
tibi caſtrenſe munus ſordet,non ſtare pro ſignis,non excubias ſorte agere,nõ ual
lum ferre,nõ ſpeculatũ egredi,primus inire prælium, poſtremus excedere, utrũq;
iuxtà doctus,opere militem,& conſilio ducem agere. Nullam tibi uel principalis
fortuna, uel maieſtas imperij functionem remittit, nihil tibi parcis,nihil blãdiris,
indulgentiſſimus cęteris,tibi parum lætus:& omnino nihil gregario plus habes,
niſi quòd plus laboras: ratus id quod eſt,non tam honorẽ, quàm onus eſſe quòd
regnas: imperatoris hoc eſſe munus, ut opes & magnitudinem ſuam non ad am-
bitum quempiam priuatum,ſed ad ſalutem & commoda Reipublicæ conuertat:
utiq; non imperium ſibi, ſed ſeipſum imperio dedititium faciat.Sed & illa tibi pe
culiaria feruntur, diligere quidem omnes,ſed amicos etiam deligere, nõ oblatos
iſtos,& paſſim obuios,de palęſtra,de ſphęriſterio,de fritillo,ſed quos ad innocen
tiam,patientiã,continentiã,ad algores,ad æſtus,ad opera militaria ſæpius explo-
raueris.Nec enim amici ſunt,quicunq; uos ſequunt̃ (alioqui tam multi,q̃ ſunt,ut
Plutarchus inquit,in culina muſcæ,quæ cũ ipſo nidore confluunt & recedũt) ſed
quos amicitia dignos eſſe iudicaueritis,eos debetis uos ultrò ſequi. Itaq; cum ijs
qui ſe tibi aliquando uirtute cõmendauiſſent, cõſuetudine delectaſſent, utilitate
demeruiſſent, in omnia familiaritatis officia deſcendis, & Cæſarẽ obliuiſceris, ut

amicum præſtare poſſis. Neq; uerò poſtremũ inter laudes tuas poſuerim, ꝙ litte-
ras & ingenia (ut audio) tam impenſè diligis, quodq; bonas arteis non foues mo
dò, ſed alis atq; promoues. Imperatoriũ & hoc decus, cùm ꝙ in nullo plus emicat
hic nitor, & hoc lumẽ doctrinæ, ꝙ in regibus: unde natũ ſit illud ex Homero Pla
tonis interpretatione, diſcipulos deorum non alios eſſe, ꝙ reges: tum uerò maxi
mè, ꝙ præcepta ſapientiæ non habentibus modò proſunt, ſed in alios (etiam ferè
dixerim plus) redundant. Quis ignorat Anaxagoram in Pericle, Platonẽ in Dio-
ne multos inſtituiſſe? Non nauigaſſet ab exercitu Cato Rhodon, ut Athenodo-
rum audiret, nec Panætiũ Scipio uidere concupiſſet, niſi tantum in ea re uel orna
menti, uel fructus ineſſe iudicauiſſent. Prætereo multa prudens, atq; conſcius, ni-
hil me fugit, ꝙ religioſè, ꝙ innocenter, ꝙ ſanctè ineuntem iuuentutem tuam exi-
gas: patet omnibus obſequentiorem te patri filiũ nec eſſe, nec fuiſſe quenquam.
Scio ꝙ præclaræ, ꝙ magnificæ cogitationes tuæ ſint omnes. Non ignoro quæ pri
dem uota conceperis, nuncupariſq; digna principe Chriſtiano, digna maioribus
tuis, digna Cæſare, digna te ipſo. Hæ uirtutes tuæ illæ ſunt, imperator unice, pro-
pter quas ducem ſuum te bellicoſiſſima terræ Galliæ pars Belgæ non modò non
dedignantur aduenam, & Germanũ, quibus alioqui ſunt infenſi, ꝙ proximi, lin-
gua, cœlo, moribuſq; diſiuncti: ſed appetunt ut indigenam, uenerantur ut princi-
pem, diligunt ut parentem. Hæc ingentia tua merita, propter quæ Federicus pa-
ter innocentiſſimus, & grauiſſimus imperator adduci perſuaderiq; potuit, uti te
regem Romanum ſe uiuo renuntiari pateretur. Ac differebat quidẽ ille primùm,
& cunctabatur, ſimul ut uerecundiam & modeſtiam ſuam, quemadmodũ prædi-
ximus, ab omni labe ſuſpicionis aſſereret: ſimul ut exploraret, aſſentarẽtur ne pa-
tri, qui pro filio tam enixè laborarent, an conſultũ ſaluti ſuæ uellẽt. Sed extemplò
patuit acclamationes illas, atq; preces nõ adulantiũ uoces fuiſſe, ſed ſtudentium.
Nam adulatio ſemel eliſa protinus frangitur atq; langueſcit: Studia quò plus ar-
centur, eo magis gliſcunt & exardeſcunt. Quanto nunc, diue Federice, gaudio
perfunderis, ꝙ filius tuus te incolumi placere poteſt imperator? ꝙ iucundum tibi
quòd te cõparari filio tuo ſentis? Et quoniam controuerſa res uidetur, modò uin
cis, modò uinceris. Cæterùm quid prouidentia tua dignius, amplitudini glorio-
ſius, clementiæ, pietati, felicitati conuenientius facere potuiſſes, ꝙ uti quẽ ex uti-
litate publica fuit ut genuiſſes, eidem quoq; per patrem & decus & nomen impe
ratoris accreſceret? Macte ingenti utroq; in remp. merito, etiam ſi difficilè perci
pitur, ut inquit ille, pulchrius & honeſtius fuerit genuiſſe talẽ, an cooptaſſe. Non
multo minor tamen ueſtra laus Germani principes integerrimi, quorũ ius id eſt,
regem Romanũ mox futurũ imperatorem eligere. Nec enim poſſunt nõ optimi
cenſeri, qui principes ſibi optimos proſpiciunt. Proinde cùm talis & tantus eſſet
is, quẽ legiſtis, ut & omnib. anteponi meruerit, & ab omnibus, ſcitote uos utrũq;
cumulatiſſimè cõſecutos fuiſſe, & ut gratiæ uobis ab omnibus immortales & in-
credibiles haberent, & ut nomen ueſtrũ ęternitati cõmendatum & conſecratum
eſſet. Etenim ut nomine Vitellij, uel Othonis ſubinde admonemur eorũ qui faces
illas, atq; peſtes ad diſſipandũ & inceſſendũ orbem intuliſſẽt: ita hæc optimi prin
cipis electio nunquã memoriæ hominũ ſine uobis recurret, quotieſq; poſteri ue-
ſtri res ab illo fortiter geſtas incognoſcent, toties laudabunt, qui talem imperio
præfecerint. Sed redeamus unde nos contemplatio patris, & eorũ qui te legerũt,
abduxit. Magna per ſe res erat, omnibus punctis, omnibus ſuffragijs, & (ut ita di-
cam) tributim, centuriatimq; declaratũ eſſe regem Romanorũ: ſed fecit occaſio
maiorem. Ea ſunt enim reipub. Chriſtianæ tempora, is habitus imperij, ut nõ tam
ſpecioſum

ſpecioſum fuerit te regem creari, quàm neceſſarium: nec ad futura modò, ſed ad
præſentia rerum momenta ſalutare. Omitto ſigillatim enumerare publicas cla-
des, omitto percenſere quàm luxata, quàm conuulſa ſint omnia religionis Chri-
ſtianæ membra, omitto bella, quibus imperium hoc diſtringitur: ſit enim piaculū
in tam feſta præſentium gaudiorū luce miſceri triſtia: illud ſine periculo uiolatæ
publicæ lætitię dicetur, hoc quod principes Germani de creando te ſibi rege co-
gitauerunt, non tam conſilium fuiſſe, quàm remediū. Ergo nō ad otiū, non ad re-
miſſionem, nō ad quietem (alioqui tibi debitam poſt tam multos labores) ſed ad
nouas expeditiones, noua bella, nouas difficultates, imperium tibi traditur, om-
ninoq; per hoc nō ſolatiū tibi, ſed aliȷs quæritur: nihil enim aliud cogitaſſe uideo
ſummos uiros, qui te patri tuo principi nobiliſſimo, ſed annorū pleno, ſocium ad-
didere, quàm ut ille conſilio rempub. tu laboribus & operibus adiuuare poſſes.
Quid illud, quàm glorioſum tibi, quàm lætum patri, quàm omnibus in tempore,
ut regem decerni tunc demū te contingeret, cum opem tuam non imperium, ſed
imperator: nec imperator, ſed pater expectaturus eſſe uideretur? Acceſſit hoc ad
cumulum amplitudinis, & fortunæ tuæ, rex præſtantiſſime, ut qui filiū infantem è
penitiſſimis hoſtium munimentis eripuiſſes, apud eundem patris quoq; recreati
gloria conſtaret. Duos omnino legimus cognomento Pios fuiſſe, nec argumen-
tum ignoratur, unde ſic appellari meruerint. In te poſteritas ambiget, uter euen-
tus hoc nomen tibi conciliauerit, quòd pius in parentē, an quòd pius in filiū ap-
parueris. Sed iam tempus eſt, ut uela retraham, neu longius me ꝗ uolo, aut ꝗ par
tes legati ſunt, laudū ueſtrarum ſplendore, numero, magnitudine detineri patiar.
Quamobrē ſi nihil eſt in rebus humanis principe Romano maius & auguſtius, ſi
talis & tantus eſt filius tuus Cæſar, ut ab omnib. legi debuerit, & ex omnibus: de-
niq; ſi nihil uel nobilius ad gloriā, uel certius ad ſalutē excogitari poterat, ꝗ ut ille
remp. difficilimo tēpore capeſſeret: nemini mirū uideri debet, ſi quod per initia
teſtatus ſum, ad huius magnitudinē lætitiæ nullius hominis facundia, nullius uis
ingenȷj peruenire poteſt. Sed hæc translatitia ſunt, cōmunia ſunt omnibus. Illæ
peculiares Veneto cauſę, quòd neq; gēs eſt ulla, neq; natio (abſit uerbo inuidia)
cuius uel plura, uel maiora, & in Chriſtianam rempub. cuius uos caput eſtis, & in
Romanū imperium argumenta beneuolentiæ, fidei, pietatis appareant. Non au-
derem iſta profiteri, Cæſar optime, niſi & uera eſſe conſtaret, & tu uera libēter au-
direx: alioqui ſciebā ſcelus eſſe coram te parū certa dicere, nedū falſa. Sunt & illa
nobis propria, Maximiliane rex fortiſſime, quòd clariſſimū nomen Auſtriæ fami
liæ, qua nulla fuit unquam regum imperatorumq; fœcundior, religioſum & uene
rabile ſemper habuimus, ꝙ Federico patri tuo principi ſaluberrimo, quęcunq; ſe
res tulerunt, enixè ſtuduimus, quibuſcunque eum locis & temporibus ſingulari
ſignificatione uoluntatis & obſeruantiæ proſecuti ſumus, quòd ipſum te ſemper
à teneris unguiculis inductione quadam animi non occulta impenſiſſimè colui-
mus, autoritati tuæ fauimus, amplitudinem quantū uires fuere defendimus. Iam
qui principibus Luſitaniæ nobiliſsimis & fortiſsimis, unde maternum tibi genus
eſt, qui ſocero tuo Carolo duci generoſiſsimo, qui Philippo eius patri ſapientiſsi
mo principi chariores unquam fuere, ꝗ Veneti? Tot modis copulati cum ſubli-
mitate ueſtra ſumus, tam multiplici nexu uincti, ut qui hęc non uidet, nihil omni-
no uideat: qui plus deſiderat, nihil omnino deſideret. Gratulatur ergo prorſus in
uobis ſibi, & in ſe uobis ſenatus, & uniuerſa ciuitas noſtra, non quantum cæteri
fecere, ſed quantum nullȷ: nec quantum dici uel cogitari poteſt, ſed quantum nec
dici nec cogitari fas eſt. Et quoniam ambo uos celeberrimi principes hinc pater,

inde filius, ita mutuò creuiſtis, ut neq; tu maior, neque tu felicior eſſe poſsis: reliquum eſt, ut Deum optimum maximum conditorem huius, & ſeruatorem imperij publica uice comprecer & obteſter, ut quando rem Romanam principũ duorum patris, & filij, huius maturitate ſenioris, illius uirtute iuuenis florentiſsimam eſſe uoluit, beneficio ſuo faueat, pietatemq́; ſuam, & uoluptatem conſeruandi per optimos principes generis humani ſanciat, & perpetuam eſſe iubeat. Poſtremò, ut illuſtriſsimum ducem noſtrum, & inclytam Rempublicã incolumitatis, & gloriæ ueſtræ cupidiſsimam, quæ te, Cæſar ſemper & patrem, & principem Chriſtianæ religionis agnouit, coluit, & ſuſpexit, ſacroſanctæ maieſtati tuæ, quanta maxima poſſumus ueneratione, religione, deuotione cõmendemus, opes noſtras omneis, atq; uires ad ornamentũ & incrementũ imperij, dignitatem & amplitudinẽ ſacratiſsimi nominis ueſtri, promptas, expoſitas & dicatas eſſe doceamus. Dixi.

HERMOLAVS BARBARVS I. CARONDELETO SVPREMO REGIS ROM. SECRETARIO S.

ORationem à me nudiuſquartus habitam ad principes, amplitudini tuæ mitto recognoſcendam caſtigandamq́. Quanquam enim mei moris eſſet, nihil unquam temerè, nihil non diu conditum atq; preſſum emittere, cum primùm tamen deſiderari eam à te ſubodoratus ſum, intuli mihi uim, & peruici tandem, ut inſtituto meo decederem: ratus id quod erat, minus eſſe malum, adire periculum famæ, quàm moram deſiderio tuo facere. Quæris unde tanti ſis apud me, quem ne de facie quidem norim. Perſpectę ſunt omnibus eruditio, fides, integritas tua. Compertum nobis eſt quantum Veneti nominis ſtudioſus ſis, exploratum habeo quantum me diligas parum merentem, quantum orationem & actionem meam commendes. Sed heus tu docte uir, obſecro ne mirere, ſi qua leges in hoc libello, quæ tunc dicta non fuerunt. Nec enim addidi nunc ea, ſed detraxi tunc: admonitus ab aulicis extemplò ꝙ limen attigi, ne longus eſſem, ambitioſa reciderem, optima quæq; dicerem, patientiſsimis omnino, ſed occupatiſsimis tamen principibus parcerem. Amputaui ſubito conſilio multa, quanquam quod poteſt conſilium fuiſſe, ſi ſubitum? ea quæ tunc reſecui, modò ſunt annexa: utcunq;, ueterum exemplo facimus, quos F. Quintiliano teſte, cõſtat longè aliter ſcripſiſſe, quàm egiſſent. Exulanti Maſsiliæ A. Miloni quidam orationem M. Tullij, non quam habuiſſet pro eo, ſed quam ſcripſiſſet, attulit: tunc ille: Si ſic egiſſes, inquit, Marce Tulli, non eſitaret Maſsiliæ barbatos piſces Milo. Cæterùm non dubito, quin niſi te amor fallat, ut audiendo tunc, ita nunc legendo non parum multa tibi diſplicitura ſint. Sed æquum te quæſo nobis & cognitorẽ & iudicem præbe, conſiderans hoc, & æſtimans, quòd ſeſquihoram antè ꝙ principes adiremus, ſignificatũ nobis fuerit, nõ duas orationes ſeorſum, ut cogitabamus atq; paraueramus, ſed unã duobus iunctim habendã & recitandam eſſe. Plena difficultatis, plena diſcriminis res erat: tota mihi ratio dicendi puncto tẽporis immutanda fuit, orationis uniuerſæ filũ retexui: atq; ut breui rem cõplectar, & cutis, & facies ipſa prorſus interpolata eſt. Vale decus noſtrũ, & me principi nobiliſſimo, cuius es inter eos qui ſunt à ſecretis, meritò ſupremus, commendatiſſimũ rogo facias. Vtinã aliquando tanti ſim, ut res ab illo fortiter & magnificè geſtas poſteritati cõmendare poſſim. Tam facturus ſum id libenter, ꝙ qui maximè deſideret. Ex Brugis, pridie Nonas Auguſti, M.CCCCLXXXVII.

EPISTOLARVM ANGELI POLITIANI FINIS.

ANGELI

ANGELI POLITIANI MISCELLANEORVM CENTVRIAE PRIMAE AD LAVRENtium Medicen PRAEFATIO.

CVM tibi ſuperioribus diebus, Laurenti Medices, noſtra hæc Miſcellanea inter equitandum recitaremus, delectatus arbitror nouitate ipſa rerum, & uarietate non illepida lectionis, hortari cœpiſti nos, ut unam ſaltem ex eis Centuriam (nam centenis libri ſinguli capitibus explicantur) publicaremus. Quod nunc utique ſimul autoritate tua, qua maior, nobis quidem, nulla in terris eſt, ſimul ratione adducti facimus: quoniam noſtra iſta iam nonnulli uel cum puluiſculo conuerrunt, ſic ut alijs pridem, ſibi' que noſtrorum titulo laborum, nimis placeant. Quanquam ſcimus inuidia magna fore hos libros, & multum ſermonis ſubituros, ut qui de magni nominis autoribus liberè pronuncient. Sed non id noſtrum exemplum. Nam ſcriptores fermè omnes ſic ſuas tuentur parteis, ut alienas oppugnent, ac laudis occaſionem plerunque de aliorum erratis petant: tum ſæpe à tenuioribus & gregarijs, uelutí que poſtremæ notæ, qualis ego, uel Cluuienus, etiam proceres illi (ut ita dixerim) & anteſignani quidam literarum ſuggillantur. Vetus eſt autem dictum: Conſcientia mille teſtes. Scit illa prorſus nihil hîc odio datum, nihil ſtomacho, candidè omnia, & ſimpliciter, nihil aut inſectanter aut maleuolè, nihil oblatrandi ſtudio, nihil oſtentandi uoto protulimus, animo' que ſemper ad probandum (ſi liceret) quàm ad improbandum propenſiore fuimus. Neque uidelicet ſtrophis, aut cuniculis, ſed libero examine, libera ueritatis fronte rem geſſimus. Ac non id quæſiuimus, ut aliquam doctis hominibus ueluti labeculam aſpergeremus, ſed id cauimus potius, ne ſub illorum autoritate ſtudioſorum fides periclitaretur Denique in eos potiſſimùm cuneus hic ex profeſſo directus, in eos hic aries ex deſtinato temperatus, qui contra ueri faciem, pro uernaculo quidem ſibi, ſed imaginario tamen ſenſu frontem durant: eos acie ſtyli maximè compungimus, qui ſtylum uertere, hoc eſt, qui ſua errata diſpungere non didicerunt. At inordinatam iſtam, & confuſaneam quaſi ſyluam, aut farraginem perhiberi, quia non tractim & continenter, ſed ſaltuatim ſcribimus, & uellicatim, tantum abeſt uti doleamus, ut etiam titulum non ſanè alium, quàm Miſcellaneorum exquiſiuerimus, in queis Græcum tamen Helianum, Latinum ſequimur Gellium, quorum utriuſque libri uarietate ſunt, quàm ordine blandiores. Quanquam me Clementis quidem Alexandrini pontificis, apoſtolicí que uiri commentaria, quæ στρωματεῖς, quaſi ſtragula picta dixeris, inſcribebantur, alium profectò nobis titulum, niſi uarietatis iſtius inſinuabant. Etenim de Ariſtoxeni taceo commentarijs, quos pari fermè titulo citat eo uolumine Porphyrius, quod in Harmonica Ptolemæi compoſuit. Denique ſi uarietas ipſa, faſtidij expultrix, & lectionis irritatrix in Miſcellaneis culpabitur, una opera reprehendi rerum quoque natura poterit, cuius me quidem profiteor tali diſparilitate diſcipulum. Quòd ſi ad omnem ſe minutiem demittunt, hoc uerò apud Latinos exemplo etiam Cæſaris, Varronis, Meſſalæ, Ciceronis, Plinij, Quintiliani, aliorum' que ſimilium facere licet, quos æmulantibus & errare honeſtum. Quare quod iſtos ueluti patricios decuit, etiam me quaſi minorum gentium nõ dedeceat. Par adeò celebritas nominum, uel Græca inſerit, uel ex commodo interpretatur, id' que nunc ad ſenſum, nunc ad uerbum, quod hic utrunque. Iam ſi cui parum quæpiam enucleata, fortaſſe etiam nimis dura, obſcuraq; uidebũtur,

certè is nec ingenio ſatis uegeto, nec eruditione ſolida fideliꝗ fuerit. Sicubi bar-
bara quędam, & obſoleta deprehendentur: ea uerò de induſtria diſperſimus, etiã
ut barbaris & ineruditis placeremus, & fieret liber corraſa undiꝗ gratiola uendi
bilior. Si qui remotiora dicent hic inueniri uocabula, ꝙ ut ſumpta credantur de
medio, nę iſti arbitror ſententiam ſuam mutabunt, cum aduſꝗ medium literaturę
promouerint. Nec enim deſunt, quibus etiam (ut ait M. Tullius) alabaſtrus un-
guenti plena putere uideatur. Tum in hoc genus ſcriptionibus, quę non ſe popu
lo uenditant, ſed paucis modò parantur, uſus iſtiuſmodi reconditæ ſupellectilis,
præſertim uerecundus, minimè improbatur à bonis. Nec enim renouare ſit pro-
brum, quæ iam penè exoluerunt, ſi modò hæc ipſa non ueteſceſcere adhuc, ſed ue
teraſcere de integro poſſint. Si quę interim nõnulla offendunt eloquendi diuer
ticula, minus fortaſſe homini nota, qui decẽ tantũ Ciceronis paginas, nihil præ-
terea lectitauerit, utiꝗ ab hoc ego ad eruditos prouoco: præcipuè credo lauda-
turos, quę ab ipſo improbabuntur. Nihil autem forſan intolerabilius, quàm ut de
te ſententiam ferat indoctus, qui tamen ſibi ipſe doctiſſimus uideatur. Si quis ubi
quid refellitur, multarum uel autoritatum, uel rationũ moles deſiderat, at uicto-
riam ſciat illic à nobis non uictoriæ quæri ſatietatem. Si lõgiuſcula capita alia, bre
uiuſcula rurſus alia putabuntur, credamus hanc quoꝗ eſſe legem noui operis, ut
æquale habeat nihil, nuſquã ſibi ſit par, ſemper diſſimilitudine claudicet, unamꝗ
iſtam regulam tueatur, ne quid ad regulam, ne quid ad perpẽdiculum, libellamꝗ
reuocet. Si liberior ſtylus inſolẽtis exiſtimabitur naturæ, forſan benignior inter-
pres ſimplicitati potius tribuet, quæ nec ingenuos dedecet. Sicubi porrò conſue
tudo refragabitur, at ueritas, quæ nugas non facit, aut ueritatis uicaria cõſuetudo
melior patrocinabitur. Nam & ſumptum cõſuetudine dicitur, quod aduerſus au-
toritatem ſit receptum, & error ſępe conſuetudinis obiectatur à doctis. Tum pul
chrè ſic ait quidam: Conſuetudo ſine ueritate, uetuſtas erroris eſt. Deniꝗ ſi pau-
cula reſperſimus interim ſcrupuloſa & anxia, quodꝗ uerius, ſubacida, uel ex phi-
loſophia, cuius iampridem ſumus candidati, uel ex orbe illo diſciplinarũ, quæ ſtu
dio ſapientiæ famulantur, at ea ſtomachum tamen lectoris prædulcibus marcen-
tem recreabunt fortaſſis, & exacuent. Nam quò hæc omnia grata ſui uice conſpi
rent, & quodam uelut antitheto fœderentur, penè de calcaria (quod dicitur) in
carbonariam decurrimus, & id operam dedimus, ut alternatim deinceps inter ſe
contraria quoꝗ ſubſequerentur, quæ nos querelæ iſtiuſmodi eximerent. Nec e-
nim defieri apud nos etiam patimur, quæ ſint amœna magis, & oblectatoria, ne
dixerim illecebroſa, quàm uel utilia, uel neceſſaria: ſiquidem eſt (ut ait Varro) a-
liud homini, aliud humanitati ſatis: etiamꝗ citra emolumẽtum ſpecioſa interim
petuntur, non hercle minus, quàm ſine ſpecie compendium. Ergo ut agreſtes il-
los, & hircoſos quædam ex his impolita, & rudia delectabunt, exaſceataꝗ magis
quàm dedolata, nec modò limam, ſed nec runcinas experta, nec ſcobinas: ita edi-
uerſo uermiculata interim dictio, & teſſellis pluricoloribus uariegata, delicatio-
res hos capiet, uolſos & pumicatos, ne conflatis utrinꝗ uocibus, & æquabili uel
plauſu, uel ſibilo, aut ad cœlum efferar, aut ad humum deijciar. Medijs autem in-
ter hos, & neutro notandis, quaſi quidam diuerſorum Cinnus (ut ait Cicero) ſa-
tisfaciet, non uno aliquo excellens, & omnium tamen particeps. Nec enim gu-
ſtus idem omnibus, ſed ſuum palatum cuiꝗ. Tum credo & expuent in conuiuio
quidam, pro faſtidioſo, & ueſco, quod mox in culina pro ſuaui liguriãt, & opimo.
Nos iſta certè non foro, & curiæ, ſed cubiculo, & ſcholæ parauimus, eoꝗ ſtuduí-
mus, neſcio an & præſtiterimus, ut ſi quę hic eſſent, omnino faciles eſſent, & ſim-

plices

plices munditiæ,non operoſa & pigmẽtata lenocinia: color,nitorq; uerus, & in-
genuus,nõ aſcitus & ex arcula,congruens habitus & expeditus,nõ oneroſus,&
laciniofus.Poſtremò cuiuſcuimodi exeant, quoquomodo hæc accipiant, minimè
profectò recuſamus:ſed nec opinor euademus cõmunem illam ſcribentium ſor-
tem,malè audiendi,ſit modò ita cordi lectoribus . Quinimò iſti aleæ caput obie-
ctamus,neq; patrocinium reſpicimus,quod ultrò nobis ademimus cenſura . De-
cernaturq; potius in nos,traducamur,uexemur,quàm non literarũ publica fraus,
quarum nobis eſt honor proprijs utilitatibus antiquior, etiam noſtro aliquo, uel
famæ,uel otij diſpendio redimatur.Nam quò iſta quæſo ſtudiorum communium
profeſsio, ſi iam uentum ad hæc uſq; eſt, ut quod officium ſtudijs uniuerſi debe-
mus,ceſſare omne tamen ſuſpicione degeneri patiamur? Quo pacto uel durare
ultrà , uel eſſe iam poterit honeſtarum literarum ſinceritas , ſoluta penitus cenſu-
ra,dum ſic æquè omnes inuidiam perhorreſcimus? Quanquam(quod ad me atti
net)utinam labori meo non contemptus potius quàm inuidia debeatur. Illud e-
nim propè in uotis eſt, ſi modò , quod ait Liuius : Inuidia uelut ignis alta petit.
Quin agitedum ſtudiorum cultores optimi,pro ſe quiſq; alacres,gramen hoc in-
expugnabile,quo bonæ fruges humanitatis prꝯfocantur,auellite,ſubnaſcenteſq;
ſacris ſtirpibus , quaſi pernicioſiſsimas hederas , & omnem earum ſuccum lapſi-
bus erraticis exſorbentes,abrumpite penitus,& detruncate.Non deſunt interpo
latores ueritatis, ne deſint quoq; redintegratores: exiſtat uindex aliquis rogo,&
patronus periclitantiũ diſciplinarum . Nam ego ut unus è medio,quid mihi libe-
rum ſit,utiq; experiar. Faciam nec ne operæprecium,pòſt uidero. Quorſum ta-
men fluxerit,aut quocunq; res ceciderit,æqui boni faciam,planè que malignita-
tum omnium,& obtrectationum uenena,non deuorabo modò,ſed(quo ſum ſto
macho)etiam concoquam: certus ueritatis hunc eſſe quaſi geḉium, ſimul atq; in
publicum appareat,ut odioſa inimicá que ſit uulgo . Conniueant igitur alij licet,
& dicere uerum muſſent,ego unus profectò (quicquid erit)non diſsimulabo iu-
dicium,non ſupprimam quæ ſenſero,non indulgebo iam talibus patientiam , ſed
uel huic libello meo,ſaltem ſemilìberè,ſic inſuſurrabo: Vidi,uidi ipſe libelle,cot-
tidieq; uideo multa in literis fieri capitalia,compilari ſubdolè aliena , confingi ad
libidinem,quæ cui cõmodum,aſcribi etiam idoneis,quæ nec agnoſcant, allegari
qui non extent autores, citari quinetiam pro uetuſtis, nullibi comparentes codi-
ces,compleri libros omneis operoſiſsimis uanitatibus , falſa pro ueris , aſcita pro
natiuis , nouitia pro uernaculis ſupponi , pollui, adulterari, oblini, incruſtari, di-
ſtorqueri, confundi, præcipitari, interuerti omnia, nulla fide , nullo nec pudore,
nec iudicio,quodq; his omnibus peſtilentius , occaſione quoq; recentis artificij,
quamlibet ſtolidiſsimas opiniones in mille uoluminum traduces momẽto pro-
pagari: poſtremò (ut ſemel dicam) etiam nunc multos auriculas habere aſini. Di
cat hic aliquis : Quid tu autem? Fateor equidem , poſſum falli , ut humanus , ſed
neminem profectò ſciens fallo,& ut mendacium fortaſſe dico, ſic certè non men
tior.Tum egomet mi ignoſco : Meuius inquit,imò autem (extra iocũ) nec ego-
met mi ignoſco,& ſi quid indoctius incautiuſq; ꝓtulero,refutari à quouis cupio,
refutaturus ipſe me,ſi fuero admonitus.Non eñ ſic me peruerſè amo,ut errare a-
lios malim, ꝙ innoteſcere ꝙ errem. Sed ex eorũ ſum numero & ipſe,qui ꝓficien
do ſcribũt,et ſcribendo proficiũt . Ac de iſto quidẽ fors uiderit. Illud uerìſsimũ, ſi
domi cõmentarios iſtos diutius atq; in manib. habuiſſem,& reguſtare interim ex
interuallo licuiſſet,lõgè inſtructiores fuiſſe eos,locupletiores, adminiculatiores,
ꝓdituros . Videlicet hoc illud eſt præcipuè ſtudiorũ genus, ꝗd uigilijs augeſcat,
ut cui

ut cui ſubinde ceu fluminibus ex decurſu, ſic accedit ex lectione minutatim quò fiat uberius. Tum incondita nunc quoq; pleraq;, ineliquata, indiſcuſſa, non rotunda, non tornata adhuc, ſed quæ aurem prorſus præterierint, utpote reſtrictim cogitata, & ex tempore potius quàm à cura, quanquam ex abundanti penè ſtyli negotium curat, & elocutionem concinnat, quem cana & ueritas & fides præcipuè ſolicitat. Enimuero ne putent homines maleferiati nos iſta, quæquæ ſunt, de ſece hauſiſſe, neq; grammaticorum tranſiluiſſe lineas, Pliniano ſtatim exemplo nomina prætexuimus autorum, ſed honeſtorum, ueterumq; duntaxat: unde tus iſta ſumunt, & à quibus uerſuram fecimus: nec autem, quos alij tantum citauerint, ipſorum opera temporibus interciderint, ſed quorum noſmetipſi theſauros tractauimus, quorum ſumus per literas peregrinati, quanquam & uetuſtas codicum & nomiſmatum fides, & in ęs, aut in marmore inciſæ antiquitates, quę tu nobis Laurenti ſuppeditaſti, plurimũ etiam præter librorum uarietatem, noſtris cõmentationibus ſuffragantur. Vt autem uel exemplo doceremus circulatorũ præſtigias & impoſturas omneis eſſe tollendas, refrenandamq; adeò quorumpiam laſciuiã, quæ iam ſicuti cancer latè ſerpit, inaniter de præſcripto & licenter egrediendi, nuſquam aliquando ueteris ſcripturæ teſtimonium citauimus, ne quid adſcriptitium, ne'ue quid uſquã ſuperductitiũ præualeret, quin ſua quodq; facie repręſentauerimus, & appoſuerimus eas notas, unde exquiri penitus uſq; à ſtirpe poſsit autoritas. Atq; ut muneris huius noſtri nullæ prorſus appendices deſiderentur, etiã capita ipſa rerum, titulis incluſa breuiſsimis: ſed in queis maior quàm pro numero utilitas, concenturiauimus: & ceu breuibus ceris ingentes ſummas calculatorum more collegimus, quò negligentiæ delicati lectoris ipſi potiſsimùm ſubſcriberemus. Proinde ſicuti ſub Aiacis clypeo Teucer Homericus, ita nos utiq; ſub umbra tui nominis latitantes, centuriatim dabimus in barbaros impreſsionem. Ita editiõe ſubinde aliqua, uel æquis, uel iniquis mos geretur. Et quadam penſante uice, ſicut illis quod oſculentur, ita his abundè ſupparabimus quod mordeant. Mordebunt autem puto noſtra uel rabioſuli quidam, quos eleganter Cato uitiligatores appellat, iſto potiſsimũ litigandi uitio, ueluti morbo laborantes, cerebroſa gens, & irritabilis, qui ſine cauſa, ſine diſcrimine, clauſiſq; (quod aiunt) oculis, quodcunq; nomen adlatrant: uel qui rurſus aduocatione mercenaria, uenali que ſententia, cuicunq; ſemel autorati atq; addicti, quaſiq; dediti mancipio ſint, eundem tueri pugnaciter pertinaciterq;, quo iure, quaq; iniuria obſtinauerint. Vel iactanticuli illi, & nugiuendi, pleni tumida, ſed & fatua coniectura, qui ſeq;, & ſua duntaxat etiam ſine riualibus adamant, ſibi fauent, alijs obtrectant. Vel poſtremò lucifugi quidam ueritatis, & (ut planius dixerim) blatarij literatores, qui defluentibus oculis, uereq; noctuinis, non diem tantum ſereniorem, ſed nec umbrã ſubluſtrem ſatis ferũt. Nam de illis dubitat nemo, quos liuoris tinea comeſt, quos rubigo ſubrodit inuidiæ, qui gloriam alterius, ſuam pœnam, felicitatem alterius, ſuam carnificinã faciunt, qui profectu contabeſcunt alieno, quos ægreſcens proſperis maleuolentia, ceu tortor inteſtinus iugiter excruciat. Sed & cenſores item pulpitarij (nec autem de doctis boniſq; nunc agimus) ſolent plerunque fodicare nos, & ſtudijs obſtrepere iſtis. Etenim pleni ieiunitatis literas humaniores apud inſciam plebeculam, penè dixerim ſolenniter, buccis concrepantibus infamant, & craſſa ruſticitate ferοculi, quam ſolam (quod & Hieronymus ait) pro ſanctitate habent: ſic in eas, & earum ſtudioſis ampulloſis proclamationibus infrendentes inſpumanteſq; deſæuiunt, ut facilè ſe declarent etiam Græcos illos improbare, & penè odiſſe uerè ſanctas animas, Baſilium, Chryſoſtomum, Gregorios, etiã

Latinos

Latinos,Cyprianum,Ambroſium,Auguſtinum,Hieronymumq́ ipſum, & alios
id genus noſtræ religionis antiſtites, gentium, linguarumq́ omnium diſciplinis,
uelut opibus Aegyptiorum ſuffarcinatos. Quo mihi etiam uidetur admirabilior
deliciæ tuæ Martianus hic Genazanẽſis,nec in theologia cuiq́ ſecundus,& om-
nium quos in eccleſia concionantes audiuimus,nõ prudentiſſimus modò,ſed &
facundiſſimus,cuius neq́ ſuſpecta populis ad bonã frugem tendentib. eloquen-
tia,quoniã uitæ incredibili ſeueritate cõmendatur,nec e diuerſo triſtis, aut refor-
midabilis auſteritas,quoniã poetica delenimẽta,pulchramq́ iſtam literarũ uarie-
tatem,nitorẽ,delicias non aſpernat. Vt igitur lana purpurã bona fide potura,cer-
tis prius inficitur medicamentis: ita literis arbitror, doctrinisq́ talibus excoli ani
mos(quod ait in Hortẽſio Cicero)& ad ſapientiã excipiendã imbui, præparariq́
decet.Atqui non tamen ob iſtos pigebit aut exigere ſtylo, quicquid hoc noſtra-
rum lucubrationũ eſt,aut experiri quid concedatur in illos, qui fraudes in litera-
rum negocio cõcipiunt capitales.Nam & ego Philoxeno ignoſco, ſicuti Cicero
idem ad Atticũ ſcribens,redire in carcerem, ꝗ mancipare iudiciũ prꝍoptanti,ma
ximè ſi non præſenti ſeculo,ſed quaſi æternitati: prout etiã dictũ à Thucydide,ſer
uire ſcriptores conuenit.Eoq́ libri puto ipſi monumenta uocantur, ꝙ ad memo-
riam magis poſteritatis incorruptius iudicaturæ, ꝗ ad ineptam præſentis tempo-
ris gratiolam,ſpectare debent.Ergo ut ꝗ maxime(ſi licebit)hæc nõ extinguatur
ſolũ,ſed etiã opprimat improbitas effuſè omnia deprauantiũ, nec abeat in exem
plum,trita & proſtituta frons,atq́ oris tanta duritia, iam nũc centurias ſequẽteis,
pro ſuſcepto(arbitror)ſalutari conatu,neutiq́ ad huius primæ guſtũ repromitti-
mus. Quos enim molli nunc articulo tractamus, quos leui & lento brachio tan-
gimus,fortius dein puto prememus atq́ urgebimus,& cõtenti pauliſper interim
præluſoria,uelitariq́ pugna,mox uiribus collectis,toto exercitus robore depræ-
liabimur.Quinetiã(quoniã tunica ꝓpior pallio)uindicabimus audacter,& gra-
uiter à plagiarijs ac furunculis interdũ noſtra,& aſſeremus liberali cauſa manum.
Noſtra uerò nunc accipi tantũ uolumus,quæ labore induſtriaq́ ipſi magna prin-
cipes extudimus,nec expalpari unq́,nec extorqueri nobis ea paſſuri, ꝗ diu lice-
bit,noſtra,inq́,non eiectamenta,ſed pignora.Nam ut hæc in mediũ uice miſſiliũ
direptui conculcatuiq́ relinquimus: ita illa nobis recipimus & defendimus: hæc
exponimus,illa & agnoſcimus, & tollimus: ſed ita tamen, ut imitari ſimias noli-
mus,quæ ſuos dicuntur fœtus,quamlibet deformes, pro formoſiſſimis admirari.
Nec erunt,opinor,hæc quoq́ noſtra,quanq́ leuioris operæ ſtudia,ſeu ludicra ue
rius,dedecori tibi Laurenti Medices,cui nunc adſcribũtur. Adſcribuntur aũt nõ
magis adeò,ut me gratũ beneficijs tuis approbent, aut reponant gratiã, quòd au
xiliariũ te,quodq́ conſiliariũ habuerunt, ꝗ ut auſpicatò procedant,& ut in ijs tui
memoria frequentetur, ex quo liber autoritatẽ capiens magni celebritate nomi-
nis cõmendetur. Tum cui ſumma ſtudiorum meorũ debetur omnis,ab eo quoq́
portio ipſa iure incipiet.Et hercle ueluti bellaria ſint iſta, ſecundis accepta mẽſis.
Quoniã rectæ cœnæ ſpeciẽ uicemq́ grauiora illa occupant, qualia tibi multa uel
Marſilius Ficinus Platonis, uel Ariſtotelis interpres Argyropylus Byzantius è
philoſophiæ penu congeſſerunt.De iſto enim præ cunctis admirando, non Pico
iam,ſed (ut ipſe appellare ſoleo)phœnice potius,qui nunc in tua lauru nidificat,
tãta mea quidẽ expectatio eſt,ut auſim Propertio ſuccinere, Cedite Romani ſcri
ptores,cedite Graij.Tu uale,patrone iucundiſſime,& (quod facis) perge fauere
doctis,perge literas excitare,perge à ſitu recipere rem Latinam,ab interitu Græ-
cam,quò tui memoria nominis ab iniuria prorſus obliuionis aſſeratur.

Ang.Polit.

LATINI GRAMMATICI.

Seruius
Priſcianus
Donatus
Acro
Porphyrio
Marcellus
Sex.Pompeius Feſtus
Iunius Philargyrius
Probus
Gellius
Fulgentius
Pedianus
Perſi uatis innominatus interpres.

POETAE.

Vergilius
Ouidius
Lucanus
Lucretius
Valerius Flaccus
Statius
Claudianus
Silius Italicus
Seneca tragicus
Plautus
Terentius
Horatius
Perſius
Iuuenalis
Propertius
Tibullus
Catullus
Martialis
Auſonius
Prudentius
Martianus
Germanicus Cæſar
Licentius.

HISTORICI.

T. Liuius
Cornelius Nepos
Cornelius Tacitus
Valerius Maximus
Suetonius
Capitolinus
Eutropius
Ammianus.

ORATORES.

Cicero
Quintilianus
Plinius iunior
Symmachus.

ASTROLOGI.

Iulius Firmicus
Hyginus.

PHILOSOPHI.

Seneca
Cenſorinus
Boetius
Apuleius.

AVTORES AMBIGVI TITVLI.

Plinius
Petronius
Solinus
Fauſtus
Vibius Sequeſter
Vitruuius
Frontinus
Varro
Macrobius
Columella
M. Iunius Nypſus.

AVTORES SACRI.

Tertullianus
Cyprianus
Lactantius
Ambroſius
Hilarius
Hieronymus
Gaudentius
Auguſtinus
Rufinus
Sidonius.

Item ex iure ciuili, pontificioq́; delibata quæpiam.

GRAECI AVTORES GRAMMATICI.

Euſtathius
Pollux
Hepheſtion
Nica
Suida
Maximus
Apollodorus
Doxapater

Lucilius

Lucilius Tarrhæus
Apollonij interpretes
Sophocleus
Theon
Zenodotus
Platonius

POETAE.

Homerus
Heſiodus
Apollonius
Nonnus
Dionyſius
Aeſchylus
Sophocles
Euripides
Ariſtophanes
Pindarus
Callimachus
Theocritus
Triphyſiodorus
Lucilius
Euenus
Poſidippus
Gauradas.

HISTORICI.

Herodotus
Thucydides
Plutarchus
Herodianus
Ioſephus
Strabo
Pauſanias
Dion
Zoſimus
Xenophon Epheſius
Diodorus Siculus
Dionyſius Halicarnaſſeus
Laertius
Appianus
Helianus
Heliodorus
Sozomenus.

RHETORES.

Ariſtides
Lucianus
Libanius
Aphthonius
Syneſius
Nicetes
Nicephorus.

MATHEMATICI.

Theon
Achilles
Heron
Cleomedes
Ariſtides Quintilianus.

PHILOSOPHI.

Plato
Ariſtoteles
Xenophon
Theophraſtus
Heraclitus
Porphyrius
Proclus
Abammon
Iamblichus
Atticus
Dexippus
Philo
Maximus tyrius
Alexander
Themiſtius
Sextus
Philoponus
Simplicius
Arrianus.

MEDICI.

Galenus
Paulus Aegineta
Dioſcorides.

AVTORES AMBIGVI TITVLI.

Artemidorus
Iuſtinianus
Diogenianus
Calliſtratus
Africanus.

AVTORES SACRI.

Paulus
Euſebius
Seuerianus
Baſilius
Theodoritus.

Sūt et alij citati ueteres prudētes, autoritatis incognitę, ſicuti Pœmenicō ſcriptor, et Ariſtophāis, Xenophōtis, Ariſtidę, Euripidis, Callimachi, Sineſiiq; enarratores. Sed nec barbari deniq; Hebræi, Chaldęiq; autores in ſuis ꝗq; originib. aſymboli.

Ang. Polit.

CAPITA PRIMAE CENTVRIAE.

Defenſus à calumnia Cicero, ſuper enarrata ui noui apud Ariſtotelem uocabuli, quod ſit Endelechia. Caput 1
Quæ ſint crepidæ apud Catullum Carpatinę, quod probe ſcriptum uocabulũ, perperàm mutatur. Cap. 2
Quibus uerbis Horatius Camelopardalim ſignificauerit, quæq́ ſit eius animantis facies, quibusq́ etiam nominibus cenſeatur, & quo primùm tẽpore uiſa in Italia. Cap. 3
Quàm multa poetarum interpretibus legenda, quodq́ ſatyram Perſius de Alcibiade Platonis effinxit. Cap. 4
Quid ſit apud Lucretium Durateus equus, quodq́ legendum apud Valerium Flaccum, non quidem nox dorica, ſed durica, uel duria potius in libro Argonauticon ſecundo. Cap. 5
Quo intellectu Catullianus paſſer accipiẽdus, locusq́ etiam apud Martialem indicatus Cap. 6
Pathicos homines Iuuenalem innuere, qui digito ſcalpant uno caput, idq́ de Calui poetæ uerſiculis. Cap. 7
Cur errantium ſyderum uocabula diebus tributa, rationesq́ inibi ordinis eorũ, ſcitu relatuq́ iucundæ. Cap. 8
Quid in literis Domitio, & quatenus credendum, deq́ illius euidenti, pudendoq́ errore ſuper uoce Attegias. Cap. 9
De Baptis, & Cottyto, de Cottytijs, tum apud Iuuenalem & Horatiũ recta indicata lectio, enarratioq́. Cap. 10
Sententia de Claudiano expoſita relatu præquàm lepidæ fabellæ, tum fabella altera, non inſuauior è græco itidem uerſa ſuper Venere & roſa. Cap 11
Quomodo inuẽta purpura, ſimul explicatus Nonni locus, gręci poetæ. Cap. 12
Salutis augurium quod ſit apud Suetonium. Cap. 13
Naulia quæ ſint in Ouidij artibus, atq́ inibi de barbaris organorum appellationibus, quib. Græci noſtriq́ utantur, quodq́ etiã Chaldæi, græca interim, noſtraq́ id genus uocabula non aſpernantur. Cap. 14
Qui fuerit autor Sybaritidos, de quo Ouidius, deq́ Sybariticis libellis apud Martialem, luxuq́ item cætero Sybaritarum. Cap. 15
De Ariſtidæ Mileſiacis, de quo ſit apud Ouidium, deq́ Mileſiorũ delicijs. C. 16
Correctus in tragœdia Senecę locus, atq́ ex gręca remotiore fabula declaratus ſuper nemiæo leone. Cap. 17
Quid ſit apud Iuuenalem fraterculus gigantis, quiq́ apud alios Terræ filius, ibidemq́ de Mani uocabulo. Cap. 18
Super aſpiratione citata quæpiam, ſimul enarratum Catulli nobile epigramma Cap. 19
Emendata apud Suetonium & enarrata uox hæc Aſcopera. Cap. 20
Quid ſit aut minerual aut mineruale munus, ex eoq́ ſententiæ Iuuenalis & Varronis expoſitę. Cap. 21
Cuiuſmodi ſint uerſiculi, in quib. ut ait Martialis, Echo græcula recantet. C. 22
Legendum apud Martialem, Cum compare mulo: quod pleriq́, Cum compare gibbo, ſimul explicata ratio in eo, ſenſusq́ uerior. Cap. 23
Quædam ſuper Hecale anu in memoriã data, deq́ poeſi Callimachi, tum ex epigrammatis priapeis expoſitus locus, & item alter apud Statium, quodq́ uitioſè legitur de eo in Apuleianis codicibus. Cap. 24

Quàm

Quàm multa in epiſtolis familiaribus, quæ nunc habentur Ciceronis præpoſtera, tum quem in ordinem reſtituendæ. Cap. 25

Verſiculi in Faſtis è græco ſuper uite & capro, tum parodia quępiam obſcurior apud Suetonium. Cap. 26

Verba in Ciceronis epiſtola, ex Enni Medea, de græca Euripidis. Cap. 27

Panici terrores qui uocentur, eo quòd locupletiſſimi citati teſtes. Cap. 28

Vnde ſit apud Ouidium Teuthrantia turba, Theſpi uocatæ filiæ. Cap. 29

Vocabula inuētu rara, nec tamē ſingularia, Cucuma, Proſeuca, Scruta. Cap. 30

Quid ſignificet illud apud Iuuenalem: Tanquam habeas tria nomina, quodq́ manu emiſſi, patronorum ſibi nomina imponebant, deq́ in nomen adoptando ex teſtamento. Cap. 31

Reſtituta Plinianis codicibus abolita pridem uox, quidq́ poppyſmos, aut poppyſma ſignificent: quodq́ mos poppyſmis adorandi fulgetras. Cap. 32

Crambe quæ ſit apud Iuuenalem, ſuperq́ ea græcum prouerbium. Cap. 33

Vitioſè quæpiam in epiſtola Ciceronis, de que uocabulo quod eſt Sciamachia. Cap. 34

Locus in M. Varronis, & item alter in Columellæ libris rei ruſticæ, defenſus à uitio, quædamq́ ſuper Euhemero inibi, & Iouis ſepulchro, & Cretenſibus addita, & locus apud Statium declaratus Cap. 35

Solutū hic, & enodatū, quod ænigma de Varronis libro citat Gellius. Cap. 36

Lapſum fœde Seruiuum, ſuper Oaxe fluuio & creta. Cap. 37

Expoſitum Iuuenalis carmen, contra omniū hactenus ſententias, ſuper Laconico & pitylisſmate Cap. 38

Scirpus exſolutus Auſoni uatis, de Cadmi filiabus, Melone, Sepia, & Cnidijs nodis Cap. 39

Scirpi ſimile uatis eiuſdem epigramma, emaculatum atq́ enarratum. Cap. 40

Quod in digeſtis Iuſtiniani principis, diem diffuſum male, pro eo quod eſt diſſiſum legitur, ut & apud Gellium diffundi & definitiones, pro illis, diffindi & diffiſiones. Atq́ inibi de Pandectis Florentinis nonnihil. Cap. 41

Pollices in fauendo premi, ſicut in denegando fauorē uerti ſolitos, ex eoq́ ſententiæ Horatij, Iuuenalis & Prudentij declaratæ. Cap. 42

Quàm multas habuerint antiqui diphthongos. Cap. 43

Pegaſeium nectar legi oportere apud Perſium, non melos. Cap. 44

Patroclo iuniorem Achillem, contra quàm aut Aeſchylus prodiderit, aut uulgò exiſtimetur. Cap. 45

Cacoethes apud Iuuenalem tetraſyllabon, nō cacœthos. Et condita pyxide lyde, non incondita legendum. Simul enarratus apud Martianum locus, haud arbitror indiligenter. Cap. 46

Quæ Plinius ſuper titulis ueterum artificum pendentibus prodiderit, ea de monimentis etiam ueteribus agnita Romæ, ſicuti ſpeciem Vergilianæ Aegidos. Cap. 47

De Megabyzo ſcripſiſſe alios, quod Plinius de Alexandro, uentitare in Apellis officinam ſolito. Cap. 48

Contentio epigrammatum græci Poſidippi, & latini Auſonij, ſuper occaſionis imagine, tum pulcherrima ecphraſis græci Calliſtrati. Cap. 49

Locus in Plinianis exemplaribus emendatus, ſuper nomine Prœtidum, atq́ inibi de ipſarum furore relata hiſtoria. Cap. 50

Cur in Epheſiæ Dianæ templo, molles appellati honores à Martiale. Cap. 51

Quæ ſit apud Martialem, Cornibus ara frequens. Cap. 52
Quod poſitum nomen Agamemnonis, in M. Tullij Diuinationibus pro Vlyxis eſt, tum in tranſcurſu locus in epiſtolis ad Atticum non inelegans, ſuper miniatula cæra correctus & enarratus. Cap. 53
Ceratinæ qui ſint apud Quintilianum. Cap. 54
Qui ſint Crocodilitæ apud eundem. Cap. 55
Cur gemino cornu Martialis dixerit in ſpectaculis, ubi de Rhinocerote, deq; tauris Aethiopicis. Cap. 56
Quæ ſint apud Suetonium Tetraones, correctumq; erratum Plinianis exemplaribus. Cap. 57
Origo & ritus ludorum ſecularium, prætereaq; ad id alia, citatumq; eò Sibyllę oraculum, mox & obiter explicata quædam, rurſus'que alia refutata non inutiliter. Cap. 58
Non Vergilium, ſed Ouidium uideri Priapei carminis autorem. Tum uerſiculum illum qui ſit apud Martialē, Ride ſi ſapis, ô puella ride, Naſonis eſſe procul dubio: ſed ex epigrammatis potius, quàm aut ex artibus, aut ex tragœdia Medea, uideri citatum, mox'que nouum quippiam, & mirum de Medea Naſonis adſcriptum. Cap. 59
Agon uerbū, quo Victimarius uti ſolitus, de quo etiam in Faſtis Ouid. C. 60
Erratū in codicibus Plinianis, ſuper cicuta, uinoq;, quodq; mendoſè apud Macrobium Aconitum pro conio. Cap. 61
Qui ſint arietini teſticuli, qui digitus medicus apud Tullium. Cap. 62
Aliter citari à Varrone Terenti uerba, quàm aut in exemplarib. habeatur, aut Donatus agnouerit. Cap. 63
Declarati uerſus Auſonij & Ouidij ſuper Choliambo aut Scazonte. Cap. 64
Qui ſit habitus in ſtatuis pacificator, deq; eo ſentire Statiū in prima Sylu. C. 65
Locus in Plauti Moſtellaria, & item alter in Milite, uindicati à uitio. Cap. 66
Cornicem uideri apud ueteres concordiæ ſymbolum, non ut omnes apud Iuuenalem exiſtimant ciconiam. Cap. 67
Verſus ex Callimacho ſuper crinibus reginę Berenices, atq; inde mendum ex Catulli exemptum uerſiculo. Cap. 68
Oarion ſynceriter eſſe apud Catullū, quod Aorion iſti legunt, qui bonos uiolant libros. Cap. 69
Cuius in Bruti nomiſmate ſymbolum ſint pileus & pugiones. Cap. 70
Quæpiam uulgò legi apud Maronem contra regulam, contra'que rationem metri. Cap. 71
De Philyra & lemniſcatis coronis. Cap. 72
Vocabulum quod eſt Expernata, Catullianis uideri exemplaribus reponendum. Cap. 73
Hiſtoria non illepida ſuper Zeuſi pictore & Helena. Cap. 74
Emendata uox in Ibide, ſimul explicata ſententia neutiquam nota hactenus. Cap. 75
Non Antilochum ab Hectore, ſed aliter uideri legendum, in prima Heroidum. Cap. 76
Quo argumento dicendum Vergilius, non Virgilius. Cap. 77
Additam falſò negationem primo Digeſtorum uolumine, quo capite de officio proconſulis agitur, & legati. Cap. 78
Cur Lyſimachi regis facies in nomiſmatis cornigera. Cap. 79

Fabula

Fabula ignotior de Tireſia & Pallade, qua ſenſus aperitur Propertianus. C. 80
De Ocno & Aſello, quodq; apud Propertiū mendoſè legitur orno. Cap. 81
Quod in Digeſtis titulo De edendo legatur ad alium, legi ad album conuenire. Cap. 82
De Harpocrate. Cap. 83
De Libertinis, qui uocentur Dedititij. Cap. 84
Cuiuſmodi apud Iuuenalem Cereris ludi accipiantur, deq; Cerealium authore Memmio. Cap. 85
De fluctu Decimo, ſeu Decumano, cuius permulti poetæ meminerūt. Cap. 86
Quod erat in Ciceronis epiſtola uocabulum Philotheoron corruptum, de in improbe in nomen, quod eſt Philocteten Cap. 87
Vnde illud tractum, Fuimus Troes: quæq; extent in literis ſuper Lacedemoniorum choro, & cantico. Cap. 88
Quòd Seruius Grammaticus Bucolicos Maronis uerſus tam mendoſè legit, q; falſò enarrat. Notataq; ibi & relata quædam ſuper initiandis pueris, ſuperq; dijs aliquot ueterum, maximeq; Genijs & Iunonibus. Cap. 89
Qui uir Theodorus Gaza, quantumq; tamē lapſus in Ariſtotelis problemate uerſo. Cap. 90
Quo pacto uir idem græcè tranſtulerit, quod eſt apud Ciceronem, Suadæ medulla, poſitiq; Eupolidos uerſus de Pericle: tum indicatum quibus deniq; dea Pithò latinis appellationibus cenſeatur. Cap. 91
Qui ſint apud Liuium cauſarij. Cap. 92
Vindicata Iuſtiniani principis præfatio quæpiam à uitijs, mendiſ'que aliquot. Cap. 93
Lepidum Seueriani commentum de lunæ factura, & ſolis, deq; menſtruis diebus, & annuis. Cap. 94
Græcum elegans adagium ſuper Xenijs, Digeſtorum exemplaribus reſtitutum. Cap. 95
Quanta in muribus ſalacitas, & Aeliani uerborum interpretamentū, atq; inibi locus apud Martialem correctus & enarratus. Cap. 96
Automaton legendum in Suetonio, quod nunc uulgò aut ornatum: quidq; ea uoce ſignificetur. Cap. 97
Perſii locus, & item Senecæ declarati: deq; manumittendis feſtuca ſeruis, & circumactu. Cap. 98
Cur muri partem diſiicere, quod ait Suetonius, Hieronicæ ſoliti. Cap. 99
Quæ ſint apud Maronem ſilentia lunæ: quæ'ue tacita uirgo apud Horatium: ſuperq; ijs Seruiana, & Acroniana refutatæ ſententiæ. Cap. 100

ANGELI POLITIANI MISCELLANEORVM CENTVRIA PRIMA.

Defenſus à calumnia Cicero ſuper enarrata ui noui apud Ariſtotelem uocabuli, quod eſt Endelechia.

CAPVT I.

ARGYROPYLVS ille Byzantius, olim præceptor in philoſophia noſter, cùm literarum Latinarum minimè incurioſus, tum ſapientiæ Decretorum, diſciplinarum'que adeò cunctarum, quæ cyclicæ à Martiano dicuntur, eruditiſſimus eſt habitus. Hic & apud Medicem Coſmum decreto publico patrem patrię, & dein apud Coſmi filium Petrum, nepotem'que adeò Laurentium hunc, decus ubique noſtrum, patriæ ſimul, auitæ'que uirtutis hæredem, ſuæ'que Reipublicæ columen, inſigni fuit & autoritate & gratia, quibus etiam libros dicauit Ariſtotelis à ſe uerſos in latinum, ſed & ipſum uix adhuc quidem puberem Laurentium dialecticis imbuit, ea'que philoſophiæ parte, qua de moribus præcipitur. Cæterùm (ut homo Græcus) perquàm ferebat iniquo animo nobilem illam, nec (ut Theodorus Gaza putat) importunam Marci Tullij Ciceronis exclamationem, qua Græciam uerborum interdum inopem, quibus ſe putat abundare, non eloquentius fortaſſe, quàm uerius pronunciauit. Ob id igitur ſubiratus latinæ copiæ genitori & principi Græcus magiſter, etiam dictitare auſus eſt(quod nunc quoq; uix aures patiuntur) ignarum fuiſſe non philoſophiæ modò Ciceronem, ſed etiam (ſi dijs placet) Græcarum literarum. Vix enim dici poteſt, quàm nos aliquando, id eſt, Latinos homines, in participatum ſuæ linguæ, doctrinæ'que non libenter admittat iſta natio. Nos enim quiſquilias tenere literarũ, ſe frugem: nos præſegmina, ſe corpus: nos putamina, ſe nucleum credit. Sed ut ad Argyropylum reuertar, oculos ad hunc modum noſtri parentis uiuentis, uictum'que ſuggillantem, utebatur hoc ille uel maximo argumento, quòd in primo Tuſculanarum quæſtionũ ſcribat Cicero, cenſere Ariſtotelem quintam eſſe quandam præter elementa naturam, de qua ſit mens, uerbaq; deniq; ipſius ita legantur: Quintum genus adhibet uacans nomine, & ſic ipſum animum Endelechian appellat nouo nomine, quaſi quandam continuatam motionem, & perennem. Sed enim nemo eſt (aiebat) in Ariſtotelis lectione paulo frequentior, quin ſciat Endelechian eſſe potius Ariſtoteleum uerbum, neutiquam ſignificans quod Cicero putat, continuatam motionem, & perennem, ſed perfectionem potius, aut conſummationem quampiam. Nam cum uellet Ariſtoteles quaſi nomenclaturam facere intellectuum ſuorum, uerba ipſe quæpiam noua concepit animo, ueluti'que dein peperit, in queis hoc quoque, per quod indicatur forma, ſpecies'que, cui perfectionem res quæque ſuam debeat. Quod enim quidque eſt, ab hac eſt Endelechia potiſsimùm. Cicero autem non quidem hanc Ariſtoteleam uocem, ſed aliam prorſus ei contiguam finitimamq; ſimilitudinis præſtigio falſus enarrauit. Endelechôs enim continuatim mobiliter, cõtinuata'que mobilitas Endelechiſmos, unde hanc Ariſtotelis entelechiam deduci putauit ille: quæ non d literam tamen, ſed t potius habeat in ſyllaba ſecunda. Iam autores contra Ciceronem ſtare quamlibet magnos Peripateticos adijciebat. Et ut homo erat omnium (ut tum quidem uidebatur) acerrimus in diſputando, atque aurem (quod ait Perſius)

ſius) mordaci lotus aceto: prætérea uerborum quoque noſtrorum funditator maximus, facile id uel nobis, uel cæteris, tum quidem ſuis ſectatoribus perſuaſerat: ita ut, quod penè dictu quoque nefas, pro conceſſo inter nos haberetur, nec philoſophiam ſciſſe Marcum Tulliū, nec literas Græcas. Enimuero re dein tota diligentius peruestigata, meas eſſe partes, & item cuiuſcunque Latini profeſſoris exiſtimaui, Ciceronis gloriam, qua uel maximè contra Græcos ſtamus, etiam uice capitis omni contentione defenſare: quanquam illam ſua non antiquitas modò, ſed quædam propè diuinitas extra ictum, ſupra'que iniuriam poſuit. Iam primùm igitur Argyropyli huius apud me quoque non exigui ponderis autoritas, alijs autoritatibus, multo'que (arbitror) ualentioribus refellenda eſt, tum oſtendendum, ex eo quod obijcitur, augeri Ciceronis præconium, ne dum decreſcat. Et prodibunt in medium ſatis (arbitror) quod ad philoſophiam modò pertinet, idonei Ciceronis laudatores (ut ſimus interim quàm pauciſſimis contenti) Boetius, Macrobius, & Auguſtinus. Nam quis Boetio uel in Dialecticis acutior? uel ſubtilior in Mathematicis? uel in Philoſophia locupletior? uel in Theologia ſublimior? Quem tanti iuniores etiam philoſophi longè (arbitror) omnium perſpicaciſſimi fecerunt, ut Aquinatem Thomam, diuum hominem, Magnum'que illum Thomæ præceptorem (Deus bone) quos uiros habere meruerit enarratores, & ab ipſius ſententia, ne ſit ulla quidem penè iam prouocatio. Porrò de Macrobio, cui, rogo, magis credendum, quàm laudanti præcipuè Boetio? Denique ipſius Auguſtini tam altè niſa in omnibus fermè diſciplinis eſt autoritas, ut extra omnem ſit aleam poſita, ſic ut ab ea iam ne tranſuerſum quidem (quod dicitur) unguem recedi, fas habeatur. Etenim tanta ingenij conſtat eum celeritate uiguiſſe, ut quicquid de arte loquendi & differendi, quicquid de dimenſionibus figurarum, de Muſicis, de numeris præcipitur, etiam ſine magna difficultate, nullo hominum tradente, perceperit: tanto dein acumine præſtitiſſe diſputandi, ut iure in uno iſto potiſſimùm, totius ueritatis niti patrocinium uideatur. Conſideremus igitur, quid hi ſinguli ſaltem de Cicerone ſenſerint, quantum'que ei tribuerint in philoſophia, tum credamus audacter, non cuiuſuis eſſe calumniam conflare homini, qui fuerit à laudatiſſimis hominibus tam ſingulariter laudatus. Boetius itaque non modò ſic utitur identidem Marci Tullij teſtimonijs, ut ea pro fortiſſimis & inuiolabilibus obijciat argumentis, ſed & ipſius Topicorum (qui maximus eſt honor) ſuſcipere interpretationem non erubeſcit. Macrobius autem ſic in unius eiuſdem libri uel exigua particula uerſatur, ut nec Platoni comparem facere, nec omnibus inſignire eum diſciplinarum omnium titulis dubitauerit. Denique Auguſtinus cùm in Academicis, quanquam ſub alterius perſona, nunc ſuum Ciceronem, nunc ſapientem appellans, tandem ab ipſo, inquit, Latina lingua philoſophiam & inchoatam eſſe, & perfectam: tum in Confeſſionibus, ubi neutiquam perſonatus, eos ex profeſſo damnat, qui linguam Ciceronis mirantur, pectus non ita.

Quinimò quòd affectum mutauerit ipſe, quòd ad Deum preces, & uota conuerterit, quòd deſideria non eadem quæ prius habuerit, quòd omnis ei uana ſpes euiluerit, quòd immortalitatem ſapientiæ quæſierit æſtu cordis incredibili: poſtremò, quòd ſurgere iam cœperit, ut ad Deum reuerteretur, cuncta hæc eſſe Ciceronis munus fatetur, uni'que illius libro, qui uocaretur Hortenſius, omnem ſuæ ſalutis occaſionem retulit acceptam. Non enim ad acuendam linguam liber (inquit) ille offerebatur, nec eloquutionem mihi, ſed quod loquebatur, perſuaſerat. Quod iſti utinam legiſſent, qui ſomnium ægroti

nobis

nobis Hieronymi uapulantis ad tribunal obiectant, nec illud ſaltem cogitantes,
illum ipſum Hieronymum, quum poſt repetitam dein ſtatim Ciceronis lectionẽ
periurus à Rufino argueretur, etiã grauiſſimè conqueri, quòd ſibi ab illo ſua etiã
ſomnia obijcerentur. Cæterùm (ut ad propoſitum reuertar) uicerit ſanè uel Argy
ropylus, uel quiuis alius Ciceromaſtix. Sed rogo iſtas prius tranſcendere audeat
autoritatum moles, quas oppoſuimus. Enimuero de Græcis literis facilior, pro-
niorq́ ſentẽtia. Quis enim tam hiſpida aure, quis tam inimicus ueritati, qui ſi pau
ca modò peneq́ etiam tumultuaria græca uerba, ſparſim adhuc uel in epiſtolis ip
ſius olfaciat, quicquam ſe dicat unquam magis aut elegans, aut Atticum tota ſ͡q
Græcia reperiſſe? ſic ut iure Poſſidonium, doctiſſimum illum hominem deterrue
rit à ſcribendo, iure Græcam nationem Græco de rebus ſuis commentario con-
turbauerit, in quo ſe ait libro totum Iſocratis Myrothecion, atq; omneis eius di-
ſcipulorum arculas, tum nonnihil etiam Ariſtotelea pigmenta cõſumpſiſſe. Qua
mihi uidetur fiducia, non minus aliquando Græcæ quàm Latinæ linguæ ueluti
pomerium protuliſſe. Sit argumento uel illud (ut uno interim contenti exemplo
ſimus) quòd innocentiæ uocabulum negat habere apud Græcos uſitatum no-
men, ſed habere ait poſſe tamen ἀβλάβειαν. Tum caſtigat interdum quoq;, ceu ſe-
gnitiam quorundam apud illos uocabulorum, ſicuti cùm uelle eos ait quidem di
ſtinguere, ſed parum ualere uerba, quod uel in illis probant, quæ ſunt melancho
lia, & furor: uel item in eo quod πόνον pro labore confuſius illi, & dolore pariter
accipiunt: tum melius aliquid nos dicere indicat, quàm illos, ut cõuiuium, ut alia,
multoq́ melius quædam notata eſſe uerbis Latinis, quàm Græcis, quòd & ſigni-
ficat multis locis reperiri, ſed & carere hos ipſos nomine rei cuiuſpiam, quã maxi
mè habeant familiarem, non diſſimulat. nec ullus eorum tamẽ quamlibet inqui-
rendo ſe torſerit, inepti reperire adhuc, aut excogitare uocabulum potuit. Iam ue
rò nónne Apollonius quoq; ille Molo, rhetorum omnium ſui temporis celeber-
rimus, audita ſemel Græca M. Tullij, ſed & extemporali oratione, defixus diu ſte
tiſſe, ac deniq; ita mirabundus pronunciaſſe dicitur? Ego uerò te quidem Cicero
cùm laudo, tum admiror, ſed me Græcorum fortunæ miſeret, tædetq́, quòd hu-
manitatis & eloquentiæ decora, quæ ſola nobis reliqua feceramus, ea quoq; per
per te (quantum intellego) Romanis arrogantur. Enimuero hoc illius iudicium
non Latinus, non ineptus aliquis, ſed Plutarchus ipſe græco uir ingenio, Roma-
na grauitate in literis retulit. Ergo ad hunc ſanè modum de ſcientiæ ipſius, deq́
græcę linguæ peritia, teſtatũ nobis ueteres reliquerũt. Age uerò nũc Endelechiã
quoq; iſtam penſitemus, feram Ciceronis calumniatricem. Vtrum'ne iſtic igitur
reprehenditur, quòd Ariſtotelem dixerit adhibuiſſe Cicero quintam quandam
præter elementa naturã, & ſic ipſum animũ nouo nomine appellauiſſe? Quod &
Alexander Aphrodiſeus Peripateticorum omnium etiam ab Auerroe laudatiſſi
mus, in egregiè ſubtilibus illis naturalium quæſtionum libris oſtendit, quos à ſe
lectos diuus Hieronymus gloriatur, & Porphyrius in commentario, quod in Ari
ſtotelis decem genera per interrogationes edidit & reſponſiones, & Themiſtius
ſuper hos, in paraphraſi de anima ſecunda, & Simplicius ubi Ariſtoteleum paris
argumenti uolumen interpretatur, & Quintilianus Ariſtides in tertio de Muſi-
ca, & poſtremò in epiſtola quadam ſua diuus Ambroſius (ut alios interim præte-
reamus) unanimiter propè ſignificauerunt. Quanquam de hoc utiq; ne in uerbis
quidem Ariſtotelis ipſis ulla dubitatio eſt. An illud potius culpatur, quòd endele
chię uocabulum nec ſuis literis notauerit, & alium quàm Ariſtoteles intellectum
(ſicuti ſuprà diximus) accõmodauerit. Principiò igit quęro ego ab iſtis, quónam
maximè

maximè argumento Entelechiam potius quàm Endelechiam ſcriptum college-
rint ab Ariſtotele? Tam enim uerbum nouum hoc, quàm illud: nec minus alte-
rò ſignificari animus, quàm altero poteſt: nec Ariſtoteles ipſe perfectionem po-
tius, quàm motionem illam indicari continuam noua uoce pronunciat. Credide
rint ita ſanè Porphyrius, Themiſtius, Simplicius, aut ſi qui compares: quæ autem
tandem inuidia eſt, etiam aliter quàm poſteriores opinatum, ſi ſtare ipſe ſic quoq;
tuerique gradum bene & fortiter poteſt? Nam ſit utra lectio uerior, ea quam Cice-
rò agnoſcit, an quę apud poſteros obtinuit, in incerto adhuc eſt. Etenim libri om
nes Ariſtotelei, qui tam grandi nunc quidem autoritate pollent, interpolati, ple-
niq; multis erroribus olim ſunt editi, ſi fidem Straboni accommodamus, authori
non malo. Siquidē Neleus ipſe Scepſius, Coriſci filius, & Ariſtotelis, Theophra-
ſtiq; non ſolum auditor, ſed & bibliothecæ ſucceſſor, & hæres, libros utriuſq; phi
loſophi Scepſin, hoc eſt, in ſuam patriam cōportaſſe uniuerſos perhibetur. Hiq;
dein à poſteris ipſius, metuētibus uidelicet Attalicos reges, librorum iſtiuſmodi
ſtudioſiſſimos, infoſſi terræ, negligenterq; habiti diu, tandem aliquando ab Apel
licone Teio magna empti mercede dicuntur, ſed carie ſituq; (quod neceſſe fuit)
multis exeſi, & labefacti locis: quos tamen inconſultius ſupplere Apellicon ipſe
librorum, quàm philoſophię ſtudioſior, et pro arbitrio (quemadmodum quidem
putabat) emendare auſus, plurimis temerauit erroribus. Hi tamen aduſque Sul-
læ tempora (ſicuti Plutarchus memorat) Athenis deliteſcebant. Nam peripate-
tici ueteres ordinarijs iſtis, quibus omnis inſtruitur philoſophia, carētes, paucos
modò quos uocant Exotericos habuerunt, eo' que poſteriores exquiſitius philo
ſophati, quòd Ariſtotelis uolumina (quanquam alicubi contaminata) peruolu-
tabant. Quippe Lucius Sulla bibliothecam Apelliconis iſtam repertā Athenis,
Romam primus tranſtulit, tum Grammaticus Tyrannion, & ei penè ſuppar An-
dronicus Rhodius, is qui libros etiam Peri hermenias negat eſſe Ariſtotelis, ma-
gna copia libros eius philoſophi tabulis etiam, neſcio quibus, editis inuulgarūt.
Quocirca nihil eſt quod iam dubitemus, quin de ſynceritate primæua lectionis
iſtius, pręſertim tantillo diſcrimine, uel libera ſit in utramque partem ſuſpicio, uel
(ſi alterutri accedendum) tutius Ciceronem ſit præferri, longè priorem, quàm
Alexander eſt: primus ex illa cohorte, quā diximus, Ariſtotelis enarrator, quem
Seueri floruiſſe temporibus, uel ipſius de fato ſignificat opus, æqualemq; prope-
modum, ſeu paulò credo maiuſculum ſummis illis Academicis Origene & Plo-
tino. Quid autem prohibet, quò minus Cicero ipſe uidere matricem quoque li-
brorum Ariſtotelis, qui fuerint ipſius ætate publicati: ſi non incorruptam, certè
(ſicuti diximus) conſcribellatam potuerit? Tum & conſultò factum ab homine
doctiſſimo crediderim, ut libero pectoris muro ſeptus, eam nouo huic Ariſtote-
lis uocabulo interpretationem, iure accōmodare ſit auſus, quæ cum Platonis in
Phædro ſententia, ſuper animæ motu ſempiterno, atq; (ut Varro inquit) dio, con
ſentiret: de qua ipſe quoq; uel in Tuſculanis quæſtionibus, uel in ſexto reip. uolu
mine, cōmeminerit: quādo & Philoponus in Ariſtotelis uita, & Simplicius in cō
mentarijs de Anima, & in extremo Peri hermenias libro Boetius ipſe germanas
eſſe, & cōpares utriuſq; philoſophi ſententias aſſeuerant: etiamq; libros ſeptem
cōpoſuiſſe Porphyrius traditur, quibus hoc maximè argumentū colligeret, can-
dem Platonis eſſe prorſus, & Ariſtotelis hæreſin, q̃d & Picus hic Mirādula meus
in quadā ſuarū diſputationū præfatiōe tractauit, & uero uerius eſſe copioſiſſimo
opere (credo) pulcherrimoq; peruincet (niſi me tñ guſtus ſefellit) q̃d de Plato-
nis hac ipſa, quā dicimus, & Ariſtotelis cōcordia, noctes atq; dies molit ac cudit.

Ita non

Ita non modò nõ erraſſe in uocabulo iſto noſter Cicero, ſed uel eruditius aliquantò, quàm cęteri, uel ad ſuam ſectam ſcripſiſſe accõmodatius intellegetur, ut quod de clariſſimi uiri doctrina tam idonei, ꝙ ſuperius oſtendimus, autores ſpoponderunt, etiã ipſemet, in quo præcipuè diuerticulo calumniam patitur, largiſſimè cumulatiſſimeꝗ́ præſtiterit. Nec aũt nouum Ciceroni, aut inuſitatũ, calumniam pati à Græcis, quando etiam Didymus ſex libros aduerſus eundem cõpoſuit, Sillographos imitatus maledicos ſcriptores: qui tamen libri iudicio doctarũ aurium ſunt improbati. Sic aduerſus generoſiſſimũ leonem procul deſpectis uocibus, etiam quidam ſæpe lucernarij canes baubantur.

Quæ ſint crepidæ apud Catullum Carpatinæ, quod probè ſcriptum uocabulum perperàm mutatur. CAP. II.

VAlerius Catullus in Epigrammate quodam ſic ait:

Iſta cum lingua, ſi uſus ueniat tibi, poſſis
Culos, & crepidas lingere carpatinas.

Quæſitum uerò à multis, explicatum adhuc à nemine, quæ ſint carbatinæ crepidæ. Nam utrũꝗ rectè, ſed & item carbaſinæ dicitur. Quidam aũt plani, & tenebriones in literis, uetere expuncto uocabulo, neſcio quas ſupponunt aut Cercopythas, aut Coprotinas ex hara productas, non ſchola, uocabula nuda, nomina caſſa, & nihili uoces. Nos de græco inſtrumento, quaſi de cella proma, non deſpicabilis, nec abrogandæ fidei proferemus autoritates, quibus & lectio præſtruatur incolumis, & interpretamenti nubilum diſcutiatur. Iam primùm igitur Iulius ipſe Pollux lib. 9. ad Cõmodum Cæſarem Carbatinas eſſe ait ruſticum calciamentum, ſic à Caribus appellatũ. Ariſtoteles uerò in ſecundo de Animaliũ hiſtoria camelos calceari carbatinis ſcribit, ne ſcilicet in exercitu longiore itinere fatiſcant. Sed & quatuor extant græcè nimis ꝙ libelli elegantes Pœmenicôn titulo, quorum in ſecundo ſenex quidam cum pera, & calceis carbatinis introducitur. Et Lucianus in dialogo, qui uel Alexander, uel Pſeudomantis inſcribitur, oratores quoſpiam è Paphlagonia carbatinis calceatos ait. Deniꝗ etiam Xenophon Socraticus Anabaſeos tertio: Cum defeciſſent, inquit, ueteres calcei, carbatinas habebant ex recẽtibus corijs bubulis confectas: quem etiam locum, diſſimulato tamen autore, Suidas adducit. Quin interpres quiſpiam Xenophontis eiuſdem, carbatinas eſſe addit barbaricum calciamentum.

Quibus uerbis Horatius Camelopardalim ſignificauerit, quæꝗ ſit eius animantis facies, quibusꝗ́ etiã nominibus cenſeat̃, & quo primùm tẽpore uiſa in Italia. CAP. III.

HOratius in epiſtola ad Auguſtum: Diuerſum, inquit, confuſa genus panthera camelo. Nos olim iam publica prælectione dictauimus uideri eum de camelopardali, quæ uulgò Girafa dicitur, ſentire. Quam enim uocamus pantheram, Græci pardalin. Et hanc à rege dein ipſo Aegypti, qui Sultanus uocatur, inter munera alia dono miſſam Laurentio Medici uidimus, non tam meo, ꝙ ingeniorum omnium, uirtutumꝗ́ patrono. Tantum mirati ſumus habere ipſam cornicula, quanꝙ mas erat, quoniã de his nihil hactenus in ueteribus memorijs legebamus. Cæterùm græcus Heliodorus non dilutę ſcriptor autoritatis, libro Aethiopicôn decimo, in hanc fermè ſententiam de ea meminit, cum ſcilicet Hydaſpæ regi Aethiopum dono datam ab Auxomitarum legatis fabulatur. Poſtremò, inquit, acceſſere etiam Auxomitarum legati, nõ uectigales illi quidem, ſed amici, & fœdere iuncti, qui beneuolentiã rebus proſperè geſtis indicantes, cùm alia & ipſi munera obtulerunt, tum in primis animantem quampiam

quampiam inuſitata ſpecie, naturaq;: cuius ad magnitudinem cameli proceritas,
color,pelliſq; pantheræ,maculis ueluti florentibus uariegata. Poſtremæ infra al-
uum partes,humi ſubſidebant,ſicuti in leonibus uidemus.Humeri pedeſq; prio-
res,atq; item pectus,præter cæterorũ membrorũ rationem, procera. Tenuis cer-
uix,& quæ de reliqua corporis mole in olorinum collũ ſe tenderet. Camelo ca-
put ſimile.Maior ipſa penè duplo,ꝙ Libyſſæ Struthi, ſubſcriptoſq; uelut oculos
toruè motans conniuebat. Inceſſus aũt longè animantium cæterarũ terreſtrium,
uel aquatiliũ diſſimilis: neq; enim uiciſſatim crura ſimul, ſed dextra pariter, dein
ſiniſtra utraq; agitabat,cumq; ijs ſuſpenſa proferebat latera, tractu motuq; tam fa
cili,ut eam quò uellet, tenui capiſtro uertici deuincto, ueluti fortiſſimo uinculo,
magiſter perduceret.Hæc ut eſt conſpecta animans, omnem continuò multitudi
nem obſtupefecit,ſpecieſq; nomen inuenit ex ijs quæ præcipua in corpore,ſic ut
ex tempore eam populus Camelopardalin appellaret. Hactenus Heliodorus.
Dion uerò græcus & ipſe autor, in tertio quadrageſimoq; Romanæ hiſtoriæ li-
bro,de Cæſare narrans,ita fermè ſcribit: Camelopardalin uerò ipſe Romã addu-
xit,& populo oſtendit.Id animal cætera camelus,crura aũt inæqualia habet, po-
ſteriora prioribus magis breuia,ut à clunibus attolli ſenſim,quaſi aſcendẽti ſimi-
le incipiat,corpuſq; reliquũ ſublime admodũ cruribus prioribus ſuſtentatur, ſed
ceruix in altitudinẽ penè peculiarem ſe tollit.Colore ipſa maculoſo, ceu panthe-
ra: quo fit ut amborũ promiſcuo uocabulo cenſeatur. Plinius uerò de camelis tra
ctans,hoc quoq; addit: Harũ aliqua ſimilitudo in duo transfertur animalia. Na-
bun Aethiopes uocant,collo ſimilẽ equo,pedibus,& cruribus boui, camelo ca-
pite,maculis albis,rutilũ colorem diſtinguentibus. Vnde appellata Camelopar-
dalis,dictatoris Cęſaris Circenſibus ludis primùm uiſa Romę.Ex eo ſubinde cer
nitur aſpectu magis ꝙ feritate conſpicua: quare etiam ouis feræ nomen inuenit.
Conſimilia fermè huic etiam Solinus prodidit,quo loco de Aethiopibus.Sed &
M.Varro in libro de lingua Latina ad Ciceronẽ:Camelus,inquit,ſuo nomine Sy
riaco in latinum uenit,ut Alexandrea Camelopardalis nuper adducta,quòd erat
figura ut camelus,maculis ut panthera.Riſi etiam nuper,quia uerbũ ex Varrone
dimidiatũ pardalis tantum,neſcio quis grammaticus in Lexicon retulerat ſuum,
quod per ordinẽ literarum compoſitũ circumfertur.Centũ autem Gordiani prin
cipis ludis exhibitas,autore Capitolino,feras oues accepimus.

Quàm multa poetarum interpretibus legenda,quodq; ſatyram Per-
ſius de Alcibiade Platonis effinxit. CAP. IIII.

QVi poetarum interpretationẽ ſuſcipit,eum non ſolũ (quod dicitur) ad
Ariſtophanis lucernam,ſed etiam ad Cleanthis oportet lucubraſſe.
Nec proſpiciendæ autem philoſophorũ modò familiæ, ſed & iurecon
ſultorũ,& medicorũ item,& dialecticorum, & quicunq; doctrinæ illũ
orbem faciũt,quæ uocamus Encyclia, ſed & philoſophorũ quoq; omnium. Nec
proſpiciendæ tantũ,uerùm introſpiciendæ magis, neq; (quod dicitur, ab limine
ac ueſtibulo ſalutandæ, ſed arceſſendæ potius in penetralia, & in intimã familia-
ritatem,ſi rem iuuare latinam ſtudemus, & inſcitiam quotidie inualeſcentẽ profli
gare: alioqui ſemidocta ſedulitas cum magna ſui perſuaſione detrimento ſit, nõ
uſui. Plurima tamen in philoſophorũ maximè operibus inuenias,quæ ſint in poe
tarum noſtrorũ libros aſcita: quale uidelicet, quod etiam annos abhinc aliquot
Perſiũ publicè poetam enarrãtes indicabamus,ſatyram ipſius quintam, cuius eſt
initium: Rem populi tractas: ad Platonici dialogi, qui primus Alcibiades uoca-
tur, exemplar, ueluti delineatam: ſic ut non ea ſolum quæ de iuſto atque iniuſto,

deq; ſui culq; notitia Socrates inibi cum Alcibiade agit, delibaſſe ex eo pudēter, ſed locos etiā quoſpiam, ſi non magni momenti, certe ueneris tamē pleniſſimos, & lepôris duxiſſe indidem Perſius intelligatur. Quod genus & illa: Dic hoc magni pupille Pericli: quoniàm Socrates quoq; oſtendit omniū maximū uiſum Alcibiadi, quòd ipſi relictus à patre tutor Xanthippi filius Pericles. Sic item: Dinomaches ego ſum: ductū ex eo quod apud Platonē ſic eſt, ὦ φίλε παῖ κλεινίου ϗ δεινομάχης. Conſimiliter quod ait ibidem, Tecum habita: nónne dialogi eiuſdē peruidiſſe uidetur uoluntatē? Siquidem (quod Proclus enarrator affirmat) nihil hic aliud Plato, quàm literam Delphicam reſpexit, monentē, ſe quiſq; ut norit. Quod & Picus Mirandula, noſter amor, in Heptaplo ſua, quam mox editurus, de ſeptiformi ſex dierum geneſeos enarratione pulcherrimè tetigit. Hęc igitur inueniſſe aliquando, uel inuicem etiam contuliſſe, nō emolumentum modò ſtudioſis, ſed & uoluptatem pepererit minimè uulgarem.

Quid ſit apud Lucretiū Durateus equus, quodq; legendū apud Valerium Flaccū non quidem nox dorica, ſed durica, uel duria potius, in libro Argonauticon ſecundo. CAP. V.

LVcretius in primo de rerū natura: Nec cum Durateus Troianis Pergama partu Inflammaſſet equus nocturno Graiugenarum. Durateum uocauit equum illum Troianum ab Epeo fabricatum peritè ſimul & eleganter: quæ græca uox & poetica ligneum ſignificat: & ſanè durateon uocat hunc etiam Homerus equum libro octauo Odyſſeæ ſic inquiens:

ἀλλ' ἄγε δὴ μετάβηθι ϗ ἵππου κόσμον ἄεισον
δουρατέου, τὸν ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν ἀθήνῃ.

Et item paulo pòſt:

δουράτεον μέγαν ἵππον, ὅτ' εἴατο πάντες ἄριστοι.

Vulgusq; eundem nō durateon, ſed durion, cōmuniore lingua, ſicuti etiā poeta Ariſtophanes. At enī opici homines dictionē ſibi incognitā expungere, proq; illo, quod eſt, durateus, reponere nugamenta quæpiā, uel dura tuens, uel, dira tenens, occepœrūt. Idne attentare amplius audeant, uiſus mihi ſum facturus operæ preciū, ſi de iſto quoq; nōnihil Miſcellaneis inſeruiſſem. Sed & codicē proximè nobis Argonauticon Valerij Flacci peruetere m Taddæus Vgoletus Parmenſis Matthiæ Pannoniorū ſapiēniſſimi & inuictiſs. regis aulicus, homo literatiſſimus oſtēdit, è q̃ fluxiſſe opinor & cæteros, qui ſunt in manibus, cuius in ſecūdo ſic eſt: Manet immotis nox durica fatis: nō ut uulgò legit, dorica. Quę certò aut uera & emendata lectio, aut (quod ſuſpicor magis) ueræ proxima, ut quod & uſus & uocalitas perſuadet, nox duria ſit apud illum, qua ſcilicet incluſos utero Danaos equus ille durius, hoc eſt, idem qui durateus, patefactus ad auras reddiderit. Neq; autem diphthongus impediat. Quàm enim δούριος græcè, tam & δούρειος.

Quo intellectu Catullianus paſſer accipiendus, locusq; etiam apud Martialem indicatus. CAP. VI.

PAſſer ille Catullianus allegoricôs, ut arbitror, obſcœniorem quempiam celat intellectum, quem ſalua uerecundia, nequimus enunciare. Quod ut credam, Martialis epigrammate illo perſuadet, cuius hi ſunt extremi uerſiculi:

Da mihi baſia, ſed Catulliana:
Quæ ſi tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi paſſerem Catulli.

Nimis

Nimis enim foret inſubidus poeta (quòd nefas credere) ſi Catulli paſſerē deniq́, ac non aliud quidpiam, quod ſuſpicor, magis donaturum ſe puero poſt oſcula diceret. Hoc quid ſit, equidem pro ſtyli pudore ſuæ cuiuſq; coniecturæ, de paſſeris natiua ſalacitate relinquo.

Pathicos homines Iuuenalem innuere, qui digito ſcalpant uno caput, idq́ de Calui poetæ uerſiculis. CAP. VII.

QVi digito ſcalpunt uno caput. Sanè mollem uirum ex eo ſignificari apud Iuuenalem in ſatyra nona nemini dubiū: ſed & Pompeiū ſic à Clodio notatum Plutarchus indicat in Pompeij uita, ut illud interim omittam, quod in libello quoq; eo notam hanc Pompeij attigit, cui titulus eſt, Quo pacto fiat, ut inimici quoq; proſint. Quin & Ammianus Marcellinus hiſtoriæ libro 17. Pompei obtrectatores ait etiam hoc in eo ludibrioſum, & irritū obſeruaſſe, quòd genuino quodam more caput digito ſcalpebat. Cæterùm non tam mollis ex his uerbis, quàm planè pathicus, & draucus aliquis deſignatur. Quod genus homines in ſatyra uniuerſa Iuuenalis inſectatur. Alioqui languidus oppugnator, & lenuncidus, uel potius (ut ita dixerim) ficulneus poeta ſit iſte, ſi iam quaſi in molles feratur, hactenus in pathicos inuectus. Alludit enim, ſicuti mihi uidetur, ad Calui poetæ uerſiculos in Pompeium, de queis ita eſt apud Senecam in libris Oratorum & Rhetorum. Carmina quoq;, inquit, eius quamuis ioco ſa ſint, plena ſunt ingentis animi: dicit de Pompeio, Digito caput uno ſcalpit, quo credas hunc ſibi uelle uirum. Hucuſq; Seneca de Caluo. Quare cùm poeta Iuuenalis indicare conaretur cōfluere Romam pathicos omneis, hoc eſt, qui ſibi uirum uellent, feſtiuè id innuit ex particula Calui uerſiculorum, tum quidem (ut eſt ueriſimile) notiſſimorū, per quam conſequentia noſcitarentur. Deq́ his item ſupradictis Calui uerſiculis ſentire Porcium Latronem declamatione quadam apud eundem Senecam arbitror, qui ita dicat: In Cn. Pompeium terra mariq́ uictorem fuit qui carmen componeret, uno (ut ait) digito caput ſcalpentem. Fuit aliquis, qui licentia carminis tres auratos currus contēneret. Hæc Porcius Latro. Quoniam aūt liber hic Senecæ, quē adducimus, rariſſimus adhuc inuentu, propterea quaſi nouū dignati ſumus hunc locum noſtris cōmentationibus, ne quis expoſita nimis forſitan, & proculcata, uelutiq́ in medio iacētia putet retuliſſe.

Cur errantium ſiderū uocabula, diebus tributa: rationesq́ inibi ordinis eorum ſcitu relatuq́ iucundæ. CAP. VIII.

NOmina iſta dierum, de ſtellarum errantium uocabulis appellata, quam habeāt aut originem, aut rationē, nuſquam ſanè alibi me legere, quàm apud hiſtoricum Dionem memini. Cuius ex libro ſeptimo atq; trigeſimo ſic uerba poſſumus interpretari. Nam quòd his ſeptem ſtellis, qui planetes uocantur, dies aſſignari receptum eſt, inuentum quidem putatur Aegyptiorum. Sed in omnes tamen homines haud ita pridem (ut ſic dixerim) uulgari cœptum. Cæterùm Græci ueteres (quantū equidē ſciam) nullo prorſus eam rem pacto cognitam habuerunt. Quoniam uerò cùm nationibus alijs, tum Romanis uel maximè ſic mos peruulgatus hic eſt, ut quaſi iam patrius uideatur, pauca ſuper ijs ediſſeram, & quo pacto, quá ue cauſa ſic ordinētur, exponam. Duplex igitur audita mihi ratio eſt, utraq; ſanè haud intellectu difficilis, ſed ut ambæ tamen inſpectionem contineant. Nam ſi quis harmoniam, quæ diateſſaron appellatur, qua una uis uniuerſa muſicæ totius contineri creditur, ad ſtellas has, quibus omnis cœli ornatus diſtinguitur, eodem quo feruntur ordine, retulerit, atq; ab orbe illo ſupremo, qui Saturno tribuitur, incipiens, omiſſis duobus ſequētibus, quarti

deniq; dominũ nuncupauerit, ac dein duos item alios tranſiliens, ſeptimum adiecerit, eodemq; modo progrediens, præſides illorum deos ſubinde in orbẽ recenſuerit, atq; ita dies adnumerauerit, deprehendet omnes ratione quadam muſica cum cœleſti illa diſtinctione ornatuq; congruere. Cæterùm hæc una eſt, quæ fertur ratio. Altera uerò eiuſmodi. Si diei noctisq; horas à prima ſtatim cœperis numerare, ſic ut eam Saturno, dein ſequentem Ioui, tertiã Marti, quartam ſoli, quintam Veneri, ſextam Mercurio, ſeptimam lunæ tribuas: per eam ſcilicet orbiũ ſeriem, quæ ab Aegyptijs traditur, atq; item denuò facias, donec horas quatuor & uiginti pertranſeas, inuenies primam ſequentis diei horam ſoli cohærẽtem. Tum hoc idem in quatuor illis & uiginti horis, eadem qua prius ratione ſi facias, lunæ primam tertij diei horam conciliabit. Quòd ſi ſubinde hoc ipſum in cæteris obſeruabis, congruentem planè deum ſibi dies quælibet aſciuerit. Hæc Dion, feſtiua nimis, & arguta, ni fallor. Sed quoniam uulgò nũc ſabbatum, diesq; Dominicus uetus amiſere nomen, cùm cæteri etiam nunc retineant, ſcire ſtudioſos conuenit, & hunc Saturni, & illum ſolis appellatum. Nam de ſolis die (quantũ equidem recordor) etiã Sozomenus græcus hiſtoricus, etiamq; diuus Hieronymus: de Saturni aũt, uel hic ipſe Dion libro eodem, uel Frõtinus in Stratagematis, uel item poeta elegiarum Tibullus, uel poſtremò etiam Tertullianus in Apologetico, & Gaudẽtius in ſermonibus cõmeminerunt. Sed & Fauſtus Mileuitanus Manichæorum propugnator ille maximus ita inquit: Placet ſuſcipere ſabbatorum ocium, & Saturniacis manus inſertare catenis. Nec illud omiſerim, mutata dierũ iſtorum nomina, in quæ nunc à Chriſtianis uſurpantur, autore Conſtantino principe, ſicut in illius græca laudatione meminit Nicephorus.

Quid in literis Domitio, & quatenus credendũ, deq; illius euidenti pudendoq; errore ſuper uoce attegia. CAP. IX.

Dirue Maurorum attegias. Hoc Iuuenalis hemiſtichion de ſatyra quartadecima, quàm aut eruditè, aut fideliter, aut etiã perſpicaciter enarret Domitius, age iam (ſi uacat) inſpiciamus. Sed pauca de homine prius, ſi quis hæc etiam fortaſſe. Domitius igitur Calderinus Veronenſis, qui decẽ abhinc annos uita functus, uir fuit acris ingenij, multæq; in literis induſtriæ, latinæ linguæ diligentiſſimus, græcę non incurioſus, non proſam condere abſurdus, non carmen. Nimium ſui tamen (quod opera ipſius teſtantur) admirator, ac pro ſententia cui ſemel adhæſerat, etiam contra uerum cõtumax, & refractarius. Tum ob id in ſcribendo quoq; iactantior, atq; omnium præ ſe contemptor, omnium quàm minima occaſiuncula cauillator, & ſine diſcrimine uellicator. Itaq; etiam ſimultates eum doctiſſimorũ hominum nimio plures exercuerunt, odioq; apud eos neutiquam obſcuro laborauit. Autoritatis uulgò tam magnæ fuit, ut Romæ inter profeſſores iuuenis adhuc, primam ſibi celebritatem uindicauerit. Cuius tuendæ ac retinendæ gratia, factum cõpluries putamus, ut in ſuis operibus frontem perfricuerit, & per æqua, per iniqua famam captans, parum ex fide quæpiam retulerit, nonnulla etiam malè ſolers, & præſtigioſus, ſpeciem quidem primorem ueri habentia, magno credentium diſpendio, ſententijs ignorabilibus implicuerit, & puluerẽ (quod aiunt) oculis offuderit: aut ſicubi maior difficultas, nec abſiſtens, nec congrediens, ſpem lectoris eluſerit. Ita dum neſcire ſe nihil probare contendit, etiam Parthis aliquoties, & Cretenſibus mendacior inuenitur. Cuius exemplũ ſecutis alijs quoq; in omnes iam literarum articulos (ut uerbis utar Varronis) hæc mali gangræna ſanguinolẽta permeauit, præcidẽda deletili ſtyli parte certatim à doctis omnibus, ne ad uitalia uſq; deſerpat. Sunt autẽ editi ab eo gram

matici

matici cõmentarij aliquot,ut in Martialem Iuuenalemq́ poetas,quos & Medicibus meis Laurentio Iulianoq́ fratribus dedicauit, à quibus etiam muneribus eſt ampliſſimis hoñeſtatus. Sed & in Statij Syluulas,& in epiſtolã Sapphûs,in Ibin quoq; Naſonis edidit quępiam plena nimirum bonæ frugis,ubi non fucum facit, & lectoris credulitatem ludificatur. Cæterùm Georgius Merula, uir planè doctus,ac diligens,longeq́ quàm Domitius in ſcribendo cautior, & nunc primi ferè nominis non remulo(quod aiunt)ſed uelificatione plena inuectus, cõmentariorum illius in Martialem permultis editis notis licentiam primus hominis magno ueluti paſſu gradientem,prorſusq́ iam ferocientem compeſcuit. Nos quoq; dein primæ ſub flore iuuentæ, non quidem ut ipſius libros planè de manibus excuteremus,ſed ut ſomniculoſam iuuentutem,uelut in aurem utramq; dormientẽ expergefaceremus, in ipſo iam tum noſtræ profeſſionis tyrocinio ſic eundem leniter quandoq;,quaſiq́ parcente manu feriebamus: & nunc idem facturos præfamur,utcunq; res feret,quo fides nobis libertasq́ conſtet. Neque enim patiemur, quatenus uires ſuppetent, impunè illudi credulæ iuuentuti, & ſimplicia ingenia ſupplantari. Quoniam autem(ut eſt apud Plautum)feliciter ſapit is, qui periculo alieno ſapit,cauebimus ipſi quidem pro uirili,ne quid in hos libros,quod nõ defendi queat autoritatibus,referamus. Quid autẽ ad ſummam de ipſo ſentiamus,ſi uitia uirtutibus penſamus,& qua parte ingenij maximè ſtetit æſtimemus,uel epigramma teſtatur noſtrũ,quod in ripa Benaci lacus,ipſo Domitij natali ſolo, Baccius Vgolinus Florentinus,atq; Angelus Maffeus Veronenſis, illius memoriæ ſtudioſi,nouenniũ fermè abhinc, incidendũ ſaxo curauerũt,ꝙd & hic adſcribam.

Aſta uiator, puluerem uides ſacrum,
Quem uorticoſi uexat unda Benaci,
Hoc mutat ipſum ſæpe Muſa Libethron,
Fontemq́ Siſyphi,ac uireta Permeſſi:
Quippe hoc Domitius uagijt ſolo primùm,
Ille,ille doctus,ille quem probè noſti,
Dictata dantem Romulæ iuuentuti,
Mira eruentem ſenſa,de penu uatum.
Abi uiator, ſat tuis oculis debes.

Sed nimis multa fortaſſe de homine,pauca pręſertim polliciti: quod eo tamẽ conſilio fecimus, ut offam ueluti quampiam grammaticis iſtis diobolaribus, omnia quaſi per nebulam uidentibus,obijceremus,qui nihil omnino rectum putabunt, niſi quod ipſum deniq; tritum diu, proculcatumq́ de ſuis illis profitentium commentariolis excerpſerunt. Ad Attegias autem quod attinet, ipſius hæc Domitij uerba ſunt: Alij, inquit,accipiunt lingua Maurorum Attegias mapalia ſignificare. Ego potius intelligo, hoc ſignificare Mauritaniam ad extremam partem Lybiæ. Dionyſius:

Ad ſummam Lybien habitant Attegias undas,
Alcidæ quà ſunt ſtatuæ Mauruſia plebes.

Hæc ille,uidens utiq; meliora,deteriora ſequẽs. Volebamq́ ſanè iſta credere, ſed rumor uera negat eſſe. Dionyſium uerò citat autorem Domitius: qui ſi unquam uocabuli iſtius mentionem feciſſe ullam reperietur,cedam, tollamq́ manum iam tum, mè que omnium haberi uaniſſimum non recuſabo. Sed ut omni remota ueſſica,rem putemus ipſam,nõ ſunt Dionyſii uerſus hi,non ſunt,uerùm Priſciani potius,quo libello Dionyſium poetam de græco interpretatur. Corrumpit eos autem Domitius,atq; deprauat. Nam quod apud Priſcianum fuit,ad Tethyos un

das, priore inducta, interpolata'que ſcriptura, pro eo ſuppoſuit Attegias undas, neutiquam (ut arbitror) facturus, ſi rationem carminis, aut ſi ſpacia moraſq; ſyllabarũ conſuluiſſet: cùm uocabulũ, quod eſt Attegias, antepenultima porrecta ſyllaba, contra ipſius, quem interpretatur, teſtimonium, tum poſtrema breui, contra omnium poſuerit autoritatem. Bene quòd extat Dionyſius, cuius eſſe gręcos illius argumenti hos puto uerſus.

Ἀλλ' ἤτοι πυμάτην μὲν ὑπὸ γλωχῖνα νέμονται
ἀγχοῦ Συλλάων Μαυρούσιος ἔθνεα γαίης.

Licet autem euoluas iam totum, uidebis ne minimã quidem ſuſpicionem ſubeſſe Attegiarũ apud Dionyſium: uidebis alium citari pro alio, expungi ueram ſcripturam, ſupponi falſam, rationẽ ſyllabarum uel carminis haberi nullam. Et dubitabit aliquis ab ipſo iam liberrimè diſsẽtire & refutare has nugas, uel ſi præiudicata pridem de hominis ingenio doctrinaq; opinio, cauſam faciat inuidioſiorẽ? Cæterũ Attegias ipſi uel tabernacula, uel umbracula, uel (ſi hoc magis placet) mapalia intelligimus, qualia Mauri colunt, qui Numidę à Romanis, ut hiſtoriæ ſcriptor Herodianus eſt autor. Vocabulum id Rufinus uſurpat in libro Ioſephi de bello Iudaico ſeptimo: Cùm ad feſtum, inquit, diem ueniſſet, quo attegias in honorem Dei componi ab hominibus mos eſt. Nam quòd latinè Rufinus cõponi attegias ait, id ipſe autor Ioſephus σκηνοποιεῖσθαι dixerat græcè.

De Baptis, & Cotytto, deq; Cotyttijs, tum apud Iuuenalem, & Horatium recta indicata lectio, enarratioq;. CAP. X.

CEcropiam ſoliti Baptæ laſſare cocyton. Hunc Iuuenalis uerſum Domitius expoſiturus, erraticis (ut ita dixerim) ſuſpicionibus fibulam laxans, ineptias hallucinatur, & nugas meras: Baptas eſſe inquiens Cereris ſacerdotes, Cocyton Cererem. Nec arbitror hoc unquã dixiſſet, ſi quod in homine non pudoris dixerim, ſed ſenſus omnino ueſtigium fuiſſet. Nos enim tunc demum credituri, cùm quiſpiam proferetur, quo ſatis certo autore ſtetur. Sed eſt hoc familiare huic (agam enim iam liberius) ut cũ nihil explicare poſſit, implicet, & quicquid obuiũ ſit, arripiat, eoq; feratur diffidente cõſcientia: quò deniq; ipſum impetus errabundę opinionis impellit. Nos antiquã comœdiã poetæ Eupolidis innui ſuſpicamur, quod ueterũ excellẽs autoritas perſuaſit. Etenim de ea ſic Platonius gręcus autor, ubi de comœdiarũ differentijs agit, ἴσμεν γοῦν τὸν Εὔπολιν ἐπὶ τῷ διδάξαι τοὺς Βάπτας ἀποπνιγέντα εἰς τὴν θάλατταν ὑπ' ἐκείνων, εἰς οὓς καθῆκε τοὺς Βάπτας. Scimus, inquit, Eupolin, quoniã Baptas fabulam docuerit, ab ijs ipſis in mare ſummerſum, contra quos Baptas emiſerat. Lucianus quoq; in ea oratione, quæ inſcribitur, Ad ineruditum multos emptitantem libros, in hanc fermè ſententiam: Dic mihi, inquit, etiam'ne Aeſchinis orationẽ aduerſus Timarchum legis? an uerò illa omnia ſcis, & noſti ſingula? Ariſtophanem uerò & Eupolin ſubiſti? Baptas integram fabulam pellegiſti? Tun' nihil ex his pertinere ad te putaſti? neq; ea cum agnoſceres erubuiſti? Sed & Hephęſtion in enchiridio, de acatalectis agens, duos citat uerſiculos ex Eupolidis Baptis. Et Suidas unũ ex eiſdem in uocabulo, quod eſt Atrypheros. Iam primùm igitur cõſtare opinor Baptas comœdiã fuiſſe ueterem & mordacẽ poetæ Eupolidis. Quod aũt comœdiæ argumentũ, quæ materia, per ipſa quæ nũc extant ueſtigia, ſagaciter indagabitur. Athenienſes igitur ea tempeſtate ſacra quædã, religionesq; peregrinas, nouosq; deos aſciuerant, quibus nocturnę peruigilationes eſſent inſtitutę, magnorũ dein flagitiorum cauſa, ſicuti Romæ Bacchanalia. Sed inter ſacra cætera, fuere etiam quæ dicerentur Cotyttia. Contra hæc nocturna Cotyttia ſcripſiſſe Eupolin Baptas

ptas putamus: ſed & alios Comicos, interq́ eos Ariſtophanem quoq; uidemus, totum hoc genus peruigiliorũ & peregrinitatis exagitaſſe. Sicut Iuuenalis, quæ Romę fierent cõtra ritũ ceremoniarũ, nõ diſſimilia dicat ijs, quæ Baptæ Athenis in nocturnis Cotyttijs parrarent. Cicero in Legibus ſic ait: Quid aũt mihi diſpliceat in nocturnis, poetæ indicant comici, qua licẽtia Romæ data, quid nam egiſſet ille, qui in ſacrificiũ cogitatam libidinẽ intulit, quo neq; impudẽtiam quidem oculorũ adijci fas fuit. Et mox idem: Atq; omnia nocturna (ne nos duriores fortè uideamur) in media Græcia Diagondas Thebanus lege perpetua ſuſtulit. Nouos uerò deos, & in his colendis nocturnas peruigilationes, ſic Ariſtophanes facetiſſimus poeta ueteris comœdiæ uexat, ut apud eum Sabadius, & quidã alij dij peregrini iudicati è ciuitate eijciantᷣ. Apparet utiq; de Ciceronis teſtimonio cùm Ariſtophanẽ, tum Comicos alios ueteres cõtra nouos deos, contraq; nocturnas peruigilationes, aciem ſtyli deſtrinxiſſe. Cùm uerò ex ſuperiorib. liqueat Baptas fuiſſe comœdiã, qua turpia & obſcœna carperentᷣ, atq; hic de Baptis, deq́ nocturnis Athenienſiũ ſacris mentio, quæ nos Cotyttia fuiſſe appellata declarabimus; quis nõ intelligat iam Baptas fuiſſe deniq;, qua potiſſimũ fabula talia uexarentᷣ? Strabo aũt in lib. de Geographia decimo, Cotyttia, Bendidiaq; ſacra fuiſſe apud Thracas narrat, ex quib. Orphica ſumpſerint originẽ: deamq; nominat Cotyn, cuius faciat Aeſchylus mentionẽ. Tum idem paulo pòſt Athenienſes ait multa ex peregrinis ſacris accepiſſe, ὅτι καὶ ἐκωμῳδήθησαν, inquit. Sed & inter cætera, quæ peregrina ab ijs recepta ſacra cõmemorat, prima enumerat Thracẽſia, quæ ſuprà oſtendimus Cotyttia, Bendidiaq; appellari. Liquet igitur Cotyttia ab Athenienſibus ſacra externa coli ſolita, liquet etiã uexata à Comicis. Coniectura aũt ducimur, ut cũ de Baptis hic mentio, quam ſcimus fuiſſe Eupolidis comœdiã, deq; ſacris Athenienſiũ nocturnis, in ea potiſſimũ id genus ſacra exagitarentᷣ. Cæterùm deam quæ talibus præeſſet ritibus, peruigilijsq;, Cotytto uocatã putamus, à quà etiam recta ratione Cotyttiorũ eſt innata appellatio: quæ quoniã dea comœdijs ueterib. defamatiſſima, ideo Syneſius in epiſtola quadam, cuius principiũ eſt, ὁ καὶ τοὔνομα δοῦλος ἐκ τῆς προαιρέσεως, ad hunc planè modũ narrat: ἑρμῇ μὲν καὶ ἡρακλεῖ τοῖς παλαίστρας ἐφόροις οὐδὲ κατὰ μικρὸν πρέπει. κοτυττοῖ δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις ἀτίμοις κοινοσάλοις νεωκορεῖ. Quibus uerbis ſignificatᷣ eum de quo in epiſtola agat, non Mercurio congruere, non Herculi, palæſtrę præſidibus, ſed eſſe Cotyttûs ędítimũ, cęterorumq; apud Atticos deſpicatiſſimorũ. Quare Cotytto legendũ, non cocyton, pręſertim cùm ſyllabæ repugnet quantitas, quę ne tum quidẽ breuis, cum alterũ t ſubtraxeris, ut Domitius pręſcribit, inſcitè ille quidẽ nimis (ſit uero uenia) nimis inquã inſcitè, negligenterq;, qui non cogitauerit primam nominis ſyllabã non poſitu modò, cui duntaxat occurrit, ſed natura quoq; productã. Quidam tamẽ hanc deam Cotyn maluere, q̃ Cotyttò, ſicuti Strabo ſuprà, ſicuti alibi Syneſius idem his uerbis: θαῤῥῶν ἐκφαίνε τὸν ἄνδρα ἡμίγυνον αὐτόχρημα θιασώτην τῆς κότυος. Audacter, inquit, pronuncia uirũ eum ſemimarem ſtatim, ſodalemq; Cotys. Quem exponens locũ Suidas, Cotyn deam coli ait turpiũ præſidem. Vnde, inquit, ſunt Cliſthenæ, & Timarchi, & quicunq; lucri gratia formã colunt, ad infandam libidinẽ, ſicut effœminati, & capillũ fingentes uniuerſi. Sed & alibi credo inuenient, quibus hæc adiuuentur, uiri docti, ſi doctrinæ ſtudiũ adhibuerint. Quin apud Horatiũ quoq; in Epodis ita legendũ exiſtimamus. Inultus ut tu riſeris Cotyttia: non ut plerique codices Cocytia. Et in uetuſtiſſimo libro, qui ſit Georgij Antonij Veſputij Florentini, græce latineq; docti hominis, uocabulum id antepenultima ſyllaba t retinet, nõ c, ueſtigium arbitror unũ adhuc integrum ueræ integræq; lectionis.

Sententia de Claudiano expoſita, relatu perq́; lepidæ fabellæ: tum fabella altera non inſuauior è græco itidem uerſa, ſuper Venere & roſa. CAP. XI.

Claudianus in libro de raptu Proſerpinæ ſecundo, de Venere dea roſas purpureas colligente loquens, ita inquit: — Sic fata cruoris Carpit ſigna ſui. Locus ſanè uideri obſcurus poterat, niſi apud Aphthonium in Progymnaſmatis rhetoricis expoſita fabella, ſic propemodum: Qui roſæ pulchritudinem demiratur, plagam Veneris conſideret. Amabat Adonin dea, Mars ipſam. Quod que dea foret Adonidi, Veneri Mars erat, deus deam adamabat, deaq́; hominem ſequebatur. Par Cupido, tametſi genus diſpar. Perimere Adonin Mars zelotypus tendebat, finem putãs amoris, Adonidis necem. Ferit Adonin Mars. Accurrit auxilio Venus, feſtinans, in roſas incidit, ac ſe ſpinis implicuit, ita pedem perforatur, qui uulnere manarat cruor, de ſe roſam colorauit. Sic roſa, quæ prius candida, quod nunc cernitur, facta. Attigimus ipſi q̃q; fabellam hanc in Ruſtico noſtra, uerſiculo illo:

Idalio pudibunda ſinum roſa ſanguine tinguit.

Sed & uniuerſum pulcherrimè numeris uernaculis cõplexus, Mecœnas hic æui noſtri Laurentius Medices, ut in omni uirtute, ſic etiam in poetica eminentiſſimus. Nonnus aũt poeta mirificus lib. 1. & 40. Dionyſiacôn Martem ipſum, cùm ab eo fuerit Adonis occiſus, in aprum ſemet uertiſſe fabulatur, ita de Venere ſcribens: μούνω δ᾽ σύας οὐκ ἤθελε λεύσσειν τερπωλὴν ἔτι μάντις, ἐπεὶ συὸς εἰκόνι μορφῆς ἄρης καρχαρόδων θανατηφόρον ἰὸν ἰάλλων ζηλομανὴς ἤμελλεν ἀδώνιδι πότμον ὑφαίνειν. Negat his uerſibus Nonnus delectatum fuiſſe apris Venerem, quoniam fore cognouerat ut apri figuram indueret aliquando Mars, ac præ zelotypia necaret Adonin. Roſam uerò eſſe alioqui gratam Veneri, nec ille tacet lepidiſſimus epigrammaton uates:

I felix roſa (inquiens) mollibusq́; ſertis
Noſtri cinge comas Apollinaris,
Quas tu nectere candidas, ſed olim
Sic te ſemper amet Venus memento.

Sed & Vergilius in Elegidio quodam ſuo (cur autem non ſuum credamus, quod omnium ſit elegantiſſimum?) ſic ait:

Syderis & floris eſt domina una Venus.

Cæterùm Libanius ille quoq; ſophiſta græcus, nec ulli Atticiſtarum ſecũdus, ita quodam uelut angulo ſuper argumento iſto de roſa Veneris, luſitat: Quo, inquit tempore iudicem deabus paſtorem fabula dedit, malè habebat Iunonẽ, malè Mineruam quoq; ceſtus ille Veneris, in quo amabilitas, in quo etiam Cupido eſt. Ita uenturas prius in certamen negabant, quàm ubi à ſe Venus medicamentũ foret amolita. Sic enim cingulũ illud appellabant. Atqui ne uos quidẽ, Venus aiebat, lenociniis uacuæ. Tu diadema aureum crinibus, tu galeã ſimiliter auream geris uertice. Sed enim fucos iſtos habere per me uobis liceat, liceat modò per uos ornatum, comptumq́; mihi aliũ aſciſcere cinguli uice. Sic morem deabus gerens ire ad Scamandrũ pergit, lectura flores, quà ſe pratũ ſub ripa explicabat herbidum. Simul aquulæ ipſæ blandæ perſpicuæq́; ſuberant, & ad lauandum illices. Lota ibi dea, ſtatim (qua cauſa uenerat) ornatum quærebat ſibi. Tum neſcio qui mirè ſuauis aſpirare odor uiſus. Iam lilia, iam uiolas legerat dea, cùm tamẽ odor ille magis interim, magisq́; blandiebatur. Pergit auræ fragrantis ueſtigia ſubſequi, uidet roſam, uiſamq́; naribus admouet, & eſſe hanc ſuaueolẽtiæ illius matrem cognoſcit.

Ibi

Ibi flores aſpernata cæteros abijcit humi, tantũq; roſis coronata, recepit ſe ad Idã denuò. Nec autẽ plus Veneri flos, q̃ flori Venus conciliare gratiam uiſa. Adeoq; cõfeſtim Iuno, Mineruaq; uictæ, ut ne ipſæ quidem paſtoris expectarint calculũ, ſed accurrentes utraq; ſertum crinibus detraxerint, floremq; deoſculatæ ipſum, rurſum Veneris capiti repoſuerint. Hactenus de roſa Libanius, cuius tamen linguæ græcanicis pictæ coloribus nitidiſſimum tectoriũ, neſcio an ad unguem noſtra iſta tumultuaria latinitas repræſentauerit.

Quomodo inuenta purpura: ſimul explicatus Nonni locus, græci poetæ. CAP. XII.

QVo pacto inuenta ſit purpura nõ alienum fuerit hic referre, uel ut græci poetæ Nonni locus intelligatur, uel ut fabula prę quàm lepida, Latinis intacta, noſcatur. Eſt autẽ apud Pollucem libro de uerbis idoneis ad Cõmodum primo, in hanc ſententiam: Tyrij ferunt (inquit) captũ amore Herculẽ nymphæ cuiuſdam indigenę, cui nomẽ Tyro, ſequebaturq; eum (inquiunt) canis antiquo more, quo dominum canes uſq; etiam ad concionẽ comitabantur. Quare canis hic Herculeus irreptantem ſcopulis purpuram conſpicatus, pereſa caruncula, ſua ſibi labra cruore puniceo infecit. Cum igitur ad puellam Hercules adijſſet, delectata illa inſueta tinctura, quam ceu florentem in eius canis labris aſpexiſſet, affirmauit ſibi cum illo poſthac nihil fore, niſi ad ſe ueſtem afferret, etiam canis illius labris ſplendidiorem. Quocirca inuenta Hercules animante, collectoq; ſanguine, munus puellæ detulit, primus (ut Tyrij dictitant) autor punicee infecturę. Nos igitur in Ruſtico noſtra, propter hoc ipſum deniq; cõcham diximus Herculeam, cùm purpuram ſignificaremus. Porrò aũt Nonni poetæ uerſiculi ſuper hac ipſa fabula ſic in lib. 40. Dionyſiacôn inueniuntur.

Καὶ τυρίης σκοπιαῖς διαθλυμένα φάρεα κόχλῳ
πορφυρέους πινυθῆρας ἀκοντίζοντα θαλάσσης.
ἧχι κύων ἁλιθρυγὸς ἐπ' αἰγιαλοῖσιν ἐρέπτων
ἔνδομυχον χαροποῖσι γενειάσι βόσκιλον ἰχθῦν,
χιονέας πορφυρε παρηΐδας, ὧν δ' ὅθι κόχλου
χείλεα φοινίξας διερῷ πυρί, τόν ποτε μούνῳ
φαιδρὸν ἁλιχλαίνων ἐρυθαίνετο φᾶρος ἀνάκτων.

Salutis augurium quod ſit apud Suetonium. CAP. XIII.

SVetonius Tranquillus in Auguſto ſic ait: Nonnulla etiam ex antiquis ceremonijs paulatim abolita reſtituit, ut ſalutis augurium, &c. Quod autem foret ſalutis augurium, uideo etiam à doctis aliquot ignorari. Nos eam rem libro ſeptimo trigeſimoq; Dionis hiſtoriarum, ad hanc ſententiam reperimus. Tum uerò etiam ſalutis augurium, quod appellant, longo interuallo fecerunt. Eſt autem modus augurij quiſpiam, ut ſi Deus permittat, ſalutem populo poſcant, quaſi ne ſalutem quidem à dijs petere fas, ni prius hoc ipſum dij conceſſerint. Obſeruabatur autem dies una quotannis, in qua nullus ad bellum proficiſceretur exercitus, nemo ſe contrà pararet, nemo pugnaret. Quocirca in aſſiduis periculis, maximeq; ciuilibus, neutiquã fiebat. Nam & arduũ in primis, puram rebus his omnibus diem ſeruare, & perquàm abſurdum uideri poterat, ultrò ſeditionib. detrimenta ſibi ipſos incredibilia conciliare, cùm & uictis ea res futura eſſet, & item uictorib. pernicioſa, mox aũt ſalutẽ à dijs immortalibus petere. Cæterùm tum fieri quidem auguriũ eiuſmodi potuit. Sed ne id quidẽ purum proceſſit, quoniã aduerſæ quæpiam aues deuolarũt, unde auguriũ captum, aliaq; item ſigna inauſpicata apparuerunt. Idemq; etiã lib. quinquageſimo ſcribit,

ab Au-

ab Auguſto pace terra,mariq́; parta,Ianum cluſum,neq; non ſalutis augurium factum,quod antè multis cauſis fuerat omiſſum.

Naulia quæ ſint in Ouidij Artibus: atq; inibi de barbaris organorum appellationibus,quibus Græci noſtriq́; utantur,quodq́; etiam Chaldæi græca interim,noſtraq́; id genus uocabula nõ aſpernant. CAP. XIIII.

Diſce etiam duplici genialia naulia palma
Vertere, conueniunt dulcibus illa modis.

NAulia diminutiuum puto, ſiue nablia, ab illis quæ uel naula, uel nabla dicimus. Etenim b literas & u, fermè pro eiſdem poſitas inuicem ſæpe ueteribus monimentis adnotauimus. Suidas etiam: Nabla organi ſpecies. Ait & idem alio loco: Pſalterium, inquit, organum eſt muſicum, quod naula etiam uocatur. Quin & Sophoclis uerſum Plutarchus adducit, οὐ ναῦλα κωκυτοῖσιν, οὐ λύρα φίλα, libro eo quem ſuper ε Delphico fecit: ſed & Theodoretus in pſalmos de eo meminit, & Plutarchus in libris Sympoſiacis. Ex quo nos in Nutrice:

—Non quæ duplici geniale reſultant
Naula citata manu.

Sunt aũt multa organorũ barbara nomina,ſicuti Strabo narrat lib. 10. inter quæ nabla quoq; numerantur,hoc eſt,pſalteria. Sed & illud obſeruaui nuper apud Danielem prophetã,ducente me ſcilicet in receſſus illos, & ſacra ſtudiorum ſuorum penetralia Ioanne Pico Mirandula. Gręca etiam quę uideantur,Latina'que adeò iſtiuſmodi organorũ nomina: quanq; paulo corruptius, à Chaldæis quoq; autoribus uſurpari,ut carna pro cornu,cąthros pro cithara,ſabecca pro ſambuca,pſanterin pro pſalterio,ſamphonia pro ſymphonia. Quin Gallus Solomõ, ordinarius apud Hebręos enarrator ſacrarũ literarum,neuel ait eſſe Hebraicè,quod ibi pſanterin,id eſt pſalteriũ legatur. Conſtat aũt literis id nomen tribus נבל ex quo etiam nauel in Eſaia legitur, & Amos, & Græca dein figura naulon, à quo diminutũ ſit naulion hoc Ouidianum. Siquidẽ nouitiæ iſtę ſunt notæ,quibus Hebręi nunc ꝑ uocalibus utuntur,ut idẽ & cõperit,& oſtendit Ioannes Picus Mirandula meus, unus omniũ prorſus ab omni parte beatiſſimus,in opere ſingulari, atq; admirando,quo pſalmos à ſeptuaginta uerſos,iſto notarũ pręcipuè argumento,docet Hebraicę ueritati reſpondere. Ne iam inſultare Iudæus,aut obijcere poſſit,ea nos in templo ſingulis canere horis,quæ ne ipſi quidẽ ſatis uerſa fideliter exiſtimemus. Deniq; genialia cur dixerit Ouidius, facilè noris, uerba ipſa legens de Scipionis Aphricani Aemiliani oratione,contra legem iudicariam Cornelij Gracchi, quæ poſita ſunt in Macrobij Saturnalibus,eorumq́; principiũ ſic eſt, Docentur præſtigias inhoneſtas: cum cinædulis, & ſambuca pſalterioq́; eunt in ludum hiſtrionũ, diſcunt cantare,quæ maiores noſtri ingenuis probro ducier uoluerunt. Eunt,inquam,in ludum ſaltatorium inter cinædos,uirgines,pueriq́; ingenui. Sic Scipio. Tum Ambroſius quoq; libro ipſo de utilitate ieiunij tertio, pſalteria docet adhiberi conuiuijs,ut libidines incitentur. Sed enim in comœdijs quoq; crebra pſaltriarum mentio. Porrò uocabulũ ipſum Hebraicum eſt: nam græcè pſalteriũ dicitur,latinè laudatorium, ſicuti diuus Hieronymus ait in epiſtola ad Dardanum, docẽs in clypei modum quadrati eſſe formatum,chordarum decem, quanquam Romanus Emanuel Hebraico commentario in Pſalmos, utriculariam putet eſſe fiſtulam neuel,uidelicet etymon ſequutus,quod ab utre deduci uocabulum illud apud Hebræos uideatur.

Qui

Qui fuerit autor Sybaritidos, de quo Ouidius, deq; Sybariticis libellis apud Martialẽ, luxuq; item cætero Sybaritarum. CAP. XV.

OVidius in epiſtola ad Auguſtum libro Triſtium ſecundo ſic inquit:

Nec qui compoſuit nuper Sybaritida fugit.

Quæritur inter literarũ ſtudioſos, quí nam ſit is, qui Sybaritida cõpoſuerit, quod' ue ipſius operis fuerit argumentũ. Nos utrũq; apud Lucianum deprehendiſſe uidemur, in oratione quę eſt ád ineruditũ, qui multos emptitaret libros. In ea ſcriptũ eſt ad hanc ferè ſententiam: Dic mihi hoc quoq;, inquit, ſi Baſſus ille ſophiſta ueſter, aut tibicen Battalus, aut cinædus Hemitheon Sybarita, qui uobis mirificas conſcripſit leges, quo pacto inſanire oporteat, & uelle & pati, ac facere illa, ſi horũ quiſpiam nunc leonis pellem circundatus, clauamq; tenens incedat, quid? eum' ne putes Herculem ſpectantibus uiſum iri? Sed & Philo Hebræus, in uita ipſa Moſis: Comœdias, inquit, & Sybariticas nequitias cõponentes. Martialis quoq; lib. 12. epigrammatôn de Sybariticis libellis ita:

Qui certant Sybariticis libellis,
Muſſeti pathiciſſimos libellos
Et tinctas ſale pruriente chartas,
Inſtanti lege Ruffe: ſed puella
Sit tecum tua, ne Talaſſionem
Indicas manibus libidinoſis,
Et fias ſine fœmina maritus.

Hemitheon igitur fuiſſe uidetur, nõ ut Domitius ariolatur Sybaris, à quo uel Sybaritis, uel libelli Sybaritici obſcœniſſimo ſint argumẽto cõpoſiti. Notabiles aũt ſunt in primis luxu & delicijs Sybaritæ, ſic ut præcipuos omniũ colerent Ionas, atq; Tyrrhenos: quoniam alteri Gręcorũ, alteri barbarorũ luxurioſiſſimi. Ab his etiã fabulæ Sybariticæ, quales ferme apud Aeſopũ, & prouerbium deductũ, Sybarites per plateam, contra faſtuoſius ingredientes. Atq; hæc quidem de Sybaritis, aliaq; non diſſimilia Suidas. Plutarchus aũt in conuiuio ſeptem ſapientũ, morem fuiſſe ſcribit Sybaritis, mulieres ab uſq; anno priore ad conuiuia uocandi, ut ueſte auroq; moliri, exornareq; per ocium ſe poſſent. Sed & maximus Tyrius in diſertatione tertia de uoluptate, primos enumerat Sybaritas inter eos populos, quos uult molliſſimos, delicioſiſſimosq; uideri: neq; nõ Sybariticas etiã ſaltationes cõmemorat. Quin idem in diſertatione alia, cui titulus, Quæ finis ſit philoſophiæ, ferè in hanc ſententiam: Crotoniates, inquit, oleaſtrũ adamat, Spartiates armaturam, uenatiões Cretenſis, luxũ Sybarites, Ion choros. Hinc ergo Iuuenalis:

Nullum crimen abeſt, facinusq; libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit, hinc fluxit ad Iſtros, Et Sybaris colles.

Aſtipulat̃ & Strabo, qui Sybaritas omni ſua felicitate, propter delicias luxumq;, ſeptuaginta ſolis diebus fuiſſe narrat à Crotoniatibus exturbatos. Quin dictũ ꝙq; Plutarchus Sybaritæ ponit in Pelopide negantis mirũ facere Spartiatas, qui ſe in bellis morti obijcerent, ut tantos labores, uictumq; illũ, quo utebantur, effugerẽt. Ariſtoteles aũt Moralium Eudemiorũ primo, Smyndiridẽ quoq; Sybaritã comparem Sardanapalo, inter uoluptuarios nominat. Illud urbanũ ſanè, quod Aphricanus tradit in Ceſtis: ſic enim græcè liber ipſius de re militari inſcribitur. Etenim Sybaritas eò deliciarum ueniſſe narrat, ut equos in conuiuia introducerent, ita inſtitutos, ut audito tibiæ cantu, ſtatim ſe tollerent arrectos, & pedib. ipſis prioribus uice manuum geſtus quoſdam chironomiæ, motusq; ederent ad numerum ſaltatorios. At enim tibicen, inquit, ibi quiſpiam contumelia affectus transfugit ad Cro-

ad Crotoniatas hoſtes,paulo antè prælio ſuperatos à Sybaritis: & quod è repub. ſoret illorum,pollicetur(ſi fidem modò habeant)ſua opera Sybaritarũ cunctorũ equites in ipſorum uenturos poteſtatem . Credita res,& belli dux creatus à Crotoniatibus tibicen , conuocat omneis quotquot eiuſdem ſorent in urbe artificij, modulamentumq́ ijs indicat,atq; ut uiſum tempus,procedere in hoſtem iubet. Sed enim Sybaritæ faſtu præturgidi,quòd equitatu ſuperabant, eunt cõtrà, prælium q́ conſerunt.Hic aũt repentè dato ſigno tibicines uniuerſi conſpirant. Ecce tibi igitur confeſtim modulamine agnito,cantuq́ illo uernaculo,tollunt,erigũtq́ ſemet in pedes equi Sybaritæ,ſeſſoribus excuſſis, & quòd tripudium domi didicerant,etiam in acie exhibent.Ita capti omnes equites,ſed humi iacentes, omnes equi,ſed tripudia repræſentantes . Tantũ de Sybaritis Aphricanus.

De Ariſtidæ Mileſiacis,de quo ſit apud Ouidium : de'que Mileſiorum delicijs. CAP. XVI.

OVidius idem in eadem ad Auguſtum epiſtola ſic ait:

Vertit Ariſtiden Ciſena,nec obfuit illi
Hiſtoriæ turpes inſeruiſſe iocos.

Qui ſit hic Ariſtides,qua'ue libros materia fecerit , magna hæſitatio: nos autem ſtudioſam iuuentutem ad autorem Plutarchũ delegamus,cuius in M. Craſſi uita,ſub hoc propemodũ intellectu uerba ſunt : Collecto igitur Seleucenſiũ ſenatui libros Ariſtidæ Mileſiacôn perq; impudicos oſtentauit, nihil in eo mentitus, ſiquidẽ reuera fuerant inter Ruſti ſarcinas reperti . Quod & Surenæ præbuit occaſionem probri,cauilliq; aduerſus Romanos,cum ne inter bella quidem continere ſemet à rebus,literisq; huiuſcemodi ualerẽt. Ita Plutarchus . Eſt autem Surenas apud Perſas magiſtratus nomẽ,quaſi prætorẽ dixeris:quod & Zoſimus oſtendit. Atq; hunc quidẽ Plutarchi locum tranſcriptũ planè, ſicuti alia pleraque in Appiani quoq; hiſtoria deprehendes . Lucianus interim in amoribus ſub hoc pene ſenſu,de Ariſtide: Magnopere,inquit , me narratiuncularum tuarum perq; impudicarum lepida,& dulcis ſuadela lactauit , ut propemodũ te eſſe Ariſtidem; meq; ſermonibus crederem Mileſiacis demulceri. Quocirca etiam Apuleius epigramma ipſum ſtanm,quod in fronte aſini ſui collocauit,ita exorditur: At ego tibi ſermone iſto Mileſio,uarias fabellas conſeram, auresq; tuas beneuolas lepido ſuſurro permulceam. Ex quo Martianus: Nam certè,inquit,mythos,poeticę etiã diuerſitatis delicias Mileſias, & reliqua. Fuere autẽ Mileſii quoq; delicijs, luxuq; notabiles,ex eoq; prouerbium græcè fertur, οἴκοι τὰ μιλήσια μὴ γὰρ ἐνθάδε, hoc eſt, Domi,non hic Mileſia: uidelicet in eos,qui domeſticũ luxum celebrant,ubi minus probatur. Nam ſic Lacedæmone Mileſius hoſpes audiuit,cũ delicias patrias extolleret: ſicuti eſt ſcriptum in Zenodori prouerbiorũ collectaneis. Sed & Maximus Tyrius idem ſignificat,qui Mileſios à ueſtitu molliore uocat ἀνθεμονιστόλους. Ex quo apud Vergilium in Georgicis:

— Mileſia uellera nymphæ Carpebant.

Ex quo illud etiam Horatianum:

Alter Mileti textam cane peius, & angui
Vitabit chlamydem.

Sunt autem omnino Iones quoq; cæteri præquàm delicijs habiti defluentes, quod in ueteribus memorijs paſſim . Cæterum ne hoc quidem tacitum præteribimus : Veretro ſolitas uti Mileſiacas fœminas è corio : ſicuti ſcriptum etiam apud autorem Suidam . quin item apud eundẽ legimus à Mileſio Cadmo libros compoſitos quatuor,de ſoluendis amoribus.

Correctus

Correctus in tragœdia Senecæ locus,atq; ex Græca remotiore fabula declaratus,ſuper Nemeæo leone. CAP.XVII.

IN tragœdia Senecę,quæ Hercules furens inſcribitur,hic ſenariolus legitur: Sublimis altas luna concipiat feras. Alias enim codex habet uetuſtus ex publica Medicæ familiæ bibliotheca, non altas, ut in uulgarijs exemplaribus.Cuius intellectũ loci temerè aliunde q̃ ex Achille deſumpſeris:quem autorem Iulius quoq; Firmicus in Matheſeon libris & citat & laudat.Is igitur in commentarijs Arateis,cum de luna uerba facit,ita ſcribit ad uerbum: εἶναι δὲ ἐπ' αὐτῇ οἰκήσεις ἄλλας ποταμούς τε καὶ ὅσα ἐπὶ γῆς, καὶ τὸν λέοντα τὸν νεμεαῖον ἐκεῖθεν πεσεῖν μυθολογοῦσιν. Id eſt:In ea etiam habitari,fluuiosq; eſſe & cętera, ſicut in terra.Quin Nemeæum quoq; illinc cecidiſſe leonem fabulantur. Ex quo nos in Nutrice:

—Nemeæaq; teſqua
Lunigenam mentita feram.

Quid ſit apud Iuuenalem Fraterculus gigantis. Quidq; apud alios, Terræ filius: ibidemq; de Manij uocabulo. CAP.XVIII.

Vnde ſit malim fraterculus eſſe gigantis.

VErſum poetæ Iuuenalis hunc ex Satyra quarta, quicunq; hactenus interpretati ſunt,hærent in ſalebra,quantum uideo, nec enarrare illi quidem mihi,ſed riſum captare anilibus fabulamentis, uel deriſum potius uidentur. Quippe alij gigantas in ſimias conuerſos,alij poſt gigantas à Terra ſimiam productam in deorum contemptum cõminiſcuntur: frigidiora his alia,quæ ſicut ille Martialis rhetor, Neronianas thermas refrigerarent. Etenim nullo quantum intelligam ſenſu,nullo (quod ſciam) dicuntur tradẽte has nugas autore.Mihi fraterculus gigantis ſignificare hominem uidetur, nullis maioribus ortum,ignoto genere,obſcuroq;,quoniam cuius ignorabant parentes,eum uulgò appellare ueteres Terræ filium conſueuiſſent.Ex quo Perſius:

—Præſtò eſt mihi Manius hæres,
Progenies terræ,quære ex me quis mihi quartus
Sit pater,haud promptè dicam tamen, adde etiam unum,
Vnum etiam,terræ eſt iam filius.

Vides igitur uel unius autoritate Perſii,terræ filium dici,cuius neſcirentur parentes.Nec adeò putes otioſè Manium illic à Perſio nominatum. Vt enim omittam,quæ de Manio ſcribit Aricino Pompeius, etiam Manij nomẽ ipſum græcus autor Sozimus Romanæ hiſtoriæ libro tertio,non quia natus mane,ſicuti cęteri, ſed à manibus ait appellatum.Quin M.Varronis liber compluries à Marcello citatur Manij titulo,etiam neſcio quid alicubi de funere attingens, ut fauere hunc quoq; augurer nobis.Cicero item in primo epiſtolarum uolumine ad Atticum: Sed hæc ad te ſcribam aliàs ſubtilius:nam neq; adhuc mihi ſatis nota ſunt,& huic terræ filio,neſcio cui,cõmittere epiſtolam tantis de rebus non audeo. Sed idem quoq; in epiſtola ad Trebatium ſic ait: Cn. Octauius, an Cn.Cornelius quidem tuus familiaris,ſummo genere natus, terræ filius: quod in quibuſdam codicibus deprauatum,proq; eo ſuppoſitum zerę filius,cum uerior ſcriptura maneat adhuc in libro peruetere quondam doctiſſimi uiri Philelphi,nunc Laurẽtij Medicis, patroni literarij,ſimulq; in libro altero de uetere(ut apparet) exſcripto, qui nunc in bibliotheca publica Medicæ familię. Vides à Cicerone quoq; nihilò ſecius ignotum prorſus hominem terræ appellari filium.Lactantius etiam diuinarum Inſtitutionum libro primo his utitur uerbis: Minutius Felix in eo libro, qui Octauius

inſcribitur, ſic argumentatus eſt: Saturnum cum fugatus eſſet à filio, in Italiamq́ ueniſſet, Cœli filium dictum, quòd ſoleamus eos, quorū uirtutem miremur, ad q̃s repentinè aduenerint, de cœlo cecidiſſe dicere: Terræ autē, quòd ignotis parentibus natos terrę filios nominemus. Hactenus Lactantius. Sed & Tertullianus in Apologetico, de eodē Saturno ſic ſcribit: Dictus autem terræ & cœli filius, quia ignoti, uel ex inopinato apparentes de cœlo ſuperueniſſe dicuntur, ut terrę filios uulgus uocat, quorū genus incertum eſt, Quare cum hoc præoptaret, homo eſſe obſcurus, q̃ nobilis Iuuenalis, quod olim ꝓdigio par erat in nobilitate ſenectus, utpote ſæuientibus in eam Romanis principibus, malle ſe ait fraterculum gigantis, hoc eſt, terræ filium, quod (ut oſtendimus) obſcurū ſignificat, q̃ nobilem, patriciumq́. Gigantes enim terra editi. Suauius aūt fraterculum quàm fratrem, ne uideretur uaſtitatem illam, molem' que gigantei corporis, ſed generis duntaxat ignobilitatem concupiſcere.

Super aſpiratione citata quæpiam, ſimul enarratum Catulli nobile epigramma. CAP. XIX.

QVintilianus libro Oratoriarum inſtitutionum primo, de aſpiratione agens, ita inquit: Parciſſimè ea ueteres uſi etiā in uocalibus, cùm ædos ircosq́ dicebant: diu deinde ſeruatū, ne conſonantibus aſpirarēt, ut in Graccis, & in triumpis. Erupit breui tempore nimius uſus, ut chorona chenturiones, prechones adhuc quibuſdā inſcriptionib. maneant. Qua de re Catulli nobile epigramma eſt. Hæc ille. Putamus aūt epigrāma citari hoc potiſſimū.

Chommoda dicebat, ſi quando cōmoda uellet
  Dicere, & hinſidias Arrius inſidias.
Et tum mirificè ſperabat ſe eſſe loquutum,
  Cùm quantum poterat dixerat hinſidias.
Credo ſic mater, ſic liber auunculus eius,
  Sic maternus auus dixerat, atq; auia.
Hoc miſſo in Syriam requierunt omnibus aures,
  Audibant eadem hæc, leniter, & leuiter.
Nec ſibi poſt illa metuebant talia uerba,
  Cum ſubitò affertur nuncius horribilis:
Ionios fluctus, poſtq̃ illuc Arrius iſſet,
  Iam non Ionios eſſe, ſed Hionios.

Eſt uerò obſeruandū, ut etiam in pronunciando, quemadmodū in ſcribendo uocibus aſpires. Quod nunc Græci tantum in conſonantibus, Latini ne in cōſonantibus quidem retinuerunt. Contrà ueteres Latini etiā in loquēdo uocalibus aſpirabant. Ex quo Cicero in Oratore ad Brutū ita ſcribit: Quin ego ipſe cum ſcirē ita maiores loquutos eſſe, ut nuſquā niſi in uocali aſpiratiōe uterentur, loquebar ſic ut pulcros, Cetegos, triumpos, Cartaginē dicerem. Aliquando, idq́ ſero cōuicio aurium, cum extorta mihi ueritas eſſet, uſum loquendi populo cōceſſi, ſcientiam mihi reſeruaui. Sic Cicero. Sed & aureolū uidi equidē nuper apud Laurentium Medicen nomiſma, cum titulo, Triumpus. & item argenteū alterum, cum uulgatiore hoc, Triumphus. Quin Aulus quoq; Gellius in 2. Noctiū Atticarū teſtatur ueteres, h literā, ſeu ſpiritū, pleriſq; uocibus uerborū formandis (ut ipſe inquit) roborādisq́ inſeruiſſe, ut ſonus eorū eſſet uiridior, uegetiorq́. Sed & Priſcianus ait aſpirationē uocalibus extrinſecus adſcribi, ut minimum ſonet, conſonantibus autem intrinſecus, ut plurimum. Quare ſi conſtare tibi Catulliani epigrammatis lepôrem uoles aſpirationem ipſam ſuo loco, quantum poteris, pronunciabis. Sed

iſta

iſta uideo iam ſic innotuiſſe,ut aliena fortaſſe cuipiam uideri poſſint:atqui tamen penè adhuc equidem adoleſcens,coram literatis aliquot,quos & meminiſſe arbitror,de hoc ipſo loco ad Domitium Florentiæ retuli:qui ſic ei ſtatim applauſit,ut ingenuè fateretur,ſe plus eo die ab uno ſcholaſtico didiciſſe, ꝙ multis antè annis à quopiam profeſſorum.Scit Aurelius Ariminenſis(ut alios omittam) qui nunc Patauij degit,præſtanti iuuenis & ingenio & literatura, quàm multos abhinc annos,iſtam de nobis enarrationem Florētiæ tum quidē agitans acceperit, quamq; ſit(ut idem poſtea Patauij narrabat)noua prorſus, ignotaq; iam tum uiſa omnib. ad quos de ea.Catullū autem planè uniuerſum Veronæ(ſcit hoc uir liberrimi ingenij Baccius Vgolinus) intra officinam quampiam, quò nos pluuia coegerat, uiris aliquot literatis penè cogentibus, enarrauimus: cum quidē illic adeſſe etiā Guarini propinquus,Ioannes Baptiſta(ni fallor) nomine, ſimulq; Dantes quidā Alighenus,quintus ut aiebat,à Dante Florentino poeta, neq; non duo, qui tum Veronæ non indocti homines profitebantur,magnaq; itidem ſcholaſticorū manus,ita pronis auribus noſtra illa qualiacunq; accipiētes, ut identidem clamarēt, demiſſum cœlitus Angelum ſibi(ſic enim aiebant) qui poetam cōterraneum interpretaretur.Neq; ob id iſtorum tamen cōmemini, quò inuēta mea mihi deniq; uni,nullo in participatum recepto,tribui poſtulem(nō enim ſic mihi arrogo) ſed ne quis forſan alienis laboribus me quaſi coruum,aut uulturem relictis ab aquila cadaueribus putet ueſci.

Emendata apud Suetoniū,& enarrata uox hæc Aſcopera. CAP. XX.

VItiati deprehenduntur Suetoniani codices in Nerone. Nam ſic utiq; in omnibus: alterius collo & ſcopo deligata,ſimulq; titulus: Ego ꝗd potui,ſed tu culleum meruiſti.Nam neq; ſcopa latinè dicitur numero ſingulari:& ſi maximè dicatur,nihil tamen cōmercij ſcopis & culleo.Sed enim in uetuſtis exemplaribus ueſtigium,ut arbitror,extat incolumis, ueræq; lectionis,hoc modo: Alterius collo aſcopa deligata. Quare ſi literam penultimam per,ſcripſeris,Aſcopera fiet, quod & eſſe rectiſſimum puto: ſiquidem eſt Aſcopera ſaculus pelliceus: compoſitumq; nomen græcè eſt, ex utre & ſacco. de quo uocabulo ita ſcribit Suidas,ἀσκοπήρα τὸ μαρσύπιον ἤτοι σκυτοπάθνιον. Marſypium ſignificare Suidas Aſcoperam docet.Hæc ergo fuit Aſcopera Neronianæ ſtatuę collo deligata,cullei ſymbolum,quoniam matricida. Quòd enim culleo parricidæ inſuuntur,qui fit è corio bouis, eius cullei ueluti inſtar quoddam repræſentauit,qui deligauit aſcoperam.Iuuenalis de parricida & culleo ſic:

Et deducendum corio bouis in mare,cum quo
Clauditur aduerſis innoxia ſimia fatis.

Quid ſit aut Minerual,aut Mineruale munus: ex eoq; ſententiæ Iuuenalis & Varronis expoſitæ. CAP. XXI.

QVisquis adhuc uno partam colit aſſe Mineruam. Hoc ex decima Iuuenalis poetæ Satyra Domitius ita exponit, ut eius neutiquam uideatur peruidiſſe intellectum.Mineruam partam, id eſt, cuius ludis quinquatribus,ut poſſet certare,adeptus eſt.Quo quid eſt abſurdius,aut inconcinnius? an quæſo uno aſſe quiſpiam aſſequatur,ut certare de eloquentia publicè poſſit? Cæterùm Mineruale munus,quod & MineruaI dicitur,innuiſſe Iuuenalis uideri poteſt,mercedulam magiſterij ſcilicet à ſcholaſticis dari ſolitam, potiſſimumq; arbitror antè quinquatria, per quos dies pueri uacabant. Vnde Horatius in extrema epiſtola:

Ac potius puer ut feſtis quinquatribus olim

Exiguo gratoq́ꝫ fruaris tempore raptim.

Sicuti Saturnalibus, & Calendis item mos habuit. Quare de quinquatribus agens Ouidius in Faſtis, ita inquit:

Nec uos turba feri cenſu fraudata magiſtri
Spernite, diſcipulos attrahet illa nouos.

De Mineruali hoc munere, etiam diuus Hieronymus ita meminit, in epiſtolā ſcribens Pauli ad Epheſios, quod etiam in Canonicis decretis inuenias. Legant (inquit) epiſcopi & presbyteri, qui filios ſuos ſecularibus erudiunt literis; & faciunt illos comœdias legere, & mimorum turpia ſcripta cantare, de eccleſiarum ſumptibus forſan eruditos, & quod in corbonā pro peccato uirgo, uel uidua, uel ſubſtantiam ſuam totam effundens quilibet pauper obtulerat, hoc in Calendarū ſtrenam, & Saturnalium ſportulam, & Mineruale munus grammaticus, & rhetor aut in ſumptus domeſticos, aut in templi ſtipes, aut ſordidū conuertit in lucrū. Quas autem Saturnaliū ſportulas uocat Hieronymus, has nomine abſoluto Saturnalitia Tertullianus. Varro quoq; in tertio libro rerum Ruſticarū, ſic de Mineruali. Axius: Merula mi, inquit, recipe me diſcipulū uillaticæ paſtionis. ille: Qui ſimul ac promiſeris Minerual, incipiam (inquit) id eſt cœnam. Ludit enim Merula hic apud Varronem, quoniam'que Axius diſcipulum ſe uelle recipi dixerat, ipſe ſibi Minerual promitti poſtulat, quaſi magiſtro. Cœnam autem iocoſè Minerual appellauit, quia magiſterij merces. Ne forte igitur poetæ ſenſus hic erit, eum quoque, qui ſemel præceptori Minerual porrexerit, quod per aſſem deſignatur, id eſt, qui paucis diebus Rhetori aut Grammatico operam dederit, optare totis quinquatribus, quæ feſta erant Mineruæ ingeniorum præſidis, non modicum quippiam, ſed eloquium & famam Demoſthenis, aut Ciceronis.

Cuiuſmodi ſunt uerſiculi, in quibus (ut ait Martialis) Echo Græcula recantet. CAP. XXII.

Martialis in ſecūdo Epigrammatôn de ſupinis quibuſdā, ſuperuacuiſq; carminibus agens, in queis multus labor, minima laus faciendis, hoc quoq; inter cætera ſcribit:

Nuſquam Græcula quod recantat Echo.

Domitius autem Græculam accipit Echo, uocem græcā inſertam, quaſi ſe neget Martialis græcis uſpiam uerbis uti in ſuis Epigrammatis, quod contrà deprehenditur. Aut nos igitur coniectura fallit, aut innuuntur uerſiculi quidam, ſic facti, ut in extremis reſponſitationes ex perſona ponantur Echûs, ſententiam explentes, & morem tuentes illius ultima regerendi. Quales etiam uernaculos ipſi quoſpiam fecimus, qui nūc à Muſicis celebrantur, Henrici modulaminibus commendati, quosq; etiam abhinc annos fermè decem Petro Contareno Veneto patricio non inelegantis ingenij uiro, mirè tum deſideranti, nonnulliſq; alijs literarum ſtudioſis dedimus. Sed & extant Græci quoq; Gauradæ cuiuſdam antiqui poetæ, quos & apponam.

Ἀχὼ φίλα μοι συγκαταίνεσόν τι	τί;
ἐρῶ κορίσκας, ἁ δ' ἐμ' οὐ φιλεῖ.	φιλεῖ.
πρᾶξαι δ' ὁ καιρὸς καιρὸν οὐ φέρει.	φέρει.
τὺ τοίνυν αὐτᾷ λέξον ὡς ἐρῶ.	ἐρῶ.
καὶ πίστιν αὐτᾷ, κέρμα δ' ἐν τὺ δός.	τὺ δός.
ἀχὼ τί λοιπόν; ἢ πόθου τυχεῖν.	τυχεῖν.

Legendum apud Martialem, Cum compare mulo, quod pleriq; Cum compare gibbo: ſimul explicata ratio in eo, ſenſusq; uerior. CAP. XXIII.

MArtialis Epigrammatôn ſexto: Nō aliter ridetur Atlas cum compare gibbo. Sic enim uulgò legunt omnes, & pro rectiſſimo exponūt, quicunq; ſunt in cultu literarum celebriores. Nos contrà in codicibus pleriſque ueteribus, minusq; uacillātis autoritatis, & fidei ſic inuenimus. Non aliter ridetur Atlas cum compare mulo. Mulo, inquam, non gibbo.. Ne'ue ſurdis (quod aiunt) agatur teſtimonijs, in hac ipſa gentis Medicæ bibliotheca publica codex habetur uetuſtiſſimus, Langobardis literis, quem & Domitius olim Florentiæ pellegit. Sed & Veronæ mihi pagellas quaſpiam antiquiſſimi item uoluminis Bernardinus quidam adoleſcens, ut tum uiſus eſt haud illiberalis, Domitij propinquus, cōmodauit, cum quidem unà eſſet mecū Baccius Vgolinus abſolutiſſimi uir ingenij, candidiſſimiq;. Neq; non Romæ quoq; uolumen item Martialis, Langobardis characteribus oſtendit, legendumq; nobis indulxit Bernardinus Valla, uir & carminū ſtudio, & iuris ſcientia, & generis nobilitate, atq; opibus, prætereaq; humanitate quapiam non uulgari celebrandus. Quin Florentiæ item præter hos, alium codicem primæ nobilitatis ciuis Pandulfus nobis Oricellarius ſemiueterem dedit utendū, in queis utiq; ſingulis hanc, quam dicimus ſcripturam reperias. Neq; autem diffitear etiam illam ſuperiorem in uno alteroq; nō planè nouo exemplari uidiſſe me, ſicuti in eo quod Romæ in Palatina bibliotheca, mediæ antiquitatis, & item in altero tum quidem, quum legebamus Franciſci Saxetti Florentini negótiatoris, nunc autem Taddæi Vgoleti Parmenſis, humani doctiq; uiri, qui regi Pannonum Matthiæ, regij prorſus animi principi libros, ornamentaq; alia Florētiæ nobis iſta prodentibus procurabat. Nam in eo, quem mihi nuper doctus utraq; lingua uir Bernardus Michelotius, ab neſcio quo ſibi Peruſino commodatū dedit inſpiciendū, gibbo ſcriptum corruptius adnotaui. Quare quum ſuperiorem illam ueluti cōſtantem ſolidamq; reperiamus in melioribus ſcripturam, quærendū uidetur, quid ſibi Atlas poſtulet cum cōpare mulo, quá'ue cauſa perinde rideatur uti Maurus elephanto uehens. Porrò Atlantem de Iuuenalis uerbis, nanū quendam, pumilum'ue fuiſſe temporibus illis, haud ignoratum colligimus. Sic enim inquit:

—Nanum cuiuſdam Atlanta uocamus.

Vt ex cōtrario per deridiculū ſit Atlas appellatus, qui foret pumila ſtatura, ſicuti

—Canibus pigris, ſcabieq; uetuſta
Turpibus, & ſiccæ lambentibus ora lucernæ,
Nomen erit tigris, pardus, leo, ſi quid adhuc eſt
Quod fremat in terris uiolentius.

Sed & muli cùm pumili, uel mulæ, tum in precio ſunt, inq; delicijs habitæ. De queis in diſtichis idem Martialis:

His tibi de mulis non eſt metuenda ruina,
Altius in terra penè ſedere ſoles.

Si quando igitur nanus hic Atlas, mulo conſimiliter nano, & cōpare ſibi utebat, ueriſimile eſt rideri ſolitum publicitus, ſicuti etiam Maurus niger deriſui uulgo, quoties concolorem ſibi elephantū inſcenderat. Vnde inquit idem in primo:

Et molles dare iuſſa quòd choreas
Nigro belua nil negat magiſtro.

Conuenit autem propoſito argumentoq; poetæ in eum qui iuuenis, & ualidus,

& pauper, lectica identidem tamen à ſex, & ipſis iuuenibus ualidis, pauperibusq́ geſtabatur. Atque ut illi ſuperiores, nihilo ipſe ſecius cunctis deridendi ſui dabat occaſionem.

Quædam ſuper Hecale anu in memoriã data: deq́ poeſi Callimachi: tum ex epigrammatis Priapeis expoſitus locus, & item alter apud Statiũ: quodq́ uitioſè ſegit̃ de eo in Apuleianis codibus. CAP. XXIIII.

Aequalis tibi, q̃ domum reuertens
Theſeus repperit in rogo iacentem.

VErſiculi ſunt hi de Priapeis epigrammatis, per quos aut ego fallor, aut Hecale anicula demonſtrat̃, à qua Theſeus olim adoleſcens hoſpitio comiter acceptus eſt. Vnde ſacrũ quoq; Hecaleſiõ per pagos celebre fuit Hecalo Ioui, non ſine ipſius Hecales honoribus. Quam etiam Hecalenen diminutiua forma uocabant, quoniã ipſa quoq; adoleſcentẽ adhuc Theſea ſalutare aniliter, & huiuſcemodi excipere diminutiuorũ blanditijs conſueuiſſet. Quoniam aũt proficiſcente ad pugnam Theſeo, ſacrũ Ioui pro illius reditu uouerat, ac prius q̃ reuerteretur, ipſa obijt diem, uicem hanc Theſei iuſſu pro hoſpitalitate recepit, ſicuti Philochorus memoriæ prodidit. Qua de re Plutarchus in Theſei uita cõmeminit. Cæterùm de ea iuſtũ poema Callimachus fecit Hecalen nomine, ſicuti innuit item uerſiculus ex notiſſimo epigrammate:

Μέλπω δὲ γραὸς τῆς φιλοξένου τρόπους.

Multiq; paſſim reperiuntur autores Hecalen citantes Callimachi. Nam & herbas edules enumerat aliquando Plinius, quas ruſtica illa Hecale apud Callimachum apponat: ſicuti Crethmon in lib. 26. Sicuti etiam Sonchon in 22. quãuis in nouis codicibus Hecate ſit ibi, non Hecale: ueſtigium aũt ueræ lectionis manet adhuc in antiquis eis, qui ſunt in publica gẽtis Medicæ bibliotheca. Quin ubi Callimachus in Apollinis ait hymno,

ὁ φθόνος ἀπόλλωνος ἐπ' οὔατα λάθριος εἶπεν.
οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει.

In eum locũ ſic interpres propemodũ: Per hæc, inquit, illos accuſat, qui ſic in eũ cauillarent̃, quaſi magnũ facere poema nõ poſſet. Vnde coactus eſt Hecalen facere. Verba interpretis ita ſunt: ἐγκαλεῖ δὲ διὰ τούτων τοὺς σκώπτοντας αὐτὸν μὴ δύνασθαι ποιῆσαι μέγα ποίημα, ὅθεν ἠναγκάσθη ποιῆσαι τὴν ἑκάλην. Hinc nos in Nutricea Battides Hecalen ſonat, & Marathonia geſta, Celſior aſſueto.

Sed & Statius in extremo Thebaidos de hac ipſa:

Nec fudit uanos anus hoſpita fletus. Et Suidas Hecalen ait heroida quampiam eſſe apud Callimachũ. Deniq; Apuleius in 1. Metamorphoſeos de eadem puto. Si contentus (inquit) lare paruulo Theſei illius cognominis patris tui uirtutes æmulaueris, qui non eſt aſpernatus Hecales anus hoſpitiũ tenue. Neq; autem ignoro deprauatã ferè ubiq; eſſe ſcripturam, ſiquidẽ non Hecales anus, ſed Ales anus, præcerptis aliquot literis, ſcriptũ plerũq; inuenies, ut in tranſcurſu etiã Apuleianos codices emaculemus, & lectorẽ ueluti ſuperpondio dimittamus onuſtũ.

Quàm multa in epiſtolis familiaribus, quæ nunc habentur Ciceronis præpoſtera, tum quem in ordinem reſtituendæ. CAP. XXV.

NActus ſum Ciceronis epiſtolarũ familiarium uolumen antiquiſſimum, de quo etiam ſuprà dixi, tum ex eo ipſo, alterum deſcriptum, ſicuti quidam putant, Franciſci Petrarchæ manu. Deſcriptum autem ex ipſo liquet multis argumentis, quæ nunc omiſerim; ſed hic poſterior, quem

dixi

dixi,codex,ita eſt ab indiligente bibliopola conglutinatus,uti una tranſpoſita paginarũ decuria,contrà q̃ nota ſit numeris deprehendatur. Eſt autem liber in publica gentis Medicæ bibliotheca. De hoc itaq; uno quantum coniiciam, cuncti plane quotquot extent adhuc epiſtolarum earundem codices, ceu de fonte capiteq; manarunt,inq; omnibus præpoſterus & peruerſus lectionis ordo,qui mihi nunc loco reſtituẽdus,quaſiq; inſtaurandus. Quare adhibe quæſo animum, quicunq; liberalis has literas amplecteris.Igitur in libro octauo Cęlij epiſtola ad Ciceronem,ſic incipit: Certè,inquam,abſolutus eſt,me repræſentante, pronunciatum eſt,& quidem omnibus ordinibus, ſed & ſingulis in unoquoq; genere ſententijs. Vide modò,inquis,huc uſq; ordo nondũ interpellatus. Quæ autẽ ſtatim ſequuntur uerba,Literis oſtenderis,& cætera diuerſa prorſus à ſuperioribus,atq; alterius epiſtolæ inuenias.Perge porrò ab ea ipſa epiſtola deinceps numerare ſequenteis,ad eam quæ ſit quarta & uigeſima, cuius ita principium: Non me Hercules,nihil unquam enim,quæ cum ſuperiore continuatur,ut legas ita: Certè, inquam abſolutus eſt,me repræſentante,pronunciatum eſt,& quidem omnibus ordinibus,ſed & ſingulis in unoquoq; genere ſententijs. Vide modò, inquis. Non me Hercules: Nihil unquã enim.Atq; ita reliqua ſubtexe, perueneris ad ſequentem decimam,cuius hoc initium: Si tu,inquis,Hircium: quam eouſq; lege,dum in uerba hæc incidas,Si ullam ſpem,quæ ſimul offenderis,totũ hoc delebis, Aut in tecto uitij,cętera mihi probabuntur.Totum hoc,inquam,delebis,aut induces, quoniã aliena planè huic loco. Mox denuò recurres ad ea quæ poſita perperàm ſunt,in illo Cælij,de qua primitus dictum,atq; ita continuabis lectionem, Si ullã ſpem literis oſtenderis.ita tractim legens,ad epiſtolam peruenies tertiam ab hac, & uigeſimam,ſic uidelicet incipientem: Duabus eius epiſtolis reſpondebo. clauſamq; hac fini: Si enim nihil eſt in parietibus,aut in tecto uitij,cætera mihi probabuntur. Poſt eam,quæ ſtatim conſequi debet epiſtola,quæ nunc ab illa undecima,ſic ordines: Delectauerunt me tuæ literæ. Comprobat hunc ordinem, quem poſuimus,non ſolum codex uterq;,uel ille antiquus, uel hic ex eo ſtatim natus, à quo cæteros quoq; omneis bibliopolæ uitio deprauatos liquet,ſed intellectus etiam,ſenſusq; ipſe luce clarior,ſic ut acutius inſpicienti quicquid uſquam prorſus obſcuri eſt,ambiguiq; tollatur.

Verſiculi è græco ſuper uite & capro: tum parodia quæpiã obſcurior apud Suetonium. XXVI.

OVidius in primo Faſtorum:

Sus dederat pœnas,exemplo territus horum
 Palmite debueras abſtinuiſſe caper.
Quem ſpectans aliquis dentes in uite prementem,
 Talia non tacito dicta dolore dedit:
Rode caper uitem, tamen hinc cum ſtabis ad aras,
 In tua quod ſpargi cornua poſſit,erit.

Nimirum hi duo uerſiculi de Græci poetæ diſticho perq; inclyto, feſtiuoq; facti, quod in primis celebre fertur, & uolitat docta per ora uirûm. Nam cum dixiſſe quempiam illa memorat, ipſum nimirum autorem carminis Euenum digito deſignauit. Loquitur autem in græcis uerſiculis uitis ipſa,ſic ſcilicet:

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω
 ὅσσον ἐπισπεῖσαι καί σε τράγε θυομένῳ.

Vertit hos nimirum quàm potuit ad unguem poeta ingenioſiſſimus,& ſunt tamen in græco nonnulla,quæ noſter parum enarratè. Quin ſi ueris cõcedendum,

tranſmarinam illam neſcio quam Venerem, ne attigit quidem noſter. Quod uitium, linguæ potius minus laſciuientis, ꝙ parum copioſæ. Sed quoniam in Græci huius diſtichi mentionẽ incurrimus, afferamus etiã quod apud Suetoniũ in Domitiano eſt, ut obiter illi quoq; non in obſcuro loco, lucem interpretationis inferamus, uelutiq; auctarium demus merce ipſa neutiquam uilius. Verba igitur ita ſunt: Vt edicti de excidendis uineis propoſiti gratiam faceret, non alia magis re compulſus creditur, ꝙ quòd ſparſi libelli cum his uerſibus erant,

Κἢν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω
ὅσσον ἐπισπεῖσαι καίσαρι θυομένῳ.

Quod enim ſupra uitis capro minitabatur, hoc eadẽ nunc Cæſari: pulcherrima hercules parodia: Vel ſi me, inquiens, ad radicem comederis, tantum tamẽ uini producam, quantũ immolando Cæſari poſſit infundi. Mos enim ueteribus uti capitibus ſtantium ſub ictu cultroq; uictimarum uinum infunderetur. Sic apud Maronem uidelicet:

Ipſa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis uaccæ media inter cornua fundit.

Igitur neci Domitianũ Cæſarẽ per hos uerſiculos libelli deſtinabant: quoniã, ut Suetonius idem ſcribit: Ad ſummam quondã ubertatẽ uini, frumenti uerò inopiam, exiſtimans nimio uinearũ ſtudio negligi arua, edixit ne quis in Italia nouellaret, utq; in prouincijs uineta ſucciderent, relicta ubi plurimũ dimidia parte, nec exequi rem perſeuerauit. Meminerint aũt ſtudioſi nos in hoc inuento, non uno duntaxat nomine in cõmune conſuluiſſe, quoniã in pleriſq; adhuc Suetonij codicibus, etiamq; nõnullis ueteribus, nõ modò græcos hos uerſiculos non inuenias, ſed ne ueſtigiũ quidẽ, ac ne locũ etiam quò ſe recipiant. Sed eos nos quoniã tenebamus iampridẽ, utpote lepidiſſimos, facilè mox de obſoletis mendoſiſq; exemplaribus ſingulas penſitando, paulatimq; nunc agnoſcendo, nunc reſtituendo literas perueſtigauimus.

Verba in Ciceronis epiſtola ex Ennij Medea, de græca Euripidi. CAP. XXVII.

Cicero in epiſtola ad Trebatiũ: Hoc tibi tam ignoſcemus nos amici, ꝙ ignouerunt Medeæ, quæ Corinthũ arcem altã habebant matronę opulentę, optimates, quibus illa manibus gypſatiſſimis perſuaſit, ne ſibi uitio illæ uerterẽt, quòd abeſſet à patria. Nam multi ſuam rem bene geſſere, & publicam, patria procul. Multi, qui domi ætatẽ agerent, propterea ſunt improbati. Nemo ex his, quorũ edita ſit ſententia, ſuſpicatus eſt adhuc, non eſſe iſta planè Ciceronis uerba, ſed poetæ alicuius magis, cui liceret uti uocibus illiuſmodi, figuriſq;, ceu ſunt illa quæ Corinthũ arcem altam habebant, & matronæ opulentæ optimates, neq; ſaltẽ hoc uiderunt Iambos adhuc in his uerſibus extare integros duos, aliorũq; quaſi diſcerpta membra ueluti noſcitari. Nos hæc ex Ennij Medea uerba eſſe collegimus, nõ quidem ſuo prorſus ordine, ſed quo cõmodiſſimum Ciceroni fuit, allegata. Nam cum de Græca Euripidi uerſam ab Ennio Medeam in Latinũ cognouiſſemus, ſententiã protinus horũ uerborũ de ipſa nimirũ Euripidi tragœdia, quãdo illius Ennianæ iacturã fecimus, libuit aucupari. Sic igitur in ea fabula cum matronis Corinthijs loquẽs inducitur Medea, uti perſuadeat nõ ſibi uerti uitio oportere, quòd abſit à patria, quando multi, inquit, honeſti etiã ꝓcul à patria, multi cõtrà domi fuerũt inglorij. Nã malè audiebãt peregrinę fœminæ: unde illud comicũ eſt, Adeon' eſt demens, ex peregrina? Similiter tacere poſſe ait Parmeno, Samiã fuiſſe Thaidis matrẽ, tũc Athenis uictitãtis. Verſiculos aũt Euripidis ipſos, ex Medeæ perſona, ne quis fortaſſe deſideret, hic adſcribemus.

Κορίνθιαι

Κορίνθιαι γυναῖκες ἐξῆλθον δόμων.
μή μοί τι μέμψησθ᾽, οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν
σεμνοὺς γεγῶτας, τοὺς μὲν ὀμμάτων ἄπο
τοὺς δ᾽ ἐν θυραίοις, οἱ δ᾽ ἀφ᾽ ἡσύχου ποδὸς
δύσκλειαν ἐκτήσαντο καὶ ῥᾳθυμίαν.

Quòd autem diximus poetam Ennium de græco uertiſſe tragœdiam Euripidi Medeam, partim de uerbis Ciceronis coniectamus, qui ſic ait in primo de bonorum malorumq́ finibus. Quis enim tam inimicus penè nomini Romano eſt, qui Ennij Medeam, aut Antiopam Pacuuij ſpernat aut reijciat? Qui ſe ijſdem Euripidi fabulis delectari dicat, Latinas literas oderit? partim etiam quòd Ennianæ tragœdiæ principiũ multis locis, ut à Quintiliano uolumine quinto, ut à Cicerone in libro de Fato, ut item ab alijs autoribus identidem citatur, ſed nuſquam tamen longiore tractu, quàm in Rhetorico ſecundo eiuſdem Ciceronis ad Herennium. Quòd hic ex codicibus uarijs emendatum ſubſcribimus, ut illuſtretur obſcuritas locis aliquot in lingua latina oboriens, quoties unus aut alter de eius tragœdię principio uerſus allegatur, ſuppreſſo autoris nomine, ſimulq́ intellectu ſuſpenſo. Locus ipſe apud Ciceronem ſic eſt: Ne Ennium, inquit, & cæteros poetas imitemur, quibus hoc modo loqui conceſſum eſt:

Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Cæſa accidiſſet abiegna ad terram trabes,
Ne'ue inde nauis inchoandæ exordium
Cœpiſſet, quæ nunc nominatur nomine
Argo, qua Argiui uecti, delecti uiri
Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis imperio regis Peliæ per dolum.
Nam nunquam bera errans mea domo efferret pedem
Medea animo ægro, amore ſæuo ſaucia.

Eſt autẽ trabes in uerſiculo ſecundo, ſingularis numeri, quemadmodum & Priſcianus legit lib. ſeptimo. Vetuſtiſſimi enim (ut ipſe inquit) etiã trabes pro trabs proferebant. Euripidi uerò tragœdiæ principium ſi cum Ennianæ conferas, feceris arbitror operæprecium, quod & ſubnectam.

Εἴθ᾽ ὤφελ᾽ ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος
κόλχων ἐς αἶαν, κυανέας συμπληγάδας,
μηδ᾽ ἐν νάπαισι πηλίου πεσεῖν ποτε
τμηθεῖσα πεύκη, μηδ᾽ ἐρετμῶσαι χέρας
ἀνδρῶν ἀρίστων, οἳ τὸ πάγχρυσον δέρος
πελίᾳ μετῆλθον. οὐ γὰρ ἂν δέσποιν᾽ ἐμὴ
μήδεια πύργους γῆς ἔπλευσ᾽ ἰωλκίδος,
ἔρωτι θυμὸν ἐκπλαγεῖσ᾽ ἰάσονος.

Panici terrores qui uocent, eoq́ locupletiſſimi citati teſtes. CAP. XXVIII.

IN Ciceronis epiſtola ad Tyronem, quæ poſita in extremo familiariũ uolumine ſic ſcriptum eſt: Et ſi Atticus noſter, qui quondã me cõmoueri *πανικοῖς* intellexit, idem ſemper putat, nec uidet quibus præſidijs philoſophiæ ſeptus ſim, hercle quòd timidus ipſe eſt, *θορυβοποιεῖ*. Panica uocantur (ut arbitror) a Græcis repentini quidã terrores, & conſternationes, quales utiq́ lymphatici metus, uſq; adeò irreuocabiles, ut non ratione modò, ſed mẽte etiam careant. Quo item uerbo Cicero idem utitur in epiſtola ad Atticum lib. quinto. Sic enim inquit, quædam *πανικὰ* dici. Facit item Hyginius de Panico terrore

terrore mentionẽ,quo loco de capricorno his uerbis: Hic enim dicit̃, cũ Iupiter Titanas oppugnaret,primus obieciſſe hoſtibus terrorem,qui Panicos dicitur,ut ait Eratoſthenes. Quam fabulam & Germanicus innuit in Arateo commentario.Euripides in Medea ſic ait:

Καί τις γραιὰ προσπόλων δόξα σέπε
ἢ πανὸς ὀργὰς,ἤ τινος θεῶν μολεῖν
ἀνολόλυξε.

Panos aũt uocat iras Euripides, ſicuti eſt apud antiquiſſimũ ipſius interpretẽ, τὰ πανικὰ δείματα,id eſt, Panicos terrores,ὅτι τὰς τῶν αἰφνιδίων φόβων καὶ ταραχῶν αἰτίας τῷ πανὶ ἀνατιθέασιν. Quoniã, inquit, repentinorũ terrorũ & cõſternationũ cauſam deo Pani tribuunt.Et apud Syneſiũ in lib.de Prouidentia, ſic inuenio fermè, καὶ πανικοὶ θόρυβοι μεθ' ἡμέραν τὸ στράτευμα κατελάμβανον.Et Panici tumultus interdiu exercitum occupabant.Quo loco ampliter etiam cuiuſmodi eſſent hi deniq; terrores,explicatur. Quin interpres etiam neſcio quis ita uerba hæc ipſa Syneſij enarrat,ut Panicos appellari terrores dicat,cũ repẽtè in exercitu uiri, equiq; perturbantur,nulla cõparente cauſa.Solent enim,inquit, fœminæ ui numinis inſtinctæ,Panos orgia clamorib.concelebrare,quibus utpote repentinis metu audientes afficiantur.Sed & Nicetes Choniates non aſpernabilis omnino inter Gręcos autor,Panicorũ meminit phantaſmatum,in oratione quapiam ſua.Theon quoq; Arati poetæ interpres,militaſſe ait Pana deum aduerſus Titanas;primumq; eum uideri concham illam tortilẽ & turbinatam, qua pro tuba utuntur,inueniſſe,quę græcè cochlos appellatur,factumq; ipſius opera,uti ſe armandi ſocijs interim fieret copia,dum ſonitu quocunq; illo,qui Panicos uocatur, in fugam Titanes agebantur.Sed & Nonnus poeta Dionyſiacôn 10. furentem deſcribens Athamãta, nunc inſano Panos flagello furiatum ait, nunc intra ipſius aures bombum illum inſonuiſſe Panici Saturnij flagelli: uerba ita ſunt,

οἰστρηθεὶς ἀθάμας μανιώδεϊ πανὸς ἱμάσθλῃ.
ἐν δέ οἱ οὖασιν ἀκκάς. Et item:
πανιάδος κρονίης ὑπὶ βομβεῖ δοῦπος ἱμάσθλης.

Quo autem nunc piaculo Valerij Flacci pulcherrimos poetæ uerſus taceã ſuper hoc ipſo poſitos in libro Argonauticôn tertio: Dant, inquit,æthere longè

Signa tubæ,uox & medijs emiſſa tenebris:
Hoſtis habet portus,ſoliti rediere Pelaſgi,
Rupta quies,deus ancipitem lymphauerat urbem
Migdoniæ Pan iuſſa ferens ſæuiſſima matris,
Pan nemorum,belliq; potens,quem lucis ab oris
Antra tenent,patet ad medias per deuia noctes
Setigerum latus,& toruæ coma ſibila frontis.
Vox omnes ſuper una tubas,qua conus, & enſes,
Qua trepidis auriga totis,nocturnaq; muris
Clauſtra cadunt,talisq; metus non Martia caſſis,
Eumenidumq; comæ,non triſtis ab æthere Gorgo
Sparſerit,aut tantis aciem raptauerit umbris.
Ludus & ille deo,pauidum præſepibus auſert
Cum pecus,& profugi ſternunt dumeta iuuenci.

Quin libro etiam ſexto apud eundem barbarus quiſpiam ad terrorẽ incutiendum ſimulachra Panos prætulit:

Hiſpidus inq; Dei latuit terrore Lycæi.

Sed

Sed & Sozimus hiſtoriæ græcus autor in libro tertio, mõſtroſo aſpectu quempiam apparuiſſe pellitum dicit, Albanis Romaniſq; prælium cõmiſſuris. Etenim deum Pana belligerũ fuiſſe, uel ex argumento Nonni cognoſcimus, uel ex Theocriti fiſtula: nam in ea ſunt iſta quoq; uerba de Pane deo.

οὐδ' ἄθλει πέρος φέρνας τέρμα σάκους.

Eundemq; fuiſſe Athenienſibus auxilio contra Perſas cùm alibi legimus, tum in ea ipſa, quam diximus fiſtula, his uerbis:

ὅς σβέσεν ἀνορέαν ἰσαυδέα
παππολφόνω, τυρίας τ' ἀφέλετο.

Vnde ſint apud Ouidium Teuthrantia turba Theſpij uocatæ filiæ. CAP. XXIX.

Ovidius in epiſtola Deianiræ ad Herculem:

Nec tibi crimen erunt Teuthrantia turba ſorores,
Quarum de populo nulla relicta tibi eſt.

Notiſſima quidẽ fabula, etiamq; à Diodoro prodita ſuper Theſpij natabus ab Hercule compreſſis. Cur autem Teuthrantia turba uocentur, hoc tam pleriſq; incompertum atq; ignotum eſt, ut audeant literatores pro illo Teuthrantia, Theſpeia reponere, nimis quàm improbè, inſciteq;. Nos de eo inuenimus apud Euſtathium Homeri interpretem, ubi maximè Catalogum enarrat: φασὶ δὲ ὁ τῶν ἐθνικῶν συγγραφεὺς ὅτι κτίσμα ἐστὶν ἡ θεσπεία θεσπιάδος· οἱ δέ τινες θεσπίου υἱοῦ τεύθραντος, τοῦ πανδίονος. Ex autoritate ſcilicet cuiuſpiam, qui de gentibus conſcripſerit, Theſpiam tradit à Theſpiade fuiſſe conditam: ſicut autem nonnulli ſcribũt, à Theſpio Teuthrantis filio, Pandioniſq; nepote. Quare Teuthrantia turba Theſpij uocatæ filiæ ab auo Teuthrante. Deniq; & Aeſchylus in tragœdia Agamemnone Theſpiam, urbem Teuthrantis appellauit.

Vocabula inuentu rara, nec tamen ſingularia, Cucuma, Proſeucha, Scruta. CAP. XXX.

Vocabula quæpiam ſunt ita rara inuentu, ut ſi iterum in ea incidamus, ob id feciſſe operæprecium uideamur, quoniam ſingularia credebantur, ſicuti eſt cucuma apud Martialem in hoc hemiſtichio. Cucumam fecit Otacilius. Nam ſic in Satyrico legimus Petronij Arbitri: Tũ illa carnis etiam paululum delibat, & dum coæquale natalium ſuorũ ſinciput in carnariũ furca reponit, fracta eſt putris ſella, quæ ſtaturę altitudinẽ adiecerat, anumq; põdere ſuo deiectam ſuper focum mittit. Frangitur ergo ceruix cucumæ, ignẽq; conualeſcentem reſtinguit, atq; totam faciem excitato cinere perfudit. Ex eoq; inclinatum diminutiuum cucumion inuenio apud Arrianum in libris de Epicteto, quo maximè capite, περὶ κυνισμοῦ, hoc eſt, de Cynica profeſſione loquitur, atq; adeò uerba Arriani ponam: δεῖ αὐτὸν κουκούμιον ἔχειν ὅπου θερμὸν ποιήσει τῷ παιδίῳ ἵν' αὐτὸ λούσῃ. Habere, inquit, eum cucumion oportet, ubi calfaciet puero, quo ipſum lauet. Cucumion dixit, græca conſuetudine, quod nos cucumelam nõ inconcinnè. Sed & Proſeucha tantum apud Iuuenalem inueniri uocabulum pro loco mendicabulorum putatur, cum tamẽ Cleomedes in ſecũdo circularis inſpectionis libro, aduerſus Epicurum differens, ita propemodum loquatur: Ex ijs nõnulla è lupanaribus aſcita, quædam ſimillima his, quę in Cerealibus à fœminis dictitantur: alia uerò ex media proſeucha, atq; ab ijs ipſis, qui illic mendicant deſumpta, Iudaica planè, & retrita, longeq; etiam reptilibus humiliora. Sed & Scruta dixit Horatius quidem ſemel in hoc uerſiculo:

Vilia uendentem tunicato ſcruta popello.

Dixit iterum quantum uideam Sidonius Apollinaris libro epiſtolarum ſeptimo, per hæc uerba: Nunc quædam friuola, nunc ludo apta uirgineo ſcruta donabat,

Quid ſit illud apud Iuuenalem, Tanquam habeas tria nomina: quodq; manu emiſſi patronorum ſibi nomina imponebant: deq; in nomen adoptando ex teſtamento. CAP. XXXI.

Et ponêre foris, ſi quid tentaueris unquam
Hiſcere, tanquam habeas tria nomina.

Sanè Domitius idem (nam cæteros omitto interpretes, cum ipſo ut præfractiore congredior) Domitius igitur ſic hunc ex quinta Iuuenalis Satyra locum enarrauit. Si uelles, inquit, loqui, quaſi tu quoq; unus eſſes ex nobilibus: quaſi innuat, quòd tantum his, qui nobiles ſunt, loqui liceat. Nobilitas enim cognomine, agnomine, & nominè deſignabatur, C. Iulius Cęſar. Hactenus ad uerbum Domitius. Cæterùm tria nomina, nec ſoli habebant nobiles, nec uniuerſi: ſed hi potius arbitror, qui è ſeruitio manumittebantur. Quocirca ſenſus q̃q; uel ob id acutior atq; concinnior, ut conuiuator ne liberum quidem putet, ne'ue pro libero fari æquum cenſeat, quem ſibi conuiuam uocauerit. Hoc ſi non autores haud lubricæ fidei comprobant, uincor nihil eſſe Domitio penſitatius. Artemidorus igitur Epheſius, ſiue is Daldianus dici mauult, in lib. de Somniorũ coniecturis primo, græcè ille quidem, ſed ad hanc ſententiam: Noui autem quendã, inquit, ſeruum hominem, qui ſibi habere tria uirilia uiſus. Dein uerò liber factus, eo pacto tria pro uno habuit nomina, duobus aſſumptis patroni nominibus. Septimius quoq; Florẽs Tertullianus in libro de Reſurrectione ſic ad uerbum: Oro te, inquit, ſi famulum tuum libertate mutaueris, quia eadem caro atq; anima permanebunt, quæ flagellis, & compedibus, & ſtigmatibus obnoxiæ retrò fuerant, idcirco'ne illas eadem pati oportebit? non opinor. Atqui & ueſtis albæ nitore, & annuli aurei honore, & patroni nomine, ac tribu, menſaq; honoratur. Hinc illud, opinor, Perſianum: Exit Marcus Dama. Probat morem Cicero quoq; epiſtolarum ad Atticũ uolumine quarto, ſic ſcribens: De Eutychide gratum, qui uetere prænomine, nouo nomine T. erit Cæcilius, ut eſt ex me & te iunctus Dionyſius M. Pomponius. Sed ut obiter hunc quoq; Ciceronis non inobſcurum locum interpretemur, noſſe oportet etiã morem fuiſſe, ut hæredes teſtamẽto in nomen familiamq; adoptarentur. Sicuti à Cæſare C. Octauius, quemadmodum ſcribit & Suetonius in Iulio. Quocirca poſt eam diem ſemper eſt ille Cæſar, ut in epiſtolis quoq; Bruti ad Ciceronem, appellatus. Quemadmodum & Q. Scipio collega in conſulatu Pompei: qui cùm filius Naſicæ foret, ex teſtamento in Metelli Pij genus adoptatus, eius etiam nomine uocabatur: ſicuti in libro Hiſtoriarũ 40. ſcribit Dion. Quare etiam T. Pomponius Atticus hæres relictus à Q. Cæcilio ex dodrante, ſicuti ſcribit Cornelius Nepos in ipſius Attici uita, poſtea ut eſt apud Varronem in 2. de Re ruſtica, ex T. Pomponio Attico Q. Cæcilius Atticus eſt appellatus. Quare Eutychidem manumiſſum, T. Cæcilium Eutychidẽ uocauit, uetere prænomine ſuo: nam T. Pomponius olim dicebatur, nouo nomine, quòd haud pridem Q. Cæcilius uocari cœperat. Sic ſeruus Dionyſius, M. Pomponius Dionyſius uocatus eſt, aſcito Ciceronis prænomine, Attici nomine. Sed & Mileſius Alexander, cui Polyhiſtori cognomentum fuit, Cornelius eſt etiam à Cornelio Lentulo appellatus, a quo uidelicet fuerat manumiſſus, ſicuti quæ Suidæ dicuntur collectanea, teſtantur.

Reſtituta Plinianis codicibus abolita pridem uox: quidq́ poppyſmos aut poppyſma ſignificent, quodq́ mos poppyſmis adorandi fulgetras. CAP. XXXII.

COrrigēdus apud Plinium locus ex libro octauo & uigeſimo Naturalis hiſtoriæ, capite ſecundo, quo tractatur, an ſit in meden do aliqua uis uerborū: ſubducta enim uox una, qua uetus indicatur conſuetudo, uetuſtiore quoq; teſtimonio cōprobata. Sic aūt pleriq; codices habent: Fulgetras adorare conſenſus gentiū eſt. Sed in uetuſtis duobus exemplaribus, ex ipſa Medicæ gentis nobili bibliotheca, ſic ſcriptum: Fulgetras adorare poppyſmis conſenſus gentium eſt. Quam lectionem uel Ariſtophanes facetiſſimus poeta confirmat in comœdia, cui σφῆκες inſcriptio. Nam apud eum Philocleo quidā ſenex ita loquitur, ut ſe dicat poppyſſantibus (liceat aūt ſic uerbo uti) fulguraturum. Tum interpres antiquiſſimus morem hunc eſſe ait, uti ad fulgetras popyſſetur. Verba Ariſtophanis hæc ſunt: κἀν ἀστράψῃ ποππύζουσι. Tum interpres hæc: ἔθος ταῖς ἀστραπαῖς ποππύζειν. Quemadmodum ergo apud Iuuenalē Martialemq; poetas poppyſma legiſ, & poppyſmata, ſic apud Pliniū poppyſmis à caſu recto, qui ſit poppyſmus. Eſt autē factitia de ſono uox, id ſignificās, quo maximè nondum perdomitis equis adulamur, uti Maximus in lexico, & Nicas itē, & Suidas. Vtitur uerbo etiam Sophocles, ποππύζεται ζευγηλάτρις. ſicut & Pollux meminit in ſeptimo Onomaſticon. Quin idē quoq; in primo ſiſti equū poppyſmo docet, hoc ipſum uſurpans uocabulū, quod & Plinius: qui tamen etiam libro eiuſdē Naturalis hiſtoriæ quinto trigeſimoq; ſic ait: Similis & Nealcem ſucceſſus in ſpuma equi, ſimiliter ſpongia impacta ſequutus dicitur, cùm pingeret poppyzonta, retinentem equum. Dexippus etiam Platonicus philoſophus in dialogo, quem edidit in Ariſtotelis Categorias, ita ſcribit: ἢ ὡς ἄναρθρος ψόφος, ὡς ὁ τοῦ ποππυσμοῦ.

Crambe quæ ſit apud Iuuenalem, ſuperq́ ea græcum prouerbium. CAP. XXXIII.

Occidit miſeros Crambe repetita magiſtros.

HVnc Iuuenalis uerſum Domitius idem Calderinus his uerbis enarrat. Cornelius de declamationibus ita ſcribit: Declamationes aut ex hiſtorijs trahebantur, ſicuti ſanè nonnullæ uſq; adhuc: aut ex ueritate, ac re, ſi qua fortè recens accidiſſet. Itaq; locorum etiam appellationibus additis proponi ſolebant, & ſic certè collectæ, editæq; ſe habent. Crambe igitur inſcriptio eſt declamatiōis à loco. Nam Crambe oppidum eſt in Teuthrania Troadis, ut ſcribit Plinius, & è ꝓxima regione eſt Lesbos, in qua Mitylenen occupauerūt tyranni, ut autor eſt Strabo, Nigeſſilus, & Megarogilus. Alcæus poeta eos carmine eſt inſectatus, unde aureū plectrū habuiſſe dicitur, autore Fabio. De tyrannis eiectis, Crambe declamatio ſemper erat repetēda à magiſtris. Hæc placet ſententia, ut conueniat cum eo, quod dixit:

Cum perimit ſæuos claſſis numeroſa tyrannos.

Quòd alij à Crambo Scytharum rege, cuius meminit Diodorus, Cramben declamationē deducunt, nulla ex parte accōmodatum eſt. Hactenus igitur Domitius, tortuoſa prorſus, & tergiuerſanti oratione, cuius ex uerbis hæc deniq; colligitur confuſa neceſſitate ſententia: Cramben declamationem ab oppido Teuthraniæ appellari, quod & à locis nomina declamationibus imponantur, et Mitylenen tyranni occupauerint, oppidū in Lesbo, ut id poeta uerſiculo illo ſignificet:

Cum perimit ſæuos claſſis numeroſa tyrannos.

Nos igitur proponerentur nec'ne à ueteribus controuerſię, locorum appellatio-

nibus additis, non laboramus, quamuis hoc non Cornelius (ut ipſe dicit) ſed Sue
tonius Tranquillus ſcripſerit in libello, quē de claris Grāmaticis, Rhetoribusq́;
compoſuit, eumq́; libellum, nō ut Cornelij, ſed ut Suetonij Domitius quoq; ipſe
ſuperius agnoſcit, & ſuo ſe laqueo (quod dicitur) implicat, exponens (ut quidem
ſibi uidetur) uerſiculum eiuſdem Satyræ:

Parte alia ſolum rus ſati pone lacertæ.

Iam uerò Cramben (ut quod nunc inſtat agamus) eſſe inſcriptionem, id nos pla-
nè pernegamus. Quin audacter pronūciamus, neq; tale quippiam apud idoneos
modò ſcriptores inueniri: neq; ſi maximè inueniatur, idcirco tamen ad tyrannos
eos, qui Mitylenen occupauerint, referendum, cum oppidum Crambe non mo-
dò non in Lesbo, ſed ne in inſula quidem ſit ulla. Quare, quod pace ſua dixerim,
nihil hac Domitij cōmentitia opinione, ſi quis modò eam diligēter excutiat, dici
fingiq́; poteſt aut abſonum magis, aut inconcinnū, & ridiculū, ſic ut ſeſe ipſa, nul-
lo impellente, ſubuertat. Neq; autem cauſa fuit, cur Mitylenen ad Alcæum cōfu-
geret, ut claſſis numeroſa tyrannos perimeret, quando inter primas cōtrouerſia-
rum materias, tyrannicidarum præmia numerat Cornelius in eo dialogo, quē de
claris edidit oratoribus. Ita ſibi omnia tenebrarū & caliginis ingenia Domitius
offundit, quoties uelut è naſſa piſciculus nequit exſinuari: quodq; Ariſtotelem fa
cere docet Atticus philoſophus, non inelegans Platonis propugnator, ut quem-
admodū ſepia ſparſo ſub oculos ipſos, manūq; piſcatoris ſuo ſibi ſucco elabitur,
ita ille deprehendi metuens, ſententias de induſtria obſcuritatibus infuſcet, hoc
in hunc hominem potius conueniat, nunq; magis q; cum penè tenetur, inuoluen
tem ſemet, obnubilantemq; ambagibus, & quoddam ſicut atramentū perplexita
tis interuomētem. Quòd aūt quidam uir alioqui doctus, & induſtria ſua bene de
literis meritus, in commentario nuper edito de Gambra Anathoq; affert ex Pro-
bo, ut ipſe inquit, Iuuenalis interprete, fateor equidē nec ſcire me qui'nam ſit hic
Probus, nec putare eum eſſe cuius Gellius, alijq; ex ueteribus meminerint. Fides
ergo de eo apud autorem ſit. Mihi tamen quod uidetur exponam breuiter: nam,
ut ait ille neſcio qui tragicus, ueritatis ſimplex oratio eſt. Græcum igitur hoc, ar-
bitror, prouerbiū Iuuenalis expreſſit, δὶς κράμβη θάνατος. quo ſignificatur, bis po-
ſita Crambe mors eſſe: Crambe autē braſſicæ genus: ut faſtidiū uidelicet repetitę
ſæpius controuerſiæ denotaret, cum uulgò quoq; recalfacta braſſica iam in pro-
uerbiū faſtidij conceſſerit. Maluit aūt græcum uſurpare, q; latinū uocabulum poe
ta: uel quia tritius id Græcis q; Latinis ꝓuerbiū, uel ſanè quia ſpecies etiā quædā
braſſicę propriè appellata Crambe, tenuioribus, ut eſt apud Plinium, folijs, & ſim
plicibus dēſiſſimisq;, amarior, ſed efficaciſſima. Ipſius uerò græci prouerbij men
tionem Suidas facit, poniq; etiam in conuiuijs Cramben docet, quòd ſit ebrietati
contraria, quemadmodum in libro de Re ruſtica teſtatur Cato.

Vitioſè quæpiam in epiſtola Ciceronis: de'que uocabulo quod eſt
Sciamachia. CAP. XXXIIII.

RVſticum nimis, & illepidum, ſordidum'que adeò planè uocabulū Ci-
ceronis epiſtolā occupauit eam, quę eſt ad Brutū iſto principio: Mira-
biliter mi Brute lætor: ſic enim in ea legimus. Meæ'que illæ uehemen
tes contentiones tanq; ſcientia adnihilatæ eſſe uideantur. Quod qui-
dam tamen hactenus corrigunt, ut dicant tanq; ſi iam adnihilatæ eſſe uideantur.
Conſulant quæſo eruditi periti'que idoneorū uerborum, ueterumq; lectionum,
conſulant ſuum quiſq; iudicium ſenſum'que, ac tum demū credere audeant adni-
hilatas contentiones ſcriptum fuiſſe à Cicerone. Nos in codicibus duobus Me-
dicæ

dicæ familiæ, quorum ſuprà quoq; fidem allegamus, mendoſè id etiam, ſed tamen ut erroris adhuc ueſtigium non ſit abolitum, ſic reperimus, Tanq; Sciamachalaæ eſſe uideantur. Quare ſuſpicamur legendum, ſciamachię. Sunt enim ſciamachiæ nihil ſanè aliud, quàm umbratiles pugnæ. Sentit enim Cicero hoc, utique frigere iam ſe planè in ſenatu, non ſuccedentibus Bruto rebus, ſuasq; illas uehementeis contentiones ſciamachias uideri. Vocabulum ipſum perq; eſt elegans apud Gręcos, & magnopere uſitatum. Quin Galenus quoq; medicus in libro ſecũdo ὑγιεινῶν ſic ait: μεταβαίνειν δὲ καιρὸς ἤδη τὰ ταχέα χωρὶς εὐτονίας καὶ βίας, δρόμοι δ' εἰσὶ ταῦτα καὶ σκιαμαχίαι. Inter celeres exercitationes, quæ tamen attentæ uiolentæq; non ſunt, etiã curſus adnumerat, & ſciamachias. Deniq; uel Euſtathius in Odyſſeæ commentario Rhapſodiæ tertiæ, de uerbo eo ſic meminit: ὁμοίως δὲ καὶ τὸ μὲν ὑπὸ σκιᾶς μαχόμεθα, φαῦλον δηλοῖ τὸ δὲ, τὸ μὲν τοι καὶ τὸ σπεύδειν σκιαμαχεῖν. Et Marcus Varro ſatyram unam è ſuis illis Menippeis ſciamachiam inſcripſit. Hæc enim eſt apud Gellium uera ex antiquis exemplaribus lectio, non ut quidã etiam ſcribũt, Criomachia. Quin paulo etiã ſuprà in epiſtola eadem Ciceronis, uocabulum alterum, quod eſt ὄργανον, de græca ſcriptura deprauatum migrauit in latinã. Nam pro eo quod erat ὄργανον, factum iam optanon: neq; autem hoc quoq; ab ullo hactenus animaduertitur. Quare ſic legeris: Planè iam Brute frigeo. Organõ enim erat meũ ſenatus. ut quo pro organo Cicero, proq; inſtrumento utebatur.

Locus in M. Varronis, & item alter in Columellæ libris Rei ruſticæ defenſus à uitio: quædamq; ſuper Euhemero inibi, & Iouis ſepulchro, & Cretenſibus addita: & locus apud Statium declaratus. CAP. XXXV.

IN M. Varronis libro primo Rerum ruſticarum mẽdoſè legitur illud: Ariſta, & granum omnibus ferè notum, gluma paucis. Itaque id apud Ennium ſolum ſcriptum ſcio eſſe in Ephemeridis uerſibus. Nã quod habent etiã, qui putantur emendatiſſimi codices, in Ephemeridis uerſibus, hoc ego in uenerandæ uetuſtatis exemplari è publica gẽtis Medicæ bibliotheca ſic inuenio: In Euhemeri libris uerſis. Neq; autem dubium eſt, Ennij ſacrã hiſtoriam ſignificari à Varrone de Euhemero in latinum uerſam, quam uidelicet & Lactantius identidem, & Euſebius citat, & Auguſtinus. Verba Lactantij de libro diuinarum inſtitutionum primo ſic habent: Antiquus autor Euhemerus, qui fuit è ciuitate Meſſana, res geſtas Iouis, & cæterorum, qui dij putantur, collegit, hiſtoriamq; contexuit ex titulis & inſcriptionib. ſacris, quæ in antiquiſſimis templis habebantur, maximeq; in fano Iouis Triphyli, ubi auream columnam poſitã eſſe ab ipſo Ioue, titulus indicabat. In qua columna geſta perſcripſit, ut monimenta eſſent poſteris rerum ſuarum. Hanc hiſtoriam interpretatus eſt Ennius, & ſecutus, cuius hæc ſunt uerba: Vbi Iupiter imperium Neptuno dat maris, ut inſulis omnibus, & quæ loca ſunt ſecundum mare omnibus regnaret. Dein Lactantius idem locos Ennij nõnullos, de hac ipſa hiſtoria iterum atq; iterum adducit, quos equidem breuitati ſtudẽs prætereo. Quin ipſius quoq; Euhemeri uerba Sextus item allegat Empiricus, Pyrrhoniorum maximè uolumine quarto, uocatumq; ait Atheon, ſicuti Melium Diagoran, Prodicum Ceum, Theodorum Cyrenaicum, complureisq; alios. Ac de eo quoq; Timon Phliaſius (ut arbitror) ſic ait:

Εὐήμερος γέρων ἀλαζὼν ἄδικα βιβλία ψύχων.

Sed his omiſſis, illud utiq; acrius inſpiciendum eſt apud Columellam quoq; libro 10. capite autem tertio, ubi de apibus agitur, bis Homerum citari pro Euhemero in peruulgatis codicibus, quod & uetuſtiſſimus indicat liber de priuata fa-

miliæ Medicæ bibliotheca, literis Langobardis exaratus, & item alter è publica eiuſdem gentis, quem de uetuſto exemplari Nicolaus Nicolus uir doctus & diligens ſua manu perſcripſerit, tum & ratio aſtipulatur, cui nulla reſiſtunt clauſtra: ſiquidem apud Homerum fabula nulla iſtiuſmodi de apibus reperitur, ac ueriſimile eſt ſcriptum fuiſſe ab Euhemero potius, qui Iouis hiſtoriam compoſuerit, cuius apes illæ fuiſſe nutrices prædicantur. Quòd autem apud hunc ipſum (ut arbitror) Euhemeron, de quo ſuprà diximus, ſcriptum repererat poeta Callimachus in ſacra eadem hiſtoria, Ioue͂ in Creta uitam conſumaſſe, atq; inibi ſepulchrũ eius eſſe in oppido Gnoſſo, in quo ſepulchro eius inſcriptũ fuerit antiquis literis græcis, ζεὺς κρόνου, id eſt latinè, Iupiter Saturni: quòd hoc, inquam, poeta doctiſſimus & ſcriptum ab illo cognouerat, & pro confeſſo à Cretenſibus habitũ, teſtatumq́, ob id opinor in hymno ipſo ad Iouem, Cretenſes, inquit, ſemper mendaces, qui ſint Iouis ſepulchrum fabricati, cùm nunquam ille obierit, perpetuoq́ ſit. Verſus autem hi ſunt:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σεῖο
κρῆτες ἐτεκτήναντο. σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.

Propterq; hoc ipſum deniq; Statius quoq;, opinor, in primo Thebaidos inquit: Mentitaq; maneis Creta tuos. Cyprianus etiam martyr homo diſertiſſimus in libro de origine, & generibus idolorum: Antrum Iouis, ait, in Creta mutitur, & ſepulchrum eius oſtenditur: quanquam parum emendatè ſcripta uerba hæc in nouis codicibus reperiũtur. Porrò Cretenſes adeò mendaces habiti ſemper, ut græco prouerbio, quod eſt, *πρὸς κρῆτα κρητίζειν*, nihil aliud ſignificetur, niſi mendacio uti aduerſus mendacem. Sed & Cretenſis illius Epimenidis uerſiculus hic à Paulo etiam apoſtolo citatus, atq; ob id etiam ſanctificatus eſt:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί.

Id ſignificat: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, uentres pigri. Nam uerſiculi prioris hemiſtichion de Epimenide ſumpſit Callimachus. Quocirca eleganter etiam hoc Ouidius in Amoribus:

Cretes erunt teſtes, nec fingunt omnia Cretes. Et alibi:
Nota loquor, non hoc quæ centum ſuſtinet urbes,
Quamuis ſit mendax, Creta negare ſolet.

Solutum hic, & enodatum, quod ænigma de Varronis libro citat Gellius. CAP. XXXV.

Aenigma illud ex Varrone, quod Gellius proponit, & inenarratum relinquit, ut legentium coniecturas acuat, equidem ſoluturum me meo quoq; periculo profiteor. Eſt autem tale in tribus ſenarijs:

Semel minus'ne, an bis minus ſit, non ſat ſcio,
An utrunq; horum, ut quondam audiui dicier,
Ioui ipſi regi noluit concedere.

Terminum ſignificare uidetur, qui deus concedere Ioui noluit, cùm Capitolium exaugurabatur. Ouidius Faſt. 2.

Quid noua cum fierent Capitolia? nempe deorum
Cuncta Ioui ceſſit turba, locumq́; dedit.
Terminus, ut ueteres memorant, inuentus in æde
Reſtitit, & magno cum Ioue templa tenet.

Dubitat ergo hic ſcirpi autor, ſemel minus, an bis minus fuerit, an utrunq; horũ: ex utroq; autem, hoc eſt, ex ſemel, & bis reſultat ter. Quare nõ ſemel minus, non bis minus, ſed Terminus fuit, qui Ioui ipſi regi noluit concedere.

Lapſum fœdè Seruium ſuper Oaxe fluuio, & Creta. CAP. XXXVII.

Et rapidum Cretæ ueniemus Oaxem.

Hoc ex prima Bucolicôn ecloga ſic enarrat ad uerbum Seruius: Rapidum Cretæ, inquit, lutulentũ, quod rapit cretam. Creta, alba terra dicitur. Nam Oaxis fluuius eſt Meſopotamiæ, qui uelocitate ſua rapiēs albã terram turbulētus efficitur. Hactenus ille. Sed eĩm ego Oaxem Cretę inſulæ fluuium intelligi crediderim potius. nam Vibius quoq; Sequeſter Oaxem Cretæ fluuium dicit eſſe, à quo & ciuitas Oaxia. Quare Apollonius quoq; Cretam inſulam, tellurem Oaxida uocauit in 1. Argonauticôn, his uerbis:

Δάκτυλοι ἰδαῖοι κρηταιέες οὕς ποτε νύμφη
ἀγχιάλη δικταῖον ἀνὰ σπέος ἀμφοτέρῃσι
δραξαμένη γαίης οἰαξίδος ἐβλάστησε.

Hoc autem poſtremum ita Varro tranſtulit, ille arbitror Attacinus alieni operis interpres: Et geminis capiens tellurem Oaxida palmis.

Neq; uerò non conuenit rationi, ut qui diſperſum iri toto orbe ſuos populares uelit oſtendere, de inſula quoq; in medio, ueluti mediterraneo mari ſita, tum autē & de altera toto penitus orbe diuiſa meminerit.

Expoſitum Iuuenalis carmen contra omnium hactenus ſententias ſuper Laconico & Pitylíſmate. CAP. XXXVIII.

Qui Lacedæmonium pityſmate lubricat orbem. Verſus hic ex undecima Satyra Iuuenalis uariè prorſus expoſitus eſt hactenus, atq; (ut arbitror) indiligenter. Nam Domitius pityſma dicit eſſe irrorationem è leui ſputo, de uerbo pityo. Lacedęmoniũ uerò orbem pro anulo accipit: quoniã, inquit, à Lacedæmonijs anulorũ uſus manauit, ut ſenatores, & equites per anuli mentionē ſignificentur. Porrò alter eruditiſſimus homo, quem tamen nominare parcimus honoris gratia, qua parte ab eo diſſentimus, ſaltationē putat eſſe Lacedæmoniam, ſed ingenuè tamē fatetur, nihil adhuc de eo ſe legiſſe, niſi tantũ apud Pollucem, mentionem factam Lacedæmoniæ ſaltationis. Tertius deniq; uir ipſe quoq; doctiſſimus, trochum intelligit de arbore pinu fabricatum, quod pitys dicatur pinus, unde ſit pityſma. Nos è tribus his opinionibus, honorē præfati autorum, nullã penè probamus. Principióq; negamus orbem Lacedęmonium ſignificare anulũ poſſe, quoniam nuſquam legatur anuli originem manaſſe à Lacedæmonijs. Plinius aũt, quem Domitius adducit, tantum ferreo etiam tum anulo Lacedæmone uti refert. Quòd ſi tollitur non poſſe Lacedęmoniũ orbem pro anulo accipi, ſicuti certè tollitur, nihil profectò commentitia illa irroratio ualebit. Neq; tamen à pityo, quod nunquã uerbũ, ſed à pityzo magis pityſma deducetur, quod apud Nicam Grammaticũ declaratur. Qui uerò ſaltationē putat eſſe Lacedæmoniam pityſma, cum de eo nihil inueniat, facilè (ut eſſe ingenuus conſueuit) potiori ſententiæ ceſſerit. Quod item facturũ credo, qui trochũ putat è pinu factũ pityſma eſſe, cum nec uſquam lectũ, nec ad rem faciat, & ſyllabæ ratio pugnet, quoniam pitys habeat priorē correptam ſyllabam, ut ex primo liquet etiam Theocriti uerſiculo. Nos igitur pitylíſma legendũ credimus, ut inſcitia librariorũ ſyllabam de medio dempſerit. Quod haud mirũ eſt in tantis tenebris. Pitylíſma uerò intelligimus exercitationē, de qua Galenus excellens medicus in ſecundo ὑγιεινῶν libro. Quamuis apud eum ſit uerbũ potius pitylízin, q̃ nomē pitylíſma. Cæterùm rectè pitylíſma ſit inde, etiã uſitatiſſima proportiōe. Neq; adeò incongruum Galeni græca uerba prius adſcribere, dein pro captu noſtro interpretari. Cæterùm igitur exercitationũ uaria genera notet, ac de ijs etiã doceat, quæ uelo-

 ces quidem

ces quidē,ſed citra intentionē uiolentiamq́ ſint, inter quas & hæc ipſa ſit, de qua nunc agimus, ita ſcribit ad uerbū: τὸ δὲ πιτυλίζειν ἐπιβαίνων ἐπ' ἄκρων τῶν ποδῶν βιβακὼς, ἀνατείνας τὰς χεῖρας κινεῖ τάχιστα, τὴν μὲν ὀπίσω φέρων, τὴν δὲ πρόσω. μάλιστα δὲ τοίχῳ προσϊστάμενοι γυμνάζονται τοῦτο τὸ γυμνάσιον, ἵν' εἰ καί ποτε σφάλλοιντο, προσλαμβανόμενοι τοῦ τοίχου ῥαδίως ὀρθῶνται, καὶ οὕτω δὴ γυμναζόμενον λανθάνει τε τὰ σφάλματα καὶ ἀσθενέστερον γίνεται τὸ γυμνάσιον. Eſt, inquit, pitylizin, uel ſi mauis pityliſſare, cū quiſpiā ſummis pedib. ingrediēs, manus protēdit, ocyſſimeq́ mouet, alterā retrorſum ſcilicet, alterā prorſum, quo potiſſimū gymnaſii genere ad parietes exercent, ut ſicubi lapſent, apprehēſo mox pariete facilè reſurgāt, atq; ita exercentiū lapſus fallūt, et ipſa fit exercitatio imbecillior. Porrò Lacedæmoniū orbē, Laconicū ipſum acceperim, ut in quo ſolerēt ad eū modū exerceri. Dion hiſtoriarū tertio quinquageſimoq́ libro, Laconicū in urbe uaporariū, aut ſudatoriū (ſic enī interpretari uidemur poſſe, quod eſt apud eū Pyriaterīū) ab Agrippa ædificatū tradit. Dein Laconicū dicit appellatū, quoniā Lacedæmonij per ea tēpora nudi unctiq́ præ cunctis exercebantur. Laconicum iſtud & Martialis innuit, ita inquiens:

Ritus ſi placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido uapore,
Cruda uirgine, Martiaq́ mergi.

Sed & Columella in lib. de Agricultura primo ſic: Attonitiq́ miramur geſtus effœminatorū, quòd à natura ſexū uiris denegatū, muliebri motu mentiantur, decipiantq́ oculos ſpectantiū. Mox deinde ut apti ueniamus ad ganeas, cottidianam cruditatē Laconicis excoquimus, & exuſto ſudore ſitim quęrimus. Iam igitur uel ex his Columellæ uerbis cōſtare cuiuis poteſt, quos iam potiſſimū poeta ſignificet, nēpe eos dubio procul, qui diē totū in Laconicis iſtis gymnaſiisq́ contererēt uncti, nudiq́. Quare etiā lubricat, inquit, propter oleum, & unguen, quo defricti exercebātur. Seneca etiā libro Epiſtolarū 7. ad Luciliū nihil aliud prorſus, q̃ Laconica inſinuat, ita narrans: Quid mihi cum iſtis calentibus ſtagnis, quid cum ſudatorijs, in quæ ſiccus uapor corpora exhauſturus includitur, ut omnis ſudor per laborē exeat? Reſtat uti nunc, quoniā orbem dixit, etiā doceamus fuiſſe in orbē cōſtructa Laconica, quod ex lib. 5. Architecturæ apud Vitruuiū patet, in his uerbis: Laconicôn ſudationes, quę ſunt cōiungendæ tepidario, æque' ꝗ latè fuerint, tantam altitudinē habeant ad imam curuaturā hemiſphærij, mediumq́ lumen in hemiſphærio relinquatur, ex eoq; clypeum ęneum catenis pendeat, per cuius reductiōes & dimiſſiones perficietur ſudationis temperatura. Ipſumq́ ad circinum fieri oportere uidetur, ut æqualiter à medio flammæ, uaporisq́ uis per curuaturæ rotundationes peruagetur.

Scirpus exſolutus Auſonij uatis de Cadmi filiabus, Melone, Sepia, & Cnidijs nodis. CAP. XXXIX.

SCirpū quem Theoni Grammatico per dimetros iambos acatalectos proponit ingenioſus, & non ineruditus poeta Auſonius, ſic nos tentabimus explicare. Sed ipſos prius uerſiculos adſcribamus:

Aut adſit interpres tuus,
Aenigmatum qui cognitor
Fuit meorum, cum tibi
Cadmi nigellas filias,
Melonis albam paginam,
Notasq́ furuæ ſepiæ,
Cnidiosq́ nodos prodidit.

Ex his

Ex his aũt poſtremus uerſiculus, libris quidẽ uulgatioribus mendoſè legitur, modos habens, uel meos, pro eo quòd nos repoſuimus nodos. Sic autẽ inuenio cùm in alijs nõnullis, tũ in libro Ioannis Boccacij manu perſcripto, qui nunc in bibliotheca ſancti ſpiritus Florentina ſeruatur. Cæterùm nec ratio metri patitur alterutrũ uel modos, uel meos. Quoniã iambum eſſe non pyrrichiũ ſede illa ſecunda oportet. Literas igitur Cadmi Phœnicis munus, & papyrũ Niloticam, & atramentũ ſcriptoriũ, & calamũ librariũ literatoris eius germanũ inſtrumẽtum uidetur mihi Auſonius ſub hæc inuolucra cõplicaſſe. Cadmus enim literas primus in Græciam attulit è Phœnice. Teſtatur Herodotus in Terpſichore, Phœnicas eos, inquiens, qui Cadmo duce uenẽre in Græciam, literas uernaculas, & patrias, hoc eſt, Phœniſſas oſtendiſſe primitus Grę̨cis, ſed fluxu ætatis, ait, cũ uoce notę quoque ſenſim mutatæ. Primiq; ijs Iones uſi. Quare etiam φοινίκια ſunt appellatæ. Cadmeas aũt ſe quoq; uidiſſe ſcribit Herodotus literas in templo Apollinis Iſmenij Thebis in Bœotia, cælatas in tripodibus quibuſdam, de quibus tria citat epigrammata, maximè (ut inquit ipſe) Ionicis ſimiles. Quamobrẽ ſi ueteres græcæ literarũ notæ, nõ aliæ q̃ Phœnicũ, Latinæ uerò non aliæ fuere, q̃ Grę̨corũ, ſicut & Plinius indicat, citata ipſe quoq; Delphica (nam illud tabula nouiũ eſt, & ab ineruditis additũ) manifeſtũ eſt enã latinas literas, nõ alias eſſe, q̃ quas à Cadmo didicerimus. Quare ob id eas Cadmi filias uocat Auſonius: quoniãq; atramẽto minuſculæ imprimunt, ideo ſuauiter nigellas. Ob id igitur Zeno ſic in Epigrãmate:

εἰ δὲ πάτρα φοίνισσα τίς ὁ φθόνος; οὐ καὶ κάδμος
κεῖνος ἀφ' οὗ γραπτὰν ἑλλὰς ἔχει σελίδα.

Timon quoq; Pyrrhonius, ut apud Sextum legimus, libro Pyrrhoniorũ quarto ſic ſcripſit:

γραμματικῶν ἄλλ' ὅτις ἀνασκοπεῖν ἠδ' ἀνάθρησις
ὦν δὴ διδασκομένῳ φοινικικὰ σήματα κάδμου.

Cadmi Phœnicica ſigna notas literarũ uocitans. Omitto quòd & Suidas, aut Zopyrion potius φοινίκεια uocatas literas ait. Omitto Plinium, cæteroſq; permultos, qui dicant eas à Cadmo in Græciam allatas. Nam cum diuerſi quæ legerant apud Herodotũ paſſim meminerint, ſatis ipſi feciſſe uidemur, quòd iſta ſuæ reddimus autoritati. Nec enim tam numeranda, ſicuti putamus, ueterum teſtimonia ſunt, q̃ ponderanda. Melonis uerò albam paginam ob id ait, quòd papyrum Nilus producit, ex quo paginæ fiunt candidæ. Nilus autem à ueteribus Latinis nondum aſſuetis græcæ linguæ, Melo uocabatur, quemadmodum Pompeius in uocabulo quod eſt alumento declarat. Quanquam habet pleriq; codices nõ Melo, ſed Milo, mendoſè inſcitèq;. Quare uacillantem (ſi uidetur) autoritatẽ adminiculo Seruij ſuſtentabimus, cuius in primo Aeneidos ita uerba ſunt: Sanè Atlas grę̨cum eſt, ſicut Nilus. Nam Ennius dicit Nilum Melonem uocari, Atlantem uerò Telamonem. Sic ille. Deniq; pro atramento in literarum formas lito ſepiam capimus etiam apud Perſium:

Nigra quod infuſa uaneſcat ſepia lympha.

Scilicet ob eius piſcis ingenium, qui liquorem dicatur atrum profundere, quo fortaſſis olimq; atramentum conficeret. Ex quo Martianus: Dehincq; nigello puluere, qui ex fauilla cõfectus, uel ſepia putaretur, illato per cannulas eadẽ reſanari. Furuum porrò nigrum, de quo & furem dici putat Varro. Sed & Horatius ex eo quoq;: Furuæ (inquit) regna Proſerpinæ. Et furuas hoſtias Diti patri, Valerius Maximus. Sed & ante eum Varro nigras interpretatur. Cnidios dein nodos accipe, quoniam calami probatiores Cnidij, ſicuti Plinius ait libro ſextodecimo

Hiſtoriæ naturalis. Affectauit autem imitationem Perſianam, cum dixit nodos, quoniam & ille ſcripſerat:

Inq; manus chartæ nodoſaq; uenit harundo.

Scirpi ſimile uatis eiuſdem epigramma emaculatum, atq; enarratum. CAP. XL.

QVem nuper uatis Auſonij ſcirpum enodauimus, redegit in mentẽ nobis tetraſtichon eiuſdem, facilius intellectu fortaſſe, ſi quis & emaculatum habeat codicem, & Græcæ literaturæ non ſit ignarus, ut cui uel alterutrum deſit, non minoris ſanè laboris futurum, quàm hoc eſt ænigma ſuperius. Verſus hi ſunt:

Lais eros & itys, chiron & eros itys alter
 Nomina ſi ſcribas, prima elementa adime:
Vt facias uerbum, quod tu facis Eune magiſter.
 Dicere me Latium non decet opprobrium.

Nẽpe de primis ſingulorũ ipſorũ nominũ literis ſeriatim inter ſe coagmẽtatis grecum diſſultat hoc uerbũ λάιχει, quod eſt latinè lingit, ut eo uerbo (ſit aũt honor auribus) inguinum ligurritor Eunus, aut ſi quid tale addiuinas, inſinuetur.

Quod in digeſtis Iuſtiniani principis diem diffuſum, malè pro eo, quod eſt diffiſum, legitur, ut & apud Gellium diffundi, & definitiones, pro illis diffindi, & diffiſiones: atq; inibi de Pandectis Florentinis nõnihil. CAP. XLI.

DIffiſionis uocabulum, & item quod dici ſolitũ in iudicijs diffindi diem, penè iam ſublatũ è medio, atq; inſcitia quadam improba importunaq; bonis artibus exitioſa iam obliteratum reſtituere ipſi pro uirili conabimur, & renouare diligentia noſtra. Vtitur iſta loquendi figura etiã iureconſultus Vlpianus in lib. 74. ad edictũ, per hæc ſanè uerba, quæ poſita lib. 1. Digeſtorum ſunt, ſub hoc titulo: Si quis cautionibus in iudicio ſiſtendi cauſa factis, non obtemperauerit. Si quis, inquit, in iudicio ſe ſiſti promiſerit, & ualetudine, uel tempeſtate, uel ui fluminis prohibitus, ſe ſiſtere nõ potuit, exceptione adiuuatur. Nec immeritò. Cum enim in tali promiſſione præſentia opus ſit, quẽadmodum potuerit ſe ſiſtere, qui aduerſa ualetudine impeditus eſt? Erideo etiã lex duodecim tabularũ, ſi iudex, uel alteruter ex litigatoribus morbo ſontico impediatur, iubet diem iudicij eſſe diffiſum. Hactenus Vlpianus. Diffiſum aũt legendum, non diffuſum, quod omnes habẽt hi fermè libri, qui ſunt in manibus. Atqui uolumen ipſum Iuſtiniani Digeſtorũ, ſeu Pandectarũ, dubio procul archetypum in ipſa curia Florentina à ſummo magiſtratu publicè adſeruatur, magnaq; ueneratiõe, quanq; raro id, etiamq; ad funalia oſtenditur. Eſt aũt liber haud quota ſpoliorum, prædæq; Piſanæ portio, ſæpe à cõſultis citatus, maioribus characteribus, nulliſq; interuallis dictionũ, nullis item cõpendiarijs notis, quibuſdam etiam, ſaltem in præfatione, uelut ab autore planè, & à cogitante, atq; generante potius, q̃ à librario, & exceptore inductis, expunctis ac ſuperſcriptis, cum græca epiſtola, græcoq; etiam pulcherrimo hoc epigrammate in prima fronte:

Βίβλον ἰυστινιανὸς ἄναξ τεχνήσατο τήνδε,
τὴν ῥα τριβωνιανὸς μεγάλῳ κάμε παμβασιλῆϊ
οἷά τις ἡρακλῆϊ παναίολον ἀσπίδα τεύξας,
ἣ ἔπι μαρμαίρουσιν ἀγάλματα πάντα θεμίστων,
ἄνθρωποι δ᾽ ἀσίης τε, δρυηλῆτές τε λιβύσσης
Εὐρώπης τε πίθονται ὅλου σημάντορι κόσμου.

Cuius

Cuius tamen uoluminis legendi ac uerſandi per otium mihi eſt uni facta copia, Laurentij Medicis opera cauſaq́, qui uir ſuæ reipub. princeps, dum ſtudioſis obſequatur, etiam ad hæc uſq; officia ſe demittit. Igitur in Pandectis his, non iam Piſanis, ut quondam, ſed Florentinis, in quib. pura ſunt uerba: nec ut in cæteris plena maculis & ſcabie, diffiſſum reperio, non diffuſum. Quod idem apud Aulum quoq; Gellium uideo deprauatum, libro qui nunc uulgò tertiuſdecimus, cum ſit quintuſdecimus emendatis codicibus. Nam ubi hæc uerba legimus: Atq; in rerum quidem definitionibus, comperendinationibusq́: hic ego in codice Gelliano, ex bibliotheca publica Medicæ familiæ, quem uir haud indoctus (ut tum ferebant tempora) ſed diligens tamen in primis Nicolaus Nicolus ex uetuſtiſſimo exemplari fideliter pro ſuo more deſcripſerit, ita inuenio: Atq; in rerum quidem diffiſſionibus, comperendinationibusq́. Quòd ſi ſuſpicio libera mihi detur, malim credere equidem, in dierum, quàm in rerum, ueram habuiſſe & incolumem ſcripturam. Quin eodem capite Gellius: Iuſſi igitur, inquit, diem diffindi. Sic eſt in eodem codice, quod in his peruulgatioribus, Diem diffundi.

Pollices in fauẽdo premi, ſicut in denegando fauorem uerti ſolitos: ex eoq; ſententiæ Horatij, Iuuenalis, & Prudẽtij declaratæ. CAP. XLII.

Horatius in primo epiſtolarum libro:
Conſentire ſuis ſtudijs qui crediderit te,
Fautor utroq; tuum laudabit pollice ludum.

Vtroq; inquit pollice Porphyrion, hoc eſt, utraq; manu, ut ſit tropos ſynecdoche, à parte totũ. Sed ne quem fortè ueteris ſcriptoris autoritas infatuet, ei quoq; aurem leuiter peruellemus. Scriptum eſt igitur apud Plinium libro Naturalis hiſtoriæ octauo & uigeſimo, in hæc uerba: Pollices cũ faueamus, premere etiã prouerbio iubemur. Ex quo Iuuenalis peritiſſimè illud: Et uerſo pollice uulgi, Quemlibet occidunt populariter. Ceu ſi uerſo pollice tollatur fauor. Denique etiam Prudentius in heroico aduerſus Symmachum, ita cõtra Veſtales, quæ muneri gladiatorio interant, declamauit:

Et quoties uictor ferrum iugulo inſerit, illa
Delicias ait eſſe ſuas, pectusq́; iacentis
Virgo modeſta iubet conuerſo pollice rumpi.

Nam ut fauere, qui pollicem premerent, ita puto, qui uerterent denegare gladiatoribus fauorem credebantur.

Quàm multas habuerint antiqui diphthongos. CAP. XLIII.

Diphthongi apud Latinos nõ plures quatuor perhibentur, cum ſeptem nos eas ſaltem inueniamus in antiquis uel marmoribus, uel nomiſmatis, quorum nobis copiam ingentem Medices Laurentius ſuppeditat. Nam præter illas uulgatiſſimas, quæ ſunt, ae, oe, au, & eu, eſt adeò inuenire etiam ai, & ei, & item ou, pro illis ae, i, u, in ueteribus monumentis. Et ai quidem pro ae, nonnulli cum litera i, non e, Græcorum more ſemper efferebant, ut Quintilianus oſtendit. Quidam ſingulariter tantum, cum in genitiuum, uel datiuum caſum incidiſſent. Vnde etiam Aimilius, pro eo quod ſit Aemilius alicubi Romæ in antiquis ſpectationib. adnotauimus. Omnino aũt cum ſupra teſtudinẽ Panthei aſcendiſſemus, fragmentũ ibi marmoreum cum eiuſmodi ſcripturæ ueſtigijs offendimus. Ex quo etiã diæreſin uidemus factam in illis, quæ uel apud Vergiliũ ſunt, aulai, pictai, & quod nunc mendoſè legitur, aquai. Porrò aũt diphthongus ei, frequẽtius inuenitur, peneq; etiã in cõfeſſo eſt, quod & nomiſmata pleraq;

& marmora uetuſtiſſima declarant, & argumenta ipſa Plautinarũ comœdiarum, quæ Captiui, quæ'ue item Menæchmi inſcribuntur. Nam ſi uerſuum ſingulorum primas ſubinde literas cõnectas, Capteiuei, & Menaechmei reſultabit, ut ſit ubique, ei, diphthongus. Præterea fouri, nõ furi legimus in nomiſmare alio, ut prima ſyllaba diphthongo producatur. Qualis etiam apud Gręcos eſt. Quid autẽ de eo dicam, quod & Quintilianus indicat, & nos aliquãdo obſeruauimus, ut uocalem producendam geminarẽt, cum in aureo nomiſmatio feelix per e geminũ, in æreo autẽ Galbæ principis uiirtus per i duplex reperiatur? Iam illa ἄκυρος, non'ne etiã apud nos in Græcis ſaltẽ nominibus, ut in Harpyia, Orithyia, Thyiadeq́ reperiř? ut nõ iam ſeptem diphthongos, ſed decẽ quoq; habuiſſe uideri maiores queant.

Pegaſeium Nectar legi oportere apud Perſium, non melos. CAP. XLIIII.

Perſius in epigrammate, quod prooemij uice fungitur,

Coruos poetas (inquit) & poetridas picas,
Cantare credas Pegaſeius melos.

Nos in uetuſtiſſimo cõmentario literis, quas Langobardas uocãt, perſcripto, quod etiã publicè noſtris auditoribus exhibuimus, ſic ad uerbũ inuenimus, Pegaſeium nectar: in alijs melos, ex quo exiſtimamus ueterem ſynceramq́ ſcripturam nectar habuiſſe, nouitiam uerò, & mendoſam, melos. Sed & Pomponius Lætus Romanæ princeps academiæ, diligentiſſimus homo antiquitatis, ueterem ſe habere Perſianum codicẽ multis audientibus affirmauit, huic noſtræ lectioni ſuffragantem. Quod & ratio tamen carminis euicerit. Nam cum oporteat nouiſſimũ choriambi pedem ſpondeum poni, uel trocheum, melos autẽ nunquã neque apud Græcos, neq; item apud noſtros, niſi breui priore ſyllaba accipiatur, mendum profectò fuerit in uerſu, ſi melos admiſeris. Nam quòd autumant nonnulli λ literam uim producendi habere apud Gręcos, quod omnino tacuit autor metrorum ſingularis Hephęſtion, id ego inueniri quidẽ ſcio, ſed in obſcuris duntaxat quibuſdam, & ignobilibus ſchedis, exemplumq́; afferri ex Homero, apud quem heloria prima intenta ſyllaba legamus. Id autem ꝙ friuolum, ꝙ leue ſit, & nugatorium, uel hoc euidentiſſimè declarat, quod uſu iam & autoritate doctiſſimi cuiuſq; receptum eſt, ut id uocabulum apud Homerum quoq; λ duplici notaretur. Cæterũ ſi maximè conceſſerimus fieri hoc ſolere, aliquando apud Gręcos, non tamen continuò credendum eſt, illiuſmodi uſum licentia Perſium gręca una appellatione, quam uix ſemel in tanta ſcriptorum ſylua Græci uſurpare ipſi reperiantur: præſertim cum neq; apud Græcos, quantum equidẽ obſeruauerim, neq; itẽ apud Latinos aliter ꝙ breui priore ſyllaba melos inueniať. Nam quantopere hanc ſolis cõceſſam Gręcis licentiã fugitarint Latini ueteres, uel Martialis poeta declarat, cum ſe de nomine ipſo Earini tantopere torquet, nec ſibi ſaltẽ ꝓ Earino εἰαρινὸν dicere permittit, uulgata apud Græcos licentia, id eſt, literã interponẽdi, ſicut apud Homerum, ἐν' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν. Atq; ideo Martialẽ ipſum audi:

Dicunt iarinon tamen poetæ,
Sed Græci, quibus eſt nihil negatum,
Et quos Ares Ares licet ſonare:
Nobis non licet eſſe tam diſertis,
Qui muſas colimus ſeueriores.

Quare nihil dubitandum, quin ſit illud melos in Perſiano uerſiculo tanꝗ uerruca deformis recidendum, reſtituendumq́; nectar: quod ratio nobis toto capite, & uetuſta pariter autoritas adnuerunt.

Patroclo iuniorem Achillem: contrà ꝙ aut Aeſchylus prodiderit, aut uulgò exiſtimetur. CAP. XLV.

DIſſeminata inter omnes iampridem, receptaq́ꝫ opinio, Patroclum fuiſſe Achille iuniorem, ab eoq́ꝫ uelut adamatum, ſicut fermè Hylan ab Hercule: tum innuere hunc ipſum Martialis creditur, ſic inquiens:

Acacidæ propior leuis amicus erat.

Quare etiam uerſiculo cuidam nequiſſimo ex Hermaphroditi libellis uulgò quoq́ꝫ applaudebatur. Cæterùm Statius in Achilleide parem deniq́ꝫ utriuſq́ꝫ ætatem prædicat, ita inquiens:

Inſequitur magno iam tum connexus amore
Patroclus, tantiſq́ꝫ extenditur æmulus actis.
Par ſtudijs, æuiq́ꝫ modis, ſed robore longè,
Et tamen æquali uiſurus Pergama fato.

Plato autem in Sympoſio longè diuerſum contendit. Nam & multo iuniorem fuiſſe Achillem declarat, & ipſum potius à Patroclo adamatū, utpote imberbem adhuc, nec Patroclo ipſo modò, ſed heroibus etiam cunctis formoſiorem. Quin ea cauſa dij, inquit, illum honoribus egregijs affecerunt, ut ad inſulas fortunatas mitterent, quòd amatorem tanti fecerit, ut non pro eo ſolum mori, ſed ei uel immori, quàm in patria conſeneſcere præoptauerit. Quin Aeſchylum Plato idem ceu nugacem taxat, quòd is quoque Achillem Patrocli fuiſſe amaſium prodiderit, teſtemq́ꝫ utriuſque ætatis Homerum citat: cuius ſi quiſpiam uerba (nam hæc uſque Plato non poſuit) ſibi indicari poſtulat, legat in undecima Iliados Rhapſodia ſub Neſtoris perſona, quibus cum mandatis Patroclum filium pater Menoetius ad bella dimiſerit.

Cacoethes apud Iuuenalem tetraſyllabon, non cacethos. Et condita pyxide Lyde, non incondita legendum. Simul enarratus apud Martianum locus haud, arbitror, indiligenter. CAP. XLVI.

IN ſeptima Iuuenalis poetæ ſatyra ſic ſcriptum:

— Tenet inſanabile multos
Scribendi cacethos, & ægro in corde ſeneſcit.

Vocabulum autem quod eſt cacethos, neq́ꝫ à Græcis uſpiam uſurpatur, neq́ꝫ à Latinis: ſed neq́ꝫ ratio carminis admittit. Quare cacoethes legēdum ſuſpicamur, ut ſit quod apud Græcos τὸ κακόηθες. Eo namq́ꝫ uerbo frequētiſſimo uſitatiſſimoq́ꝫ mala conſuetudo ſignificatur. Quod item in uetuſto codice Langobardis exarato literis reperimus, cuius mihi poteſtatē legendi fecit Franciſcus Gaddius Florentinus ſummi magiſtratus à ſecretis, prudens humanusq́ꝫ uir, nec literis incultus. Sed & ille uerſus ita in eodem:

Turgida nec prodeſt condita pyxide Lyde.

Quod alibi perperàm ſic eſt, In pyxide condita Lyde, ut anum intelligas Lyden, illiuſmodi medicamenta uenditantem, craſſam, & (ut inquit Plautus) doliarem. Quod & Capella fortaſſe ſpectans, & facetiſſimè ſuper ebrio Sileno ludens, ita inquit: Ac dum mouere greſſum cupit auocante Lyde. Nam ut ſi Cantharæ, uel Pyrrhiæ nomina, uel Baucidos inaudias, continuò ſuffarcinatas tibi, & uinoſas, & pannucias quaſdā de lectione cōfinxeris, ita nomine audito Lydes, mox hanc Iuuenalis turgidam recordaris, ut mirificè ſint inductæ ad excutiēdos cachinnos perſonæ, uino uenas inflatus Silenus, & uentrioſa Lyde, quæ titubantem, & lapſabundum etiam (ſi dijs placet) auocet ab irriſu.

Quæ

Quæ Plinius ſuper titulis ueterum artificum pendentibus prodiderit, ea de monumentis etiã ueteribus agnita Romæ, ſicutiq; ſpeciem Vergilianæ ægidos. CAP. XLVII.

ROmæ nuper in atrio Melinę domus marmoream quandã ueluti baſin aſpeximus, in qua græcè ſic erat: σέλευκος βασιλεὺς, λύσιππος ἐποίει. Id latinè ſic ualet: Seleucus rex, Lyſippus faciebat. Erat ibi tum nobiſcũ Ioannes Laurentius Venetus, ſummi pontificis à ſecretis, homo linguæ utriuſq; doctiſſimus, omniumq; iſtiuſmodi quaſi lautitiarum ſtudioſiſſimus. Is igitur nos ſubmonuit, quod & ſtatim arripuimus, agnouimusq; nõ temerè illic ἐποίει potius quàm ἐποίησεν, hoc eſt, faciebat, quàm fecit. Siquidem, ut ait Plinius in præfatiõe librorum Naturalis hiſtoriæ: Summi illi artifices, etiam abſoluta opera pendenti titulo inſcripſere, ut Apelles faciebat, & Polyclitus, tanq; inchoata ſemper arte, & imperfecta, ut contra iudiciorum uarietates ſupereſſet artifici regreſſus ad ueniam, uelut emẽdaturo quicquid deſideraretur, ſi non eſſet interceptus. Quare, inquit, plenum uerecundię eſt illud, quòd omnia opera tanquam nouiſſima inſcripſere, & tanq; aliquid ſingulis fato ſit ademptum. Tria autẽ, non (ut ille opinatur) amplius abſolutè tradunt̃ inſcripta, Ille fecit, quę ſuis locis reddit. Quo apparuit ſummam artis ſecuritatẽ autori placuiſſe, & ob id magna inuidia fuere omnia ea. Cæterùm etiam alibi Romæ ſimileis inueniri titulos, idem Ioãnes Laurentius Venetus aſſeuerabat. Vidimus item, quòd etiam his Miſcellaneis noſtris putauimus inſerendũ, marmoreũ quoddam in urbe eadẽ Palladis ſimulachrum geſtans Aegida ſquamoſo draconum corio contectam, ſic ut extremũ ipſius ambitum dracunculi item ad limbi aut fimbriæ uicem circumcluderẽt. Erat ibi tum nobiſcũ Iulianus Bononienſis, cui nunc ex re cognomen Antiquario factum, ſimulq; Georgius Italianus Genuenſis, homo rerũ abditarũ inueſtigator experientiſſimus, cùm ſtatim Vergilianos uerſus recordati, quibus eam demum palladij clypei cælaturam mirè expreſſiſſe poeta incomparabilis uidebatur, ita in octauo Aeneidos libro ſcribens:

Aegidaq; horrificam turbatæ Palladis arma
Certatim ſquamis ſerpentum, auroq; polibant,
Connexosq; angueis, ipſamq; in pectore diuæ
Gorgona deſecto uertentem lumina collo.

De Megabyzo ſcripſiſſe alios, quod Plinius de Alexandro, uentitare in Apellis officinam ſolito. CAP. XLVIII.

PLinius Secundus in uolumine Hiſtoriæ naturalis quinto & trigeſimo uentitare in Apellis excellentiſſimi pictoris officinam ſolitum ait Alexandrũ Macedonẽ, non artificio ſolũ, ſed comitate etiam hominis delectatum. Qui & in officina, inquit, imperitè multa diſſerenti, ſilẽtium comiter ſuadebat, rideri eum dicens à pueris, qui colores tererent. Hoc quod de Alexandro Plinius ſcribit, Plutarchus ad Megabyzum retulit, in eo uolumine, quo diſputat, quæ ſint adulatoris & amici diſcrimina. Cuius ſi uerba latinè interpretemur, hæc ferè ſunt: Apelles, inquit, pictor aſſidenti ſibi Megabyzo, ſuperq; linea & umbra dicere nonnihil tentanti, uiden', inquit, ut pueri melida (coloris id genus) terentes tacenti nuper tibi animos adhibebant, purpuramq; demirabantur, & aurum? Sed ijdem te nunc derident, loqui ſuper ijs, quæ haud didiceris, incipientem. Quin Helianus quoq; in libris Hiſtoriæ multifariæ ad Megabyzum & ipſe, non ad Alexandrum retulit.

Contentio

Contentio epigrammatum græci Poſidippi, & latini Auſonij ſuper Occaſionis imagine: tum pulcherrima ecphraſis græci Calliſtrati. CAP. XLIX.

AVſonij poetæ celebre eſt epigramma, quo ſimulachrũ deſcribitur Occaſionis. Nam ſic utiq; deum, quem Græci καιρὸν appellant, interpretatus eſt. Sed enim longè miror, quid ita Phidiæ tribuerit, quod erat Lyſippi. Extat adhuc enim Poſidippi græcũ comparis argumenti, de quo ſuum finxerit Auſonius: quanquam in græco Lyſippus Sicyonius artifex, in latino Phidia perhibetur. Porrò autem ſummis digitis græcus autor ingredi, latinus inſiſtere dicit rotulæ. Talaria uterq; adnectit, uterq; faciem crine tegit, uterq; occipitium denudat. Nouaculam tamen dextra gerit græcus ille καιρὸς, & Pœnitentia comes iungitur latinę Occaſioni. Figuræ ſunt apud utrunq; Poetam pariles, pſus tamen aliquantò arrident græcè. Nam in iſtis omnibus (ut ita dixerim) mangoniſſandis, neſcio quo pacto Græci belliores, ꝙ Romani noſtri: tum uelut ab antigrapho decidere apographon erat neceſſe. Sed & Calliſtrati legimus ecphraſin ſimulachri eiuſdem mirè feſtiuam, qua cõfirmatur à Lyſippo id opus factum, publicè Sicyonijs ſpectabile. Porrò autem ex ære hunc ait eſſe Deum Calliſtratus, puerũ adhuc primæ pubis, à capite florulentæ ad pedes. Tum formoſum eundem, ſparſisq; fauonio crinibus, & multa frontis gratia, genarumq; adeò, & corporis totius pulchritudine Dionyſio maximè ſimilē: quin & inſiſtere pilæ ſuſpenſo gradu, pinnatis pedibus. Sed & capillos idem Calliſtratus in oculos pueri, genasq; deflectens occipitium crinibus liberat. Cætera deniq; ſcriptoris huius condimenta, & lenocinia, delicias, feſtiuitates, argutiasq; transmarinas ex ipſo utique petendas autore arbitror. Fit autem, neſcio quo pacto, laſciuiolas ut iſtas, & electatiunculas, quaſi textam Mileti chlamydē, cane peius & angui Romana reformidet grauitas. Illud haudquaquam præterierim, Nicephorum quoq; non inelegantem ſcriptorem græcum ſic ordiri, quam de uirgine Deipara compoſuit orationē, ut cum ſuper imagine iſta neſcio Tēporis dixerim, an Occaſionis loquatur, referat eam ad tēporis illius, qui ſit græcè chronos, fugaciſſimam celeritatem.

Locus in Plinianis exemplarib. emendatus, ſuper nomine Prœtidũ: atq; inibi de ipſarum furore relata hiſtoria. CAP. L.

IN quinto & uigeſimo Naturalis hiſtoriæ libro uerba Plinij Secundi, quo capite de helleboro tractatur, ita in uulgatiſſimis codicibus repe riuntur. Melampodis ſama diuinationis artib. nota eſt, ab hoc appellatur unum hellebori genus Melampodion. Alioqui paſtorē eodem nomine inueniſſe tradunt capras purgari paſtore illo animaduertente, datoq; lacte earum ſanaſſe parotidas furentes. Cæterùm non paſtore, ſed paſto: non parotidas, ſed Prœtidas in codice uno uetuſtiſſimo, ex nobiliſſima iſta Medicę gentis bibliotheca inueniebamus. Sed de paſtore & paſto facilè eſt. Sic Prœtidas nō parotidas legendum manifeſta fides, eamq; uel indubitatiſſimam, ueriſſimamq; eſſe ſcripturam, præterquàm quod ratio docet in primis efficax (quid enim ſint parotides furentes? aut quid parotidibus aurium uitio, cum ueratro?) tamen & Dioſcorides bonus autor apertiſſimè declarat, ita ſcribens: Veratrum nigrum, id alij Melampodium, alij ectomum, quidam polyrrhizum appellant. Melampodiũ uerò, quoniam ea Melampus quidam paſtor Prœti furentes filias purgaſſe uidetur, atq; curaſſe. Sic ille. Sed Athenienſis Apollodorus in Bibliotheca (nam ita liber eius appellatur) purgationē Prœti filiarum potius ad uatem Melampoda, ꝙ ad paſtorem refert, natasq; ait ex Prœto & Sthenobœa filias Lyſippen, Iphinoen, & Iphianaſſam: quæ ubi primùm adoleuerint, uexatæ inſania ſunt, ſeu quoniam (ut

ſcribit Heſiodus) Liberi patris ceremonias non acceperint, ſiue (quod eſt apud Acuſilaum)quoniam Iunonis contempſerint ſimulachrum. Poſtea aũt quàm furere occeperint,toto Argiuorum agro prius errabundas,dein uerò etiam per Arcadiam Peloponneſumq; uniuerſam ſui decoris oblitas, locis ſolis excucurriſſe, donec Melampus Amythaone, filiaq; Abãtis Idothea natus,uates ſcilicet,& qui primus medicamentis ſanare ac purgationib.ĩuenerat,curaturũ ſe uirgines ſpõpõderit,ſi preciũ ſibi pars regni tertia trãſcriberetur.Cui cũ Prœtus minimè aſſentiret,uidelicet mercede tam immani deterritus,magis magisq; in dies gliſcere furorem illũ uirginum cœpiſſe,contagione etiã ad mulieres cęteras demigrante,ſic ut uulgò ſuam quæq; domũ relinquerent, filios occiderent, ac per ſolitudines uagarentur. Quare propagante ſe etiã atq; etiã calamitate cum daturũ Prœtus poſtulatam mercedẽ paciſceretur,iam uerò nõ prius curaturũ Melampus ait,quàm cum alterũ tantum agri fratri quoq; ſuo Bianti adiudicaretur.Hic uerò metuentẽ Prœtum.ne ſi præſentem conditionẽ reſpueret,plus etiam ſubinde poſtularetur, conſenſiſſe in eam mercedẽ. Ac tum demũ Melampoda ualentiſſimum quemq; iuuenum comitẽ ſibi aſciuiſſe, clamoribusq; eas,atq; enthea quadã (ſic enim inquit)chorea Sicyona uſq; de montibus cõpuliſſe.Cæterùm in perſequendo,maximam natu Iphinoen extinctam,reliquas purgatione uſas reſipuiſſe. Tum Melampodi eas,et Bianti Prœtum tradidiſſe,ipſumq; dein filium genuiſſe Megapenthen.Hactenus fermè Apollodorus.Helianus autẽ nomina Prœtidib. in omnifaria hiſtoria Elegẽ facit,& Celenen.Sextus porrò Empiricus Pyrrhoniorum quarto,Polyanthum Cyreneum dicere ſcribit in lib.de Aſclepiadarum genitura,Prœti filias ab Aeſculapio fuiſſe inſania liberatas,in quam Iunone irata incidiſſent. Adijcit Ouidius purgamina mentis earum Biantẽ miſiſſe in Clitorium fontẽ, cuius potus abſtemios faciat.Sed enim qui Probus uulgò putatur, haud improbus omnino Maronis enarrator,& ipſe teſtem citat Heſiodũ,fabulãq; penè ſicut hęc eſt Apollodori,quanq; breuiſſimè,perſtringit.Hunc aũt in eis errorẽ fuiſſe mentis animiq;, boues ut ſe crederent,quod Vergilius quoq; in Bucolicis ſignificat, neutiq; uideri fabuloſum debet: ſiquidem Paulus Aegineta medicus græcus autor in tertio Periodeutico de atra bile, deq; inſania ipſa narrans, uſu quoq; uenire ait,uti quidã ſibi brutæ animãtes eſſe,uoceſq; imitari illarũ uideantur.Prætereaq; nõnullos arbitrari ſe uaſa eſſe teſtacea factos, tũ aũt ob id metuere,ne cõfringant

Cur in epheſiæ Dianæ templo molles appellati honores à Martiale. CAP. LI.

CVr molles dixerit honores in Triuiæ templo Martialis,hoc eſt,in Dianæ Epheſiæ,etiã hæc afferri poſſunt,ſcita (ni fallor) & argula ſatis, ſed quæ tamen interpretes omiſerunt.Ac primò quidẽ de multimammijs poſſumus dictum exiſtimare.Nam ut D. Hieronymus in epiſtolã Pauli ad Epheſios ſcribit: Erat Epheſi templum Dianæ, & eiuſdẽ in ipſo multimammia,id eſt,multarũ mammarũ effigies, qua cultores eius decepti putabant eã omnium uiuentiũ nutricem.Poſſumus item ad pompam referre,de qua Xenophon Epheſius in primo Epheſiacorũ libro ſcribit ad hanc ſententiã: Agebatur aũt,inquit,ſolenne ijs locis Dianæ feſtũ,ab urbe ad templũ,quæ ſunt ſtadia omnino ſeptem.Celebrare pompam uirgines omneis indigenas oportebat,ſplẽdidè in primis ornatas.Prætereaq; ephebos,Abrocomi æquales,qui tum annũ circiter decimumſeptimũ agebat, & cum Ephebis aderat, uelutiq; primas in ea pompa ferebat.Magna aũt uis hominum ſpectaculo intererat,uel populariũ,uel hoſpitum. Siquidẽ mos habebat,uti in ea celebritate & ſponſi uirginibus, & Ephebis uxores inue-

res inuenirentur. Procedebat ergo ordinatim pompa: primò ſcilicet ſacra, faces, caniſtra, & ſuffimenta, tum autem equi, caneſq;, et uenatoria arma, nonnullorum quoq; bellica, ſed pleraq; tamen pacalia. Fœminarũ ſe quæq; ueluti ad amatoris oculos compoſuerat, uirginumq; ordinem ducebat Antia. Sic utiq; Xenophon ſcribit, non quidem Athenienſis ille, ſed alter eo nõ inſuauior Epheſius, qui paulo pòſt etiam ita ſubdit: Vt igitur peracta pompa, uenêre in templũ ſacrificatum multitudo omnis, atq; ibi ornatus pompæ ſolutus omnis. Et conuenere eodem uiri fœminæq;, ephebi, & uirgines. Non abſurdũ eſt autem propter Dianæ quoq; ſacerdotẽ molles honores audire, de quo etiam nõnihil Domitius ex Strabone. Cæterùm Heracliti Epheſii ſummi philoſophi, ſcilicet illius, qui ex obſcuritate librorum Scotinos, hoc eſt, tenebricoſus appellabatur, quiq; omnibus humanis actibus illacrymabat, illius, inquã, Heracliti ad Hermodorum extat epiſtola, qua ſic fermè in Epheſios cauillatur. Quanto Epheſiis meliores lupi atq; leones. Nõ ſe inuicem mancipant, nec aquila aquilam emptitat, nec leoni leo miniſtrat pocula. Sed neq; canem canis exſecat, ut uos deæ ſacerdotem exſecuiſtis Megabyzũ, metu ne uirgini uir conſecretur, et quo pacto impij aduerſus naturam, pij ſitis aduerſus ſimulachrum. Principio enim id agitis, ut dijs primus imprecetur ſacerdos amiſſa uirilitate. Quin deam quoq; impudicitiæ uelut inſimulatis, metuentes ne illi miniſtretur à uiro.

Quæ ſit apud Martialem, Cornibus ara frequens. CAP. LII.

IN ſuperiori epigrammate locus eſt hic alter, neutiq; à Domitio, ne'ue ab alijs, quantum uideam, cognitus:

Diſſimuletq; Deum cornibus ara frequens.

Quòd enim Domitius Ammonis templum in Libya accipit, nullo pacto procedit. Nam cum hic magnificentiſſima orbis terrarũ ædificia memorent, quæq; inter miracula referrentur, ut ex eorum comparatione amphitheatri præconium creſcat, ridiculum profectò fuerit, de templo hic Ammonis audire, pauperrimo, ut Lucanus ait his uerſibus:

Ventum'erat ad templum, Libycis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent, ſtat corniger illic
Iuppiter, ut memorant, ſed non aut fulmina uibrans,
Aut ſimilis noſtrò, ſed tortis cornibus Ammon.
Nec illic Libycæ poſuerunt ditia gentes
Templa, nec Eois ſplendent donaria gemmis,
Quamuis Aethiopum populis, Arabumq; beatis
Gentibus, atq; Indis unus ſit Iuppiter Ammon.
Pauper adhuc deus èſt, nullis uiolata per æuum
Diuitijs delubra tenens, morumq; priorum
Numen Romano templum defendit ab auro.

Neq; aũt ex Plinij, aut ex Maronis dictis colliges templũ Ammonis apud Naſamonas inſigne uel ædificijs, uel opibus fuiſſe, ſi uerba ipſa diligenter utriuſque penſitabis. Et quidem mẽtior, niſi ara potius Apollinis in Delo accipiẽda, quam Ceratinon bomon dicunt, inter ſeptem orbis ſpectacula, ſicuti Plutarchus ait, celebrata, quę tantum ex dextris cornibus ſine glutino ullo, aut uinculo coagmentata cõpacta'que ſit. Hoc autẽ Plutarchus in eo ſcribit opuſculo, quo tractat utra prudentiora ſint, aquigena an terrigena animalia. De' que aræ eadem ſic Ouidius in epiſtola Cydippes ad Acontium meminit hoc uerſiculo:

Miror & innumeris ſtructam de cornibus aram.

Plutarchus etiam in Theſeo de ara in Delo ſcribit, non quidem ex dextris, ſed ex ſiniſtris tantum cornibus compacta, quem κεράτωνα βωμὸν appellat, niſi mendũ ſit exemplarium. Laertius quoq; Diogenes Ceratinæ aræ, hoc eſt, è cornibus factæ, mentionem nonnullam facit in Pythagoræ uita. Quin & Callimachus poeta in Apollinis hymno, quadrimum adhuc Apollinem ſcribit ex cornibus Cynthiadum caprearũ, quas ſoror Diana in uenatu occiderat, aram cõpegiſſe, fundamen taq; item, & parietem è ſolis ſtruxiſſe cornibus. Ipſius autem ſunt hæc uerba:

τετραέτης τὰ πρῶτα θεμέλια φοῖβος ἔπαξε
καλῇ ἐν ὀρτυγίῃ, περιηγέος ἐγγύθι λίμνης,
ἄρτεμις ἀγρώσσουσα καρήατα συνεχὲς αἰγῶν
κυνθιάδων φορέεσκεν, ὁ δ᾽ ἔπλεκε βωμὸν ἀπόλλων
δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν
ἐκ κεράων, κεραοὺς δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τοίχους.

Ob id ergo, inquit Martialis, diſſimulet deum, quaſi non iam Dei eſſe id opus uideri queat, quo alterum longè præſtãtius, hoc eſt, amphitheatrũ mortali manu factum. Saneq; per totum epigramma ſignatis uſus eſt uerbis argutiſſimus poeta, qui Memphin ſilere iubet, quia barbara, nec iactari uult Babylona labore aſſiduo, quoniã ipſa quoq; iactatio intellectũ laboris habeat. Et negat laudandos ob id honores Triuiæ, quia molles: neq; enim mollibus præconia debentur. Negat etiam quæ aere pendeãt Mauſolea, ſupra aera ipſum, hoc eſt, ad aſtra uſque ferri oportere, ut ſit hoc epigrammate nihil utiq; penſitatius.

Quòd poſitum nomen Agamemnonis in M. Tullij Diuinationibus, pro Vlyſſis eſt, tum in tranſcurſu locus in epiſtolis ad Atticum non inelegans, ſuper miniatula cera correctus, & enarratus. CAP. LIII.

AVlus Gellius in Noctibus illis ſuis maximè candidis, errorẽ notat Ciceronis manifeſtiſſimũ, non magnæ rei, neq; erraſſe eum miratur, ſed errorẽ non eſſe poſtea uel ab ipſo animaduerſum, uel à Tyrone ſuo. Nã cum Homeri uerſus Cicero quoſpiam uertat in latinũ, dicere illos Aiacem ſcribit apud eum poetã, cum reuera dicant ab Hectore. Facit hæc Auli Gellij libertas, ut ne ipſe quidẽ uerear referre in his libris paululũ quiddã cõpar huic eiuſdem Ciceronis, peneq; illi ſuperiori germanũ & geminũ, niſi fortè (quod auidius crediderim tanto interuallo) mendũ fuerit exemplariũ. Quamuis etiã in antiquiſſimo quoq; libro non diſpariliter ſcriptũ inueniamus, nec ſanè lubricus ex literarũ uicinitate ſit in alterutrũ nomen lapſus. Verba ſunt Ciceronis in libro Diuinationũ ſecundo: Nam illud mirarer ſi crederẽ, quòd apud Homerũ Calchantem dixiſti ex paſſerum numero belli Troiani annos auguratũ, de cuius cõiectura ſic apud Homerum, ut nos otioſi uertimus, loquitur Agamemnon:

Ferte uiri, & duros animo tolerate labores,
Auguris ut noſtri Calchantis fata queamus
Scire, ratos'ne habeant, an ueros pectoris orſus.

Ac deinceps uerſus quoq; cęteros Homericos à ſe conuerſos exponit. Quòd igitur hæc Agamemnonẽ loqui apud Homerũ Cicero tradit, ſi modò ita ſcriptũ Cicero reliquit, hoc neutiquã uerũ probatur, cum apud Homerũ ipſum in ſecunda Iliados Rhapſodia non Agamemnon, ſed Vlyſſes iſtius ſententiæ uerſus pronunciet. Neq; eſt quòd quiſquã aut ſtomachetur, hæc apud Ciceronẽ quoq; deprehẽdi, aut miretur, cũ appareat ex ipſius epiſtolis nonnunq; huiuſcemodi errata memoriæ fuiſſe in Ciceronis libro uel ab Attico, uel à Bruto animaduerſa, atq; curata. Sicut illud in oratiõe Ligariana de L. Curſidio, quod erratum fatetur eſſe ſuum.

ſuum.Sed(ut aiunt)inquit,μνημονικὸν ἁμάρτημα.Sicuti quod in Oratore arbitror,
Eupolim pro Ariſtophane Cicero poſuerat. Dein Atticus Ariſtophanē pro Eu-
polide repoſuit. Itaq; etiam uereri ſe Cicero dicit aliquando,ne ſuæ ſyntaxis mi-
niata illius cerula pluribus locis notandæ ſint.Quòd aūt incidit,ut de miniata ce-
rula meminerimus, corrigendus obiter, & interpretandus nobis hic ex epiſtola
ad Atticum libro penultimo locus eſt,in quo ita ſcriptū perperàm inuenitur.His
literis ſcriptis me ad ſyntaxis dedi,quæ quidē uereor, ne nimia tua pluribus locis
notandæ ſint,ita ſum meteoros,& magnis cogitationibus impeditus. Ego legen
dum puto,ne miniatula cera tua pluribus locis notandæ ſint: ut ſit intellectus, ad
libros componendos, id enim græcè ſyntaxis,Ciceronem ſe dediſſe. Sed uereri
tamen ne miniatula cera ipſius,ad quem ſcribit,Attici,quo ſæpe uteretur emēda-
tore,pluribus locis notandę ſint,quoniam meteoros,hoc eſt,ſuſpenſus animi fo-
ret Cicero,& magnis cogitationibus(ut ait)impeditus.Cōſueuerat,opinor,Atti
cus,ſi quis parū abſolute locus à Cicerone tractaretur, ei loco rubellas ceras affi-
gere,quod nunc quoq; ſolemus.In codice autem,quem fuiſſe aiunt Franciſci Pe
trarchę primitus,certè Colucci Saluiati dein fuit,& poſt hunc Leonardi Aretini,
mox & Donati Acciaioli, uirorū ſuæ cuiuſq; ætatis eruditiſſimorū, ſic adhuc ex-
tat,ne miniata cerula tua. Quòd ſi penultimæ dictionis penultimam literam pau-
lulum à ſummo produxeris,hoc eſt,de i,litera, l feceris, omne proculdubio men-
dum ſuſtuleris. Sed & peruulgatis codicib. ſic in extremo rurſum uolumine epi-
ſtolarum adhuc earundem legitur: Cerulas enim tuas miniatulas illas extimeſce
bam,ut iam omnis hoc teſtimonio ſuperior ambiguitas aboleatur.

Ceratinæ quæ ſint apud Quintilianum. CAP.LIIII.

CEratinæ quę ſint apud Quintilianum libro primo,non temerè qui tibi
explicet inuenias. Qui autem græca uoluerint,latinaq; commentaria,
planè intelligent ratiocinationis inexplicabilis eſſe eam ſpeciem, quæ
neſcio quas anſas atq; uncos arte dialecticæ perplexitatis inferret. Sic
arbitror appellatam à materia ipſa,qua uterentur uerborum, ſicuti eſt apud Sene
cam libro epiſtolarum quinto ad Luciliū: Sederem, inquit, ocioſus, & eiuſmodi
quæſtiunculas ponens: Quod non perdidiſti,habes: Cornua non perdidiſti,cor-
nua ergo habes,aliaq; ad exemplum huius acutę delirationis concinnata.Sed de
hoc item in Atticis Noctibus inuenias.Cerata autem græcè dici cornua quis ne-
ſciat? Meminit huius etiam Lucianus in philoſophorum Sympoſio, ſicuti de So
rite,atq; Therizonte.Sed & in dialogo item mortuorum,Caſtoris & Pollucis,ita
fermè inquiens: Et cornua inter ſe producunt,& crocodilos faciunt, & eiuſmodi
perplexa docent interrogare,ut ex cornibus ſcilicet,hanc quam diximus Cerati-
nen ratiocinationem,nec ratiocinationem uerius,quàm tendiculam accipias.
Quin etiam in dialogo altero,cui uel ſomnium, uel Gallus eſt nomen: Et docēs,
inquit,duabus negationibus unam confici aſſeuerationem,noctemq; non eſſe,ſi
dies ſit.Interdum etiam cornua mihi eſſe dicebat: aliaq; id genus. Huiuſcemodi
autem dialecticis in percuntando quæſtiunculis, quales frequenter ingeniorum
acumen excogitat, etiam Mileſius Eubulides plurimū uſus,ſicut à Laertio Dio-
gene in Euclidæ Megarenſis uita ponūtur,ut latinè conemur interpretari: Men-
tiens,fallens,electra conuelata,acerualis,& ceratinæ,uel cornea,& item calua.
Ex quo in hanc ſententiā eſt apud Comicum neſcio quem, ut idem prodit Laer-
tius:Contumelioſus autem Eubulides Ceratinas interrogans,& mēdacibus,glo
rioſiſq; ſermonibus oratores uerſans, abijt Demoſthenis habens uolubilitatem.
Quem etiam locū Suidas citauit. Sed & Zenon ille Cytieus inter cauilla cætera

dialecticorum Ceratinas item, & Vtidas numerabat, ſicuti idem in libro 7. de Vitis philoſophorum prodidit Laertius. Quin hoc ipſum poſtremò nobis inſinuat Martianus Capella libro 4. cum inquit:

Perdita nequa unq; cornua fronte ferant.

Qui ſint crocodilitæ apud eundem. CAP. LV.

APud Quintilianum eundem libro item primo etiam de Crocodiline mentio fit, obſcuro & ipſo pleriſq;, ignotoq; uocabulo. Cæterũ de hoc inuenimus apud Aphthonij græcũ oratorem Doxapatrem, quamuis apud eũ crocodilites potius, quàm crocodiline, quod & uerius puto. Verba ipſius ita Latinè interpretamur: Serra, inquit, & Crocodilites ſicuti eſt in Aegyptiaca fabula. Mulier quępiam cum filio ſecundum fluminis ripas ambulabat, ei Crocodilus filium abſtulit, redditurum dicens, ſi uerũ mulier reſponderet. Negauit illa fore ut redderetur, atq; ob id æquum aiebat reddi. Hactenus ille. Moxq; idem, Crocodiliten, inquit, hanc propoſitionem uocant, Crocodili huius gratia, quam etiam πρίονα, id eſt, Serram uocari à Grecis indicat. Adiuuat Lucianus in dialogo cui titulus, Vitarum uenditiones: ita fermè Chryſippum loquentem inducens, eiq; reſpondentẽ quempiã, qui ſe profiteatur emptorem. Cõſidera igitur ita: Eſt'ne tibi filius? Quorſum iſtud? Si fortè illum iuxta fluuium errabundum Crocodilus inueniat, rapiatq;, dein redditurum polliceatur, cùm uerũ dixeris, utrum reddẽdus ei uideatur, nec'ne? Quid eum ſentire dices? Rem ſanè perplexam interrogas. Ex his, ut arbitror, liquet etiam Crocodiliten ſicuti ſuprà ceratinen, ſophiſmatos eſſe parum explicabilis ſpeciem, quo Dialectici ueteres, potiſſimumq; Stoici uterentur. Quod genus eleganter Quintilianus exquiſitas ambiguitates appellauit.

Cur gemino cornu Martialis dixerit in ſpectaculis, ubi de Rhinocerote, deq; tauris Aethiopicis. CAP. LVI.

MArtialis epigramma eſt in ſpectaculis de Rhinocerote, cuius extremi uerſus hi ſunt:

Namq; grauem cornu gemino ſic extulit urſum,
Iactat ut impoſitas taurus in aſtra pilas.

Domitius ita enarrat: Gemino, inquit, cornu, forti, & uehemẽti. Vergilius: Gemino dentalia dorſo. Vel quoniam rhinoceros habet duo cornua, ut apud Pauſaniam ſolum legi, quorum alterum inſigni magnitudine ex naribus extat, alterũ ſupernè erumpit, exiguum, ſed ualidiſſimum. Fatetur ſanè Domitius apud unũ ſe Pauſaniam legiſſe, rhinocerotem duo habere cornua. Quid autem Plinium, quid Solinum, quid alios credimus unum rhinoceroti cornu tribuenteis duntaxat? an uidelicet ignoraſſe omnes, q̃d ſolus animaduerterit Pauſanias? Quid porrò Septimio Florenti Tertulliano reſpondebimus, Chriſtianorum omnium, quorum quidem latinè opera extent, ut antiquiſſimo, ſic auſim dicere in omni penè literatura diligentiſſimo? qui libro aduerſus Praxeam tertio, uerba illa enarrans de uetere inſtrumẽto: Tauri decor eius, Cornua unicornis cornua eius, in eis nationes uentilabit ad ſummum uſq; terræ: Non utiq;, inquit, rhinoceros deſtinabatur unicornis, nec Minotaurus bicornis. & quæ ſequuntur. Cæterũ de eo Pauſanias in Bœoticis meminit: neq; autem omnino rhinocerotas duo habere cornua. nam hoc manifeſtò refelli poterat, ſed tauros dicit eſſe in Aethiopia, qui rhinocerotes uocentur: ὅτι σφίσιν ἐπ' ἄκρας τῆ ῥινί, ſic enim illius uerba ſunt, ἓν ἑκάστῳ κέρας καὶ ἄλλο ὑπὲρ αὐτὸ οὐ μέγα, ἐπὶ δὲ τῆς κεφαλῆς οὐδ' ἀρχὴν κέρατα ἔστιν. Quoniam, inquit, illis in ſumma nare ſingulis unicum cornu, tum aliud ſuprà non magnum, uerùm in capite

pite

pite, ne initio quidem cornua. Non igitur Pauſanias aut inſigni magnitudine alterum cornu, aut alterum ait eſſe ualidiſſimum, quod ob id eminiſcitur fortaſſe Domitius, ut his facilius urſus extolleretur. Neq; aũt de rhinocerote ipſo Pauſanias, ſed, ut diximus, de Aethiopico tauro, qui ſimilitudine quapiam & ipſe rhinoceros à quibuſdam uocabatur. Quare nos ita putamus exponendum Martialem, ut urſum uidelicet à rhinocerote cornu illo unico elatum, eiectatumq; ſentiat, grauem gemino cornu, hoc eſt, grauẽ tauro futurũ, cui ſunt cornua gemina, ut cornu ſit datiui, non ablatiui caſus. Nam cum tauri pilas cornibus ad aſtra euentilẽt, extollere urſum tamen non poterant grauem gemino cornu, proptereaq; eum mirabilius quamlibet uno cornu rhinoceros extulit.

Quæ ſint apud Suetonium tetraones: correctumq; erratum Plinianis exemplaribus. CAP. LVII.

TEtraones in Caligula Suetonij, quæ ſint aues, omnino ignoratur. Verba ipſius hæc: Hoſtiæ erant phœnicopteri, pauones, tetraones, Numidicæ, meleagrides, phaſianæ, quæ generatim per ſingulos dies immolarentur. Cæterùm inuentu res erat haud difficilis, niſi Plinianos inemendatiſſimos haberemus codices. Nam quod apud illum legimus libro X. Hiſtoriæ naturalis, ubi de anſerib. agit: Decet Erythrotaonas ſuus nitor, abſolutaq; nigritia, Hoc in illo uetuſtiſſimo Pliniano exemplari, de Medicæ gẽtis bibliotheca publica, penè legitur emendatè, uidelicet una tantum cõmutata litera, qualia multa in uetuſtis omnibus uoluminib. interpolata uocabula. Nam cum ipſa quoque mendoſiſſima pleriſq; ſint locis, ueſtigia tamen adhuc ſeruant haud obſcura ueræ indagandæ lectionis, quæ de nouis codicibus ab improbis librarijs prorſus obliterantur. In eo igitur ſic eſt. Decet & traonas, ut ſi ordinem duarũ primarum literarum inter ſe commutes, tetraonas diſſultet: quare ita apud illum Politiano autore legas: Decet tetraonas ſuus nitor, abſolutaq; nigritia. In ſupercilijs cocci rubor. Alterum eorum genus uulturum magnitudinem excedit, quorũ & colorẽ reddit: nec ulla auis, excepto Struthocamelo, maius corpore implens pondus, in tantum aucta, ut in terra quoq; immobilis prehendatur. Gignunt eas alpes, & ſeptentrionalis regio. Hactenus ille de tetraonibus.

Origo & ritus ludorum ſecularium, prætereaq; ad id alia, citatum eo Sibyllę oraculum: mox & obiter explicata quædam: rurſusq; alia refutata non inutiliter. CAP. LVIII.

ERit, arbitror, operæprecium, colligere hic etiam ſecularium ludorum originem, cauſamq; nominis, & item quot annorũ interiecto ſpacio, quotiesq; facti, quo ritu, quibusq; deis celebrati. Nã & res eſt ipſa per ſe cognitu non indigna, cui ſtudium modò ſit ullum uetuſtatis, & ad intelligendos poetarum locos nonnullos ingens attulerit adiumentũ. Quum igitur bellum inter ſe Romani Albaniq; gererent, & utraq; in procinctu iam ſtaret acies, extitit repentè quidam monſtroſa ſpecie, pelle amictus furua, uociferans iubere Ditem patrem, deamq; Proſerpinã fieri ſacrum ſibi prius q̃ prælium cõmitteretur. Quo perterrefacti uiſo Romani protinus aram ſub terra ædificarunt, & ſtatim ſacrificio facto, pedum uiginti aggere contexerunt, ut eſſet omnibus, preterquàm Romanis ipſis ignorabilis. Sed enim euenit, ut Valcſus Valeſius, unde nomen & origo Valeriæ familiæ, clariſſimus in gente Sabina, & locuples, homo ruſticæ uitæ aram hanc, quam diximus, ita diuinitùs inuenerit. Erat ei nemus ante uillam proceris maximè arboribus, quæ ſtatim fulmine ictæ conflagrarunt.

Nec multo pòſt filij duo & filia correpti peſtilentiæ morbo ad deſperationē uſq;
medicorum laborabāt. Cum ſeſe igitur laribus familiaribus aduoluens pater, pro
liberorum ſalute ſuum, matriſq; puerorũ capita deuouerer, uox è nemore, quod
tactum de cœlo, ſtatim audita, ſaluos fore eos ſpõdens, ſi Tiberi ad Tarentũ per-
uecti, calfactam Ditis & Proſerpinæ foco de fluuio ipſo biberent aquam. Quo-
niam uerò longiſſimè abeſſe Tarentum, ſcilicet in extrema Iapygia, nec proximè
eam urbem reperiri Tiberim ullũ fluuiũ ſciebat, ſpem ſibi deterrimam fingebat,
etiam inde territus, ꝙ inferarũ potiſſimũ uox illa poteſtatũ meminiſſet. Sed impo
ſitos nihilo ſecius in lintrem filios Hoſtiam pergẽs, mox ad campi Martij regio-
nem deuexit: ibi recreare ſitientes, & æſtu febriq; laborantes, deſiderans, qua pla
cidiſſimè amnis labitur, exponit in ripa ægrotos, ac dum tumultuariam ſibi tege-
ticulam concinnat, extincto igniculo, admonetur à gubernatore petendum po-
tius Tarentum (nam ita locus in proximo uocabatur) etenim fumũ eſſe illic aſpi-
cere. Tum uerò lætior audito Tarenti nomine Valeſius, deos adorãs, & ſalutem
ſibi liberorum iamiam propemodum bona fide ſpondens, agi protſum iubet, &
illuc maximè nauigium appelli. Quò cum perueniſſet, haurit aquam feſtinatò de
flumine, fretuſq; omine tenacius arrepto, fumigans ibidem ſolũ flatu ſolicitat in
flammam, calfactamq; mox aquam porrigit in calice pueris. Succedit autem po-
tui ſomnus. Vident in quiete illi ſpongia ſibi à neſcio quo detergeri morbũ, tum
præcipi, ut Diti patri, & Proſerpinæ, furuæ ibidem mactarẽtur hoſtiæ, trinoctiũq;
perpetuum choris & carminibus concelebraretur. Surgunt igitur recuperata ua
letudine, uiſumq; illud patri renunciant. Is homo locuples defodi iaciundis altè
fundamẽtis humum iubet. Inuenta igitur ſic ara eſt ea, quam diximus, cum titulo
Ditis & Proſerpinæ. Mactat ille (quod erat iuſſus) furuas continuò uictimas, &
trinoctium ſacris frequentat: tot enim numero filios media de morte receperat:
ex eoq; Manius Valerius Tarentinus appellatus, quòd à dijs manibus in Tarẽto
liberûm ſuorum ualetudinem impetrauiſſet. Ad hunc igitur modum quidam tra
diderunt. At enim M. Varro libro de ſcenicis originibus primo: Cum multa, in-
quit, portenta fierent, & murus, ac turris, quæ ſunt inter portam Collinam & Ex-
quilinã, de cœlo tacta eſſent, & ideo libros Sibyllinos Quindecimuiri adijſſent,
renunciauerunt uti Diti patri, & Proſerpinæ ludi Tarentini in campo Martio fie-
rent tribus noctibus, & hoſtiæ furuæ immolatentur. Hactenus de origine. Secu-
lares autem, nõ quia fierent anno uel centeſimo deniq;, uel etiam centeſimo deci
moq; nuncupati, quod utrunq; ſicut aſſertores habet, ita reipſa penitus coarguit:
ſed ob id magis credi poteſt, quòd plerunq; ſemel hominis ętate fierent, ut multa
alia, quæ rara ſunt, poſt ſeculum euenire loquentium conſuetudo uſurpat. Taren
tini autem à loco ipſo, qui Tarentus ob id uocatur, aut quòd ara ibi Ditis patris
(quemadmodum ſuprà diximus) in terra occultaretur, aut quòd ripam Tiberis
fluuius eo loco tereret, ex quo etiam Rumõ dictus à ueteribus, & in ſacris Serra
nominatus, quòd ruminaret, hoc eſt, exederet, & ſecaret ripas. Vnde ait Maro:
Stringentem ripas, & pinguia culta ſecantem.

Cæterùm de temporũ interuallis, quibus iſti ludi referrentur, fides in ambiguo
eſt. Siquidem in carmine ſeculari Horatius undenos decies per annos fieri decla
rat, quod & cõmentarij Quindecimuirorum, & diui Auguſti edicta, & ipſius de-
nique Sibyllæ, quod adhuc extat, oraculum confirmauerint. Contrà uerò centeſi
mum redire poſt annũ, tam Valerius Antias, quàm Titus Liuius, & item M. Var
ro teſtati perhibentur. Quod enim legimus apud Herodianum trium ſpacio ęta-
tum ſolitos inſtaurari, uereor ut emendata ſit ibi lectio, noſtramq; ob id è Græco

interpre-

interpretationẽ cum uenia legendam cenſeo. Nec autem (ſi tempora dinumeres aut quanta interualla retrò fuerint, aut quanta eſſe debeant, omnino colligas. Inſtituti autem primi ſeculares ludi poſt exactos reges à P. Valerio Publicola, qui primus conſul fuit, exiſtimantur. Etenim laborantibus peſtilentia ciuibus, apud hanc ipſam, quam diximus, aram publicè nuncupatis uotis, atrum bouem Diti ꝓ maribus, concolorem pro fœminis iuuencam Proſerpinæ mactauit, ludoſq́; & lectiſternia trinoctio fecit, & arã terra, ſicut antè fuerat, exaggerata occuluit, inſcriptam titulo iſto: P. Valerius Publicola frumentarium campum Diti & Proſerpinæ conſecraui, & ludos Diti & Proſerpinæ Romanorum ſalutis ergò feci. Secundo & quinquageſimo poſt Romam conditam factos anno admonitu Sibyllinorum carminum, tradit græcè Zoſimus, miſſis occupata morbo ciuitate lectis ad hoc uiros, qui libros cõſulerent: ex quorum reſponſo, denuò regeſta humo apud aram hanc ipſam, in extremo campi Martij, de more facta, & ludi perſoluti, reſtitutaq́; Romanis iterum eſt incolumitas. Conſulem uerò ſcriptor hic unum duntaxat, exemplario fortaſſe mendo, M. Publium Quintium nominauit, cum Cenſorinus M. Valeriũ, & Spurium Verginium conſules prodat. Idemq́; tertios, & item quartos conſulum temporibus, quos & nominatim citat autoritatibus Antiatis Valerij, T. Liuij, Varronis, Piſonis, Gellij, & Heminæ comprobat factos, etiamq́; commentarios Quindecimuirûm ſacris faciundis, in teſtimoniũ aſciſcit. At enim quoniam lubricus in proprijs nominibus, & item in numerorũ notis librariorum lapſus, uitiata iſta (ni fallor) in Cenſorini commentario reperies. Cæterùm diuus Auguſtus abolitos eos paulatim (ſicuti quidam putant) atq́; intermiſſos inſtaurauit, magno (ut Liuius ait) apparatu, L. Cenſorino, & M. Manlio Puellio conſulibus, Atıeio autem Capitone circumitum, ſpaciumq́; ſubijciente, ritum uerò ſacrorum libris indicantibus Sibyllinis. Porrò ſextos, Claudius ſe conſule IIII. & L. Vitellio quaſi anticipatos ab Auguſto, nec legitimo tempori reſeruatos, quamuis ipſe in hiſtorijs ſuis prodidiſſe memoretur, intermiſſos eos Auguſtũ multo pòſt diligẽtiſſimè annorum ratione ſubducta, in ordinẽ redegiſſe. Quare uox etiã irriſa præconis traditur, inuitantis more ſolenni ad ludos, quos nec ſpectauiſſet quiſquã, nec ſpectaturus eſſet, cum ſupereſſent adhuc qui ſpectauerant, & quidam hiſtrionum producti olim, tum quoq́; producerentur. Etenim Stephanionem, qui primus togatis ſaltare inſtituit, utriſq́; ſecularibus ludis, Auguſti uidelicet, & Claudij, ſaltaſſe accepimus, qui lxxxiij. non amplius annos interfuere, quamuis & poſtea ille diu uixerit. Septimos Domitianus, ſe xiiij. & L. Minutio Ruffo conſulibus, computata ratione temporum ad annum, non quo Claudius ꝓximè, ſed quo olim Auguſtus ediderat. Deniq́; in nomiſmatis uarijs apud Laurentium noſtrum Medicem ſtelographiam quoq́; iſtam uidimus. LVD. SAEC. FEC. COS. XIIII. Ac de his Papinium ſentire in Syluula ad urbis præfectum Gallicum, cui titulus Soteria, iam tum noſtris auditoribus oſtẽdebamus, cùm uolumen ipſum ſcilicet abhinc nouenniũ publicè interpretabamur. Verba ita ſunt:

Nec tantum induerint fatis noua ſecula crimen,
Aut inſtaurati peccauerit ara Tarenti.

Quo loco Domitius noſter, quanquã de Tarenti ara, dijſq́; ipſis manibus meminit, nihil omnino tamen ſuper ſecularibus iſtis ſuſpicatur. Iam uerò apud Martialem, ꝙ penè idem ſuæ literaturæ, ne dixerim ingenij quoq́; obliuiſcitur: quem ſcilicet & tunc, & cum Faſtos anno pòſt enarrabamus, luculentè (ni fallor) coarguimus. Eſt autẽ Martialis epigramma de matrona, quæ, puto, binis ludis, Claudij ſcilicet, Domitianiq́; interfuerat, in eoq́; etiam hic uerſiculus:

Bis mea

Bis mea Romano ſpectata eſt uita Tarento.

Quo loco parũ cordatus homo hic trigeſimo quoq; anno celebrari ſacra ad Tarentum dicit conſueſſe, quod nec aliquis etiam fando audiuerit. Quin idem illos ex quarto eiuſdem poetæ libro uerſiculos pertractans:

Hic colat ingenti redeuntia ſecula luſtro,

Et quæ Romuleus ſacra Tarentus habet.

Etiam poſteriorem diſiungit à priore, & ut in illo ſeculares ludos, ita in hoc com mentitia iſta tricenaria ſacra putat inſinuari. Facit autem Tarenti huius etiã Varro in Latinæ linguæ cõmentario, etiam' que uel iterum in Faſtis Ouidius mentionem. Sed redeo unde digreſſus. Centeſimo decimo' que pòſt Domitiani ludos anno inſtaurauit & eos imperator ille Septimius Seuerus, cuius etiam nunc Romæ pulcherrimus ſpectatur triumphalis arcus, cum filijs Antonino & Geta, Chilone & Vibone conſulibus. Quos ludos & uidiſſe ſe memorat Herodianus, & Diõ ætate ſua factos memoriç prodidit. Poſt Seuerũ negat inſtauratos Zoſimus, quoniam hic annorum centũ & decem penè receptus autoritate ambitus in conſulatum Conſtantini Chriſtiani principis tertium, & Licini, quem dein bello ipſe uicit, incurriſſet. Nos tamen apud Euſebiũ in Chronicis, & Eutropiũ in Hiſtoriarum lib. 9. legimus Philippo imperante (quanq; primus fuiſſe Chriſtianus imperator creditur) milleſimũ annum Romanæ urbis ingenti ludorũ apparatu, & ſpectaculorũ fuiſſe celebratũ, beſtiasq; in circo innumerabiles interfectas, & ludos in campo Martiò theatrales tribus diebus, ac noctibus populo peruigilante con celebratos: quibus ludis ſecularibus etiã dicitur Philippus iunior, is qui nunquã riſiſſe creditur, patrem Philippũ ſeniorem petulantius cachinnantem, uultu auerſato notauiſſe. Reſtat uti de ritu carptim paucula perſtringamus. Inſtantib. itaq; ludis tota Italia præcones miſſitabantur conuocatũ ad ludos, qui nec ſpectati, nec ſpectandi iterum forent. Tum æſtatis tempore, paucis antequam ſpectacula edebantur diebus, Quindecimuiri ſacris faciundis in Capitolio, & Palatino templo pro ſuggeſtu conſidentes, piamina diuidebant populo, quæ erant, tæda, ſulfur, & bitumen. Nec tamen ad ea ſeruis quoq; accipienda ius ullum. Coibat autem populus, cùm in quæ ſuprà retulimus loca, tum præterea in Dianæ templum, quod erat in Auentino, & cui triticũ, faba, hordeumq; dari mos. Tum ad inſtar Cereris initiorũ peruigilia fiebant. Vbi uerò iam aduenit feſtus dies, triduũ, trinoctiumq; ſacris intenti in ripa ipſa maximè Tiberis agitabant. Sacrificia uerò Ioui, Iunoni, Apollini, Latonæ, Dianæ, prætereaq; Parcis, & quas uocant Ilithyas, tum Cereri, & Diti, & Proſerpinæ ſuſcipiebantur. Igitur ſecunda primç noctis hora princeps ipſe tribus aris ad ripam fluminis extructis, totidem agnos, & unà Quindecimuiri immolabant, & ſanguine imbutis aris, cæſa uictimarũ corpora concremabant. Cõſtructa autẽ ſcena in theatri morẽ, lumina & ignes accendi, & hymni concini ad hunc uſum tum maximè cõpoſiti, & item ſpectacula edi ſolenniter ſolita, data celebrantib. hac mercede tritico, faba, hordeo, quç ſuprà inter uniuerſum populũ diuidi oſtẽdimus. Mane uerò Capitoliũ aſcẽdere, ſacra ibi de more agitare, tũ in theatrũ cõuenire ad ludos in honorẽ Apollinis & Dianæ faciũdos, conſueuerũt. Sequẽti die nobiles matronas, qua hora præcipit ab oraculo, cõuenire in Capitoliũ, ſupplicare deo, frequẽtare lectiſternia, canere hymnos ex ritu, mos habebat. Tertio deniq; die in tẽplo Apollinis Palatini, ter noueni pueri prætextati, totidẽq; uirgines, patrimi omnes, matrimiq; græca, Romanaq; uoce carmina, & Pæanas concinebant, quibus imperiũ ſuum, et incolumitatẽ populi dijs immortalib. commendabant. Quòd ſi quis fortaſſe quçſierit, quod genus tunc aut ludorum fieret,

aue

aut ſacrificiorum, ſciat & ludos celebrari omnibus theatris, atq; omne genus, & ſacrificia templis omnibus cõſueſſe noctu pariter atq; interdiu. Nam de ſcenicis & Circenſib. minimè dubitatur, cum Domitiani ludis hiſtriones interfuiſſe meminerimus, prætereaq; Circenſium die, quo facilius centũ miſſus peragerentur, ſingulos à ſeptenis ſpacijs ad quina legerimus correptos. Illud utiq; in Auguſto memorabile, qui ludis iſtis iuuenes utriuſq; ſexus prohibuit ullum nocturnum ſpectaculum frequentare, niſi cum aliquo maiore natu propinquorum. Enimuero his prout in mentem deſubito uenerunt expoſitis, iam nec ille uatis Auſonij uerſiculus ambiguus relinquetur:

Trina Tarentino celebrata trinoctia ludo.

Iam nec obſcura apud Horatiũ ratio extiterit, cur Parcas, Ilíthyan, Dianamq; ex Auentino, cur & puerorũ uota, & Quindecimuiros memorauerit, & item Sibyllinos uerſus, qui nunc quoq; apud eundem Zoſimum uetuſtiſſimis quidẽ codicibus citra ulla faſtigia, qualeſq; de induſtria ſubiecimus, inueniuntur.

Ἀλλ' ὁπόταν μήκιστος ἴῃ χρόνος ἀνθρώποισι
ζωῆς εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύων,
μεμνῆσθαι ῥωμαῖε καὶ εἰ μάλα λήσεται αὐτόν,
μεμνῆσθαι τάδε πάντα, θεοῖσι μὲν ἀθανάτοισι
ῥέζειν ἐν πεδίῳ παρὰ θύμβριδος ἄπλετον ὕδωρ
ὅππῃ στεινότατον. νὺξ ἡνίκα γαῖαν ἐπέλθῃ.
ἠελίου κρύψαντος ἑὸν φάος. ἔνθα σὺ ῥέζειν
ἱερὰ παντογόνοις μοίραις ἄρνας τε καὶ αἶγας
κυανέας, ἐπὶ ταῖς δ' εἰλειθυίας ἀρέσασθαι
παιδοτόκους θυέεσσιν ὅπῃ θέμις. αὖθι δὲ γαίῃ
πληθομένῃ χοῖρος σῦς ἱρεύοιτο μέλαινα
πάλλευκοι ταῦροι δὲ διὸς παρὰ βωμὸν
ἤματι μηδ' ἐπὶ νυκτί. θεοῖσι γὰρ οὐρανίοισιν
ἡμέριος τελέθει θυέων τρόπος ὡς δὲ καὶ αὐτὸς
ἱρεύειν δαμάλης δὲ βοῶν δέμας ἀγλαὸν ἥρης
δεξάσθω νηὸς παρὰ σεῦ καὶ φοῖβος ἀπόλλων
ὅς τε καὶ ἠέλιος κικλήσκεται ἶσα δεδέχθω
θύματα λητοΐδης ἀειδόμενοί τε λατῖνοι
παιᾶνες κούροις κόραισί τε νηὸν ἔχοιεν.
ἀθανάτων. χωρὶς δὲ κόραι χορὸν αὐταὶ ἔχοιεν
καὶ χωρὶς παίδων ἄρσην στάχυς. ἀλλὰ γονήων
πάντων ζωόντων οἷς ἀμφιθαλὴς ἔτι φύτλη
αἱ δὲ γάμου ζεύγλαις δεδμημέναι ἤματι κείνῳ
γνὺξ ἥρης παρὰ βωμὸν ἀοίδιμον ἑδριόωσαι
δαίμονα λισσέσθωσαν. ἅπασι δὲ λύματα δοῦναι
ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξί. μάλιστα δὲ θηλυτέρῃσιν
πάντες δ' ἐξ οἴκοιο φερέσθων ὅσσα κομίζειν
ἐστὶ θέμις θνητοῖσιν ἀπαρχομένοις βιότοιο
δαίμοσι μειλιχίοισιν ἱλάσματα καὶ μακάρεσσιν
οὐρανίδαις τὰ δὲ πάντα τεθησαυρισμένα κείσθω.
ὄφρα τε θηλυτέρῃσι καὶ ἀνδράσιν ἑδριόωσιν,
ἔνθεν πορσύνῃς μεμνημένος. ἤμασι δ' ἔστω
νυξί τε πασσυδίῃσι θεοπρέπτους κατὰ θώκους
παμπληθὴς ἀγυρις, σπουδὴ δέ τε γέλωτι μεμίχθω.

ταυτα

ταῦτα δὶ ἐν φρεσὶν ᾗσιν καὶ μεμνημένος εἶναι.
καί σοι πᾶσα χθὼν ἰταλὴ καὶ πᾶσα λατίνων
αἰὲν ὑπὸ σκήπτροισιν ἐπαυχένιον ζυγὸν ἕξει.

Cur autem non & Latinos eos tentemus reddere, ſi non eleganter, utpote extemporales, ex fide tamen, ſeruato etiam, quantum liceat, incomptæ illius, ſed uenerandæ uetuſtatis colore nonnullo, aut ſqualore potius. Igitur ita qui uolet eos togatis illis adhuc quidem ruſticanis adſcribat.

Aſt ubi iam humanæ longiſſima tempora uitæ
Orbis agens annos referet centumq; decemq;,
Sis Romane memor (licet alta obliuia tentent)
Sis memor, ut quà ſe nimium Tiberina coartat
Ripa feras dijs in campo ſolennia ſacra,
Cum nox atra premit terras, tectusq; latet ſol,
Agnæ, caprigenumq; pecus genitalibus Parcis,
Hoſtia furua utræq; cadant, tum numina placa
Læta puerperijs (quod fas fuat) Ilithyias.
Terra ſuem ferat, & ſcropham ſibi fertilis atram,
Sed Iouis ante aram candenti corpore tauros
Luce feri: nam lux ſuperis gratiſſima diuis.
Iunonis templum nitida ceruice iuuenca
Imbuat, atq; itidem Phœbus placetur Apollo,
Quem uocitant etiam ſolem, Latoa propago.
Pæanas puerió; canant, pueræq; Latinorum
In templo. Sed enim pueri pueræq; ſeorſum
Concelebrando choros, uerùm hæc ſit patrima proles,
Matrimaq;, at nuptæ genibus Iunonis ad aram
Oranto inuiſæ, diuamq; in uota uocanto.
Februa quin etiam uir quiſq;, & fœmina: quanq;
Fœmina præcipuè, accipito, dehinc ædibus omnes,
Primitias uitæ placidis placamina diuis
(Qua fas eſt) & cœlitibus portando beatis.
Antè domi tamen illa memor tibi habeto repoſta,
Quæ dare mox uſu liceat poſcente uiriſq;,
Fœmineoq; gregi: tum digna ſedilia diuis,
Perq; dies iuxta & noctes multeſima turba
Complento, & lepidis miſcento ſeria ludis.
Quæ tibi, ſi ſtabili ſint omnia condita mente,
Cuncta tuo Italiæ tellus, cunctiq; Latini
Subdent colla iugo, & uictoris ſceptra timebunt.

Non Vergiliũ, ſed Ouidium uideri Priapei carminis autorẽ. Tum uerſiculũ illũ, qui ſit apud Martialẽ, Ride ſi ſapis, ô puella, ride: Naſonis eſſe proculdubio, ſed ex epigrammatis potius, q̃ aut ex Artibus, aut ex tragœdia Medea uideri citatum: moxq; nouum quippiam, & mirum de Medea Naſonis adſcriptum. CAP. LIX.

QVæ Priapeia uocantur epigrammata, Vergilio pleriq; tribuunt, inter quos etiam eſt (arbitror) Seruius. Cæterùm ego in Senecæ libris illis, qui iam diu delituerant, nuper in lucem, quanq; non admodũ ſynceri, prodiere, quibus'que Oratorum & Rhetorum ſententias, diuiſiones,

colores

colores ſuaſoriarum complectitur(niſi fortè mendoſum credamus, quod habetur exemplar unicum) ſubdititia eſſe,nec Vergilij,ſed Ouidij deprehẽdo.Siquidem illius in uolumine ſecundo uerba ita ſunt: Hoc genus ſenſus memini quendam prætorium dicere, cum declamaret cõtrouerſiam de illa, quæ egit cum uiro malæ tractationis,quòd uirgo eſſet,& damnata. Poſtea petijt ſacerdotiũ. Nouimus,inquit,iſtam maritorum abſtinentiam, qui etiam ſi primam uirginibus timidis remiſere noctem,uicinis tamen locis ludunt.Audiebat illum Scaurus, nõ tantum diſertiſſimus homo,ſed uenuſtiſſimus, qui nullius unquam impunitam ſtultitiam tranſire paſſus eſt: ſtatim Ouidianum illud,

Dum timet alterius uulnus inepta loci.

Et ille excidit,nec ultra dixit. Hucuſq; Seneca. Nouimus autem hunc eſſe uerſiculum in Priapeio epigrammate:cuius principium eſt,

Obſcurè poteram tibi dicere.

Sed & ſtylus ipſe(ni fallor)& prorſus Ouidiana quæpiam in eis uerſibus germana laſciuia. Quatenus autem ſit huic autoritati fidendum, legentium ſit iudiciũ. Nos ut non pro uano ſcripſimus hoc,ita nec pro confeſſo.Certè ſic Ouidio conuenit etiam in cæteris obſceniori,ſic Vergilium cõtrà dedecet, à uirginea quoq; uerecundia Partheniam uocatũ,titulus iſtius operis, ut quamlibet iniurato teſti, & ſuſpecto pudeat tamen profectò non credere.Sanè illud in confeſſo, ſcripſiſſe epigrammata quoq; alia Naſonem,de queis uerſiculum citat hunc Priſcianus:

Larte ferox cæſo Coſſus opima tulit.

Et apud eundem ludentem legerat ſanè Quintilianus iſtud:

Cur ego non dicam furia te furiam?

Nec alibi certè crediderim, quàm fuiſſe in epigrammatis, quem citat hendecaſyllabum Phalecium Martialis:

Ride ſi ſapis ô puella ride.

Nam quòd præceptum reſpicit aliquod ex artibus Domitius, id utiq; uel autoritate refutatur Martiani Capellæ, qui uidelicet in Satyra pro uerſiculo Naſonis eũ non pro Martialis agnoſcit. Audiui etiam qui crederẽt de tragœdia eſſe Medea, quam Tacitus,quã laudat Quintilianus,& quam fuiſſe(quod miror) penè Vergilianis conſutam uerſibus,autor Tertullianus eſt, & nos in Nutrice ſignificauimus.Sed hoc mihi non fit ueriſimile. Quis enim uel in græca uſpiam,uel in tragœdia latina phalecios legit? aut quid omnino tragicum ſapit hic uerſiculus, à tetrica illa grauitate reſiliens penitus atq; abhorrens? An uerò nõ & Martianus ipſe negat propemodũ clarè de tragœdia hunc eſſe, ſi uerba modò ipſius fideliter recitata,diligenter quoq; expendantur? An non ille Satyram ſuam, quòd auſtera, & cenſoria,quodq; nimiũ tragici ſupercilij, luſus caſtigauerat, quaſi repercutiẽs, & ad frontem(quod dicitur)exporrigendam inuitans: Peligni,inquit, decætero iuuenis uerſiculo reſipiſce,&(ni tragicum corrugaris)

Ride ſi ſapis ô puella,ride?

Ni tragicum,inquit,corrugaris, id eſt, niſi frontem caperas tragica ſeueritudine. Quod ſignificat rugarũ triſtitia, & ſqualore aſperas. Igitur ſi de tragœdia ſit ipſa uerſiculus, quo reuocare uno maximè Saturã ſuam poeta hic ab auſteritate illa tragica molitur,ſanè iocus hic(ut arbitror) Frigidus hybernas cana niue cõſpuet alpes. Iam ſi quis de ſynceritate lectionis iſtius ambigat,libros uelim Martiani uetuſtiſſimos inſpiciat è publica Medicæ gentis Florẽtina bibliotheca: ſic enim profectò fidem noſtram, credo, ſua diligentia adiuuabit.

Agon uerbum, quo uictimarius uti ſolitus, de quo etiam in Faſtis Ouidius. CAP. LX.

OVidius in primo Faſtorum:

Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſa miniſter,
Hoſtia cœlitibus quo feriente cadat:
Qui calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros,
Semper agat'ne rogat, nec niſi iuſſus agit.

De hoc mactandæ uictimæ ritu, deq; item uerbo, quo ſacerdotis miniſter uteref, apud unum duntaxat Senecam in libro eodem oratorum, rhetorumq; tertio, factam reperio mentionem per hæc uerba: Deinde cùm ſcholaſticorũ ſummo fragore, & tu quiſquis es carnifex, cùm ſtrictam ſuſtuleris ſecurim, antequàm ferias patrem reſpice. Bellè deridebat hæc Aſinius Pollio: Filius, inquit, ceruicem porrigat. Carnifex manum porrigat, deinde reſpiciat ad patrem, & dicat, Agón? Quod fieri ſolet uictimis. Sed ioco quoque remoto, aiebat rem ueriſſimam, non poſſe carnificem uenire, niſi eo tempore, quo iam exorari pater non poſſet. Hæc Seneca. Quo colligitur, uerbũ quo uictimarius identidẽ utebatur, Agon' fuiſſe, hoc eſt, ago'ne. Quare bellè Ouidius:

Semper agat'ne rogat, nec niſi iuſſus agit.

Erratũ in codicibus Plinianis ſuper cicuta, uinoq;. Quodq; mendoſè apud Macrobium, Aconitum pro Conio. CAP. LXI.

VErba ex epiſtola Androcidis ad Alexandrum Magnum, clari ſapientia uiri, uitioſè poſita in Plinianis his codicibus reperiũtur hoc modo: Vinum potaturus rex, memento te bibere ſanguinem terræ. Sicuti uenenum eſt homini cicuta, ita & uinũ. Leuis profectò ſententia, nimiſq; uiolenta, & coacta, addo etiam inſipida falſaq;, uinum eſſe homini uenenum, ſicuti cicutam. Sed enim in uetuſtiſſimo illo Medicæ familiæ Pliniano codice, citato à nobis iam ſæpe, ſic inuenias: Cicuta homini uenenũ eſt, cicutæ uinum. Nam ut hominem cicuta, ſic cicutæ uirus meri potus extinguit. Ex eoq; perſuadere Alexandro nititur Androcides, ut tanquã re potentiſſima parcius utatur uino, quod ueneni uenenum ſit. Vnde non diſpari ſenſu terræ eſſe ſanguinẽ docuerat. Quocirca de uerbis eius ita Plinius concludit, neq; uiribus corporis utilius aliud, neq; uoluptatibus pernicioſus, ſi modus abſit. Conſimiliter etiam idem in libro quinto & decimo de cicuta narrans ut homini exitioſa: Remedium eſt, ait, priuſquam perueniat ad uitalia, uini natura excalfactoria. Quod idem Dioſcorides prodidit. Diuus igitur Ambroſius in libro quem de utilitate ieiunij compoſuit: Etiam, inquit, maior uis uini, quàm ueneni. Deniq; uenenum uino excluditur, non uinum ueneno. Sed & Plutarchus in Sympoſiacis libris eadem fermè, quę Plinius de cicuta. Tum eum locum, ſicutiq; alios permultos, propè ad uerbum conatus exprimere eſt in Saturnalibus Macrobius. Quanquam in omnibus, quos quidem hactenus uiderim Macrobianos codices, Aconitũ pro cicuta reperitur, ſicut in uetuſtiſſimo etiam Bernardi Michelozij bene literati hominis, & amici nobis. Sed enim opinor mendum eſſe id exemplarium, nec enim mihi tam fuiſſe ineruditum Macrobium perſuaſerim, ut quod eſſet græcè Conion, ipſe Aconitum uerterit. Libentius crediderim græco uſum uocabulo, ſicuti quoq; Ambroſius in Hexaemero conium dixit, quod ex Baſiliano paris argumenti libro & tituli, cicutam Rufinus tranſtulit. Lubricus autem ſanè lapſus in aconitum, de conio.

Qui ſint Arietini teſticuli: qui digitus medicus apud Tulliũ. CAP. LXII.

CIcero ad Herennium libro tertio de memoriæ artificio tractans, ita imaginem quandam inſtruit. Et reum, inquit, ad lectũ eius ſtatuemus, dextra poculum, ſiniſtra tabulas, medico teſticulos arietinos tenentẽ. Quo loco uideo hæſitare literatores quoſpiã etiã haud extremæ ſortis, quid ſit quod legimus, medico teſticulos arietinos tenentem. Medicus autẽ unus è digitis quinqꝫ uocatur, hoc eſt, ut arbitror, minimo proximus. Porphyrio enim ſuper Horatianum illud ex ultimo ſermone:

— Qui ſi quid fortè laterer,

Indice mõſtraret digito. Sic ait: Hoc ideo, quia certis nominibus ſinguli digiti appellabantur, & ſunt hæc nomina: Pollex, index, famoſus, medicus, minimus. Quidam uerò è Græcis, credo, iunioribus nomina digitorum ῥωμαϊστὶ ſic eſſe ſcribit, ἀντίχειρ, δεικτικός, ἰατρὸς, δακτυλιώτης, ὠτίτης. ut ſi dicas: pollex, index, medicus, anularis, auricularis. Quod equidẽ non affirmo, nec refello. Tantũ notandũ, medicũ ab eo dictũ, qui ſit medius, aut famoſus, nõ qui minimo proximus. Apud ipſos aũt leguntur hæc nomina: ἀντίχειρ, λιχανὸς, σφάκελος, ὠδικώτης, μύωψ. De teſticulis autẽ arietinis legis in uocabulo Scortes, in Feſti cõpendio ſic: Scortes, id eſt, pelles teſtiũ arietinorũ, ab eiſdem pellibus dicti. Tantũ apud Feſtum. Sed enĩ Pedianus ſportas, ſportulas, ſportellas, nummum eſſe ait receptacula, & ſaccos, ſacculos, ſaccellos, & crumenas, & uelleas, & ſcorteas, & manticas, & marſypia. Vt nihil ſit dubium, quin è digito eo, qui ſit minimo proximus, ſuſpenſas haberi uelit ſcorteas, hoc eſt, è teſtibus arietinis pelliceas crumenas.

Aliter citari à Varrone Terentij uerba, quàm aut in exemplaribus habeatur, aut Donatus agnouerit. CAP. LXIII.

MArcus Varro in libris de lingua latina ſic ait: Apud Terentium, ſcortatur, potat, olet unguenta de meo. Scortari eſt ſæpius meretriculam ducere. Sic ille, ac deinceps alia in eam ſententiam. Cæterùm Terentiani omnes ad unum codices, non ſcortatur habent, ut Varro legit, ſed obſonat. Locus autẽ in Adelphis eſt: Obſonat, potat, olet unguenta de meo. Quam lectionẽ etiam Donatus agnoſcit. Quid hic igitur dicemus? mendum'ne eſſe in Terentianis omnibus codicibus, an (quod uix credere auſim) memoriola uacillaſſe Varronem quoqꝫ ipſum πολυγραφώτατον à Cicerone appellatum, ſicuti eundem Ciceronem Gellius deprehendit? Vt fateamur etiam maximis quibuſqꝫ ingenijs officere incuriam nonnunquàm, prodeſſe uſquequaqꝫ diligentiam.

Declarati uerſus Auſonij, ſed & Ouidij ſuper Choliambo, aut Scazonte. CAP. LXIIII.

AVſonij poetæ ſunt trimetri uerſus ita:

Cui ſubiugabo de molarum ambagibus,
Qui machinali ſaxa uoluunt pondere
Tripedes caballos, terga ruptos uerbere.

Quid hic eũ ſignificare opinemur? Nempe, ut arbitror, uerſus illos, qui Choliambi, uel Scazontes appellantur, ut ſi dixeris claudicantes, quales apud Perſium in principio, qualis ille item Martialis, ab ipſo nominatim citatus:

Apollinarem conueni meum Scazõn.

Eſt enim Scazon trimeter iambicus, ſenis & ipſe conſtans pedibus, ſicut rectus iambicus: hoc uno diſpar, ut etiam ſcribit Hepheſtion, quòd rectus poſtremam ſedem iambo, pyrrhichio'ue occupat, in antepenultima cunctos accipit pedes, quorũ modo id metrũ ſit capax, circa ſyllabarũ quantitates indifferens. Sed clau-

dus hic iambicus clauſulam poſtulat ſpondaicam,uel trochaicam prorſus. Penultimum autem pedem,non diſſyllabum modò,ſed iambum planè,uel ſpondeum. Quòd uerò ait Hepheſtion, ſpondeum recipi ſede quinta choliambi,nunq́ equidem apud Latinos inuenire me cõmemini. ipſe uerſiculũ hunc adducit græcum:
ἐπ᾽ ἄκρων ἴλλων ὥσπερ ἄλλαντα ψύχων.

Et Quintilianus Ariſtides græcus autor in libro de Muſica, ſuper iambico loquens trimetro: Claudum fieri ait,quando in extremo ſpondeum recipit.Deniq́ Ouidius quoq́ in priore libro de Amorũ remedijs de utroq́ iambo ſic ſcribit:

Liber in aduerſos hoſtes ſtringatur Iambus,
Seu celer, extremum ſeu trahit ille pedem.

Sunt autem utriq́ ad maledicentiam libertatemq́ facti,truces,& cruenti. Quare ob id ſtringendos etiam ait Ouidius, in aduerſos hoſtes. Dionyſius Halicarnaſſeus in libro de Interpretatione, uehemens aut acre metrum eſſe choliambos ait. Idemq́ mox Hipponacten,cum laceſſere conuicijs inimicos ueller, infregiſſe ait de induſtria metrum,ac pro recto claudum feciſſe,& abnumerũ,hoc eſt, acrimoniæ conſentaneum,conuitioq́.Nam ſicuti diſſoluta figura parat acrimoniam, ſic (ut ille inquit) diſſoluta compoſitio.Quare caballos utiq́ choliambos eos Auſonius nominat,quorum tralationẽ duxerat ab eſſedo, & uehiculo, cui caballi adiungũtur: & ut tardos oſtenderet,de molarũ ambagibus captos dicit, prætereaq́ terga ruptos uerbere,tum eoſdem tripedes uocauit,quia græcè trimetri,quamuis ſenos habeant pedes: nam bini quiq́ pro ſingulis uidentur in iambicis capi. Qui machinali ſaxa uoluant pondere: propterea dixit, uelut molas deſcriberet, quas uerſare ipſos indicauerat: uel ut eos uiolentos ferocesq́ oſtenderet allegoricòs, quaſi qui lapides ingentes torquẽt,& uoluunt in hoſtem. De trimetro itẽ utroq́ ſic idem Auſonius alibi græco uerſiculo:
εἰλιπόδην σκάζοντα καὶ οὐ σκάζοντα τρίμετρον. Quod latinè ſic uertas:
Loripedem ſcazonta,& non ſcazonta trimetrum.

De ſcazõtibus eiſdem ſic in epiſtola quapiam ex libro quinto apud iuniorem Plinium: Proinde aut rumpe moras, aut caue ne eoſdem iſtos libellos, quos tibi hendecaſyllabi noſtri blanditijs elicere non potuerunt, conuitio ſcazontes extorqueant.

Qui ſit habitus in ſtatuis pacificator,deq́ eo ſentire Statium in prima Sylua. CAP. LXV.

STatius in Syluula prima,quæ in equum maximum ſcripta eſt:
—Iuuat ora tueri.
Mixta notis belli,placidamq́ gerentia pacem. Tum idem:
Dextra uetat pugnas.

Quem locum Domitius ſic enarrat: Dextra uetat pugnas, hoc eſt, inermis eſt in ſtatua,uel ad dextram eſt templum Pacis, quod nõ placet, inquit. Cæterùm ſicut placet hic ſenſus: Dextra uetari pugnas, quia ſit inermis, aut item quod de tẽplo ipſo traditur Pacis, quanquam nec autori quidem placet ſuo, feram non moleſtè ſcilicet huic ſententiam meam non probari.Nam ego notari habitũ puto,qui pacificator in ſtatuis diceretur. De quo ita legimus apud Quintilianũ: Fit & ille habitus, qui eſſe in ſtatuis pacificator ſolet, qui inclinato in humerum dextrum capite,brachioq́ ab aure protenſo,manum infeſto pollice protendit,qui quidẽ maximè placet ijs,qui ſe dicere ſublata manu iactant.Hactenus Quintilianus.Extat autem adhuc pacificatore habitu(ni fallor)ſtatua illa Romæ, quæ pro æde Lateranenſi inter prima urbis ſpectacula conuiſitur.

Locus

Locus in Plauti Muſtellaria,& item alter in Milite,uindicati à uitio. CAP. LXVI.

IN Muſtellaria Plauti locus eſt mendoſè ſcriptus pleriſq; codicibus, ad hunc ſanè modum: Viden' ornamenta in foribus? uideo. Specta qua arte dormiunt: dormiunt. Ille quidem ut conuenit uolui dicere. Sed cùm de his neq; ſenſus eliciatur ullus,& feſtiuum Plauti dictum uitio librariorum pereat,faciam,ut arbitror,operæprecium,ſi ſcripturam incolumem de Plautino codice citato à nobis,iterum repoſuero.Eſt autem prorſus hæc. Viden' coagmenta in foribus?uideo.Specta qua arte dormiunt:dormiunt.Illud quidem ut conniuent uolui dicere.Nam quia conniuere dicuntur,qui dormitant,ut apud Cinnam lectus eſt uerſiculus: Iam grauis ingenti conniuere pupula ſomno.

Propterea cũ in foribus iuncturas eſſe minimè laxas: id enim coagmenta ſunt, Tranio ſeruus oſtẽderet, dormire eas ridiculè prius; dein etiam conniuere ioculariter dicit,ex oculis dormitantiũ ducta metaphora. Similiter corrigendum puto locũ alterum ex Plautino Milite,qui ſic uitioſè legitur: Mirus oleo uictitare te tam uili tritico.Quid iam? quia luſcioſus. Verbero,ædepol tu quidem cæcus,nõ luſcioſus.Nam cum nullus hinc elici ſenſus queat, legendum arbitror ſic: Miruſt lolio uictitare te: tam uili tritico.Siquidem hoc ubiq; idem apud Plautum,miruſt pro mirum eſt,reperies.Atq; lolio uitiari oculos etiam ait Ouidius Faſt.primo:
Et careant lolijs oculos uitiantibus agri.

Notat id Fulgentius quoq;,non contemnendus Grammaticus. Quare cũ Sceledrus ſeruus luſcioſum,uitiatiſq; oculis conſeruum Palęſtrionem uelit ſignificare,mirum eſſe ait,uictitare eum lolio , cum ſit ipſum triticum tam uile.Lolio autẽ uictitare eũ,colligere ſe uel inde affirmat illudens, ꝙ ſit luſcioſus. Luſcioſi porrò, ſeu luſcicij,qui uitiũ hoc habẽt oculorũ,ut clarius ueſperi,ꝗ̃ meridie cernant.

Cornicem uideri apud ueteres concordiæ ſymbolum,non ut omnes apud Iuuenalem exiſtimant ciconiam. CAP. LXVII.

PRo comperto iam habetur,ciconiam deniq; eſſe, qua cõcordiæ repræſentaretur apud priſcos effigies: atq; ita uerſiculum Iuuenalis omnes interpretantur, Quæq; ſalutato crepitat concordia nido. De eo tamen nullum omnino afferũt teſtimoniũ,quod autoritatis adminiculo ſuſtẽtetur.Ego cornicem magis accipio, ductus Heliani græci ſcriptoris teſtimonio,qui libro de Animalibus tertio, de hac aui ſic propemodũ ſcribit: Cornices,inquit,inter ſe fidiſſimæ ſunt: & cum ſocietatẽ coierint,maximo ſe opere diligunt.Neq; id genus animalia uideat quiſpiam licenter miſceri,& temerè. Quin hoc quoq; dictitant,qui res iſtiuſmodi callent, altera extincta,cõparem uiduam degere. Cæterùm id quoq; audio , ueteres in nuptijs poſt hymenæum cornicem inuocare,ſignumq; id concordiæ dare ijs conſueſſe, qui liberûm quærendorum gratia conueniſſent. Tum qui ſedes auium,& uolatus obſeruant, inauſpicatum eſſe captantibus auguria dicunt unius tantum cornicis obſequiũ. Sic ille. Sed & in nomiſmatis aureis duobus Fauſtinæ Auguſtæ, manifeſtam prorſus imagunculam nuper mihi Laurentius Medices oſtendit,cum titulo ipſo cõcordiæ.

Verſus ex Callimacho ſuper crinibus reginæ Berenices,atq; inde mendũ ex Catulli exemptum uerſiculo. CAP. LXVIII.

ELegiam Callimachi de crinib.Berenices inter ſidera receptis mira eleganria uertit in latinã linguã,nobilis poeta Catullus, quamuis pleraq; ſint in ea corrupta mendoſaq;,& temerè ſcripta librariorum inſcitia. Sed argumẽtum ipſius partim apud Hyginium latinũ autorem,partim

etiam apud Theonem, neq; non Achillem quoq; Græcos Arati enarratores inuenias. Græca ſanè ipſa Callimachi elegia non extat ad nos quantum compererim, ſed ętate intercidit. Apud Theonem tamen Arati eiuſdem interpretem principium illius tale reperio:

Ἤ με κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης
Βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

Prætereaq; in cōmentarijs ſuper Apollonium Rhodium ex Lucillo Tarrheo, Sophocleo ac Theone collectis, ubi de Chalybibus agitur libro ſecūdo, ſic adeò eſt inuenire: μέμνηται αὐτῶν καὶ Καλλίμαχος χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος γειόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν. Ex quo uerſiculum ſic illum legendum quis dubitet? Iupiter ut Chalybon omne genus pereat. Vt ſit Chalybon græcè dictum. Atque hoc inſcitè legunt quidam Telorum. Vulgatiſſimi codices cœlitum retinent contra etiam metri rationem. Sed hanc ſcio noſtram obſeruationem iampridem eſſe peruulgatam: quam tamen à nobis ortam, uel ille ipſe ſcit, qui uulgauit, libèterq; etiam fatetur uir doctiſſimus undecunq; Picus.

Oarion ſynceriter eſſe apud Catullū, quod Aorion iſti legunt, qui bonos uiolant libros. CAP. LXIX.

IN elegia eadem Catulli ex Callimacho, Oarion legitur, pro eo quod ſit Orion. Quam quoniam integram adhuc, inuiolatamq; dictionem nonnulli temerè attentare iam incipiunt, contra hanc ſiniſtram imperitorum audaciam ſtandum mihi eſt omni (quod aiunt) pede, uel Callimachi eiuſdem autoritate, qui ſic in hymno in Dianam, etiam nunc extante, ait: οὐδὲ γὰρ ὦτος, οὐδὲ μὲν ὠαρίων ἀγαθὸν γάμον ἐμνήστευσαν. Sed & Nicander Theriacôn libro conſimiliter:

Βοιωτῷ τεύχουσα κακὸν μόρον ὠαρίωνι. Et Pindarus in Iſthmijs:
οὐ γὰρ φύσιν ὠαριωνείαν ἔλαχεν. Et alibi:
ὀρειᾶν πελειάδων μὴ τηλόθεν ὠαρίωνα νεῖσθαι.

Quare putat Euſtathius quinto in Odyſſeam cōmentario παρὰ τὸ ὠαρίζειν appellatum. Non igitur Aorion, ſed Oarion uera lectio.

Cuius in Bruti nomiſmate ſymbolum ſint pileus, & pugiones. CAP. LXX.

SI quis nomiſma Bruti reperiat ipſius cælatum imagine, prætereaq; pileo, & duobus pugiunculis, ne diutius in explicanda ratione, cauſaq; laboret, legat Hiſtoriarū Dionis librum 46. Nam ex his, inquit, Brutus ſignificabat ab ſe & Caſſio patriam liberatam. Sed enim pileū geſtari ab his ſolitum, qui libertatem nacti, uulgatius manifeſtiusq;, quàm ut ſit autoritatibus confirmandum.

Quæpiam uulgò legi adhuc apud Maronē contra regulam, contraq; rationem metri. CAP. LXXI.

PVdet referre quàm manifeſtum, ſed nondū tamen à quoquam (quod ſciam) niſi nobis indicibus animaduerſum, mendum Vergilianis codicibus inoleuerit libro Aeneid. octauo:

Quod fieri ferro, liquido'ue poteſtur electro.

Cæterū in uolumine illo, quod eſt in intima Vaticana bibliotheca mirè uetuſtū, & grandibus characteribus perſcriptū, nō poteſtur offendas, ſed poteſt uſitatius uerbū. Quę etiā uerior eſſe lectio, uel inde probatur, quòd electrū ubiq; in prima ſyllaba longa, tam apud Græcos ponitur, q̄ apud noſtros. Neq; quicq̄ interpretes ſuper uerbo poteſtur alioqui nouo inuſitatoq; loquunt̄. Haud tamē præterijt me ucte-

me ueteres hoc quoq; protuliſſe,ſicut Pacuuium in Chryſe,ſicut etiam Lucretiũ, quemadmodũ & poteratur lectũ à Nonio Marcello: eſt in Cæcilianis annalibus. Sed & alter locus itidem uitio conſimili laborat,apud eundem poetam:

Sceptra Palatini,ſedemq; petiuit Euandri.

Cum in uolumine eodem non petiuit triſyllabũ, ſed petit diſſyllabum ſcriptũ inueniatur. Quod & metri uis cogit,alioqui prima ſyllaba Euandri,contra omnem uel rationẽ,uel conſuetudinẽ breuis foret. Eſt uerò in utroq; uerſu ſpõdeus quinta ſede. In uerbo autẽ Petit,ſyllaba ipſa poſterior, uel quia ſit in fine,uel quia coaluerit una ex duabus,iure producta eſt. Martianus autem Capella ſyllabam docet ubiq; eſſe cõmunem,quæ deſinit in t literam,ſicut in illo cernimus Vergilij,

Nam tibi Tymbre caput Euandrius abſtulit enſis.

De Philyra,& lemniſcatis coronis. CAP. LXXII.

PHilyra quid ſit,uideo neſciri à pleriſq;, peruerſeq; etiam à nõnullis interpretibus accipi. Nam uocabulo eo ſic utitur Horat. in 1. Carminũ,

Diſplicent nexæ philyra coronæ. Et Ouidius in 5. Faſtorum:

Ebrius incinctus philyra conuiua capillos Saltat.

Quo apparet uſum ipſius apud ueteres in coronamentis fuiſſe percelebrem. Iam primùm igitur ſi conferas, quæ ſuper philyra Theophraſtus in tertio de Plantis, quæ'ue item Plinius in decimoſexto Naturalis hiſt. narrant, facilè nimirũ cognoſces eandẽ apud nos eſſe tiliam, quę philyra ſit apud Græcos. Ac ſic etiam Theodorus Gaza quantumuis homo doctus & diligens interpretatur. Porrò autẽ tuniculæ etiam quædam ex libro ipſo tiliæ arboris, uel ad eius imitamentum factæ, quibus aut lemniſci fierent,id eſt,faſciolæ de coronis pendulæ, aut libelli, græco uocabulo peculiariter appellatæ philyræ. Teſtatur partem ex his eodem libro Plinius his uerſibus: Inter corticem & lignum tenues tunicas,multiplici mẽbrana,è quib. uincula tiliæ euocantur, tenuiſſimè earũ philyræ coronarũ lemniſcis celebres,antiquorũ honore. Rurſusq; idem libro primo atq; xx. de lemniſcis & philyris ita meminit: Craſſus diues primus argento auroq; folia imitatus ludis ſuis coronas dedit. Acceſſerũt quoq; et lemniſci,quos adijci ipſarũ coronarũ honos erat propter Hetruſcos,quibus iungi niſi aurei,nõ debebant. Puri diu fuere ij, cælare eos primus inſtituit P. Claudius Pulcher, bracteasq; etiã philyræ dedit. Porrò lemniſcatas coronas,etiã (ni fallor) in nomiſmatis Laurẽtij Medicis identidem uidemus: deq; his mentio quoq; apud Suetoniũ,ſicuti idem à Põpeio Feſto lemniſcorum uocabulũ diligenter exponitur,deq; lemniſcis itidẽ nõnihil Tertullianus quoq; in libro de Corona militis: Nicas autem in cõmentario quem per ordinem literarũ compoſuit,græcè ille quidẽ,ſed in hunc fermè intellectũ philyram interpretatur: Philyra,inquit,planta librũ papyro ſimilem habens,ex quo etiam funes cõplicant. Eſſe aũt ductilẽ philyrã lanicij modo,uel netilem potius innuit & Tertullianus idem in libello eo,qui de Pallio inſcribiť. Quin Herodianus etiam græcus autor,olim à nobis in latinũ conuerſus, & Innocentio octauo pontifici maximo dedicatus,libro ipſo hiſtoriæ primo, mentionẽ libelli facit è philyra tenuiſſima,utroq; uerſum replicabili. Sed & Capella Martianus libro de Philologiæ nuptijs ſecũdo: Cernere erat,inquit, qui libri, quantaq; uolumina, quot linguarum opera ex ore uirginis defluebant. Alia ex papyro,quæ cedro perlita fuerãt,uidebantur. Alij carbaſinis uoluminib. implicati libri, ex ouillis multi quoq; tergoribus. Rari uerò in philyræ cortice ſubnotati. Tũ iſta q̃q; Vlpiani uerba reperias in titulo Digeſtorũ, de legatis & fideicõmiſſis: Librorũ appellatione continentur omnia uolumina,ſiue in charta,ſiue in mẽbrana ſint,ſiue in qualibet alia materia.

Sed & ſi in philyra, aut tilia, ut nõnulli cõficiunt, aut in alio cotio: idem enim erit dicendum. Deniq; etiam Euſtarhius in cõmentario ſecũdo Homericæ Odyſſeæ, facta prius de nauticis rudentibus mentiõe, corticem tiliæ dicit, quam græcè philyram nominat, plurimam in id genus funium ſuppeditare materiam. Receptum autem uidetur ex eo uti coria quoq; ſingula, uel runicas, aut membraunlas etiam materiæ diſparis à tilia, philyras uocent, aut philuras, y græca in u cõmutata, ueteri & peruulgata Latinorum conſuetudine. Sicuti de papyro agens Plinius libro 13. Præparãtur ex eo, inquit, chartæ diuiſæ acu in prętenues, ſed quàm latiſſimas philuras. Nam illud utiq; ad hæc enarranda neutiq; pertineat, quod idem air Plinius lib. 14. Philyra cocos & polline nimium ſalem cibis eximere.

Vocabulum quod eſt expernata, Catullianis uideri exemplaribus reponendum, CAP. LXXIII.

QVod nunc traditurí ſumus fortaſſe à nonnullis, ut incertũ & uacillans, parumq; adhuc exploratũ deridebitur, & exſibilabitur: ſed ego mihi de eo dicendum putaui, ne ueſtigium iſtud antiquitatis penè iam abolitum, qualecunq; ſit, extingueretur. Oſtẽdit mihi Romæ abhinc quadriennium Manilius Rallus, græcus homo, ſed Latinis literis apprimè excultus, fragmentũ quoddã Sexti Pompeij Feſti (nam ita erat in titulo) ſanè q; uetuſtum, ſed pleraq; mutilatũ, prærosumq; à muribus. Quod me magnopere renuit, ſiquidem reliquiæ illæ qualeſcunq; ex integro ipſo uolumine ſuperabant, quod autor Feſtus compoſuerar, non ex hoc autem cõpendiario, quod nunc in manibus coactum uiolenter, & decurtatũ, ſcilicet ab ignobili et indocto quodã, nec iſto quoq; nomine ſatis bene de literis merito. Nonnullas quoq; ex eodem fragmẽto, Pomponius Lætus, uir antiquitatis, & literarum bonarũ conſultiſſimus ſibi pagellas retinuerat, quas itidem legendas mihi, deſcribendasq; dedit. Ex lectiõe igitur ea ſuſpicatus utiq; ſum, uerbum me Catullianum quaſi poſtliminio in ſuas ſedes reuocaturũ. Siquidem ubi exponitur in hoc compendiario uocabulũ Suppernati, quod eos ſignificare oſtendit, quibus ſemina ſunt ſucciſa in modum ſuillarũ pernarum, atq; ex Ennio uerſus allegatur:

His pernas ſuccidit iniqua ſuperbią Pœni.

Hoc utiq; loco uetus codex circunroſam planè habet expoſitionem, ſed ita tamen, ut appareat ex reliquijs literarũ malè cohærentibus, Catullũ quoq; poſt Ennium adduci, citariq; eum uerſiculũ, qui nunc mendoſè ſic legitur:

In foſſa Liguri iacet ſeparata ſecuri.

Nam ut de carminis reſiduo nihil mihi arrogem temerè, uidebar ſanè tum ſyllabatim quoq; olfactans, etiam pro explorato afferre poſſe, expernata legendum in eo, non ſeparata, quantum ex paucis illis poteram ueluti minutalibus, aut ramentis colligere, quantumq; etiam uel ex obliteratis penè iam ueſtigijs ariolari. Quòd ſi cui pendêre adhuc ueri fides uidet̃, at pẽdeat equidẽ malo, q; aut cadat, aut iaceat. Nos aliquod in eo certè, nec arbitror iniuria, ponimus firmamentum.

Hiſtoria non illepida ſuper Zeuſi pictore, & Helena. CAP. LXXIIII.

ZEuſis ille pictor Heracleotes apprimè nobilis etiam Helenæ pinxit imaginẽ Crotoniatibus nimis quàm laudatam, de qua Cicero in Rhetoricis contra Hermagoram luculentiſſimè ſcripſit. Sed quod obiter in Heliani libris omnifariæ hiſtorię ſuperioribus annis apud Ioannem Laurentiũ Venetum, magnæ quidem in pontificia curia autoritatis, nec minoris tamen in literis eruditionis, ſed & emunctæ naris hominẽ Romæ legimus, id nobis neutiq; indignum uiſum, quod hic etiam legeretur. Neminem ait ſpectarum

Zeuſis

Zeuſis admittebat, niſi qui manuprecium dediſſet. Ex quo uulgò etiam tunc Helena meretrix uocitata, quoniam quæſtuaria.

Emendata uox in Ibide, ſimul explicata ſententia neutiquam nota hactenus. CAP. LXXV.

ENarrauit Domitius libellum Naſonis in Ibin, pręfatus ex Apollodoro ſe, Lycophrone, Pauſania, Strabone, Apollonio, alijſq; Græcis, etiãq; Latinis accepta ſcribere. Multa in eo cõmentario uana, ridiculaq; confingit, & cõminiſcitur ex tempore, cõmodoq; ſuo, quibus fidem facit, aut ſe frontem penitus amiſiſſe, aut tam magnum ſibi fuiſſe interuallũ inter frontem & linguam (ſicut ait quidam) ut frons comprimere linguam non potuerit. Furor eſt, adhuc aliquos tam cæcos iſtius hominis inueniri amatores, ut ad iſta nondum ſuos qualeſcunq; oculos adaperiant. Furor eſt profectò, furor dare occaſionem impudentię cęteris fouendo errores etiam alicuius, quoniam fuerit interdum ſententiæ non pœnitendæ. Sed quid iſtis facias literationis, non literaturæ magiſtris, qui nullo magis, q̃ talibus nugis ſupercilia tollunt, ut cochleæ cornua, quorumq; plumbea prorſus ingenia, q̃ magis excoluntur, tam magis obbruteſcunt? At enim ne penitus ludamus operam, diſſimulatis his, quos ſua facit uilitas cõtemnendos, exequemur reliqua propoſiti. Mihi igitur ille unus locus inter cæteros mouere ſtomachum ſolet, qui ſic mendoſè nunc legitur:

Vtq; loquax in equo eſt eliſus gutture Agenor,
  Sic tibi claudatur pollice uocis iter.

Vbi ſic ait Domitius: Agenor lapſu equi inſerta ori manu extinctus eſt. Ita'ne tandẽ uir doctiſſime? Sed oro te, mi Domiti, græcũ profer, ſi potes, aut latinum, modò idoneum, fabulæ iſtius autorem, nec recuſabo iam, quin me, non dixerim gregales, aut admiratores tui, ſed uiri quoq; literati, quibus hic labor exſudat, pro indoctiſſimo iam, proq; etiam impudentiſſimo damnent, & quidem cunctis ſuffragijs, quoniam à te diſſentiam. Mihi ſanè recta eſſe, & emẽdata ſcriptura uidetur, ſi rationi libera coniectura ſit, non Agenor, ſed Acerno, ut de Anticlo dictũ accipiamus. De quo eſt etiam apud Homerum libro 4. Odyſſeæ: Nam cùm ad equum illũ Troianũ, trabibus contextũ, grauidumq; militibus impulſu numinis acceſſiſſet Helena, uoces imitari uxorum cuiuſq; occepit, ut inibi deliteſcentium deſideria euocaret, refricaret memoriã, reſponſa tentaret elicere. Sed eñ reliquis patientiã, ſilentiumq; præſtantibus, cùm ſolus Anticlus in reſpondendi lubrico, articuloq; iam foret, ſtatim eſt ab Vlyſſe præuentus, & manib. impreſſis ſuffocatus. Itaq; intercepto, uel interſtructo potius indicio periculũ depulſum. Cęterùm Tryphiliodorus quoq; gręcus autor in poemate, quo de Ilio capto ſcribit, Anticlũ hunc Ortygiden appellat, uxoremq; eius nominat Laodamiam, ita inquiens:

ὀρτυγίδης δ' ἄντικλος ὃν αὐτόθι τεθνειῶτα
ἵππῳ δακρύσαντες ἐνεκτερέιξαν ἀχαιοί. Et item alibi ſic:
ἄντικλος δ' ὅτε κέντρον ἐδέξατο λαοδαμείης
μῦθος ἀμοιβαίην ἀνεβάλλετο γῆρυν ἀνοίξας,
ἀλλ' ὀδυσσεὺς κατέπαλτο.

Et alia deinceps addit, per quæ fabula omnis ſimiliter ab Homero uerſib. permultis explicatur. Sed & nos in Ambra ſic attigimus:

Indicijq; metu præcluſum pollice fauces
Anticlon Ortygiden.

Conſimilia uerò iſtis apud Domitium multa, quæ faciſſè arguant, quò fuerit illius proceſſura licentia, præſertim ſic inuitata fauoribus imperitorũ, niſi morari apud ſuperos adhuc quidem iuuenis deſiſſet.

Non

Non Antilochum ab Hectore, ſed aliter uideri legendum in prima Heroidum. CAP. LXXVI.

IN prima Heroidum Naſonis epiſtola ſic legitur:

Siue quis Antilochum narrabat ab Hectore uictum.

Sed uictũ, necatumq́; ab Hectore Antilochũ profectò neutiquam reperietur. Quare aut Amphimachũ crediderim legendũ: aut nõ ab Hectore, ſed Memnone. Cõſtat enim ex 13. Homeri Rhapſodia, occiſum ab Hectore Amphimachum Cteati filium, qui de Græcis ducibus unus etiam in catalogo numeratur. Conſtat item interfectũ à Memnone filium Neſtoris Antilochũ, Quamobrẽ ut in eo quod obtinuerat hactenus mendum, deprehenditur manifeſtarium, ſic his à nobis ita pro tempore ſuffectis, quæ lector uelim boni conſulas: aliqua, ni fallor, gratia ſi non ueritatis, at certè ueriſimilitudinis aſſentatur.

Quo argumento dicendũ Vergilius, non Virgilius. CAP. LXXVII.

VErgilius dicendum'ne ſit, an Virgilius, ut nunc uulgò loquuntur, hoc eſt, cum uocali ſecũda, an cum tertia potius in prima ſyllaba, uideo adhuc inter eruditos ambigi. Cæterùm ut ego Vergiliũ dicam magis per e, quod iam placere quibuſdam per nos etiam doctis incipit, ꝙ Virgilium per i, quod uulgò nimis obtinuit, in cauſa ſunt u eterrima aliquot monumenta, noſtræ obſeruationi patrocinantia, quæ libens equidẽ ſubijciam propter protpudioſos neſcio quos, & æruginis plenos, odio omni, faſtidioq́; digniſſimos: qui quanꝗ ſemper elemẽtarij ſunt, uindicare tamẽ inter doctos fautores audent ſibi cenſuram literarũ. Sic ut iſtam quoq; qualemcũq; noſtrã uetuſtatis deprehendendæ ac reuocandæ (ſi liceat) diligentiã ſtudiumq́; non cauillentur modò, ſed & ita reprehendant acerbè, quaſi flagitiũ facere putent, ꝙ his otiũ oblectemus, uel (ut ipſi magis contemptim) quòd ob hæc otio noſtro inuideamus, dum in reb. adeò friuolis & leuibus operã ſumimus, quaſiq́; tempus, rem pretioſiſſimã, in ſuperuacua erogamus. Qui tamẽ ſi legiſſent aliquando maximos uiros de ſingulis quoq; literis integra uolumina cõpoſuiſſe, ac ne Cæſarẽ quidẽ ipſum ueritũ in hanc tenuitatẽ deſcendere, darẽt fortaſſe mihi ueniã, nõ occupatiſſimo homini, ſi quãdo inter altiora ſtudia, etiã res iſtiuſmodi tractarẽ, paruas quidẽ, ſed quib. etiã magna iuuent. Neq; enim reprehendi me iure puto, ſi hæc etiã, ſed hęc ſola conſecter, ad quæ nõ ut ab otio ad ſtudiũ, ſed ut à ſtudio ad otiũ me refero, & in quæ nõ tam feror ex profeſſo, ꝙ caſu incido, ceu ſi littoribus ex cõmodo inambulans, conchas interim colligã ſecurus. Neq; tñ in id ego ſuperciliũ ſubduco, nec inde me cẽſeri facilè pater'er, ut qui nõ Apinas modò hæc eſſe & trichas, ut in prouerbij ludicro eſt, uerũ etiã penè nihil, & noui & fateor. Sed tamen hoc ipſum tam nihil præſtat agere, ꝙ longas ad ipſorũ fortaſſe exemplum trahere oſcitationes, & grunnire in cœno turpiter, aut quàm omnino nihil agere, ne nihil prorſus agendo malè diſcamus agere. Reddenda igitur teſtimonia ſunt nobis, necubi fides claudicet, ac ne quid nõ in expedito ſit noſcere uolẽtibus. Inuenies igitur Volſinis mẽſam quampiam marmoream, uetuſtiſſimis, peneq́; exoletis characteribus intra ædem Chriſtianæ uirginis, quæ pro ara eſt apoſtoli Petri, ubi VERGILI legitur. Inuenies etiam Sutri nomen hoc Vergilius ita notatum in menſa item lapidea, qua uidelicet & ipſa intra ædem Virginis uice utuntur altaris. Idq́; nos utrinq; non ſine aliquot arbitris etiã de proximo inſpeximus. Neq; enim antiquarũ duntaxat inſpectionum auriti teſtes, ſed & oculati eſſe concupiuimus. Quin in Pandectis quoq; ijs, quæ nunc Florentiæ publicè aſſeruantur, libro ipſo Iuſtiniani principis archetypo, non aliter ꝙ per e, notatur id nomen. Sicuti etiam in uolumine Maroniano

literis maioribus perarato, qui Romę in intima Vaticana bibliotheca mirè uetus oſtenditur. Prætereaq; cõmentarium Tiberij Donati nunc in manib. habet Landinus homo & eloquens, & eruditus, & Florentiæ iam diu doctor bonarũ literarum celebrariſſimus, cui ſe præceptori adoleſcentiæ meæ rudimẽta magnopere debẽt, & qui nunc in profeſſiõe quaſi dixerim collega, locata iam in tuto ſua ſibi fama, nobis adhuc in ſtadio laborioſiſſimè decertantib. ita fauet, ut quicquid ipſi laudis acquirimus, quaſi ſuũ ſibi amplecti atq; agnoſcere uideat. Is igitur (ut diximus) cõmentarium Tiberij Donati habet in manibus, & ipſum grandiorib. notatum uetuſtis characteribus, cuius autoritas, hoc haud dubiũ reliquerit. Quod itẽ in codice diui Aug. de Ciuitate Dei, ex publica Medicę familię bibliotheca, necq; non in Columellæ ex priuata eiuſdẽ gentis, literis utroq; Langobardis exarato. Tum in Senecæ epiſtolarũ libro peruetere, cuius mihi copiam fecit Nicolaus Micheločtius Laurẽtij Medicis à ſecretis, elegãtis homo ingenij, multisq; item alijs uenerandis antiquitate uoluminibus, identidẽ nunc Iacobo Modeſto Pratenſi familiari noſtro, & ſtudiorũ adiutori, nunc alijs item noſtris, utcũq; aut res ferat, aut exigat, oſtendimus. In collectaneis aũt, quæ nuperrimè ad Laurẽtium Medicem Iucundus miſit, uir unus, opinor, titulorũ monimentorũq; ueterũ ſupra mortales cæteros nõ diligẽtiſſimus ſolũ, ſed etiã ſine cõtrouerſia peritiſſimus, relata quoq; inuenio elogia duo, quæ Romæ (ſicut ille indicat) in marmoribus inueniunt: T I. VERGILIVS DONATVS. Et iterũ: C. PAPIRIVS CESTVS VERGILIAE OPTIMAE VXORI SVAE BENE MERENTI DE SE. Quamuis aũt monimenta iſta tanta ſeculorũ uetuſtate roborata, mihi ſatis ad pręſidiũ ſint, attamẽ res ipſa quoq; aſtipulatur, & ratio. Nam ſicuti à uere dictæ uergiliæ ſtellæ, ſic à uergilijs ipſis, uel item à uere potiſſimũ hoc nomẽ crediderim inclinatũ potius hercle, q̃ à uirga, quod quidã nugantur, laurea. Nam id cum apud autorẽ minus idoneũ inueniat, tum refellitur hoc ipſo, q multi ante hunc editũ poetã, eodẽ ſunt appellari nomine. Quàm diu igitur aut nõ teſtimoniũ grauius, aut nõ ratio ualẽtior exhibetur, utiq; à uetuſta magis cõſuetudine, q̃ à noua inſcitia ſtandũ eſt, unde hęc ſartago loquẽdi uenerit in linguas. Etenim magna pars iuniorũ caligamus ad ueri conſpectũ. Quin ut reliqua exequar, Verginius quoq; nomen huic finitimum, non Virginius in marmoreo nuper labro pro æde ipſa diuæ Mariæ Maioris inſculptum Romæ animaduertimus.

Additam falſò negationem primo Digeſtorum uolumine, quo capite de officio proconſulis agitur, & legati. CAP. LXXVIII.

PAulus iuriſconſultus libro ſecundo ad edictũ ita ſcribit: Legatus mandata ſibi iuriſditione iudicis dandi ius habet. Sed hæc uerba in primo Digeſtorum uolumine, quo capite de officio procõſulis & legati tractatur, addita perperàm negatiõe in pleriſq; codicibus inuenias, ſic uidelicet legatus mandata ſibi iuriſditione iudicis dandi ius non habet. Cęterùm in Pandectis iſtis Florentinis, quas etiam archetypas opinamur, negatio prorſus eſt nulla. Quo fit, ut interpres legum Florentinus Accurſius, mendoſum & ipſe nactus codicem, penè dixerim miſerabiliter ſe torqueat.

Cur Lyſimachi regis facies in nomiſmatis cornigera. CAP. LXXIX.

LYſimachi regis facies in nomiſmatis cornigera. Cauſa eius apud Appianum in Syriacis. Namq; ait ab eo ferum taurũ de ſacrificio Alexandri Magni uinculis elapſum retentum manibus ambabus, et occiſum. Atque ob id inquit, προστιθέασιν αὐτοῦ τοῖς ἀνδριάσιν ἐπὶ τῷδε τὰ κέρατα. Quod ſignificat, ob id eius ſtatuis deniq; apponi cornua.

Fabula

Fabula ignotior de Tireſia & Pallade, qua ſenſus aperitur Propertianus. CAP. LXXX.

PRopertius in libro Elegiarum quarto ſic ait:
Magnam Tireſias aſpexit Pallada uates,
Fortia dum poſita Gorgone membra lauat.

Extat adhuc hymnus Callimachi poetæ, cui titulus, εἰς λουτρὰ τῆς παλλάδος. In quo fabula Tireſiæ multis elegiacis uerſibus in hanc fermè ſententiā tractatur. fuiſſe Nympham quampiam Thebis, cui nomen Chariclò, Palladi præ cæteris gratam, matrē Tireſiæ. Sed quū ſe Pallas aliquando & Chariclò item in Heliconio Hippocrene nudæ per æſtū lauarent, ac tum caſu uenator Tireſias ad eundem fontem ſitiens acceſſiſſet, Mineruā ſcilicet imprudens nudam conſpicatus, ſtatimq; oculis eſt captus. Nam ita Saturnijs legibus cautum, inquit, ut qui deum inuitum cernat, ingenti mercede cernat. Cui ſimile quippiam de dearum conſpectu etiam Abammon Aegyptius in epiſtola ſcribit ad Porphyrium philoſophū, quā tamen exiſtimat Proclus Iamblichi potius eſſe, q̃ Abammonis: ex quo Vergilius: Transq; caput iace, ne reſpexeris. Quod & Leucothea Homerica monuit Vlyſſem. Sed ut illuc, unde abij, redeam: Cùm in hanc Tireſias calamitatem incidiſſet, mota lacrymis Chariclûs nymphæ Pallas, & uatem eum, & longæuum, & poſt obitum quoq; prudentem, ſapientemq; præſtitit, & baculo inſuper donauit, quo ueluti duce, ueſtigijs inoffenſis graderetꝰ. Quod & nos in Ambra ſic attigimus, quum de poeta loqueremur Homero:

—Baculum dat deinde potentem
Tireſiæ magni, qui quondam Pallada nudam
Vidit, & hoc raptam penſauit munere lucem,
Suetus inoffenſos baculo duce tendere greſſus.

Et item ſic in Nutrice Tireſiam periphraſticôs inſinuauimus:
Quid cui poſt uiſos nudatæ Palladis artus
Cernere nil licitum?

Quin hinc apud Nonnū lib. 5. Dionyſiacôn, ita exclamās inducitur Actæon, ut felicem Tireſiam dicat, qui citra mortem tantum amiſſis oculis Mineruā aſpexerit nudā, quæ etiā lumen ademptū in animū ipſius trāſtulerit. Atq; adeò ſic ait:
ὄλβιε τειρεσία, σὺ μὲν ἔδρακες ἐκτὸς ὀλέθρου
γυμνὸν ἀναινομένης οὐκ ἄγριον εἶδος ἀθήνης. Et paulo pòſt:
ζώεις σῶν βλεφάρων ὀλέσας φάος, ὑμετέρων δὲ
ὀφθαλμῶν ἀμάρυγμα νόον μετέθηκεν ἀθήνη.

Hactenus autem ſuper hoc poetæ loco ſcripſeramus, cum nobis Picus noſter Mirandula, quaſi Cynthius alter in illo ipſo, quo iam hæc imprimenda fuerant articulo, aurem uellit, & admonuit, ut elegiam quoq; ipſam Callimachi, quę uidelicet una extat apud Græcos (quantum equidem ſciam) ſed & rariſſima eſt inuentu, ſubijceremus: & quanquam ſpacijs excluſi temporis, uertere eam quoq; tamē in latinum tentaremus. Ego uerò, qui nec ſcribere alieno ſtomacho libenter ſoleo, nec extemporalitati ſatis confido, non diſtuli tamen id onus quoquo modo ſubire. Quoniā cū quid à me Picus exigit, nec licet mihi neſcire quod neſciā, nec non poſſe quod nequeam: uel quòd homini me chariſſimū ſentio, uel quòd plus eum uidere in rebus meis, q̃ meipſum, mihi perſuadeo. Vertimus igitur penè ad uerbum, & quod græcè dicitur ἀμπίδα, nō ſenſu modò, ſed numeris etiā, quod eſt difficilimum, coloribusq; ſeruatis. Tantumq; nunc admonemus lectorē, paucula uideri mihi adhuc mendoſa in græcis exemplaribus, quæ non erat pudoris noſtri

noſtri corrigere, & ſeptimum ipſum à fine uerſiculum reliquo uno duntaxat uocabulo exoleuiſſe, quem nos tamen latinum pro cõiectura ſuffecimus. Illud item ſcito eſt opus, noſtrum hoc eſſe interpretamẽtum, & à nobis deniq; fluxiſſe prius q̃ in ullius cõmentarijs ebulliret, quod & Syluæ per ſe ipſæ, quas citauimus, tot abhinc annos editæ probabunt, quarum uidelicet alterã magno ſumus olim conuentu publicè multis excipientibus interpretati. Sit ergo noſtri iuris, quod noſtri fuit muneris, ne quarta omnino luna (ſicuti prouerbium fertur) nati credamur, ut alijs tantummodo ad Herculis exemplum laboremus. Iam illud quoq; miror, cur & Domitius, & alij quidam poſt illum, quocunq; momento, quacunq; occaſiõe ſcribere audeant, hoc aut illud imitatione Callimachi dictum fuiſſe à Propertio, cum præter hymnos pauculos nihil prorſus extet ad nos poetæ iſtius, nec autem planè quicquam quod amoris argumenta cõtineat. Sed aures ad Callimachi iam uerſiculos ſubſcriptos ueteri more ſine ullis accentiunculis arrigamus.

Καλλιμαχου εις λουτρα της παλλαδος.

Οσσαι λωτροχοοι τας παλλαδος εξιτε πασαι,
εξιτε. ταν ιππων αρτι φρυασσομεναν
ταν ιεραν εσακουσα. και α θεος ευτυκος ερπειν.
σουσθε νυν ω ξανθαι, σουσθε πελασγιαδες.
ου ποκ αθαναια μεγαλως απενιψατο παχεις,
πριν κονιν ιππειαν εξελασαι λαγονων.
ουδ οκα δη λυθρω πεπαλαγμενα παντα φεροισα
τευχεα των αδικων ηλθ απο γηγενεων.
αλλα πολυ πρατιστον υφ αρματος αυχενας ιππων
λυσαμενα παγαις εκλυσεν ωκεανω,
ιδρω και ραθαμιγγας, εφοιβασεν δε παγεντα
παντα χαλινοφαγων αφρον απο στοματων
ω ιτ αχαιιαδες. και μη μυρα, μηδ αλαβαστρως
συριγγων αιω φθογγον υπαξονιων.
μη μυρα λωτροχοοι ται παλλαδι μηδ αλαβαστρως
ου γαρ αθαναια χριματα μικτα φιλει.
οισετε μηδε κατοπτρον. αει καλον ομμα το τηνας.
ουδ οκα ταν ιδαν φρυξ εδικαζεν εριν,
ουδ ες ορειχαλκον μεγαλα θεος, ουδε σιμουντος
εβλεψεν διναν ες διαφαινομεναν.
ουδ ηρη. κυπρις δε διαυγεα χαλκον ελοισα
πολλακι ταν αυταν δις μετεθηκε κομαν.
α δε, δις εξηκοντα διαθρεξασα διαυλως.
οια παρ ευρωτα τοι λακεδαιμονιοι
αστερες, εμπεραμως ετριψατο λιτα λαβοισα
χριματα τας ιδιας εκγονα φυταλιας.
ω κωραι, το δ ερευθος ανεδραμε πρωιον, οιαν
η ροδον η σιβδας κοκκος εχει χροιαν.
τω και νυν αρσεν τι κομισσατε μωνον ελαιον,
ω καστωρ ω και χριεται ηρακλεης.
οισετε και κτενα οι παγχρυσεον, ως απο χαιταν
πεξηται, λιπαρον σμαξαμενα πλοκαμον.
εξιθ αθαναια παρα τοι καταθυμιος ιλα.
παρθενικαι μεγαλων παιδες ακεστοριδαν

αθανα. φερεται δε και α διομηδεος ασπις,
ως εθος αργειων τουτο παλαιοτερων
ευμηδης εδιδαξε τεϊν κεχαρισμενος ιρευς.
ος ποτε βωλευτον γνους επι οι θανατον
δαμον ετοιμαζοντα φυγας, τεον ιρον αγαλμα
ωιχετ εχων. κρειον δ' εις ορος ωκισατο
κρειον ορος. σε δε δαιμον απορρωγεσσιν εθηκεν
εν πετραις αις νυν ουνομα παλλατιδες
εξιθ αθαναια περσεπτολι χρυσεοπηληξ
ιππων και σακεων αδομενα παταγοι
σαμερον υδροφοροι μη βαπτετε. σαμερον αργος
πινετ απο κραναν μηδ απο των ποταμων
σαμερον αι δωλαι τας καλπιδας ες φυσαδειαν
η ες αμυμωνην οισετε ταν δαναω
και γαρ δη χρυσωι τε και ανθεσιν υδατα μιξας
ηξει φορβαιων ιναχος εξ ορεων
ταθανα το λοετρον αγων καλον. αλλα πελασγε,
φραζεο μη ουκ εθελων ταν βασιλειαν ιδηις
ος κεν ιδηι γυμναν ταν παλλαδα ταν πολιουχον
τωργος εσοψειται τουτο πανυστατιον.
ποτνι αθαναια συ μεν εξιθι μεσφα δ' εγω τι
ταις δ' ερεω. μυθος δ' ουκ εμος αλλ ετερων.
παιδες, αθαναια νυμφαν μιαν εν ποκα θηβαις
πουλυ τι και περι δη φιλατο ταν εταραν
ματερα τειρεσιαο, και ουποκα χωρις εγεντο
αλλα και αρχαιων ευτ επι θεσπιεων
η πι κορωνειας η εις αλιαρτον ελαυνοι
ιππους βοιωτων εργα διερχομενα.
η πι κορωνειας ινα οι τεθυωμενον αλσος
και βωμοι ποταμωι κειντ επι κουραλιωι,
πολλακις α δαιμων μιν εωι επεβασατο διφρωι
ουδ οαροι νυμφαν ουδε χοροστασιαι
αδειαι τελεθεσκον οτ ουχ ηγειτο χαρικλω.
αλλ ετι και τηναν δακρυα πολλ εμενε,
καιπερ αθαναιαι καταθυμιον ευσαν εταιραν
δη ποτε γαρ πεπλων λυσαμενα περονας,
ιππω επι κρανα ελικωνιδι καλα ρεοισαι
λωντο. μεσαμβρινα δ' ειχ ορος ασυχια.
αμφοτεραι λωοντο. μεσαμβριναι δ' εσαν ωραι
πολλα δ' ασυχια τηνο κατειχεν ορος.
τειρεσιας δ' ετι μουνος αμαι κυσιν αρτι γενεια
περκαζων ιερον χωρον ανεστρεφετο.
διψασας δ' αφατον τι ποτι ροον ηλυθε κρανας
σχετλιος. ουκ εθελων δ' ειδε τα μη θεμιτες.
τον δε χολωσαμενα περ ομως προσεφασεν αθανα.
τις σε τον οφθαλμως ουκ ετ αποισομενον,
ω ευηρειδα, χαλεπαν οδον αγαγε δαιμων
α μεν εφα. παιδος δ' ομματα νυξ ελαβεν.

εστα δ' αφθογγος. εκολλασαν γαρ ανιαι
γωνατα, και φωναν εσχεν αμηχανια.
α νυμφα δ' εβοασε, τι μοι τον κωρον ερεξας
ποτνια. τοιαυται δαιμονες εστε φιλαι.
ομματα μοι τω παιδος αφειλεο. τεκνον αλαστε
ειδες αθαναιας στηθεα και λαγονας
αλλ' ουκ αελιον παλιν οψεαι ω εμε δειλαν
ω ορος, ω ελικων ουκ ετι μοι παριτε.
η μεγαλ' αντ' ολιγων επραξαο, δορκας ολεσσας
και προκας ου πολλας, φαεα παιδος εχεις,
α μεν επ' αμφοτεραισι φιλον περι παιδα λαβοισα
ματηρ μεν γοερων οιτον αηδονιδων
αγε βαρυ κλαιουσα θεα δ' ελεησεν εταιραν
και μιν αθαναια προς τοδ' ελεξεν επος
δια γυναι μετα παντα βαλευ παλιν οσσα δι' οργαν
ειπας. εγω δ' ου τοι τεκνον εθηκ' αλαον.
ου γαρ αθαναια γλυκερον πελει ομματα παιδων
αρπαζειν. κρονιοι δ' ωδε λεγοντι νομοι.
ος κε τιν' αθανατων οκα μη θεος εληται
αθρησει μισθω τουτον ιδειν μεγαλω
δια γυναι το μεν ου παλιναγρετον αυθι γενοιτο
εργον. επει μοιραν ωδ' επενησε λινα,
ηνικα το πρωτον νιν εγειναο. νυν δε κομιζευ
ω ευηρειδα τελθος οφειλομενον
οσσα μεν α καδμηις ες υστερον εμπυρα καυσει,
οσσα δ' αρισταιος τον μονον ευχομενοι
παιδα τον αβαταν ακταιωνα τυφλον ιδεσθαι,
και τηνος μεγαλας συνδρομος αρτεμιδος
εσσειται. αλλ' ουκ αυτον ο τε δρομος αι τ' εν ορεσσι
ρυσευνται ξυναι ταμος εκαβολιαι.
οπποταν ουκ εθελων περ ιδη χαριεντα λοετρα
δαιμονος. αλλ' αυται τον πριν ανακτα κυνες
τουτακι δειπνησευντι. τα δ' υιεος οστεα ματηρ
λεξειται δρυμως παντας επερχομενα
ολβισταν ερεει σε και ευαιωνα γενεσθαι
εξ ορεων αλαον παιδ' υποδεξαμεναν
ω εταρα τωι μη τι μινυρεο, τωι δε γαρ αλλα
τευ χαριν εξ εμεθεν πολλα μενευντι γερα
μαντιν επει θησω νιν αοιδιμον εσσομενοισιν
η μεγα των αλλων δη τι περισσοτερον.
γνωσειται δ' ορνιθας ος αισιος. οι τε πετονται
ηλιθα και ποιων ουκ αγαθαι πτερυγες.
πολλα δε βοιωτοισι θεοπροπα, πολλα δε καδμω
χρησει και μεγαλοις υστερα λαβδακιδαις.
δωσω και μεγα βακτρον, ο οι ποδας ες δεον αξει,
δωσω δε βιοτω τερμα πολυχρονιον
και μονος ευτε θανη πεπνυμενος εν νεκυεσσι
φοιτασει μεγαλω τιμιος αγεσιλα

ὡς φαμένα κατένευσε, τὸ δ᾽ ἐντελὲς ὠκ᾽ ἐπινεύσει
 παλλάς. ἐπεὶ μούνᾳ ζεὺς τόγε θυγατέρων
δῶκεν ἀθαναίᾳ, πατρώια πάντα φέρεσθαι
 λωτροχόοι. μάτηρ δ᾽ οὔτις ἔτικτε θεάν.
ἀλλὰ διὸς κορυφά, κορυφὰ διὸς οὐκ ἐπινεύει.
θυγάτηρ
ἔρχετ᾽ ἀθαναία νῦν ἀτρεκές, ἀλλὰ δέχεσθε
 τὰν θεὸν ὦ κῶραι τὦργον ὅσαις μέλεται,
σύν τ᾽ εὐαγορίᾳ, σύν τ᾽ εὔγμασι, σύν τ᾽ ὀλολυγαῖς,
 χαῖρε θεά, κάδευ ἄργεος ἰναχίω.
χαῖρε καὶ ἐξελάοισα, καὶ ἐς πάλιν αὖτις ἐλάσσαις
 ἵππως, καὶ δαναῶν κλᾶρον ἅπαντα σάω.

Iam noſtros quoq; legito, qui malè collocare bonas horas uolet, attamen cum uenia quæſo, & conniuentibus oculis.

POLITIANI EX CALLIMACHO IN PALLADIS LAVACRA.

Ite foras agedum, quæcunq; liquentibus undis
 Membra lauaturæ Pallados, ite foras.
Ipſa uenit, fremitus ſacrorum audimus equorum,
 Ite agedum flauæ, ò ite Pelaſgiades.
Non prius ingentes lauit ſibi diua lacertos,
 Ilia q; abſterſit puluere cornipedum.
Nec tum quando armis multa iam cæde cruentis
 Venit ab iniuſtis horrida terrigenis:
Tum quoq; equûm ſubducta iugis fumantia colla
 Perfudit largi fontibus Oceani,
Dum ſudor, guttæq; putres, dumq; omnis abiret
 Spuma oris circum manſa lupata rigens.
Ite ò Achiuæ, ſed non unguenta, aut alabaſtros,
 Audio certè ipſum ſtridulum ab axe ſonum,
Palladi lotrices non unguenta, aut alabaſtros,
 Nulla etenim diuæ huic unguina miſta placent.
Ferte nec huic ſpeculum, uultu eſt pulcherrima ſemper,
 Nam nec in Ida olim iudice ſub Phrygio,
Se uel orichalco, magna hæc dea, uel Simoentis
 Spectauit, quanq; uertice perſpicuo.
Nec Iuno, ſed ſola Venus, ſe ſplendido in ære
 Vidit, candem iterum diſpoſuitq; comam.
Bis ſexaginta ſpatijs uerùm incita curſu,
 Stellæ apud Eurotan ceu Lacedæmoniæ,
Perfricuit tantùm pingui ſe diua liquore,
 De baccis, arbor quem ſua protulerat.
O puerę emicuit rubor ilico, matutina
 Quem roſa, quem grano punica mala ferunt.
Ergo marem nunc tantum olei quoq; ferte liquorem,
 Quo ſe ungit Caſtor, quo Amphitryoniades.
Ferte etiam ſolido ex auro, quo pectine crines
 Explicet, & pinguem cæſariem dirimat.

Exi

Exi age iam ô Pallas,præſtò tibi uirgineus grex,
Natæ magnorum charus Aceſtoridum.
O Pallas,quin iam clypeus Diomedis & ipſe
Fertur,ut Argiuûm mos uetus obtinuit.
Eumedes docuit,meditans tibi grata ſacerdos,
Cùm in ſe compoſito cerneret interitu
Ire malam ſortem,fugit quippe ille,tuamq́
Ad montem Crion ſuſtulit effigiem.
Ad montem Crion,tum abruptis impoſuit te
Cautibus,hasq́ uocant nunc quoq́ Pallatidas.
Exi age, quę expugnas urbes,cuiq́ aurea cordi
Caſſis,equumq́ fremor,cum ſonitu clypeûm.
Vos hodie undiferæ ne tinguite,uos hodie Argos
Fontibus ex ipſis,non fluuijs bibite.
Vos hodie ancillæ ferte urnas ad Phyſadeam,
Aut ad Amymonen progeniem Danai.
Namq́ auro,& multis permiſtus floribus undas
Defluet è lætis Inachus ipſe iugis,
Et purum feret huic laticem.caue tu ergo Pelaſge,
Ne nudam imprudens aſpicias dominam.
Aſpiciet nudam qui Pallada,quæ tenet urbem,
Vltra iam hoc Argos cernere non poterit.
Iam ueneranda exi Pallas,dum quiddam ego iſtis
Dicam,nec meus hic ſermo,ſed alterius.
Vnam olim ô pueræ Thebis dea Pallas amabat
Nympham,præ cunctis quas habuit comites,
Matrem Tireſiæ,nunquamq́ fuere ſeorſum:
Sed ſiue ad ueterum mœnia Theſpiadûm,
Siue Coroneas,ſeu tenderet illa Haliarton
Bœotum uiſens uecta iugis populos,
Siue Coroneas,ubi pulcher odoribus halat
Lucus,ubi ara ipſi Curalium ad fluuium.
Sæpe illam curru ſecum dea uexit eodem,
Nullaq́ nympharum colloquia,aut thyaſi
Grata fuere ſatis,niſi præforet ipſa Chariclô.
Verùm & ei multæ debitæ erant lachrymæ,
Quamuis chara comes magnę foret uſq́ Mineruæ.
Nam ſe olim peplis utraq́ depoſitis
Dum lauat in lymphis Heliconidos Hippocrenes,
Vtq́ die uacuus mons tacet in medio.
Dum lauat ergo utraq́,& mediæ ſunt tempora lucis,
Dumq́ eſt in toto plurima monte quies,
Tireſias unus canibus comitantibus ibat
Per loca ſacra,leui flore genas nitidus,
Immenſamq́ ſitim cupiens releuare,petito
Fonte,uidet quæ non cernere fas homini.
Hic irata licet ſic illum affata Minerua eſt,
Quis te non ullis iam rediturum oculis,

O Euerida malus hæc deus in loca duxit?
Sic ait: at pueri lumina nox pepulit.
Aſtitit, obticuit, dolor illi ut glutine uinxit
Genua, ſonum tenuit uocis inops animus.
At nympha exclamans, quid nato, ait, ô dea factum eſt?
Nunquid ueſtra deæ talis amicitia?
Lumina mi pueri rapuiſti, pectora nate
Vidiſti infelix Pallados, iliacꝗ.
At non & ſolem cernes iterum heu miſera, ô mons,
O Helicon rurſum non peragrande mihi.
Magna nimis paruis mutas, qui lumina nati
Pro ceruis paucis, dorcadibusꝗ habeas.
Sic puerum ambobus charum complexa lacertis
Mater flebilium carmen Aedonidon
Triſte gemens iterat. ſed enim miſerata Mineruа
Tunc ſociam uerbis talibus alloquitur:
Dia, inquit, mulier, uerte hæc, quæ protulit ira,
Non per me captus luminibus puer eſt.
Nam pueris auferre oculos, haud dulce Mineruæ,
Verùm Saturni legibus hæc rata ſunt,
Vt quicunꝗ deum aſpiciat, niſi iuſſerit ipſe,
Mercede ingenti ſcilicet aſpiciat.
Dia igitur mulier fieri hæc infecta nequit res,
Quippe ita Parcarum fila uoluta manu,
Editus ut primùm puer eſt, ſed tu accipe contrà
O Euerida quod maneat precium.
Munera Cadmeis pro quanta adolebit in ignes,
Quanta & Ariſtæus, uotaꝗ ſuſcipient,
Natus ut impubes Actæon, unicus illis
Tantum oculis careat: namꝗ erit & Triuiæ
Concurſor, ſed non curſus, non æmulus illum
Tela arcus iaciens montibus eripiet,
Cùm diuam (licet inuitus) ſe fonte lauantem
Viderit: at fiet, qui modò erat dominus,
Eſca ſuis canibus. Sed enim nemora omnia luſtrans
Dum genitrix nati colliget oſſa ſui,
Tunc te felicem, tunc dixerit eſſe beatam,
Cui mons uel cæcum reddiderit puerum.
Parce queri mea grata comes: nam plurima contrà
Huic ego te propter præmia contribuam:
Eſſe dabo egregium uatem, quem protinus omnis
Perpetuo celebret nomine poſteritas,
Cognoſcet uolucrum quæ proſpera, quæꝗ uolatu
Irrita, cuius item triſte ſit augurium.
Plurima Bœotijs oracula, plurima Cadmo
Hic canet, & magnis plurima Labdacidis.
Huic ingens baculum dabo, quod ueſtigia ducat
Quà uelit, huic uitæ tempora longa dabo.

Mox & honoratus Diti colet infera regna,
  Inter & extinctos unicus hic ſapiet.
Adnuit his Pallas dictis, quodq́ adnuit illa
  Perficitur, ſoli Iuppiter hoc tribuit
Natarum è turba, quæ ſint patris omnia ferre
  Loirices, mater nulla deam peperit,
Imò Iouis uertex, uertex Iouis omnia nutu
  Perficit, & natæ prorſus idem licitum eſt.
En uerè nunc Pallas adeſt. Eia ergo puellæ,
  Queis Argos curæ eſt, ite, deam accipite.
Cumq́ bonis uerbis, & cum prece, cumq́ ululatu,
  Salue ò diua, urbem protege, & Inachiam:
Sálue hinc abſcedens, iterumq́ huc flecte iugales,
  Ac rebus Danaûm ſis precor auxilio.

De Ocno, & Aſello, quodq́ apud Propertium mendoſè legitur orno. CAP. LXXXI.

APud Propertiū eundē 4. elegiarū libello, ita duo uerſiculi legūtur:
  Dignior obliquo funem qui torqueat orno,
    Aetern usq́ tuam paſcat aſelle famem.

Diu, fateor, animū meum ſtimulauerat, ac pupugerat quidā quaſi ſcrupulus, donec eum codex uetuſtus euellit, quem mihi Bernardinus Valla celeber iurecōſultus, & primæ homo nobilitatis Romæ abhinc fermè quinquenniū commodauit, ubi nō orno, ſed ocno legi, legiſſeq́ me ſtatim duobus eruditiſſimis iuuenibus oſtendi, qui me domi cōmodum ſalutauerāt. Liquet aūt inſinuari à Propertio Socraticæ illius picturæ argumentū, de qua ſic Plinius lib. Nat. hiſt. quinto & trigeſimo narrat: Et piger, inquit, qui appellatur ocnos ſpartū torquens, quod aſellus arrodit. At em̄ piger hic Ocnus (ut uideo) multorū inuitamētis uagus repentè factus, & deſultor, cottidie iam ſedes mutat. Quapropter ut certo in ſiliquaſtro conquieſcat aliquando, petenda fides eſt ab eo maximè codice, quem citauimus, hoc eſt (ut uerè dixerim) à ſtirpe, de qua iſtius cōiecturæ pullulauit occaſio. Sic enim quiuis intelliget, neutiq́ me mihi aſſerere aliena, ſed mea duntaxat, inq́ meis libris nil prius eſſe fide.

Quòd in Digeſtis titulo de edendo legatur Ad alium, legi Ad album conuenire. CAP. LXXXII.

IN titulo de edendo, qui ſecundo Digeſtorum uolumine legitur, uerba Vlpiani ſunt ita libro quarto ad edictum. Eum quoq́ edere Labeo ait, qui producat aduerſarium ſuum ad album, & demonſtret quid dictaturus eſt. Sic etenim ſcriptum in Pandectis ipſis Florentinis. Atqui codices omnes, qui ſunt in manibus, non ad album, ſed ad alium habent. Vnde multa uidelicet Accurſii hæſitatio. De albo autem prætoris intelliges.

De Harpocrate. CAP. LXXXIII.

EPigramma eſt Catulli:
Lælius audierat patruum obiurgare ſolere,
  Si quis delicias diceret, aut faceret.
Hoc ne ipſi accideret, patrui perdeſpuit ipſam
  Vxorem, & patruum reddidit Harpocratem.
Quod uoluit fecit: nam quamuis irrumet ipſum
  Nunc patruum, uerbum non faciet patruus.

Quæſitum diu qui nam is foret Harpocrates, de quo mentionem & hoc loco faciat Catullus, & item in altero epigrammate, ſic inquiens:

Si quidquam tacito commiſſum eſt fido ab amico,
 Cuius ſit penitus nota fides animi:
Me unum eſſe inuenies illorum iure ſacratum
 Corneli, & factum me eſſe puta Harpocratem.

Nos tamen & Venetijs, & itē Veronæ (quod diximus) abhinc annos octo fermè de eo ſtudioſis aliquot publicè reſponſitauimus, quorum nunc teſtor fidem, conſcientiamq́;, ſicui fortè aliena adſcribere, ac non mea potius mihi uideor uindicare. Plutarchus igitur in libro, quem de Iſide fecit, & Oſiride, Harpocratem ſcribit ex Iſide ipſa natum, et Oſiride, qui cum illa iam mortuus rem habuerit, ſed natum tamen præmaturo partu, debilitatisq́; cruribus. Porrò editum eundem circa brumæ tempus minus abſolutum, & rudem, præflorentibus puta, præuirētibusq́; terræ fœtibus, quocirca etiā lentis primitias illi offerri. Neq́; tamē, inquit, aut imperfectū eſſe deum, aut infantem, aut deniq́; legumen aliquod exiſtimandum, ſed rudis imperfectiq́; ſermonis, minimeq́; articulati præſidem quendam potius, ac moderatorem. Ex quo etiam digito labra cōprimit, argumētum taciturnitatis & ſilentij. Quin menſe eo, quem uocant Meſorem, primitias leguminū offerentes, ita dictitant: Lingua fortuna, lingua dæmon. Deq́; Aegyptiacis arboribus Perſicam in primis ei ſacratam ferunt, quòd fructus cordi, frons linguæ perſimilis. Hactenus ex Plutarcho de Harpocrate, carptim, uellicatimq́;, & per interualla. Meminit eiuſdem Lucilius quoq́; poeta in Epigrammate ad Dionyſium, monens ut ſi quem habeat inimicū, nec Iſin ei, nec Harpocratem, aut qui cæcos Deus faciat, iratos precetur, cogniturum quid deus, quid Simo ualeat. Sed & Tertullianus in Apologetico ſic ait: Serapidem, & Iſidem, & Harpocratem, cum ſuo cynocephalo capitolio prohibitos inferri, id eſt, curia deorum pulſos, Piſo & Gabinius conſules, non utiq́; Chriſtiani, euerſis etiam aris eorum abdicauerunt, turpiū & ocioſarum ſuperſtitionū uitia cohibentes: his uerò reſtitutis, ſummam maieſtatē contuliſtis. M. autem Varro in libro de Latina lingua ita ſcribit: Cœlū & terra, hi dei ijdem, qui Aegyptij Serapis, & Iſis, etſi Harpocrates digito ſignificat ut taceas. De hoc igitur intellexit Ouidius libro Metamorphoſ. 9.

Sanctaq́; Bubaſtis, uarijsq́; coloribus Apis,
Quiq́; premit uocem, digitoq́; ſilentia ſuadet.

Et idem Auguſtinus libro de Ciuitate Dei undeuigeſimo: Et quoniā, inquies, ferè in omnib. templis, ubi colebantur Iſis & Serapis, erat etiā ſimulachrū, quod digito labijs impreſſo admonere uideretur ut ſilentiū fieret: hoc ſignificare idem Varro exiſtimat, ut homines eos fuiſſe tacerēt. Hactenus Auguſtinus. Sed in epiſtola Abammonis Aegyptij ad Porphyriū, quā aut in græcam uertiſſe orationē, aut certè cōpoſuiſſe Platonicus Iamblichus exiſtimatur, de deo quodā ueluti ſecundo fit mentio, cui nomen Aegyptiaca lingua fecerit Icheon, hunc oſtendit ſilentio coli oportere. Quod idē etiā de ſummi dei cultu prolixè Porphyrius ἐν τῷ περὶ ζώων ἀποχῆς. Quin Dauid item propheta pſalmum ita quempiam inchoat:

לְךָ דוּמִיָּה תְהִלָּה אֱלֹהִים בְּצִיּוֹן
Lecha dumia theilla elohim bezion.

Id latinè ſignificat: Tibi ſilentium, laus, Deus in Sion. Quod aliter tamen interpretes ſeptuaginta uerterunt, hoc eſt: Te decet hymnus in Sion. Quare Harpocratē, puto, Aegyptij ſuis adhibebāt ſacris, qui ſilentio colendum oſtēderet ſummum deorum. Plinius quoque de Harpocrate in libro Naturalis hiſtoriæ xxxiij.

hactenus

hactenus meminit. Iam uerò etiam Harpocratem, ſtatuasq; Aegyptiorum numinum, in digitis uiri quoq; portare incipiunt. Vt ergo ad Catullianũ Læliũ redeamus, ſcitè ille quidem, ne obiurgaretur à patruo, poſthabita illius, quam comprimebat uxore, ipſum iam cœpit irrumare patruum, eoq; pacto tacere coegit, quoniam loqui fellator non poteſt.

De Libertinis, qui uocentur Dedititij. CAP. LXXXIIII.

INſtitutiones hæ, quę uocantur in iure ciuili, Iuſtiniani principis nomine editæ, ſed à Triboniano tamen, doctisq; alijs uiris compoſitę, etiam græcè ſcriptæ ſub eodem prorſus intellectu reperiũtur. Niſi quia ritus quidam, conſuetudinesq; Romanorũ ueteres, uberius aliquantò, & laxius in græco ipſo, q̃ in latino codice referuntur, ut peregrinis hominibus, atq; à Romanorum more, conſuetudineq; alienis, res tota penitus innoteſceret. Sed quod de libertinis ijs, qui dedititij uocabantur, ſtrictius breuiusq; in noſtris inſtitutionibus, non alienũ uiſum eſt ex Græci uoluminis ſententia prolixius hic, atq; ob id etiã dilucidius explicare. Qui igitur apud antiquos manumittebantur, modò maiorem & iuſtam libertatẽ conſequebantur, & fiebãt ciues Romani, modò minorem, & Latini Iuniani ex lege Iunij Norbani fiebant, qui illorum quaſi ſectæ fuerit inuentor, atq; autor. Modò etiam inferiorem, & fiebant ex lege Aelia Sentia dedititij. Nam ſi quiſquam diu ſeruitutem ſeruierat, ſupplicium ex delicto dediſſet, ut aut inſcriptus fuiſſet, hoc eſt, ut notas & ſtigmata inuſta fronti accepiſſet, aut in publicũ carcerẽ cõiectus, aut ex delicto uerberatus, & ſe deliquiſſe cõfeſſus fuiſſet, dein gratia inita à dño manumitteretur, Libertinus dedititius uocabat̃, ad exemplum uidelicet peregrinorũ dedititiorũ. Nam cũ aliquãdo peregrini quidã Romanorũ uectigales, elatis animis bellum repẽtè aduerſus eoſdẽ ſuſcepiſſent, tum uicti ui, abiectis armis, ſe uictorib. dediſſent, hactenus humanè tractati ſunt à Romanis, ut uitam quidẽ impetrarẽt, ſed hac uelut ignominia notarent̃, ut dedititij deinceps uocati ſint, quia ſe dediſſent. Quare etiam libertinorum hoc genus dedititij ſunt ab Aelio Sentio nuncupati, ut qui in admittendo crimine uelut ijdem fuiſſent, eodem quoq; nomine appellarentur.

Cuiuſmodi apud Iuuenalem Cereris ludi accipiantur: deq; Cerialiũ, autore Memmio. CAP. LXXXV.

IVuenalis in Satyra quartadecima ſic ait:

—Ergo omnia Floræ,
Et Cereris licet, & Cybeles aulea relinquas.

Nemo ex ijs poetæ huius interpretibus ſuper ludis Cereris quippiã locutus, non quo nomine appellarentur, non quæ fierent in eis, nõ item à quo primitus celebrati, nõ ubi de his facta mentio. Quæ ſingula tamẽ à boni doctiq; interpretis officio nõ abhorrebant. Quocirca totum id nobis ſarciendum, ne curæ iſtius noſtræ ſcrupuloſitas in paruulis etiam momentis deſideretur. Ludi igitur Cereris, quorum hic eſt memoria, Cerialia dicti, quibus equorum curſus in Circo celebrabantur, primusq; eos C. Memmius Aedilis curulis fecit. Cornelius Tacitus in lib. Hiſtoriarũ ſextodecimo, de Nerone principe loquens: Tandẽ, inquit, ſtatuere Circenſiũ ludorũ die, qui Cereri celebratur, exequi deſtinata, quia Cæſar rarus egreſſu, domoq;, aut hortis clauſus ad ludicra Circi uentitabat. Eſt paulò pòſt: Vtq; Circenſium Cerialium ludicrũ pluribus equitum curſib. celebraretur. Ouid. in 4. Faſt. Circus erit pompa celeber, numeroq; deorum,

Primaq; uentoſis palma petetur equis.
Hic Cereris ludi, non eſt opus indice cauſa.

Dion quoq; hiſtoriæ ſcriptor in libro ſecūdo & quadrageſimo narrat, potito iam rerū Cæſare, Aediles tum primū duos ex patricijs, quatuor ex plebe creatos. Sed duos illos ſuperiores à Cerere fuiſſe denominatos: idq; ab illo initio ſcribit ad ſuā uſq; ætatem permanere. Idemq; etiam Dion libro ſeptimo quadrageſimoq;, ante deuictum Brutū eueniſſe ait, ut Aediles plebei gladiatorū certamina pro equorum curſibus Cereri exhibuerint. Propterea Laurētius Medices, uir omni laude præcellens, nomiſmata compluria nobis oſtēdit, quæ faciem uiri barbatam & intonſam habebant, cum duplici titulo, Quirinus & C. Memmij. Altrinſecus autē Cereris imagunculam draconibus uehentem, cum titulo huiuſmodi: Memmius Aed. Curul. Cerialia preimus fecit. Vbi etiam preimus, non primus, eū diphthongo in prima ſyllaba notatum obſeruauimus. Hunc nos putamus autem C. ipſum Memmium fuiſſe, qui Prætor cum L. Domitio fuerit, quiq; Cęſari obiecerit etiam ad cyathum & uinum Nicomedi ſtetiſſe, cum reliquis exoletis, quiq; eundē Cæſarem aſperrimis orationibus lacerauerit, mox recōciliatus, etiam ſuffragatorem in petitione conſulatus habuerit. De quo ſic in epiſtola ad Atticum Cicero libro quarto: O uirum, ó ciuem Memmium. Cæſaris omnes opes confirmant, cum eo Domitium conſulem iunxerunt, qua pactione, epiſtolæ cōmittere non audeo. Ad eumq; puto, uel certè ad filium liber Poetæ Lucretij de Rerū natura ſcriptus. Siquidem & dignitas hominis, & tempora congruunt, niſi tamen arbitrari malumus filium potius eiuſdem C. Memmij, cognominem patri, Aedilem Curulem tum factum à Cæſare.

De fluctu decimo, ſeu decumano, cuius permulti poetæ meminerunt. CAP. LXXXVI.

OVidij poetæ uerſiculi ſunt in primo Triſt. uolumine:
Qui uenit hinc fluctus, fluctus ſupereminet omnes,
Poſterior nono eſt, undecimoq; prior.

Decumanū intelligit fluctū, qui fieri maximus dicit: ſicuti oua quoq; decumana dicunt, quæ maxima. Nam & ouum decimum maius naſcitur. Ex hoc ſcuta quoq; decumana, quæ eſſent ampliſſima, ſunt appellata. Et decumana in caſtris porta, ab hoſte auerſa. Sic utiq; decumanus in agro limes ab Oriente ad Occaſum, non mihi propterea uidet dictus, quoniā quaſi duocimanus, ut M. Iunius Nypſus opinatur: id em̄ nimis durū, & coactū, ſed quoniā longiſſimus. Nam cardo ipſe iam dimidiatus decumano ſcilicet anticipāte, cōſiderat. Sed de fluctu decimo, ſiue decumano, etiā in 11. Metamorph. poeta idem meminit his uerbis:
Vaſtius inſurgens decimæ ruit impetus undæ. Et Silius Italicus libro 13.
Non aliter Rhodopes Boreas à uertice præceps
Cum ſeſe immiſit, decimoq; uolumine pontum
Expulit in terras. Sed & Seneca in Tragœdia Agamemnone:
Hæc onere ſidit, illa conuulſum latus
Summittit undis, fluctus hanc decimus tegit.
Valerius etiam Flaccus Argonauticon ſecundo ſic ait:
— Quanta quoties & Palladis arte
Incaſſum decimæ cecidit tumor arduus undæ. Lucanus quoq; in 5. Pharſaliæ:
Hæc fatum decimus, dictu mirabile, fluctus
Inualida cum puppe leuat.

Vt uel hoc ipſum notabile ſit, atq; inſigne, tantopere decimum iſtum fluctum uelut à conſpirante poetarum choro celebrari.

Quod

Quod erat in Ciceronis epiſtola uocabulum Philotheôron, corruptũ dein improbè in nomen quod eſt Philoctetẽn. CAP. LXXXVII.

IN Ciceronis epiſtola ad Trebatium, cuius initiũ: In equo Troiano ſcis eſſe in extremo, Serò ſapiunt: ita ſcriptum ferè cunctis exemplarib. inuenitur. Deinde quòd in Britannia non minus ꝙ Philocteten te præbuiſti, planè non reprehendo. Diu me torſerã, maceraueramq́ eliciendo ſenſu de uerbis his, neq; procedebat. Quorſum enim de Philoctete hic Cicero? Sed enim poſtea codicem illũ uetuſtiſſimũ Laurentij Medicis opera ſum nactus, quem & ſuperius citaui, minus multò, ꝙ cæteri, deformatum, inquinatum, peruerſum, conturbatum. Nam in eo ſic erat: Deinde quòd in Britannia non minus philotheorum te præbuiſti, planè non reprehendo. Nam philotheorus is eſt, qui ſpectationũ ſtudioſus, qualẽ ſe Trebatius in Britannia præbuerat, dum prelium fugitans otio ſe aſſerit in armis medijs. Ex quo Ciceroni materia ioci & cauilli.

Vnde illud tractũ, Fuimus Troes: quæq; extẽt in literis ſuper Lacedæmoniorum choro, & cannico. CAP. LXXXVIII.

FVimus Troes: hic loquendi color tam efficax, de conſuetudine chori illius Lacedæmonij ductus, quaſiq; in adagiũ aſcitus. Nam ut eſt ſcriptum apud Plutarchũ in libello cui ſic eſt titulus: Quo pacto laudare ſe quiſpiã citra inuidiã ualeat: Chorus erat Lacedæmoniorũ trifarius, ſenum, puerorum, iuuenũ. Canebant aũt ſenes ita, ἄμμες ποτ' ἦμεν ἄλκιμοι νεανίαι. Quo ſignificabant, fuiſſe quondam ſe robuſtos iuuenes. Pueri uerò ſic, ἄμμες δέ γ' ἐσόμεθα πολλῷ κάῤῥονες. Ex quo ſe futuros longè his meliores profitebant. Iuuenũ autẽ cantio hæc, ἄμμες δέ γ' εἰμὲν. αἰ δὲ λῇς αὐγάσδεο. Indicans ipſos iam id eſſe, quod uel illi fuiſſent, uel hi futuros ſperarent, eiuſq; rei paratos facere periculum. Quod item ſcriptũ in Diogeniani collectaneis. Conſimile prouerbiũ de Mileſiis ponit Ariſtophanes in Comœdia Pluto: πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι μιλήσιοι. Vt iam nõ eſſe eos uiros fortes intelligamus, quos olim fuiſſe dicamus. Hoc intellectu Cicero de coniuratis agens: Vixerunt, inquit, extinctos ea uoce, neſcio quo pacto ſignificãtius declarãs, minusq; multò inuidioſè, ꝙ ſi planè dixiſſet occiſos.

Quòd Seruius Grammaticus Bucolicos Maronis uerſus tam mẽdoſè legit, ꝙ falsò enarrat. Notataq; ibi, & relata quædã ſuper initiandis pueris, ſuperq; dijs aliquot ueterum, maximeq; Genijs & Iunonibus. CAP. LXXXIX.

IN Bucolicis Vergilianis hi duo uerſiculi ſic leguntur:

Incipe parue puer: cui non riſere parentes,
Nec deus hunc menſa, dea nec dignata cubili.

Quos enarrans Seruius haud inceleber Grammaticus, & ueram lectionẽ (quod eius pace dixerim) contaminat, & fabulã ſibi ex tempore, cõmodoq; ſuo confingit contra omnẽ ueterũ autoritatẽ. Neq; enim cui, ſed qui legendũ, hoc eſt, non caſu datiuo, ſingulariq; numero, ſed plurali nominatiuo: quanquã utrobiq; apud ueteres eadẽ uox, ijſdẽq; notata literis, ſicut in primo Quintiliani de Inſtitutione Oratoria non oſcitans lector inueniet. Ex quo etiamnum uerſiculus in ſeptimo Valerij Flacci Argonauticôn libro: Curaq; cui profuga forſan tenet alta carina. Etiamnum, inquam, iſte uerſiculus, cui retinet, nõ qui, tam ſcilicet in uetuſtiſſimo codice, de quo reliqui fluxere, ꝙ in his quoq; peruulgatioribus. Quòd autẽ dicimus qui legendum, non cui, docet idem Quintilianus in nono, figurã eſſe declarans hic in numero, ſic ut plurali ſingularis ſubiungatur. Ex illis enim, inquit, qui non riſere, hunc non dignata. Quis autem dubitet, quin de Vergilianæ lectionis

incolumita-

incolumitate Quintiliano credendũ ſit potius, ꝙ Seruio, præſertim qui manum quoq; Vergilij citet aliquando, & Ciceronis? Quocirca manifeſtum eſt quod diximus, mendoſè locum à Seruio adduci. Fabulam autem ſibi eundem ex propoſito cômodoq; finxiſſe quis non uideat? cum nuſquã ob id præcipitatũ fuiſſe Vulcanum legamus, quoniam deformis natus, quoniamq; ei non Iuno arriſerit. Etenim poeta Homerus ob id ait, quòd matri cõtra Iouem patrem ſupperias tulerit. Natus enim ex Ioue & Iunone ſecundum Homerum Vulcanus, licet ex Iunone ſola fingat Heſiodus in Theogonia, ſicuti ex ſolo Ioue Minerua dicit. Vnde ἀπάτωρ à Theocrito uocatur in ænigmatio, cui Βωμὸς inſcriptio. Quare parẽtes ad Iouem Iunonemq; uix ſatis etiam propriè referentur. Sed & illud ſanè ꝙ frigidè Seruius idem, quòd neq; admiſſum ad epulas deorum Vulcanum dicit, neq; diuinos honores meruiſſe, quem Varro etiam inter ſelectos deos numerat ſeptimũ. Tum ne proceſſerit quidem uel iſto pacto, quod molitur Seruius, quando nõ ob id ait præcipitatũ, quòd haud riſerit, ſed quòd ipſi haud arriſum. Viderimus utrum'ne ipſe mox credibiliora ſuſpicer: certè iam Seruius ueriſſimus reuincitur. Et quidẽ ſic ego legerim, ſic enarrauerim: Parentes Salonini pueri, de quo nunc agitur, ut ſit parentes uocandi caſus, hunc qui non riſere, neq; deus menſa dignatus, neque dea cubili: hoc eſt, nec Genius, nec Iuno uitalibus auris dignum putauere hunc, ex illis qui non riſere: ut ſit figuratè dictũ, Quintiliano teſte, pro eo quod eſt, hũc, qui non riſit, uel qui è numero eſt eorũ, qui non riſere. Credebatur enim habere quiſq; ſuũ deum, ſuamq; deam, hoc eſt, ſuũ Genium, ſuamq; Iunonẽ uitæ preſides. Hos igitur indicauit Maro Catexochen. Menſa enim Genio cõuenit: ut, Funde merũ Genio: Iunoni lectus. Quod Iunius quoq; Philargyrius docet, hunc ipſum ita interpretans locũ: Pueris, inquit, nobilibus editis, in atrio Iunonis Lucinæ lectus ponitur Herculis menſura. Sed & apud Varronem lectũ eſt initiari pueros Educæ, Potinæ, & Cubæ, diuis edẽdi, potandi, & cubandi, ubi primùm à lacte, & cunis transferuntur. Quam Varronis autoritatẽ Donatus in Phormionẽ Terentianam adducens, etiam hunc ipſum citauit Maronis uerſiculũ, atq; idem Probũ quoq; retulit adnotaſſe. Menſa igitur, & lectus argumenta uitalitatis, quòd initijs ipſis adhiberentur. Cæterùm habet homo ſuam ſibi ridendi proprietatẽ. Qui uerò non rideat, ei qui poteſt eſſe uita uitalis? ut ait Ennius. Deum uerò, deamq; ad has referre Varronis Educam, Põtinã, Cubamq; nequeas, quòd hæ fœminæ omnes, ut Auguſtinus etiam in libro de Ciuitate dei ſexto declarauit. Sed ad Pilumnum ratione pari, & Pitumnum coniugales deos, quibus ut ait Varronẽ ſcribere Martianus in 2. lib. de Vita patrum: natus ſi erat uitalis, ſimul ab obſtetrice fuerat ſublatus, & in terra ſtratus ut eſſe rectus auſpicaretur, ſternere etiam in ędibus lectum conſueuerunt. Reſtat igitur uti quod de Genio & Iunone diximus, autoritatũ quoq; tibicinibus fulciatur. Plinius itaq; Naturalis hiſtoriæ primo: Cum ſinguli, inquit, ex ſemetipſis totidem deos faciant, Genios Iunonesq; adoptãdo ſibi. Seneca Epiſtolarũ ad Lucilium undeuigeſimo: Ita tamen, ait, hoc ſeponas uolo, ut memineris maiores noſtros, qui crediderint, Stoicos fuiſſe. Singulis eñ & Genium & Iunonem dederunt. Vnde arbitror Iuuenalis:

Et per Iunonem (inquit) domini iurante miniſtro.

Hoc enim reprehendit Satyricus poeta, quòd non per Genium, ſed per Iunonem domini miniſter iuraret, uidelicet more muliebri. Quocirca ſic illa apud Petronium Arbitrum Quartilla loquitur: Iunonem meam iratam habeam, ſi unquã meminerim uirginem fuiſſe. Nam infans cum paribus inquinata ſum, & ſubinde prodeũtibus annis, maioribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatẽ perueni.

Hinc

Hinc etiam puto natum prouerbiũ illud, dicatur ut poſſe taurum tollere, qui uitulum ſuſtulerit. Cæterùm ſi detur modò non iniquam planè à nobis peragi reprehenſionem, labaſcereq; iam commentum iſtud Seruianum, quod antequam talia prodebamus, pro indubitato obtinuerat, reliqua in medium (ne nobis blandiamur) libera opinaturis relinquemus.

Qui uir Theodorus Gaza, quantumq; tamen lapſus in Ariſtotelis problemate uerſo. CAP. XC.

NOn recuſo, quin ſub cenſuram, ſub aleamq; ueniat qualecũq; hoc erit, de quo ſcribam, dum ne ſint in hoc albo duæ mihi maximè ſuſpectæ literariæ peſtes, inſcitia, inuidiaq;, dum ne quis mihi amuſoteros (ut uerbo utar quo Symmachus) dum ne quis opicus, dum ne quis durus, & contumax, & in hominis uerba, quàm in ueri fidẽ iuratus contingat iudex. Quòd ſi iudices etiam nuncupandi, non Tarentinos equidem, & Conſentinos, & Siculos mea iſta legere, ſicuti ſua quædam Lucilius, ſed Latinos homines, græcæ literaturæ non ignaros, nõ Iunium Congium uolo, ſed Scipionem, ſed doctiſſimum omnium Perſium, atq; Rutilium, hoc eſt, ſi qui ſunt illis compares, macti prudentia, ingenio, doctrinaq; uiri, ad quorum iudicium iure ſit elaborandum, qualis puta, ſi liceat, is ipſe eſt, qui mihi inſtrumenta ſtudiorum tam multa, otiumq; altiſſimum ſuppeditat, auis, atauisq; potens Medices Laurẽtius, Florentinæ reipub. columen, cuius cùm iudicium illud circumſpectiſſimũ, & naturalem quandam mentis altitudinem maximæ queq; in actu rerum uel ciuitates experiuntur, uel principes, tum eundem in literis & humanitatis, ac ſapientiæ ſtudijs, ei deniq; non admirantur, qui non penitus ut ipſi, qui nõ introrſus inſpexerunt. Qualis eſt item Ioannes Picus hic meus è Mirandulanis principibus abſolutiſſimum naturæ opus, à quo philoſophia latinè iam meditans loqui, ſummũ puto faſtigiũ accipiet. Quales preterea duo illi, ſed una deuincti amoris copula, Veneti patricij ſunt, Hermolaus Barbarus, barbariæ hoſtis acerrimus, qui latinæ philoſophiæ uelut arma inſtrumentumq; uerborum ſic aut aure diligẽtiſſima terget, aut incude noua fabricatur, ut ob ipſius induſtriam iam nũc penè in iſto quidem genere, uel nitore, uel copia uiuamus ex pari cum Græcis. Et Hieronymus Donatus, uir neſcio utrum grauior, an doctior, an etiam humanior, certè omni lepôre affluens, omni uenuſtate, cuius tamen ob id uereor, ne leuior cuiquã cenſura uideatur, quoniam me pulcherrimo carmine, ſed & epiſtola una atq; altera mirè laudauit. Licet eñ tantum boni de me ipſo, qui multũ à tolerabili, nedum à perfecto abſum, pudeat credere, magis tamen tanto uiro pudet nõ credere, talia de me, ſic (ut apparet) ex animo affirmanti, dum noſtra hæc qualiacunq; ſunt, arriſerint: floccipendo iam nũc imagines penitus, umbrasq; laruarum, quib. natura eſſe dicitur (ut ſancti uiri uerbis utar) terrere paruulos, & in angulis garrire tenebroſis. Theodorus igitur Gaza, uir græcus, & ut doctis etiã uidetur eruditiſſimus, Ariſtotelis problemata uertit in Latinum. Sed in quo problemate quæritur cur homines, qui ingenio claruerunt, uel in ſtudijs philoſophiæ, uel in repub. adminiſtranda, uel in carmine pangendo, uel in artibus exercendis, melancholicos omnes fuiſſe uideamus, & alios ita ut etiam uitijs atræ bilis infeſtarentur, in eo manifeſtius utique (ni fallor) inſigniusq; extitit interpretis erratũ, ꝙ ut excuſari iam diſſimularí ue poſſit. Nã cùm illic exempla ſubijciat Ariſtoteles heroum, qui laboraſſe dicantur atra bile, primumq; de Hercule agat, fuiſſe illum nimirum tali habitudine, ſignis argumẽtisq; colligit iſtiuſmodi, quòd & comitialis morbus ſacer ab eo ſit dictus, & filios occiderit uecors, ut in Senecæ tragœdia tractatur, & anteꝙ obiret, ſcatentium ulcerũ

eruptione laborauerit, unde illa puto, Neſſea tunica uenerit in fabulam: nam hoc quoq; uitium atræ bilis eſt. Ex quo etiam Lyſandro Lacedæmonio proximè ante obitum genus id, inquit, ulcerũ emerſit. Theodorus itaq; quod ad filios & ad ulcera Herculis attinet, ita deniq; interpretatur. Puerorũ quoq;, inquit, motio mentis idem hoc explicat, & eruptio ulcerũ, quæ mortem interdũ antecedit. Cùm ſic ita græcè: καὶ ἡ πρὸς τοὺς παῖδας ἔκστασις, καὶ ἡ πρὸ τοῦ ἀφανισμοῦ αὐτοῦ ἐν τῷ ἑλκῶν ἔκφυσις γενομένη. Neq; aũt dubitem ex uſu eſſe, anteq̃ ipſi locũ uertimus, perpendere diligentius, quid ſibi illud uelit, ἐν τῷ, quod ille diſſimulat, quæ'ue de præpoſitione, articuloq; illo abiuncto ſententia elici poſſit. Et quidẽ ego ſic arbitror legendum, corrigendumq; ἐν Οἴτῃ, ut ſit ad uerbũ ſenſus: Et in liberos ſuos pauor, ſeu mauis dicere, mentis exceſſus, & ante obitũ ipſius in Oeta ulcerũ eruptio. Quòd aũt pauorem maluimus, aut mentis exceſſum uertere, q̃ ut iſte, motionẽ mentis, quæ græcè ſit ecſtaſis, autorem ſequimur in priore, quem pſalmorũ probat interpretẽ Pictauienſis Hilarius, in poſteriore Hieronymũ, qui tamẽ alicubi ſolitariũ quoq; illud exceſſus, latinè pro illo ecſtaſis reddidit. Nam pauorem Cicero quoq; metũ definit eſſe mentem loco mouentem. Sed de nomine aliàs. Nunc quod inſtat. Profert exempla Ariſtoteles, per quæ manifeſtũ fiat, Herculẽ quoq; atra bile uexatum, ſicuti dein Aiacem, Bellerophontem, cæteroſq; oſtendit, ut ſenſus, ordo, ratio, prætereaq; ueritas inexpugnabilis, & uinci neſcia, noſtræ prorſus interpretationi ſuffragentur. Quorſum enim hic de pueris mente motis in medijs agatur heroibus? aut quæ magis ætas à bile hac atra, quem furorem dicimus, q̃ puerilis abeſt? Quid aũt generalẽ hanc ulcerũ ante obitũ eruptionem accipit, quod neq; uerba ſignificant Ariſtotelis, & planè illius propoſito, uoluntatiq; contrarium? Nempe qui probare nitatur ex argumentis quibuſpiam, atq; exemplis, non pueros, non quoslibet atra bile, ſed heroas, maximoſq; uiros inquietari. Quin illud etiam diligentius cogitandũ, ſacer'ne tantũ morbus, ut Ariſtoteles ait, an etiam Herculeus, quod de ſuo Theodorus adijcit, appelletur. Atqui locũ eundem malè uerſum à Petro etiam Aponenſi, cui cognomentũ ex re Conciliatori factũ, naturæ rerũ, ac medicinæ cõſultiſſimo: ſed, ut tum fuere tempora, parũ linguæ utriuſq; perito homine, minus equidem indigner. Is aũt errantem ſuo ſemet indicio prodit, in cõmentario quodam ſuper hæc ipſa problemata compoſito. In eas enim ſe coniecerat anguſtias, ut explicare nil poſſit, ac ſtuporem, ſiue quod ait ipſe, congelationem, quæ pueris accidat, denominari inde cogatur dicere, hoc eſt (ut arbitror) ab Hercule. Quod ego illi tum dedero, eùm denominatiõis iſtius uox quæpiam indidem pronunciabit. Sed enim Theodori cauſam facilè iam quiuis impulſam, proſtratam, conſtrictã ſciat, etiam ſi nihil adijciamus. Quin ipſe credo, ſi reuiuiſceret, & de hoc admoneretur, neutiquã pro recto defenderet, ſi plus uero daret q̃ ſtudio: potius, ut in duodecim ſcrupis adſolet, quoniam moti ſemel pœniteret, concedi ſibi poſtularet, ut calculũ reduceret. Nec autem nos hæc de eo notaremus, ſi non plurimi faceremus. Non enim ſic demẽtis otij ſumus, ut incolumi dignitate noſtra, uelimus eo abuti contra recentem, nimiumq; iam triuialium nugamentorũ prouentum, contraq; iſta penè dixerim mẽdicabula, & propudia garrulorum, neſcio riſu'ne explodenda magis, an ſilentio diſſimulanda, quò perpetuò ignobiles inter ſuas ineptias deliteſcant. Hoc autẽ duntaxat attulimus, non quidem obſtrigilandi, quod dicitur cauſa, ſed admonendi potius ſtudioſos, qui ſcribẽdi onus hoc laborioſiſſimũ pariter, inuidioſiſſimumq; ſuſceperint, ne quid unquã de intentione remittant, neu parcant induſtriæ, operæq;: ne'ue indulgeant ſibi, aut oneri cedant. Circumſpiciant undiq;, librent, penſent, exigantq; ſingula,

nihilq;

nihilꝗ non olfactent, non excutiant, non examinent, non caſtigent etiam atque etiam, ac ſub incudem ſæpius reuocent. Conſulantꝗ interim uel minus eruditos, & tenuiorum (ut ita dixerim) uiriculas non aſpernentur. Quando ita fermè comparatum eſt, ut in alienis erratis Lyncei ſimus, in noſtris lippi, cæciꝗ, ac nõ uideamus, ut Catullus ait, manticæ quod in tergo eſt. Sed in primis caueant hoc tamẽ, qui ſcribũt, ne dum nimis ad uota laudũ properãt, cruda adhuc in publicũ ſua ſtudia propellant. Illud in Theodoro mirari me fateor, quid ita ſcripſerit in præfatiõe librorum de Animalibus Ariſtotelis, quibus unis præcipuè cõmendatur, adiutũ ſeſe à nullo, nec certare adeò cum cæteris interpretibus, quos, inquit, uincere nullum negotium eſt, cum libros eoſdem Georgius Trapezuntius ante ipſum luculentè uerterit, ut uel redditis, quæ apud ueteres inuenerat, uel per ſe denuò fictis, excogitatisꝗ uocabulis Latiam prorſus indolem referentibus, uitio factum noſtro primus, opinor, iuniorũ docuerit, cur ipſi minus multas, quàm Græci rerum appellationes habeamus. Hos igitur ſi quis libros diligenter legerit, minus profectò Gazam laudabit, penè illius ueſtigijs inſiſtentẽ: quin ſi homo erit ingenuus, credo ſtomachabitur, ſic à Theodoro diſſimulatum, per quem maximè profecerat, ſic habitum penè contemptui, ludibrioꝗ, cuius potiſſimũ laboribus inſidiabatur, nobis uerò etiam fortaſſe habebit gratiam, quòd iſta reddere ſuis autoritatibus contendamus. Nam quantum ſibi Georgius in eo placuerit opere, uel illa de præfatione uerba ſignificant, quibus ſeſe libros eos Latinis ait non minus eleganteis, emendatosꝗ dare, quàm apud Græcos habeantur. Sed & hoc ad ſe trahere Theodorus conatur, ut itẽ quę de menſib. gręcè ꝓdidit, ex huius potiſſimũ, de qua loquimur, interpretationis procœmio ſublegũtur. At enim fuere, ſicut apparet, acerbiſſimæ inter hos Græcos inimicitiæ, ſic ut in grammatico quoꝗ ſuo cõmentario Theodorus Georgiũ uocet hunc pornoboſcon, quod alentem ſcorta ſignificat, alludens arbitror ad Georgium ueterem grammaticum, cui cognomentum Græci Chœroboſcõ dixere. Cætera porrò, quæ Theodorus hic edidit, ubi modò non repetundarũ ſit accuſandus, ſicut eruditione diligentiaꝗ non carent, ita ſunt, ut mihi quidem uidetur, ad examen quoddam ſtrictius curioſiusꝗ reuocanda. Nos hoc loco nec doctorum nitida nomina tentamus apud imperitorum decolorare iudicia, nec tamẽ diſſimulare, quid in quoꝗ deſideremus: aut inhonoratum tranſire uolumus, cui ueritas patrocinetur. Vt autem habere ſtylũ quàm maximè ingenuum, paratumꝗ uolumus, ita quàm minimè accuſatorium, quàm minimè licẽtioſum & noxium. Nec enim tam uafritiam profitemur, quàm exhibemus induſtriam. Quid autem nos olim de doctrina æſtimauerimus, ingenió que Theodori, græcis aliquot & latinis epigrammatis teſtati ſumus, quorum nunc unum duntaxat, idꝗ græcum, ſubijciemus: ſi quis tamen hæc quoꝗ, ſi quis captus amore, leget. Igitur ſic eſt:

Κἦτο μέγας ποτ᾽ ἀγὼν γαζῆ θεοδώροιο ἀμφὶ
 μούσαις τ᾽ αὐσονίαις ἠδ᾽ ἑλικωνιάσι.
ταῖς μὲν γὰρ γῆμεν, ταῖς δ᾽ αὖ θρεπτήρι᾽ ὄφειλεν.
 ἑλλὰς γὰρ τέκε, τὸν γ᾽ αὐσονίη δ᾽ ἔτραφεν.
ἶσον δ᾽ ἀμφοτέρων σοφίη γλώττῃ τ᾽ ἐκέκαστο
 τὸν δ᾽ ὅτ᾽ αὐτὸς ζῶν, ὅτ᾽ ἄρ᾽ ἔκειτο θανὼν
ἀλλὰ καὶ ἰταλίης μεγάλῃ ὑπὸ ἑλλάδι κεῖσθαι
 εἵλετο, ὄφρα κλέος ξυνὸν ᾖ ἀμφοτέραις.

Ang. Polit.

Quo pacto uir idem græcè trãſtulerit, quod eſt apud Ciceronẽ, Suadæ medulla, poſitiq; Eupolidos uerſus de Pericle: tum indicatum, quibus deniq; dea Pithò latinis appellationibus cenſeatur. CAP. XCI.

LIbellum Ciceronis aureolũ de Senectute Theodorus idem Gaza non incommodè profectò, nec infeliciter uertit in græcam linguam. Sed eſt in eo quoque (ne quid grauius dixerim) paulò nonnunquam indiligentior. Illud interim pro argumento ſit, quod ait ſtrictim Cicero Marcũ Cethegum ab Ennio Suadæ medullam dictum: uocabulum illud Suadæ medulla, μελίγηρυν Theodorus, quaſi tu dixeris dulciloquium, interpretatur, cum Cicero idem in Bruto locum hunc Ennij, uerba' que ſic ampliter exponat. Suadę medulla, inquit, Pithò quam uocant Græci, cuius effector eſt orator, hanc Suadam appellauit Ennius. Eius autem Cethegũ medullam fuiſſe uult, ut quam deam in Pericli labris ſcripſit Eupolis ſeſſitauiſſe, huius hic medullam noſtrũ oratorem fuiſſe dixerit. Hactenus in Bruto Cicero. Quo apparet utiq;, nõ intellectũ à Theodoro locum. Neq; enim μελίγηρυν debuerat, ſed πειθοῦς μυελὸν interpretari. Neq; id pluribus tamen arguemus, quia uerborũ diſceptationis res non eſt arbitro eius, & cognitore Marco Tullio. Quoniam autẽ M. Tullius etiam Eupolim citat, qui deam ſcripſerit hanc perſuadendi ſeſſitauiſſe in Pericli labris', quam Pitho uocet ipſe: Suadã uerò Ennius, agedum (ſi placet) ipſos ex Eupolidos δήμοις (id enim comœdiæ nomẽ) uerſiculos ſubijciamus, gratum puto futurũ ſtudioſis, ſi ceu ſpicilegium, racemationemq; faciamus, aut ſi tabulas ueluti quaſpiam ex hoc literarum naufragio collectas, in corpus aliquod reſtituamus. Sunt autem quos inueniamus hi:

Κράτιστος οὗτος ἐγένετ᾽ ἀνθρώπων λέγειν
ὁπότε παρέλθοι, ὥσπερ οἱ ἀγαθοὶ δρομεῖς
ἐκκαίδεκα ποδῶν ᾕρει λέγων τοὺς ῥήτορας.
ταχὺς λέγειν μὲν, πρὸς δέ γ᾽ αὐτοῦ τῷ τάχει
πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν.
οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Neq; autem iſtos Eupolidis poetæ uerſus ex ipſius ſtatim fontibus hauſimus, ut cuius opera ętate interciderint, ſed eorũ partem ex interprete quopiam Ariſtidæ rhetoris accuratiſſimo, partem ex epiſtola Plinij iunioris accepimus. Quin Ariſtides ipſe oratione, quæ pro Pericle inſcribitur, comici eiuſdem teſtimoniũ aduocans, ita loquitur: μόνῳ δὲ πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν. Quam autem uocauit Ennius Suadam, puto eandẽ Suadelam Horatius: Sed bene, inquit, nummatum decòrat Suadela, Venusq;. Neq; enim aſſentiã Porphyrioni, Veneris id epitheton exiſtimanti. Nam Cicero in lib. de Oratore tertio, cum de Pericle loquatur, Lepôrem maluit nuncupare, quàm Suadam, ſic inquiens: Cuius in labris ueteres Comici etiam cùm illi maledicerẽt, quod tum Athenis fieri licebat, lepôrẽ habitaſſe dixerunt, tantamq; in eó uim fuiſſe, ut in eorũ mẽtibus, qui audiuiſſent, quaſi aculeos quoſdam relinqueret. Cõtrà autẽ Quintilianus ne enunciare quidem iſtius deæ latinum auſus nomen, ita in decimo ſcribit Oratoriarũ inſtitutionum: Et quod de Pericle ueteris comœdiæ teſtimonium eſt, in hunc transferri iuſtiſſimè poſſit, in labris eius ſediſſe quandã perſuadendi deam. Porrò Marcianus modò Suadã, modò Pitho nuncupat. Nos eandẽ in poematis Manto, Ambraq; noſtris modò Suadam, modò lepôrem, uidelicet Ennium Ciceronemq; ſecuti.

Qui

Qui ſint apud Liuium Cauſarij. CAP. XCII.

LIuius in ſeptimo ab Vrbe condita: Tertius, inquit, exercitus ex cauſarijs, ſenioribusq; à T. Quintio ſcribatur, qui urbi, mœnibusq; præſidio ſit. Cauſarij qui ſint, nõ temerè qui tibi explicet inuenias. Sed id ex uerbis tamen Vlpiani iureconſulti lib. 6. ad edictũ facilè colliges. Ea ſunt in tertio ſcripta Digeſtorũ uolumine, quo titulo de his agitur, qui notantur infamia. Verba ita ſunt: Ignominiæ cauſa miſſum, hoc ideo adiectũ eſt, quoniã multa genera ſunt miſſionũ. Eſt honeſta, quæ emeritis ſtipendijs, uel antè ab Imperatore indulgetur: & cauſaria, quæ propter ualetudinem laboribus militiæ ſoluit. Ex quibus uerbis ratiocinari poſſumus, cauſarios propriè dici, milites ualetudinis cauſa miſſos.

Vindicata Iuſtiniani principis præfatio quæpiam à uitijs, mendisq; aliquot. CAP. XCIII.

PVdet me ſeculi nonnunꝙ iſtius, in quo ſum natus, indocti nimis, & arrogantis, uerſantem animo identidem quæ monſtra rerum uerborũq; libros etiam ipſos legum, quibus regimur, occupauerint. Sicuti quod nuper dubiũ ridens, an ſtomachans, adnotabam in epiſtola Iuſtiniani, quæ poſita eſt ante Digeſtorũ libros, Theophilo, Dorotheo, Theodoro, Iſidoro, & Anatolio, & Thalleleo, & Cratino uiris illuſtribus, anteceſſoribus, & Salaminio uiro diſertiſſimo ſcripta. Nam cum doceat illic Imperator anni quarti ſtudioſos græco uocabulo lytas appellatos, & item quinti prolytas, ut in Pandectis extat illis archetypis, cuncta nunc habent exemplaria hircos in priore, coloritas in poſteriore loco, nihili uocabula, ſed quæ tamẽ ab Accurſio pro maximè idoneis enarrentur. Quin primi anni auditores, non diſpondij (quod uulgò) ſed dupondij; ſicut in archetypis inuenio tam friuolo, ut idẽ ait, quàm ridiculo cognomine appellabantur. Sed & in eadem epiſtola (ut in tranſcurſu quoq; oſtẽdam) deſiderantur uerba de ſexta Iliados Rhapſodia, cùm Glaucum & Diomedem nominat Imperator inter ſe diſſimilia permutantes: Etenim poſt id uerbũ ſequi ſtatim debet hic Homeri uerſus, ſi archetypo credimus:

Χρύσεα χαλκείων ἑκατόμβοι᾽ ἐννεαβοίων:

Lepidum Seueriani cõmentum de Lunæ factura, & Solis: deq; menſtruis diebus, & annuis. CAP. XCIIII.

PErcurrimus aliquando ego & Picus hic Mirandula, nunꝙ ſatis homo laudatus, ſubciſiuis horis antiquos enarratores inſtrumenti ſacri ueteris, Græcos maximè, Diodorũ, Philonem, Aquilam, Origenem, Baſilium, Didymũ, Iſidorũ, Apollinarem, Seuerianum, alios id genus compluteis, quorum ille, ſicutiq; Latinorũ, ſentẽtias omneis, quàm diligẽtiſſimè cum Iudæorũ & Chaldæorũ interpretum conferens opinionibus, nihil non euentilat, & penſiculat: unde modò aut ueritas elici, aut obſcuritas tolli, aut roborari fides, aut refelli poſſit impietas. Sed quod apud Seuerianum ſuperioribus diebus autorem luculentũ memini nos legere, uiſum eſt haud indignũ, quod in hunc acciperetur gregem. Solem factũ à Deo primitus, & lunam legifer Hebræus prodit, quarta mox ut orbem inchoauerat die, qui tamen, quoniam alterum diei, nocti alteram præfeciſſet, etiam illũ in Orientis credi poteſt, hanc in Occidentis poſuiſſe confinio. Nec autem debuit (quemadmodum quidam hic opinatur) ſic à principio ſtatim lunam fingere Deus, ut detrimento affecta, ut decerpta, ut gracileſcẽs, ut diſcriminata, ut inanis, ut diluta, ut exhauſta foret lumine, qualẽ nunc eſſe eam uel naſcentem, uel intermenſtruam, uel ſeneſcentẽ, uel in coitu, uel in ipſo quoq;

deliquio uidemus. Quin orbe pleno potius, integroq; circulata, nõ gibboſa, non prætumida, nõ ſinuata, non corniculans, non diuidua, nõ ſilens. Etenim iſta deint multiformitas temporũ erat, & noctium & dierum uelut interuallaris & diſcriminatrix futura. Quocirca edito recens, & matutinos ingrediẽte carceres ſole, luna prorſus è regione metam finitoris radebat occiduam, munifex tum primũ orbis, & in ſuo quaſi dixerim tyrocinio. Sed ut ad Occidẽtem ſol ipſe circumactus eſt, etiam inuicem peruecta luna ſuo curriculo eſt ad Orientis collimitium. Sic igitur audientes dicto diei pariter præfuerunt, noctiq;. Cur aũt non ſe tum potius quartæ lunæ facies exhibuerit, quota eſt edita die? quoniam ſummũ, inquit, luna quarta tenere Occidentis limitem nequiuiſſet. Ita rotundata ſpecie, plenoq; prorſus ore quintamdecimã pro quarta exhibẽs, undecim ſibi dies uelut arrogauerat, ac totidem planè diebus luna ſolem natura præuertitur. Ex quo fit, ut ſoli etiam iure dies illos xi. luna quaſi bona fide reſtituat. Nam cũ ſit undetriginta & ſemiſſis dierũ menſtruus lunæ calculus, diſſultat hinc annarius duodecim menſiũ numerus è dieb. omnino CCCLIIII. Quę ſumma undecim ſibi alios agglutinans, quos à primordio luna ſicut auctarium præſumpſerat, annum conſtituet hunc ſolarem CCC & LXV. Tantũ Seuerianus: lepidiore tamẽ, puto, q̃ ueriore cõmento, quo etiam creſcere in immenſum poſſit fabularis illa de Arcadũ uetuſtate ſuperlatio, qui proſceleni, quod eſt antelunares, appellati, ſi fuerit inconfeſſo, diebus eſſe undecim lunam, non tam mundo ipſo, q̃ initiali quoq; die maiuſculam.

Græcum elegans adagium ſuper xenijs, Digeſtorum exemplaribus reſtitutum. CAP. XCV.

Libet in gratiam iureconſultorũ reſtituere græcum quoq; prouerbium, ſublatum planè de ipſorũ libris, ſed integrũ adhuc in Archetypo, ſicut in epiſtola quapiam diui Seueri, & imperatoris Antonini reperitur, ea citatur ab Vlpiano in primo de Offic. proconſulis: eodemq; titulo ponitur in Digeſtorũ lib. 1. Verba ſunt hæc epiſtolæ: Quæ quoniam elegantiſſima, & plena bonæ frugis, ediſcenda ijs cenſeo, qui rempub. geſturi. Quantũ, inquit, ad xenia pertinet, audi quid ſentimus. Græcũ prouerbiũ eſt, οὔτι πάντα, οὔτι πάντοτε, οὔτι παρὰ πάντων. Nam ualde inhumanũ eſt, à nemine accipere, ſed paſſim uiliſſimum eſt, & per omnia auariſſimũ. Sic illi. Porrò græca uerba poſſis ad hunc interpretari modum: Nec omnia, nec paſſim, nec ab omnibus.

Quanta in muribus ſalacitas, & Aeliani uerborũ interpretamentũ: atq; inibi locus apud Martialem correctus, & enarratus. CAP. XCVI.

IN 7. epigrammatôn uulgatis quidem codicibus ita eſt apud Martialẽ:

Nam cùm me uitam, cùm me tua lumina dicis.

Sed enim uetuſtiſſimi quique ſic habent:

Nam cùm me murem, tu cùm mea lumina dicis.

Quod tamen à nullo eſt hactenus animaduerſum, aut emendatũ. Quæri uerò poteſt, quo intellectu puella blandiens amatori murem eum uocet: an eodem, quo etiam paſſerculũ ſolet: quia mures quoq; perhibentur ſalaciſſimi, ſicuti ſcriptum inuenio libro Aeliani duodecimo, de Animaliũ proprietate, uerbis ad hanc ſententiam: Ferunt aũt mures (inquit) ſalaciſſimos eſſe, teſtemq; adducunt Cratinũ ſcilicet in Fugitiuis: Age nunc tibi de ſereno aduerſus mollitiem muris fulgurabo Xenophontis. Sed enim fœminam quoq; murem narrãt ad ueneria eſſe prærabidam. Rurſumq; apud Epicratem in choro, Fabula enim hęc Epicratis eſt: Poſtremò ſubijt me deteſtabilis lena, deierans per puellam, per Dianam, per Perſephattam, eſſe uitulam, eſſe uirginem, eſſe puellam indomitam. At illa cauus erat

murinus. Superiectione eam ſalaciſſimam dicere uoluit, cùm cauum prorſus murinum uocitauit. Et Philemon: Mus albus, cùm quis eam: Sed pudet fari, Clamauit adeò ſtatim deteſtanda lena, ut ſæpe latere non eſt. Hactenus Aelianus, autoritatibus etiam magni nominis comicorum ſuccenturiatus.

Automaton legendum in Suetonio, quod nunc uulgò aut ornatum: quidq; ea uoce ſignificetur. CAP. XCVII.

LOcus apud Suetonium in Claudio ita perperàm legitur in pleriſq; uoluminibus: Si aut ornatũ, aut pegma, uel quid tale aliud parum ceſſiſſet: cùm ueri integriq; ſic habeant codices: Si automaton, uel pegma. Inſpice uel Bononiæ librum ex diui Dominici, uel item alterũ Florentię ex diui Marci bibliotheca, quam gens Medica publicauit, ueterem utrunq;. Sed & utroq; uetuſtiorẽ, quem nunc ipſi domeſticũ poſſidemus, ut taceam compluréis alios, ne fortaſſis ambitioſior, & nimius citandis teſtimonijs deprehẽdar, ubiq; hanc nimirũ poſteriorem ſcripturam inuenies. Apparet ergo automata appellari ſolita, quæ ita mechanici fabricabantur, ut ſua ſponte efficere quippiã, ueluti ignara cauſa uiderentur. Qualia nunc aut horologia ſunt, aut uerſatiles quæpiam machinæ, in quibus imagunculas occulta ui curſitantes, ludibundasq; miramur. Quales etiam uel fontes, uel ignes ipſi quodam artificioſo temperamento, ſpecieq; noua, certis interuallis aquas, flammas'ue iaculantes. Automaton enĩ uelut ultroneũ, & ſpontale poſſumus latinè interpretari. Sic Homerus in 2. Rhapſodia ueniſſe ad dapem Menelaum dicit automaton, ſponte ſua ſignificans, nõ cuiuſpiam uocatu, quaſi à ſemet impulſum. Sicut Euſtathius quoq; exponit, qui deinde ait à iunioribus αὐτόματα uocari, quę forte quadam fiant, quaſi μάτην, hoc eſt temerè, καὶ ὡς ἔτυχεν. Et paulo pòſt idem ſic addit propemodum: Talis aũt ſententia etiã illa mechanicorũ nominauit automata. Cæterùm philoſophus Heron in Pneumaticis, aquã exprimi ait in ſublime automaton: id eſt, ſpontalẽ, de ſphæra concaua, quam deſcribit: ſicuti cornicem quoq; confingit, quæ ſe ad auiculas itidem fictas conuertat αὐτομάτως. Quin ædiculam quoq; docet cõſtruere, cuius accenſo igni fores item αὐτομάτως, id eſt, ſponte aperiantur, extincto cludantur, ut omnia quo diximus intellectu ſint audienda.

Perſii locus, & item Senecæ declarati: deq; manumittendis feſtuca ſeruis, & circumactu. CAP. XCVIII.

PErſius in Satyra ſexta ſic ait:

Non in feſtuca lictor quem iactat ineptus.

Vbi poeta diligentiſſimus manumiſſum hominẽ ex uetere cõſuetudine ſignificauit. Eſt enim à Plutarcho traditũ in libello de ijs qui ſero puniuntur à Deo, morẽ fuiſſe Romanis, ubi quempiã manumitterẽt, ut eius corpori tenuem feſtucã inijcerent. Ex quo illud apud Plautũ in Milite: Quid ea ingenua, an feſtuca facta? ſerua an libera eſt? Quoniam aũt & circumagebantur, qui libertatem nanciſcebantur, fortaſſe ut oſtenderetur licere iam ipſis pro ſuo arbitrio quorſum uellent moueri, quod & ſuprà dixerat Perſius:

Verterit hunc dominus, momento turbinis exit

Marcus Dama: & à prætore plerunq; uindicta liberabantur: propterea & iactat inquit, & lictor. Nam lictores ſeni prætorib. apparebant. Circumagi autẽ ſolitos, qui manumitterentur, etiam Seneca docet in octaua primi libri ad Lucilium epiſtola: Philoſophię, inquit, ſeruias oportet, ut tibi cõtingat uera libertas. Nõ differtur in diem: qui ſe illi ſubiecit & tradidit, ſtatim circumagitur. Hoc enĩ ipſum philoſophiæ ſeruire, libertas eſt. Circumagitur, hoc eſt, manumittitur, liberaturq;.

Cur muri partem diſiicere, quod ait Suetonius, Hieronicæ ſoliti. CAP. XCIX.

SVetonius in Nerone: Reuerſus, inquit, è Græcia Neapolin, quòd in ea primùm artē protulerat, albis equis introijt, diſiecta parte muri, ut mos Hieronicarum eſt. Ita ille. Nemini aūt eſt dubium, ſacrorum certaminum uictores, Hieronicas appellari. Sed moris iſtius cauſam tantum adhuc inuenio apud Plutarchum, libro Sympoſiacôn 2. in hanc ſentētiam: Quòd aūt, inquit, uictoribus curru uehentibus permiſſum, partē muri diuidere, atq; deijcere, hunc ſanè habet intellectū, nō magnopere ciuitati muro opus eſſe, uiros habenti, qui pugnare poſſint, & uincere.

Quæ ſint apud Maronem ſilentia lunæ, quæ'ue tacita uirgo apud Horatiū: ſuperq; ijs Seruiana & Acroniana refutatæ ſentētiæ. CAP. C.

VErgilius Aeneidos ſecundo:

— Tacitæ, inquit, per amica ſilentia lunæ.

Seruius igitur. Sciendū autem eſt, ait, ſeptima luna captam eſſe Troiā: cuius ſimulachrū apud Argos eſt conſtitutū. Hinc eſt quod dicit: Oblati per lunam. Et alibi: Per cæcam noctē tacitæ lunæ. aut more poetico noctem ſignificat, aut phyſica ratione dixit. Nam circuli ſeptem ſunt, Saturni, Iouis, Martis, Sòlis, Veneris, Mercurij, Lunæ. Et primus, hoc eſt Saturni, uehemēter ſonat, reliqui ſecundū ordinem minus. Sicut audiuimus in cithara, cuius ultima chorda minus ſonat. Hactenus Seruius. Libenter igitur ab eo quæſierim, cur amica luna latere, ac fallere conantibus, aut num lunam quoq; ſilentem apud M. Catonē, & item apud Pliniū ad eandem referat harmoniam planetarū. Quòd aūt citharæ ultimam chordam ſonare ait minus, hoc ita deniq; procedet, ſi ultimam nō iam pro ima, ſed pro ſumma capiat, quæ græcè hypate uocaī, unde grauior excitaī ſonus. Sicuti ab extima altera, & tenuiſſima, quam equidem libētius ultimam dixerim, acuta uox profertur, quę plus ſonare ob id uidetur, quia prorſum tenditur, ut in libro de Muſica ſecundo ſcribere ait Theophraſtū Porphyrius in cōmentarijs illis quos in harmonica Ptolemæi ſcriptos reliquit. Sicuti grauis ob id, inquit, minus auditur, quia circà diffunditur. Quòd aūt & apud Macrobiū legimus, & itē apud alios, Saturni orbem, cuius conuerſio ſit concitatior, edere acutiſſimū ſonum, minimè hoc arbitror à Platone uel in Timæo, uel in Rep. probabitur, qui tardiſſimū ſcribit eſſe Saturni orbem, quanq; hoc fortaſſe ad longiorem ſui curſus ambitum referetur. Sed Ariſtoteles certè in libro 2. de Cœlo, tardiores ob id ait eſſe ſuperiores orbes, quòd impetu ſtelliferi octaui orbis, magis retardentur. Vt ergo uel Alexandri, uel Simplicij, uel item iuniorū de eo opinionē prætermittā, ſi uerā planè Macrobij ſententiā uis colligere, ad curſum referas diurnū, qui ſine dubio celerrimus in ſupremis, & cōcitatiſſimus inuenietur. Sed nos hac ablegata cōmentitia (ut arbitror) Seruij, minimeq; neceſſaria ſubtilitate, potius accipimus Tacitę lunæ ſilētia, lunā ipſam, quā uocant ſilentē, hoc eſt, minimè tum quidem lucentē, ut latere inſidiæ magis poſſent, pulchra nimirū, & eleganti translatione ab aurib. ad oculos. Nam ſicuti ſilentio nihil auditur, ita nihil tenebris cernitur. Plinius igitur lib. Nat. hiſt. 16. Diem, inquit, coitus lunæ ab alijs ſilētis lunæ, ab alijs interluniū appellari. Tum idē lib. duodeuigeſimo: Et hoc, ait, ſilēte luna ſeri iubēt. M. Cato etiā in lib. de Re ruſt. Nūc ſtercus euehi luna ſilēti, nūc item ſilēte luna ficos, oleas, mala, pyros, inſeri. Poſtremò etiā prata primo uere iubet eadē luna ſilēte ſtercorari. Ridiculū aūt fuerit aut hęc Catoniana Plinianaq; referre ad ſiderū muſicā, aut in uetuſtiſſima, uſuq; receptiſſima locutiōe deſiderare iſtiuſmodi ambages.

Equidem

Equidem lunam hic ſilentem, ut dixi, pro minimè tum lucente acceperim, quòd fuerat tempus Græcis obſeruandum. Neq; ita tamen interpretor, ut ad uiuum reſecem, atq; ipſum deniq; lunæ coitum planè intelligam, cùm nox tota tenebricoſa: nam hoc utiq; refellitur, quoniam poeta mox ait: Oblati per lunam. Nondum igitur luna lucebat, cùm illi à Tenedo ſub ueſperam nauigabant. Sed lucere tum cœpit, cum iam urbem occupauerant. Nõ igitur aut ſera fuerit, aut pernox luna; tum nec lunæ quidem omnino coitus, ſed tempus arbitror potius, quàm diu illa non luceret. Etenim plura ſæpe, quàm uideatur, uox apud poetas aliqua complectitur. Ob hoc igitur illud in noſtra Ruſtico:

Quidq; ſilens moneat, quidq; intermenſtrua Phœbe.

Nec abſurdè tamen præter epitheti rationẽ temporariam, lunæ acceperis amica ſilẽtia, quoniam in auſpicijs quoq; ſilentium uocari Cicero ſcribit, quod omni uitio caret. Iam apud Acronem quàm pulchrũ, quàm ingenioſum, qui enarrans Horatij locum libro Carminum ſecundo:

— Dum Capitolium
Scandet cum tacita uirgine pontifex:

Tacitam uirginem intellexit, quaſi claram ſacerdotij nobilitate: & ut hoc ineptis perſuadeat, autoritate etiã abutitur Maronis, qui dixerit: Tacitæ per amica ſilentia lunæ. Ceu ſi tacita luna ſit hic etiã pro clara accipienda. Videlicet non & apud Dionyſium ſaltem Romanæ hiſtoriæ autorem, & apud Plutarchum, alioſq; permultos Acro legerat ignorari prorſus ab omnibus, quib. deniq; uel ſacris, uel ſimulachris Veſtales uirgines tuendis præforẽt, ut ob hoc ipſum, quod præſtabat, ſilentiũ, Tacita uocetur, Troianam ſoli cui fas uidiſſe Mineruam.

SEd ut hic liber, quanq; ſic quoq; nimis longus, aliqua tamen ueluti Coronide cumuletur, & nihil ſit omnino inrepercuſſum, ſcire lectorẽ uolumus, poſteaquam de magno quaſi populo, iam tum anno ſuperiore, Centuriam hanc unam, ſicuti nunc eſt, niſi tantũ pauculis ſubinde (ut fit) interſperſis floſculis adornaueramus, et ſpectandam publicè amicis aliquot exhibueramus, emanaſſe in uulgus fabulam, non ſatis certo autore: quæ ſuſurris aures iſtiuſmodi compleuerit. Nihil eſt mirum, ſi quędam noua & inſignia uel antè dictauerit Politianus, uel nunc referre in literas incipiat: Olim iam iſthæc omnia diligentiſſimè perſcripta à Nicolao Perotto, qui fuerit Sipontinus pontifex, in eo maximè libro, cui titulum feciſſet Copiæ cornu. Nam quoniã plurimũ autoritate (ſic enim quicunq; illi aiebãt) apud Vrbinatem ducem, cui dicatus is liber, Medices ſuus Laurentius & gratia ualet, per eum uidelicet operis iſtius, & quidem archetypi facta eſt Politiano poteſtas. Ergo ut hunc ſemel inuncauit librũ, uelut inſtar quoddam uirgulæ diuinæ, publicam prorſus materiam priuati iuris facit, & ut alter Aeſopi gracculus aliena ſuperbit pluma. De his itaq; per aliquot iam cõciliabula iactatis, euentilatiſq; rumuſculis, cũ mihi neſcio quid, ut eſt officioſiſſimus homo, Robertus noſter Saluiatus renuntiaſſet, non literarum modò, ſed literatorum quoq; omnium uelut alba linea magnus amator, agnoui ſtatim inuidiæ mõres, quę dum cui nocere molitur, in omnia ſeſe uertit, & ut ille apud Licentium Proteus:

Spumat aper, fluit unda, fremit leo, ſibilat anguis.

At enim quòd ad ipſius ictus occalluerã, non ſum propterea ſtudijs iratus meis, tantũ laboris tali mercede rependẽtibus, nec ipſe me damnaui, ꝙ nõ hanc teterrimã peſtẽ deſidia magis placaſſem: nec, ut nõnulli forſitã cupiebãt, cõcerpſi librũ, ſed eum potius ſepoſui paululum, & omiſſa in præſens edendi cura, tantumq; ſul-

cis uelut

cis uelut interciſiuis ita librum nonnunquam ſicut hortum rigans, pleniorem tamen cogitatum uelut à ſiliquis ad panes, hoc eſt, à ludicris ad philoſophiæ ſeria transtuli. Sic igitur uerſare altiora quæpiam animo ſtudia, & operæ grauioris inſtitui, quæ ſuo & ipſa tempore (ſi lecta potenter erit res) in publicam utilitatem, quò magis argutatoribus iſtis oculi doleant, apparebunt. Etenim ego tenera adhuc ætate, ſub duobus excellentiſſimis hominibus, Marſilio Ficino Florentino, cuius longè felicior, quàm Thracenſis Orphei cithara uerã (ni fallor) Euridicen, hoc eſt, ampliſſimi iudicij Platonicam ſapientiam, reuocauit ab inferis, & Argyropilo Byzantio Peripateticorum ſui temporis lõgè clariſſimo, dabam quidem philoſophiæ utriq; operam, ſed non admodũ aſſiduam, uidelicet ad Homeri poetæ blandimenta natura, & ætate procliuior, quem tum latinè quoq; miro, ut adoleſcens, ardore, miro ſtudio uerſibus interpretabar. Poſtea uerò rebus alijs, negotijsq; prementibus, ſic ego nonnunꝙ de philoſophia, quaſi de Nilo canes, bibi, fugiq;, donec reuerſus eſt in hanc urbem maximè Laurentij Medicis cùm beneuolentia, tum uirtutis & ingenij ſimilitudine allectus, princeps hic nobiliſſimus Ioannes Picus Mirandula, uir unus, an heros potius omnibus fortunæ, corporis, animiq; dotibus cumulatiſſimus, utpote forma penè diuina iuuenis, & eminenti corporis maieſtate, perſpicaciſſimo ingenio, memoria ſingulari, ſtudio infatigabili, tum luculenta, uberiq; facũdia, dubium uerò iudicio mirabilior, an moribus. Iam idem totius philoſophiæ conſultiſſimus, etiamq; uaria linguarũ literatura, & omnibus honeſtis artibus ſupra ueri fidem munitus atq; inſtructus. Deniq; ut ſemel complectar, nullo non præconio maior. Is igitur cõtinuò me, cum quo partiri curas dulciſſimas, & nugari ſuauiter interdũ ſolet, & quẽ ſibi ſtudiorũ propè aſſiduũ comitem (qui ſummus honor) adlegit: is me inſtitit ad philoſophiã, non ut antea ſomniculoſis, ſed uegetis, uigilantibusq; oculis explorandã, quaſi quodam ſuæ uocis animare claſſico. Quocirca talem ego illum, tantumq; uel autorem nactus, uel ducẽ, neutiquã occaſioni defui, quin occurri potius, & arripui, ſic ut aſſiduò propemodũ ſummorũ tractatu autorũ, uelut attrito crebrius ſilice paucas ſaltẽ ueri ſcintillas uidear excudiſſe, tantũq; flammæ rapuiſſe fomitibus, ut in nocte cæca, & illuni iamiam mihi aliquid ꝑfectò fulgoris ſublucescat. Sed ecce tibi interim, dum totus in hoc ego, repentè Cornu iſtud in uulgus. Fit cõcurſus. Eſt in manibus. Effunditur. Excutitur. Quid multa? Calumnia me liberat. Vidiſſes continuò nonnullorũ uultus lugubre quiddã tacentes, et quod antea nunquã ſoliti neſcio tum quo pacto (ſicut ille apud Platonẽ Traſimachus) erubeſcentes. Sed iſti quidẽ Cornu, quanꝙ certè non uacuo, quid ineſſe tamẽ uiderim, non eſt huius temporis iudiciũ. Tantũ conſtiterit in præſentiarũ non idem ſpectaſſe me, quod eius uoluminis autorẽ, nec par utriq; deſtinatumq;, præſtitutumq; faſtigiũ. Quòd ſicubi locos eoſdẽ pro re nata fortè uterq; tractauimus (id aũt incidere alicubi fuit neceſſe) craſſior tamen inter nos, ꝙ inter Piramũ, Thisbenq; paries. Argumento ſit interim uel illa Iuuen. Cotytto, quæ tamen apud ipſum Cocytos eſt, de qua tanꝙ de paupere regno cũ Domitio digladiat̃: uel ara item Martialis frequens cornibus, uel philyra, uel ſi quid aliud iſtiuſmodi, quod optes eũ meis manipularibus, accẽſisq; cõmittere. Quin illud euenit, ut hoc ipſo, quo Miſcellanea ceſſabant, interuallo, centũ quędam adnotationes doctæ mehercules (quis enim neget?) & laborioſæ ab homine amiciſſimo nobis, nec huius ignaro propoſiti, tũ bene etiã literato, nõ ſine beneuola, grataq; noſtri mentiõe publicarẽtur. In queis unũ caſu, credo, uel alterũ pari fermè atq; apud nos argumẽto, compluſcula certè germana illorũ propemodũ, quę uel cum faſtos Naſonis abhinc nouenniũ fermè

uel

uel poſtea cùm Flacci Satyras interpretabamur, quanta norunt omnes frequentia, publico auditorio dictaueramus. Perſanctè (ſi ſit opus) deierem, tenens aram, cogitaſſe me ſtatim, ſi non de meo, certè de communi iure concedere amico penitus, nec aliquid ex eis agnoſcere, quorum ſibi ille titulum haud, opinor, uindicauiſſet. Non enim ſic faſtu turgeo, ſic mihi ipſe faueo, ut uideri uelim tam docti hominis in aliquo doctor, ne mihi illud in os iaciatur, ſus Mineruam. Sed quoniã ſic ea ſe principem demum reperiſſe narrabat, ut ignorata prorſus (ita, credo, putauit) & inenarrata ad eam diem cæteris aſſeueraret, coactus fateor ſum, quod & ipſe pro ea quam profitetur, humanitate facilè patietur, ſimpliciter, ingenuéque profeſſionem meam ſuſpicionibus iſtis communis ignorantiæ abſoluere. Nam ſicut haberi iure uel inciuilis poſſim, uel arrogans, ſi nõ ei quoq;, qui tam ſit & diligens, & eruditus, domi & iſta, & meliora naſci putem (quandoquidem medio poſuit Deus omnia campo) ſic è diuerſo patrocinium famæ deſerere non ſolùm diſſoluti, ſed etiã (ni fallor) in ſemetipſum penè crudelis uideri poſſit. Et pereant, Donatus aiebat, qui ante nos noſtra dixerunt. Nos ei proſpera, fauſtáque precamur, & cupimus, qui noſtra poſt nos aut inuenit, aut certè dixit. Tantum rogamus, ne pigeat in eorum conſortium, quæ tantò antè tam multi ſub nobis exceperunt, & in quibus pro uirili parte laborauimus, etiam nos ſicuti partiariò admittere, ne non amicorum ſint (quod ait Euripides) cuncta cõmunia.

MISCELLANEORVM FINIS.

ANGELVS POLITIANVS ANDREAE MAGNANIMO SVO S.

EFFLAGITARI ſcribis iſtic ab ijs qui libros excudunt formis, Herodianum meum. Meum enim iure appello, quem quaſi latinitate donauerim. Tum rogas codicem tibi ipſum tuum remittam aliquando, noſtra (quòd illos cupere ais) manu emendatum. Remitto, ſed (ut uerum fatear) leniter potius, quàm ſeuerè caſtigatũ: ſic autẽ, ut noſtra errata plura in eo, quàm librarij deprehendas. Crediderim tamen ſtylo ipſi certè meo, hoc eſt, interpretis, plus aliquanto ueniæ deberi, quàm autoris. Quoniam meliuſculè reſpondent ferè, quæ ſcribas, ut ſit liber quaſi curſus, quàm quæ uertas, ubi nihil extra præſcriptum. Accedit & illud, quòd hoc mihi munus interpretandi quaſi leuioris operæ fuit, utpote qui diebus pauculis dictauerim ſic deambulans. Itaq; tantũ abeſt, ut mihi inde laudem petam, ut etiam abundè pulchrũ fore putem, ſi uitauero grauiorem culpam. Quare cùm amicis reliquis, tum tibi in primis, omnem huius operis defenſionem, non remitto ſolũ, ſed etiam propè interdico, uosq; integros ad alia reſeruo, quæ pòſt edentur. Sed quanq; plurimi ſunt apud uos, qui mihi etiã plus nimio fauent, unus tamen es tu Andrea Magnanime, cognomẽto iſto tuo gentilitio digniſſime, quem equidẽ faciam plurimi, cùm quòd ex bonis ortus, & opibus flores, & honoribus, tum uel maximè, quòd ingenio es elegantiſſimo, moribus ſuauiſſimis, gratia quadam (quicquid agis, quicquid loqueris, imò etiam ſi nihil agis, nihilq; loqueris) ſingulari, ac uultu deniq; ipſo (quod dicitur) homines deuincis. Itaq; nihil quenq; metuo, ubi tu mihi ſtudeas. Nunquã enim malè de Politiano ſentiet, qui placere eum Magnanimo intelliget. Vnum tantũ eſt, quod à te nunc contendo, cures pro reliqua in noſtris rebus diligentia, ut quàm minimũ quaſi degenerent ab origine, quæ mox uolumina formabuntur: utque ne illæ ipſæ quidem adnotatiũculæ omittantur, quas marginibus adſcripſimus. Inter eas uerò, etiã locos puto treis, quatuorue ad ſummũ reperies, ubi fuit excuſatione utendũ, corrupti apud Græcos exemplaris. Ad hæc uerò facilè procuranda, obeũdaq; magis idoneum habere, magisq; ex uſu tuo neminem poſſis, quàm Alexandrum Sartium ciuem tuũ, literatum hominem, noſtriq; ſtudioſum, tum (quod ego in hac re primũ puto) neutiquam in amici negotio dormitantẽ. Vale. In ruſculo Feſulano, Pridie Nonas Maias, Anno ſalutis, M. CCCCXCIIII.

ANGELI POLITIANI AD INNOCENTIVM VIII. PONTIFICEM MAXIMVM, PRAEFATIO in Herodiani hiſtoriam, è Græco in Latinum conuerſam.

CVM Romæ abhinc triennium fermè in comitatu eſſem Florentinæ legationis, quæ tibi, ſancte pater Innocenti, pontifex maxime, ad ſupremæ iſtius dignitatis faſtigiũ nuper euecto gratulatũ aduenerat, memini abs te mihi magna celebritate curam delegari, uertendi in latinam orationem Romanorũ principum res geſtas, ſi quæ adhuc inter Græcorum monumenta, noſtris intactæ hominibus reperirentur. Quare cùm cœleſtis animi tui iudicio, non plus mihi honoris additum, quàm oneris iniunctum animaduerterẽ, ut primùm Florentiam ſum reuerſus, altiſſima ſolicitudine circunſpicere cœpi, quem potiſſimũ ex omni Gręcorũ copia interpretandũ ſuſciperem. Occurrit autẽ in primis Herodianus excellens rerũ ſcriptor, & qui diu in

Palatina

Palatina uerſatus aula, affectæq; iam ætatis, hiſtoriam de ſuis temporibus componere aggreſſus, neq; eloquentiæ caruerit laudibus, & fidem tamē in primis, libertatemq; retinuerit. Hoc ubi opus à nobis, neq; multo ſanè negotio, neque inuita (ut arbitror) Minerua elucubratum eſt: ea mox tempora inciderũt, quibus & noſtra impedirentur ſtudia, & quæ plurimùm ualet in ſcribendo, omnis propemodum alacritas excuteretur. Poſtea uerò quàm pro tua prouidētia & pacem Italiæ cupienti reddidiſti, & cum patrono meo Laurentio Medice, ampliſſimę quidem fortunæ, ſed amplioris ingenij, prudentiæq; uiro, priuatim affinitatem cōtraxiſti, ceſſit uidelicet ille quaſi nimbus, ſuaq; mundo reddita ſerenitas eſt: ſic ut nos iam ipſos colligamus, atq; ut grauati pluuia flores, peneq; decidui, ad nouæ lucis radios erigamur. Ergo & uetera edere in publicum, & noua procudere iam libet, unde aliqua modò uel tuo ſacratiſſimo nomini celebritas, uel ſtudioſis etiam hominibus utilitas pariatur. Cæterùm Herodianum hunc noſtrum, donec maiora tibi, ac fortaſſe meliora parturimus, ueluti præludium aliquod ueri iuſtiq; laboris læta, rogamus, fronte excipias, ſumme pontifex: magnam in eo negotiorum perſonarumq; uarietatem, multam rerũ nouitatē deprehenſurus, crebraq; in utramq; partem fortunę ceu uacillantis exempla, conſiliaq; admirabilia, & conſiliorũ inopinatos euentus, grauesq; pro tempore ſentētias, & plenam ubiq; dignitatis, plenam ſuauitatis orationē, copioſam uidelicet quandam ad inſtruendos mores ſuppellectilem, & ceu ſpeculum humanitatis, in quod inſpicere omnis uita, unde ea capere atq; haurire documēta queat, per quæ uel publicis, uel priuatis rationibus conſulatur. Quæ ſanè noſtræ fuerunt partes, tentauimus profectò, utinamq; effecerimus, uti omnia ex fide reſponderent: ne inepta peregrinitas, ne græculæ uſq; figuræ, niſi ſi quæ iam pro receptis habentur, latinam quaſi polluerēt caſtitatem, ut eadem propemodum eſſet linguæ utriuſq; perſpicuitas, eædemq; munditiæ, idem utrobique ſenſus, atq; indoles: nulla uocum moroſitas, nulla anxietas. Tu quando nobis aliquod ceu ſignum ex arce iſta tui pontificatus ad bene ſperandũ ſuſtuliſti, perge, obſecro, ſanctiſsime pater, perge, inquam, fouere, atq; illuſtrare bonas artes, quę ſeſe pedibus iſtis ſanctiſsimis aduoluunt ſupplices, numenq́ue tuum aduerſus rudem inſcitiam, tetramq; barbariē implorant: ut à quo pax Italiæ, atq; adeò terrarum orbi reſtituta eſt, etiam ab eodem pacis alumnæ literæ, ab iniuria ſcilicet, atq; indignitate uindicentur.

HERODIANI HISTORIAE DE IMPERIO POST MARCVM, VEL DE SVIS TEMporibus, Liber primus.

ANGELO POLITIANO INTERPRETE.

QVI res antiquas poſteris prodiderũt, ueteremq; hiſtoriæ memoriam renouare literis ſtuduerunt, ei magna ex parte, dum famam eruditionis affectant, nomenq; ſuum conantur ab iniuria obliuiõis aſſerere, minus ſanè multam in ueri peruestigatione, quàm in exornanda cõponendaq; oratiõe induſtriam poſuerũt: rati ſcilicet, neq; ſi quid in rebus à ſuo ſeculo remotiſſimis falſi proderetur, poſſe refelli: & ſe tamẽ ſuauitate narrationis ampliſſimũ laboris, ingenijq; ſui fructũ percepturos. Alij uerò priuatis inimicitijs, tyrannorumq; odio prouecti, aut in laudes principum, ciuitatum, priuatorumq; hominum immodicis aſſentatiõibus effuſi, tenues per ſe res, atq; humiles, ſcribendi tamen artificio longè ſupra ueri fidem ſuſtulerunt. Ego uerò contrà, non quidem acceptã ab alijs, aut incognitam, aut teſtibus egentem hiſtoriam, ſed eorum qui legent, ſenſibus adhuc memoriæq; inhærentem, ſumma uel fide, uel diligentia collectam, conſcribendã ſuſcepi: ſperans haud iniucundam fore poſteritati, earum rerum notitiam, quæ multę ſanè atq; magnæ, haud ita longo tempore acciderunt. Nam ſi quis ab Auguſto principe omnẽ ætatem complectatur animo, cùm ſcilicet Romanorum potẽtia ad unius eſt arbitriũ deuoluta, ne annis quidem illis circiter ducentis (tot enim fermè ad Marci tẽpora numerantur) aut imperiorũ tam diuerſas ſucceſſiones reperiet, aut bellorũ uel ciuilium, uel externorum tam uarios caſus atq; euentus, in tot excitas gentes, tot urbes noſtras, barbarasq; expugnatas, præterea terræmotus & peſtilentias, uitas quoq; principum & tyrannorũ adeò nouas, atq; inauditas, ut nulla ijs apud ueteres conſimilia exempla, aut certè ꝙ pauciſſima inueniantur: quorũ alij diuturnã, alij breuem potentiam obtinuerunt, nõnulli autẽ uixdum inito honore, imperatoresq; duntaxat appellati, eodem illo, quo ſuſceperant die, imperiũ amiſerunt. Nam cùm ſexaginta annis plures ꝙ pro tempore principes urbs Roma pertulerit, factum ex eo eſt, uti multæ ſanè, uariæq; res, atq; admiratione dignæ exorirentur: quippe ętate prouecti principes, utpote rerum negotiorumq; periti, diligentius ſeſe, ſuosq; regebant: contrà adoleſcentes molliter atque indulgenter habiti, noua ſcilicet permulta deſignabant. Quo factum eſt, ut diſpari ætate atq; licentia, diſparia quoq; ſtudia, moresq; ſequerentur. Hęc quemadmodum geſta ſint, temporum ipſorum atq; principum ſeruato ordine, perſcribemus.

IMperator Marcus filias quidem ſuſcepit cõplures, mares autem duos: horum alter natu minor aduleſcentulus admodũ fato eſt functus: Veriſſimo nomen fuit. Alterum uerò, Cõmodum nomine, magna diligentia, curaq; pater educauit, accitis undiq; uiris doctrina claris, maximaq; propoſita mercede, uti mores pro ſe quiſq; filij, ingeniumq; excolerent. Filias porrò cùm adoleuiſſent, optimis ex ordine ſenatorio uiris collocauit. Neq; enim qui longam generis ſeriem præſerrent, aut qui opes nimias oſtentarẽt, ſed qui morũ probitate, atq; modeſtia, uitæq; innocentia præcellerent, eos ſibi generos deligendos putabat. Hęc enim ſola animi bona certa eſſe, ſtabiliaq; ducebat. Virtutem nullam nõ magnopere exercuit. Adeò literarum antiquitatis ſtudioſus, ut nemini ſit in eo genere Gręcorum Romanorumq;

manorumq́ſecundus. Argumenta ſunt permulta, quæ ab illo dicta atq; conſcripta, ad nos uſq; peruenerunt. Adeò uerò ciuilem ſeſe, & cõmodum omnib. principem præſtabat, ut adeuntiũ cuiuis dextram placidè daret, neminemq́; à ſuis cuſtodibus prohiberi aditu pateretur, ſolusq́; Imperatorũ ſapientiæ ſtudiũ non uerbis, aut decretorũ ſcientia, ſed grauitate morũ, uitæq́; continentia uſurpauit. Quo factum eſt, ut magnũ ſapientium uirorũ prouentum ętas illa extulerit. Solẽt enim plerunq; homines uitam principis æmulari. Quæcũq; igitur ab illo modeſtè atq; fortiter domi foriſq́; ſunt geſta, qualemq́; porrò ſe aduerſus barbaras natiões Septentrioni ſubiectas, ſoliq; orienti geſſerit, ea ſunt multorũ doctiſſimorumq́; hominum cõprehenſa monimentis. Quæ uerò poſt Marci obitũ per uniuerſam ætatem uiſa mihi auditaq; ſunt, nonnulla item in experiũdo cognita, utpote in publicis officijs, principalibusq́; uerſato, ea nunc conſcribenda ſuſcepi.

SEnem iam Marcum, neq; ætate ſolũ, ſed laboribus multis, curiſq́; confectum, dum in Pannonijs ageret grauiſſimus repentè perculit morbus. Quare cùm deploratam planè ſalutẽ ſuam ſentiret, anxius uidelicet agebat, ne filius qui tum primam inierat adoleſcentiam, ſiue ætatis feruore nimio, ſiue licentia quadã ſumma, quam in orbitate eſſet habiturus, bonis artibus ſtudijſq́; relictis, ebrietati ſeſe & crapulæ dederet. Quippe facilè ingenia adoleſcentium à recta honeſtaq́; diſciplina ad luxũ uoluptateſq́; delabũtur. Terrebat inſuper hominem minimè imperitum, multorũ memoria principum, qui iuuenes imperium ſuſcepiſſent, ut Dionyſii Siciliæ tyranni, cuius tanta fuit intemperantia uictus, ut nouarũ uoluptatum inuentores ſummis afficeret præmijs: ut item eorũ, qui Alexandro ſucceſſerunt. Ita enim contumelioſè uiolẽterq́; dominati ſunt, ut illius imperio graue dedecus conciliarint. Siquidem Ptolemæus eò turpitudinis prolapſus eſt, ut contra Macedonum, atq; adeò Gręcorũ omnium leges, etiam ſororijs amoribus implicaretur. Antigonus autẽ, quò Liberũ patrem repræſentaret, pro cauſia & diademate Macedonico, hederam capiti circundare, thyrſumq́; pro ſceptro geſtare eſt ſolitus. Solicitabant animũ ſenis recẽtia quoq; exempla, ut Neronis ipſius, qui ne à materna quidem cæde abſtinuerit, & ſe ridiculũ populo ſpectaculum præbuerit. Vt item Domitiani, qui nihil ſibi ad extremam crudelitatem reliqui fecerit. Has igitur tyrannidũ imagines cum animo uolutans, inter ſpem metũq́; agitabatur. Terrebat præterea illum Germaniæ uicina gens, quam nõdum planè ſubiecerat, ſed partim in ſocietatem adſciuerat, alios armis belloq́; edomuerat. Nonnulli etiam ex ijs effugerant, metuq́; principis in præſens continebãtur. Quare dubitabat, ne deſpecta mox filij ætate, arma reſumerent: quippe barbaris mos, quamlibet leuibus momẽtis aut cauſis impelli. His igitur curarũ fluctibus æſtuans, amicos propinquoſq́; omnes quotquot aderant, conuocari iubet. Qui poſtquam conuenerunt, cõſtituto in eorũ conſpectu adoleſcente filio, paululumq́; ſe è grabato ſubleuans, huiuſmodi habuit orationem:

DOlere uos, atq; angi, cùm ita me affectũ contemplamini, minimè mirandũ. Quippe humanũ eſt, humanis caſibus ingemiſcere, multoq́; magis miſericordiam prouocant, quæ oculis uſurpamus. Cæterùm peculiaris uobiſcũ noſtra ratio eſt. Nam de mei erga uos animi cõſcientia mutuam ſpero à uobis quaſi meo iure beneuolentiam. Nunc aũt illud incidit, cùm & mihi ſit iudiciũ faciundũ, fruſtra ne uobis honorem tam diu habuerim, ſtudiumq́; omne meum lubens detulerim, & uobis referenda gratia oſtendendum, non eſſe eorum quæ acceperitis, immemores. Videtis filium, quẽ ipſimet educaſtis, primas nunc adoleſcentiæ metas ingredientem, quaſiq́; in ſalo atq; in fluctu uitæ gubernatoribus indigentem, ne

rerum imperitia de recto quaſi curſu ablatus,malis artibus impingat. Eſte igitur uos illi pro me uno multi parentes, excolendo ſcilicet, atq; optima ſuggerendo. Neq; enim aut pecuniæ uis tyrannidis luxuriam explere, aut ſtipantia ſatellitum agmina tueri principem poſſunt, niſi illi ipſi quos regas, animum imperanti beneuolentiamq; accommodent. Quippe ij demum diu tutoq; imperant, qui non metum ex crudelitate, ſed amorem ex bonitate ciuium ſuorum animis inſtillant. Neq; enim quos ſeruire neceſſitas coegit,ſed quos obtemperare ſua quemq; uoluntas adegit, ij ſunt in agendo patiendoq; à ſuſpicione omni aſſentationeq; uacui: nunquamq; imperia detrectant,niſi uiolenter contumelioſe que ſint habiti. Eſt autem difficile,in maxima licentia moderari ſibi, quaſiq; frenos imponere cupiditatibus. Quòd ſi bene uiuendi autores illi fueritis, & quæ nunc coràm audit, identidem admonueritis, una opera & ipſum uobis reliquisq; omnib. optimum principem reddetis,& memoriam noſtram demerebimini,quam ſcilicet immortalem hac una ratione poteritis efficere. Talia dicentem Marcum,ita repentè animus defecit,ut ſtatim conticeſceret, ac langore nimio ſupinus in lectulum relaberetur. Tanta autem quicunq; aderant,miſeratio inuaſit, ut ex ijs nonnulli præ dolore parum animi compotes clamorem extollerent. Sed ille cùm diem unũ duntaxat,noctemq; ſuperuixiſſet, fato eſt functus, ſic ut magnum ſui deſiderium eius ætatis mortalibus, poſteris uerò etiam uirtutis memoriam reliquerit ſempiternã. Poſtquam uerò illius mortem fama uulgauit, incredibilis repentè exercitum ipſum, plebemq; adeò omnem luctus occupauit. Neq; ulli ſanè Romanæ ditionis mortales fuerunt, qui non eiuſmodi nuncium multis lachrymis exceperint, omnes' que eum uelut una uoce, alij parentem probum, alij bonum imperatorem, quidam fortiſſimum ducem, nonnulli etiam continentem moderatumq; principem uocitabant. Neq; ſanè quiſquam falſus habebatur. Paucis autem poſt diebus,celebrato iam funere,uiſum amicis eſt, adoleſcentem adducere ad exercitũ, ut & milites alloqueretur,& (qui nouis imperatorib. mos eſt)pecunijs elargiendis,uelut autoramẽto quodã illorũ ſibi animos adiũgeret. Edictũ itaq; omnibus, ut in campum de more adeſſent frequentes. Cùm itaq; proceſſiſſet Commodus, ac rem diuinam feciſſet,erectumq; ad hoc ipſum medijs caſtris tribunal conſcendiſſet, paternis amicis, qui multi ſanè doctiſſimiq; uiri aderant,circumſtantibus, ad hunc fermè modum uerba fecit:

COmmunem mihi eſſe uobiſcũ huius mœrorẽ calamitatis, neq; uos aliter quàm meipſum affectos eſſe planiſſimè perſuaſum habeo. Neq; enim ego ſuperſtite parente ipſo meo,ſuperiorẽ me uobis unquàm geſſi. Nã ille ita nos uniuerſos,ut unũ aliquẽ diligebat,lubẽtiusq; me cõmilitonem quàm filiũ uocitabat. Quippe hanc naturæ appellationẽ,illam uerò uirtutis cõmunicationem exiſtimabat. Quin infantem ſæpe me in ulnis geſtans,uobis dabat in manus, quaſiq; ueſtræ mandabat fidei. Quapropter minimè dubito,quin mihi omnem ſitis beneuolentiam exhibituri: cùm pro alumno me maiores natu habere debeant,ipſos autẽ æquales condiſcipulos armorũ iure appellauerim:ſiquidem ita nos uniuerſos,ut unũ aliquem pater diligebat, omniq; uirtutũ ſtudio,ac bonis artib. curabat inſtituendos. Nunc me poſt illum uobis fortuna principem dedit,non quidem adſcititiũ, quales ante me fuerũt,neq; uelut acquiſito imperio gloriantẽ. Quippe unus ego uobis natus educatusq; in aula,priuatiſq; intactũ cunabulis,ſtatim me ut ex aluo prodierã,imperatoria purpura ſuſcepit,ſimul' que ſol hominem me uidit, & principem. Hæc cum animis ueſtris reputantes, iure principem colite, non datum uobis, ſed natum. Nam pater quidem iam in cœlum euectus,conſors eſt, conſeſſorq; deorum.

Nobis

Nobis autem orbis terrarum gubernacula, rerumq; humanarum cura incumbit. Quæ quos ſucceſſus, quantasq; habituræ ſint uires, in ueſtra manu eſt. Si eñ belli reliquias fortiter deleueritis, & imperij Romani terminos ad Oceanum uſq; promoueritis, cùm ipſi uobis ingentem gloriam comparabitis, tum cõmunis parentis memorię debitam gratiam referetis. Atq; eum quidem exaudire, quę dicimus, & intueri præſentem, quæ gerimus, credite. Nos autem feliciſſimos, qui benefactorum noſtrorũ teſtem eiuſcemodi ſimus habituri. Quæ igitur ad hanc diem fortiſſimè proſperrimeq; geſſiſtis, illius ſcilicet ſapientię gubernationiq; tribuuntur. Quæ autem mecum, hoc eſt, cum iuuene imperatore ueſtro præclarè feceritis, ea ſunt uobis ipſis quaſi peculiarem, cùm fidei, tum uirtutis claritudinem paritura. Quocirca & ætati meæ rebus ſtrenuè gerendis autoritatem conciliabitis, & barbara gens initio noui principatus repreſſa, neq; in præſens contemptu ætatis noſtræ ſe efferet audacius, & ſuis nunc edocta periculis, metu deinceps perpetuo coercebitur. His dictis pecuniam magna copia elargitus, ut ſibi animos militum fidos faceret, in aulam reuerſus eſt. Igitur breue ſanè ad tẽpus, omnia paternis amicis autoribus gerebantur. Qui aſſiduitate, prudentiq; conſilio, nullo loco deerãt, tantũ ei tribuentes laxamenti, quantum ſatis eſſe ad tuendam corporis ualetudinem arbitrabantur. Paulatim deinceps irrepſere nõnulli ex aulico famulitio, qui ſibi ad corrumpendam iuuenis imperatoris indolem nihil facerent reliqui. Quippe menſarij adulatores, qui uentre atq; obſcœnis uoluptatibus felicitatem metiebantur, identidem illũ urbis deliciarum admonebant, & nunc quę illic uiſu audituq; iucunda forent, cõmemorabant, nunc rerum omnium copiam atq; affluentiam ferebant laudibus. Ad hæc ripas Hiſtri ut omni tempore incõmodas uituperabant, quæ neq; pomiferos haberent fruticees, & perpetuis rigoribus, nubibusq; obtinerentur. Nunquam'ne imperator, aiebant, concretã gelu, atq; effoſſam potare aquam deſines? Alij calidis fontibus, riuorumq; fluentium frigore, auris'que & cœlo illo fruentur Italiæ peculiari. Tali ſcilicet illecebrarum mentione, facilè adoleſcentis animũ uoluptatum cupidinibus incenderunt. Itaq; ſtatim conuocatis amicis, teneri ſe patriæ deſiderio nõ diſſimulauit: cauſas tñ tam repentinæ mutationis fateri ueritus, ſolicitũ ſe aiebat eſſe, ne quis opulẽs ex nobilitate domum occuparet principis: dein collectis uiribus, quaſi ex munitiſſima arce ſummam ſibi rerũ uindicaret, poſſe ex populo ſatis magnam uim delectorũ iuuenum conflari. Talia cauſante illo, reliquis metu defixis, terramq; tacito uultu mœſtoq; intuentibus, ſurgens Pompeianus, qui & ætate reliquos anteibat, & Cõmodi ſororem natu maximã in matrimoniũ habebat: Teneri te, inquit, ô fili & domine, patriæ deſiderio minimè mirandum. Quippe eadem nos quoq; rerũ domeſticarum cupido ſolicitat, ſed ei tamen reſiſtimus, quoniam priores partes agunt, magiſq; incumbunt nobis, quæ hic expedienda ſuperſunt. Nam illis quidem uel in poſterum diutius perfrueris. Roma autem illic eſt, ubi imperator eſt. Cæterũ bellũ relinquere inchoatum, prę terquàm quod indecorũ uidetur, etiam periculoſum eſt. Quippe audaciam barbaris inijcimus: neq; enim remeandi cupiditate deceſſiſſe nos, ſed aufugiſſe metu perculſos arbitrabuntur. Tibi autẽ quàm fuerit pulchrũ, deuictis hoſtibus, atq; imperij finibus ad Oceanum uſq; propagatis, redire in urbem triumphanti, uinctoſq; & captiuos præteragenti reges ſatrapaſq; barbaros, his enim artibus prioribus ſeculis Romani homines magni atque illuſtres euaſerunt. Nihil eſt autẽ quod uereare, ne qua illic res tuæ periclitentur. Nam & optimus quiſq; ſenator tecũ hic eſt, et exercitus uniuerſus tuum coràm propugnat imperium. Quin ærarium quoq; principalis pecuniæ nobiſcum eſt omne. Ad hæc

plicio affectis, cauſam poteſtatemq; ipſe haberet in eorum bona & fortunas inua
dendi. Cæterùm aliquandiu cùm patris memoria, tum amicorum reuerentia con
tinuit adoleſcentem. Dein uelut maligna quædam atq; inuida fortuna, rectũ ad-
huc moderatumq; illius ingeniũ ſubuertit. Nam ita res accidit, Lucilla erat Com-
modo maxima natu ſoror, ea prius L. Vero imperatori nupſerat, quem cõſortem
ſibi imperij Marcus aſciuerat, locata'que in matrimonium filia, firmiſſimo affini-
tatis uinculo aſtrinxerat: ſed poſtquam L. fato functus eſt, manentibus adhuc Lu
cillæ principatus inſignibus, Pompeiano eam pater deſpondit, nihilo tamen ſe-
cius priſtinum illi honorem Cõmodus reliquit uſurpandum. Nam & ſella impe-
ratoria ſeſſitare in theatro, & ignem de more præferri patiebatur. Poſtea uerò q;
Cõmodus uxorem duxit Criſpinã, ac neceſſe fuit principis uxori primo loco ce-
dere, iniquo ſcilicet hoc animo Lucilla ferens, atq; illius honorem in ſuam contu
meliam uertens, cùm ſciret à uiro ſuo Pompeiano Cõmodum diligi, minimè au-
ſa eſt quippiam ad ipſum ſuper occupando imperio referre: Sed animũ Quadrati
nobiliſſimi, locupletiſſimiq; adoleſcentis periclitata, cum quo etiam ſtupri cõſue
tudinẽ habere exiſtimabatur, grauiſſimeq; apud eum de accepta iniuria conque-
ſta paulatim adoleſcentem eò perpulit, ut in ſemet uniuerſumq; Senatum perni-
cioſiſſimè conſuleret. Quippe inter cæteros ſenatorij ordinis, qui ſecum in id fa-
cinus conſpirarent, etiam adoleſcentem quendam, Quintianum nomine, prom-
pti atq; audacis animi ſibi adiunxit, perſuaſitq;, uti pugionem in ſinu celans, tem-
pus locumq; caperet, factoq; repentè impetu Cõmodum occideret, reliqua ſe pe
cunijs largiendis curaturum. Ille in aditu amphitheatri ſubſiſtens (quippe obſcu-
ro loco facilè ſe occultũ ſperabat fore) nudato confeſtim pugione, ac magna uo-
ce proclamans, hunc tibi Senatus mittit: dum loquitur, nudum'que oſtentat pu-
gionem, comprehenſus à militibus, pœnas amentiæ dedit, ſuoq; indicio author à
ſe cauendi fuit, aperto magis quàm impleto conſilio. Hæc igitur prima, maxima'
que odij cauſa adoleſcenti aduerſus Senatum extitit. Ita namq; animum uerba il-
la ſauciarant, ut omnes hoſtium loco haberet, ſemper'que eius memoriæ uox illa
irruentis in ſe iuuenis inhæreret. Neq; uerò tantam hanc occaſionem Perennius
omiſit, ſed ei perſuaſit, ut præcipuũ quemq; ſuccideret, neq; eminere quempiam
pateretur, quorum ipſe in bona impetum faciens, facilè omnium eius ætatis ho-
minum locupletiſſimus euaſit. Quæſtiones autem Perennio diligenter exercen-
te, ſoror ipſa Cõmodi, coniuratiq; omnes, cæteriq; præterea quantulacunq; ſuſpi-
cione attacti, ſupplicio affecti ſunt. Igitur Perennius ſublatis è medio, quos impe
rator uerebatur, quiq; illum paterno quodam affectu complectebantur, atq; ipſe
illius tuendæ ſalutis cura ſuſcepta, nihilq; non autoritatis adeptus, imperium iam
ipſum animo inuaſerat, perſuaſoq; Cõmodo, ut ſuos liberos adoleſcentes adhuc
Illyricis præficeret exercitibus, ipſe pecuniæ uim ingentem contrahebat, ut ſcili-
cet prætorianos ab ipſo ampliſſimis largitionibus abalienaret. Filijq; itẽ eius clan
culum copias colligebant, eo cõſilio, ut cùm primùm Perennius Cõmodum oc-
cidiſſet, ipſi principatum arriperent. Proditæ aũt ſunt inſidiæ incredibili quodam
modo. Ludos Romani Ioui Capitolino faciunt, tanta hominũ confluente multi-
tudine, quantã par eſt cõfluere ad tantæ urbis celebritatẽ. Spectare autẽ ac pręſi-
dere in theatro unà cum ſacerdotibus, quos ordo ſingulis annis poſtulat, etiã im-
perator ſolitus. Cùm itaq; nobiliſſimis ſcenicis operam daret, ſedens imperato-
ria ſella Cõmodus pleno ſpectatoribus theatro, ſuisq; cuiq; locis ad ſedendũ pro
dignitate attributis, priuſquàm quicquam diceretur, ageretur'que in ſcena, re-
pentè quidam philoſophi habitu, manu baculum geſtans, peramq; ſeminudus

ab humero ſuſpenſus curriculo prodijt,mediaq́; in ſcena conſiſtens,manuq́; ſilen
tium impetrans: Nō hoc,inquit,ludorū tempus ô Cōmode,neq; ſpectaculis, ce-
lebritatiq́; uacandū.Imminet ceruicibus tuis Perennij gladius,ac niſi caueris, nō
quidē impendens,ſed iam præſens periculū,perijſti. Nam & ipſe hic aduerſus te
copias pecuniamq́; colligit, & nati exercitus Illyricos ſolicitant, quos niſi ſtatim
præuenias,occidiſti. His dictis,ſiue forte quadā diuinitùs huc impellente, ſiue id
auſo homine, ut gloriam ſibi ignarus atq; obſcurus acquireret, ſeu quia ſperaret
ingens aliquod præmiū ab Imperatore conſecuturū, ſanè illū derepentè obſtupe
fecerat. Cæteri aūt,etſi de nihilo ea dicta ſuſpicabantur, tamen fidem habere diſſi
mulabant. At Perennius cōprehendi hominē iubet,ac pro furioſo, & uaniloquo
igne comburi. Ita ſcilicet pœnas dedit intempeſtiuæ libertatis. Cæterùm qui ſe
Cōmodi ſtudioſos uideri uolebant, peroſi antea quoq; Perenniū, utpote intole-
randæ hominē ſuperbiæ contumeliæq́;,nactiq́; opportunū tempus, calumnijs eū
premere aggrediuntur. Sed ſcilicet ita futurū erat, ut & Cōmodus inſidias euita-
ret,& Perennius unà cum liberis penderet pœnas. Quippe haud multo pòſt mili
tes quidam clàm Perennij filio nummos quoſdam attulerunt,illius imagine per-
cuſſos,eosq́; ignaro etiam Perennio,quanq; erat prẹfectus,Cōmodo oſtenderūt,
totoq́; inſidiarū ordine patefacto, maximis ſunt muneribus affecti. Quocirca in-
ſcio negotij totius Perennio, ac tū nihil minus expectanti ſubmiſſi noctu à Com
modo quidā, caput abſciderūt, iuſſiq́; ſtatim ad illius filium pergere, cùm nihil ad
celeritatē ſibi reliqui feciſſent, etiam rumores,famamq́; eorum, quæ Romæ facta
eſſent,præuenerūt. ij amicas ei literas ab Imperatore reddiderūt,quæ magna pro-
poſita ſpe Romam reuerti iubebant. Ergo & conſiliorū et omnis eius paratus,po
ſtremò paterni caſus ignarus,cùm quidā nuntij dictitarent, etiam paternis ipſum
uerbis acciri,qui ne ipſe quidem ſcribere ſuperſediſſet,niſi ſatis momenti habitu-
ras imperatorias literas exiſtimaſſet,credidit uidelicet adoleſcens, & quamuis ini
quo animo ferret, interpellari ſua conſilia, tamē paterna fretus potentia, quā eſſe
adhuc incolumem putabat,ad reditū ſe comparat. Tum deinde ut attigit Italiam,
per eos quibus negotiū datum fuerat,occiditur. Hunc illi exitū habuerunt. Poſt
hæc Cōmodus duos conſtituit præfectos,tutius fore ratus,tantam illam poteſta-
tem non uni duntaxat credere,ſed diſſectam in partes,imbecilliorē eo pacto con
tra principem reddere. Verùm haud longè pòſt, aliæ in illum huiuſcemodi inſi-
diæ intenduntur. Maternus erat quidam miles,multa auſus nefaria. Is repētè de-
ſertis caſtris, atq; aliquot in ſocietatem cōmilitonibus aſcitis, magnam perdito-
rum manum breui collegerat, uicosq́; primò & agros populabatur, magna dein
pecuniæ ui collecta,plures quotidie ſibi ex facinoroſis copulabat,pollicensq́; in-
gentia cuiq; operæpretia,& in prædæ cōmunionem inuitans,eò rem adduxit, ut
non iam latronū, ſed iuſtorum hoſtium haberent autoritatem. Quippe magnas
etiam urbes occupabant, effractisq́; per uim carceribus captiuos ſine diſcrimine
omnes uinculis eximebant,eosq́; ſibi impunitate ac beneficijs adiungebant. Igi-
tur Galliam omnem atq; Hiſpaniam incurſibus uaſtabāt,& ut quamq; ex magnis
urbibus ui ceperant,incenſa direptaq́; protinus abibant. Quæ ubi Cōmodus co-
gnouit,rectoribus gentium plenas iræ atq; minarum mittit epiſtolas,caſtigans &
ignauiā exprobrans,ſimul cōparare aduerſus illos exercitū imperans. Quod ubi
latrones acceperunt,decedendū ſibi ex illis regionibus rati,clàm per auia quædā
cōpendia,ſeorſum alij ab alijs, in Italiā peruenerūt, ac iam de regno maioribusq́;
rebus Maternus cū ſuis deliberabat. Nā quando hactenus omnia illi ſpe ulterius
proceſſerant,aut aliquid magnū inuadendū ſibi exiſtimabat, aut certè quando in
id diſcri-

id diſcriminis inciderat,nõ obſcurè neꝗ ignauè moriendũ.Sed quoniã ſe nõ tan-
tis eſſe uiribus intelligebat, quantæ ad reſiſtendũ Commodo collata acie ſatis eſ-
ſent: quippe & Romanæ plebis, & prætorianorũ militũ propenſa in Cõmodum
uoluntas credebat,arte ſibi conſilioꝗ; graſſandũ ſtatuebat.Quocirca tale quiddã
cõminiſcitur. Veris initio,ſolenniꝗ; die,pompam matri deûm Romani celebrãt:
In ea quæ apud quemꝗ ſunt diuitiarum pręcipua,ſupellexꝗ; pleraꝗ imperatoria,
materiæ aut artis ſpectandæ præferri ante deam ſolent. Paſſimꝗ; omnibus ludẽdi
licentia permiſſa,ſic ut perſonas induant,quas cuiꝗ libitũ,nullamꝗ; nõ magiſtra-
tuum quoꝗ imaginẽ,prout cuiuſꝗ ſtudiũ repræſentent, ſic ut non temerè a falſis
ueros dinoſcas. Putauit hoc Maternus idoneũ celandis inſidijs tẽpus, ratus fore
ut ſi perſonam ſtipatoris alicuius indueret, ſuosꝗ; ad eandẽ ſimilitudinẽ armis or
naret, ac ſe haſtatis immiſcerẽt, ſic ut pars eſſe comitatus imperatorij crederẽtur,
nullo uidelicet præcauente,repentè impetu facto Cõmodum obtruncarent.Sed
proditus imperatori à ſocijs quibuſdam,qui unà cum ipſo uenerant in urbẽ,indi-
gnantibus ſcilicet,ſiquidẽ eum non pro latrone iam,ſed pro principe habituri fo
rent,anteꝗ feſtus dies adeſſet,& ipſe cõprehenſus,ac multatus capite,&qui eiuſ-
dem factionis erant,meritis ſupplicijs affecti. At Cõmodus facta re diuina,gratu
latusꝗ; deæ feſtũ agitabat,pompamꝗ; gaudens frequentabat. Sed & populus om
nis pro imperatoris ſalute diem lætabũdus celebrabat. Quæ aũt ratio ſit,cur huic
deæ tantũ honorẽ Romani habeant,non alienũ uidetur,quantũ ex hiſtoria acce-
pimus,cõmemorare,pręſertim cùm ea res pleriſꝗ Gręcorũ ignota eſſe uideatur.
Ipſum igitur ſimulachrũ cælitus,ut aiũt, demiſſum,neꝗ qua ſit materia,nec à quo
fabricatũ artifice ſatis conſtat,neꝗ planè hominũ manibus creditur factum. Hoc
igitur decidiſſe cælitus ferunt in quendam Phrygię agrũ, cui nomen Peſinunti,à
caſu eius ſimulacri factũ putant . Ibi enim à principio cõparuiſſe : licet apud alios
comperiam,pugnam illic Ilum Phryga, Tantalumꝗ; Lydũ inter ſe cõſeruiſſe,ſiue
de uia ortam,ſiue potius ob raptum Ganymedis. Cumꝗ; diu æquis uiribus decer
tatum foret,ac permulti utrinꝗ cecidiſſent, nomẽ ex ea clade loco eſſe impoſitũ.
Hic etiam fama fert, Ganymedẽ ipſum trahentibus in diuerſa germani atꝗ ama-
toris manibus uita eſſe orbatũ,ſublatumꝗ; è medio , pro calamitatis ſolatio relata
ad Iouem raptorẽ fabula diuinis fuiſſe honorib. affectum. In hoc quem diximus
Peſinunte,Phryges olim orgia colebant,ad ipſum fluuiũ Gallum, à quo etiã eui-
rati deæ ſacerdotes cognominantur. Sed ubi res Romana creuit, reſponſo acce-
pto manſurũ imperiũ,atꝗ ad ſummam auctũ iri, ſi Peſinuntiam deam ad ſe tranſ-
ferrent,miſſi in Phrygiam legati ſunt , petitum deæ ſimulacrũ, quod quidẽ facilè
conceſſum eſt,conſanguineos ſe dictitantibus, atꝗ oriundos ab Aenea Phryge.
Cùm itaꝗ nauigio deuectũ ſimulacrũ ad ipſas Tyberis fauces appuliſſet, quibus
tum Romani uice portuũ utebantur,confeſtim diuina quadã ui nauigiũ ſubſtitit,
neꝗ ullis Romani populi certatim trahentis moueri uiribus potuit, donec Ve-
ſtalis ſacerdos adeſſet . Ea cùm uirginitatem perpetuò ſeruandam polluiſſe falſò
argueretur,damnationem metuẽs,ſupplex petijt à populo,ut iudicium de ſe deæ
Peſinuntiæ committerent,quo impetrato,zonam recinxit,clarè precata, ut ſi in-
temeratam ſe eſſe,ac uirginem dea ſciret,nauim progredi iuberet. Quę ubi dixit,
ſtatim alligatam zonam manu ducta nauis ſequi cœpit . Ita ſunt pariter Romani
manifeſtam numinis diuinitatẽ,atꝗ innocentiã uirginis admirati. Sed hæc hacte
nus de Peſinuntia dea,prolixius etiam fortaſſe quàm decuit,haud inſuauẽ tamen
ſciẽtiam allatura ijs qui res Romanas minus cognitas habeant. Cõmodus autem
euitatis Materni inſidijs, maiore ſe cuſtodia muniebat , rarus prodire in publicũ,
pleruncꝗ

plerunq; temporis in ſuburbanis, aut in principalib. prædijs procul ab urbe conſumere, abſtinere prorſus ab iuriſdictione, omniq; actu imperatorio. Per idẽ tempus accidit, ut ingens Italiam quidem uniuerſam peſtilentia occuparet: ſed in ciuitatem Romanã uehementius tamen ſæuiret: utpote quæ & per ſe populo abundaret, et aduenas tòto orbe confluentes exciperet. Quare magna iumentorũ atq; hominũ ſtrages conſecuta. Tum Cõmodus (ita ſcilicet quidam medicinæ periti perſuaſerant) Laurentum receſſit, quòd frigidior ea regio ſit, ſyluisq; è lauru permultis opaca, à quo etiam regioni inditum nomen. Valere enim plurimùm aiebant ad aeris euitandam contagionem, cum odores laurorũ, tum ipſarũ amœnitatem umbrarũ. Quocirca in ipſa quoq; urbe de medicorũ ſentẽtia, pleriq; unguentis ſuauiſſimis nares atq; aures opplebant, ſuffituq; & odoramẽtis aſſiduè utebantur, quòd meatus ſenſuũ (ut quidã dicũt) odoribus illis occupati, neq; admittant aera tabificũ: & ſi maximè admiſerint, tamen eum maiore quaſi ui lõgè ſuperari. Cæterùm nihilo ſecius morbus ingraueſcere, homineſq; paſſim & pecora inter homines agitantia interire. Sed & fames eodem tempore ciuitatem oppreſſerat hac de cauſa. Cleander erat quidam Phryx genere, ex ea nota hominũ, qui publicè per præconẽ uæneunt. Hic cùm in domũ imperatoriã ſeruitio eſſet traditus, & cum ipſo Cõmodo accreuiſſet, eò ſcilicet honoris atq; autoritatis prouectus eſt, ut & corporis cuſtodiã, & cubiculi curã, præterea militũ pręfecturã ſolus obtineret. Cæterùm diuitiæ ac luxus, etiam illũ ad imperij ſpem inſtigabant. Quocirca grandi coacta pecunia plurimũ frumenti coemit. Id autẽ occluſum habebat, ſperans ſibi Rom. pop. atq; exercitus uoluntates adiuncturũ, ſi prius rerum neceſſariarum penuria laborantes, magnis repentè largitionibus demereretur. Idem gymnaſium quoq; maximũ exædificauerat, publicatis etiã balneis, ut eo modo populum ineſcaret. At Romani infenſi iam pridem, ac totius cauſam peſtilentiæ in eum conferentes, ſimul peroſi hominẽ diuitijs inexplebilem, prius quidem confertim per theatra identidem traducebant. Dein agente in ſuburbanis Cõmodo, repentè uniuerſi magnis clamoribus concurrerunt, Cleandrũ ad necẽ depoſcentes. Cùm aũt ſuburbanũ omne tumultu cõpleretur, & Commodus ipſe in alto receſſu uoluptatibus indulgeret, inſcius quæ gererẽtur (nam id Cleander cauerat) repentè extra omniũ expectationẽ armati equites principis eruperunt, Cleandri iuſſu proruẽtes obuium quemq;, ac uulnerantes. Neq; ſcilicet populus excipere illorũ impetum ualebat inermis armatorum, pedeſter equitum. Quare fuga facta in urbẽ reijciuntur, ibiq; permulti, neq; modò, quos ferro milites cõficiebãt, neci dediti, ſed quos etiã ipſi ꝓculcauerunt equites, quiq; aut conferta turba, aut equitum incurſu cõflictabantur. Igitur ad urbis portas ſine ullo impedimento perſecuti, magnã populi partẽ interfecerunt. Qui autẽ in urbe remanſerant, calamitate ſuorum intellecta, clauſis domibus cum in tecta & culmina euaſiſſent, lapidibus, teguliſq; equites deſuper inceſſebant. Itaq; ſtatim conuerſa fortuna eſt, nullo in manib. decertare auſo, ſed omni multitudine deſuper quaſi ex tuto dimicante.

Quocirca ſaucij magna pars, cum tolerare iam ulterius nequirẽt, terga fugæ mandarunt. Multi itaq; cadebãt crebro telorũ iactu, multi equis excutiebantur, inter deuolutos lapides fallẽte ueſtigio lapſantibus. Sed & pedites qui in urbe ſtatiões habebãt, populo ſuppetias aduerſus inuiſos ſibi equites raptim tulerũt. Itaq; cũ ciuile bellũ eſſet, nemo tamẽ quæ gererẽtur, nunciare Cõmodo audebat, metu Cleandri potentiæ: donec maxima natu ſoror Fadilla nomine, accurrens ad Imperatorẽ, quippe facilis aditus ſorori, crinibus ſolutis proiecta humi, ac planè in lugubrem habitũ deformata: Tu quidem, inquit, ô princeps, otiũ agitans, & omnium

quæ

quæ gerantur ignarus, extremo in periculo uerſaris. Nos autẽ ſanguis tuus pro-
pemodũ occidimus. Actum de pop. Romano, actũ magna ex parte etiã de exer-
citu eſt, & quæ ne à Barbaris quidẽ nos paſſuros expectabamus, ea nobis dome-
ſtici faciunt, & in quos maxima contuliſti beneficia, eos primos inimicos habes.
Cleander aduerſus te populum, & exercitũ armauit: quorum alteris inuiſus eſt,
alteris charus, utriq; tamẽ in armis ſunt, cædemq; inter ſe patrant, & ciuili ſangui-
ne Romam replent. Sed in nos uidelicet utriuſq; multitudinis recidet calamitas,
niſi tu q; primum neci dederis ſceleratiſſimũ famulum, qui tantę cladis illis iam
fuit, nobis mox futurus eſt autor. Hæc loquens, ueſtẽ ſcidit, multiq; item, qui ade-
rant, ſumpta de uerbis mulieris audacia, Cõmodum territabant. Is expauefactus,
cùm iam non ut impẽdens, ſed ut præſens periculũ formidaret, acciri ad ſe Clean
drum properè iubet, nihil dum certi ſcientem, ſed tamen aliquid ſuſpectantẽ Im-
peratori renunciatũ. Accedentemq; ad ſe imperat cõprehendi, & caput eius am-
putatum, contoq; præfixũ circumferri, uoluptuoſum ſcilicet atq; optatũ populo
ſpectaculũ præbiturus. Ita id malũ ſedatũ, atq; utrinq; dimicatio dirempta. Siqui-
dem milites cùm occiſum uiderent, prò quo decertabant, iram quoq; Imperato-
ris formidabant, cui uerba data, nihilq; non factũ contra illius ſententiã compere
rant. Populus contrà ſatisfactũ ſibi autoris ſupplicio putabat. Sed & liberi Clean
dri (binos enim uirilis ſexus habebat) & quotquot illius amici fuerant, ad unum
omnes contrucidati, tractaq; per urbem cadauera, & contumelioſiſſimè habita,
poſtremò in cloacas abiecta. Hęc finis Cleandri fatorũ fuit, quaſi in uno uelut am
bitioſius oſtentaret natura (ut ſic dixerim) humana poſſe ex infimo loco ad ſupre
mum faſtigiũ euehi hominem, atq; euectũ dein rurſum deturbari quamlibet exi-
guo, atq; inſperato fortunæ momento. Cęterùm Cõmodus tametſi uerebatur, nę
quid fortaſſe populus etiã contra ſe noui moliretur, tamen ſuadentibus amicis in
urbem reuerſus eſt, ac lætis acclamationibus, magnoq; comitatu exceptus, in au-
la n principalem ſe contulit. Enimuero ex illo tot aditis iam periculis, cœpit nulli
ſatis cõfidere, ſed occidere hunc, atq; illũ, nulli nõ calumniæ fidem accõmodans.
Ad hæc neminẽ cui uirtus ulla eſſet, amicũ ſibi adiũgebat, ſed à cunctis æquè re-
ctis ſtudijs animũ auocauerat. Quippe quẽ die nocteq; aliæ ex alijs effrenæ cor-
poris uoluptates grauiſſimo ſeruitio premebant, neminemq; non ab limine uelut
inſidiatorẽ ſubmouebat, quemcunq; aut probitas, aut diſciplina ulla etiã medio-
cris illuſtraret. Scurræ uerò, & qui turpiſſima quæq; repræſentabant, quaſi addi-
ctum ſibi habebant, aurigando etiam, beſtijsq; conficiendis ſupra modũ exerce-
batur, ob quę ſtudia adulatores eum fortitudinis gloria celebrabãt, quare illa mi-
nus decorè tractabat, q; modeſto principi cõueniebat. Extitere ea tempeſtate e-
tiam quædã in cœlo prodigia: ſtellæ enim per diem perpetuò apparuérunt, quæ-
damq; ex ijs in longũ productæ, medio quaſi aere ſuſpenſæ uidebantur. Præterea
animalia omne genus, minimè ſuam naturã ſeruantia, cum figura córporis prodi-
gioſa, tum membris haudquaq; congruentibus edebantur. Maximũ autẽ nefas
cùm in pręſens dolorẽ attulit, tum in futurũ peſſimo augurio uniuerſos cõterruit.
Nam cùm neq; imbres ulli, neq; nubes, tantumq; exiguus terręmotus anteceſſiſ-
ſet, ſeu nocturni caſu fulminis, ſiue igni aliquo in ipſo terrarũ motu uelut extrito,
totum deimprouiſo Pacis templum conſumptum incendio eſt, quod unum ſciſi
cet opus cunctorum tota urbe maximum fuit, atq; pulcherrimum. Idem templo-
rum omnium opulentiſſimum, egregieq; munitum, multo'que ornatum auro &
argento. Quippe uniuerſi fermè ſuas illuc diuitias, quaſi in theatrum congere-
bant, ideoq; per noctem debacchatus ignis multos ex opulẽtis egenos reddidit.

Quapropter

Quapropter cōmunem quidem iacturam publicè omnes, ſuam autem quiſq; priuatim, deplorabāt. Sed ubi templū omne conſumptū ignibus eſt, plurima quoq;, & pulcherrima urbis ædificia conflagrarunt. Inter quæ etiam Veſtæ templū, ſic ut Palladiū quoq; conſpiceretur, quod in primis colunt, atq; in arcano habent Romani, Troia (ut perhibent) aduectū, ac tum primū poſtq; in Italiam deuenit, conſpectum ab hominibus. Quippe raptum id Veſtales uirgines media ſacra uia in aulā Imperatoris tranſtulerunt. Multæ præterea, pulcherrimęq; urbis partes combuſtæ, plurimosq; dies peruagatū incendiū, non prius ſedatum eſt, quàm repentinis imbribus extingueretur. Itaq; totam rem dijs imputabāt eius ætatis mortales, quorū ſcilicet uoluntate & inchoaſſe incendium, & deſiiſſe arbitrabantur: ac portendi bella, quæ ſunt deinceps inſecuta, conſumpto Pacis templo interpretabantur. Quam deinceps famam rerū euentus cōprobauit. Enimuero plurimis maximisq; incōmoditatibus laborante ciuitate, non iam uti antea multitudo beneuolè Commodum aſpicere, ſed referre omnes eius calamitatis cauſam in illius iniuſtos actus, & reliqua uitę crimina. Siquidē neq; latebant populū ſcelera hominis, neq; latêre ipſe uolebat, ſed quæ domi non ſine infamia patrabantur, ea etiam in publicū oſtentare haud uerebatur, eoq; uecordię petulantięq; proceſſit, ut paternum primò cognomen repudiaret, ac pro Cōmodo Marci filio Herculem ſe Iouis filium iuſſerit appellari, depoſitoq; principū Romanorū cultu leonis pellem ſubſterneret, manuq; clauam geſtaret, ſimul purpureas ſibi, atq; auro intextas ueſtes circundaret, nō ſine omnium irriſione: quippe eodem ſchemate & fœminarum luxum, & heroum uirtutem repræſentabat. Talem ſe uidelicet cottidie præſtabat. Idemq; menſiū nomina demutauit, ac pro uetuſtis appellationibus nouas de ſuis cognominibus impoſuit, quorū ad Herculem pleraq;, tanquā ſcilicet ad fortiſſimū referebantur. Quin ſtatuas quoq; ſibi tota urbe poni iuſſit, inq; ijs unā pro curia, quæ arcū contenderet, ut etiam imagines ipſæ terrores atq; minas præ ſe ferrent: quam dein tamen Senatus poſt illius obitū ſuſtulit, proq; ea libertatis imaginem repoſuit. Cōmodus aūt cum temperare iam ſibi ultrà non poſſet, publicè ſpectacula edere profeſſus, omneis ſe ſua manu feras occiſurū pollicebatur, & cum fortiſſimis quibuſq; iuuenū ſingulari certamine depugnaturū. Ea cū rumoribus celebrarentur, concurrebant ex Italia omni, ac finitimis gentibus uniuerſi ad id ſpectaculū, quod nec antea oculis uſurpauerant, neq; unquā fando audiuerant. Siquidem ita eſſe certa manus illius dicebatur, ut quodcunq; deſtinaret, iaculo ſagitta'ue cōtingeret. Erantq; cum illo aſſiduè Parthorū lectiſſimi ſagittarij, ac Numidæ iaculatores, quos ille tamen omneis longè artificio ſuperabat. Vbi autē ſpectaculi dies adfuit, pleno amphitheatro exædificatus Cōmodo peridromus fuerat, per quem decurrere in orbem poſſet, ne cominus cum beſtijs pugnās periclitaretur: ſed ſupernè, ac de tuto loco tela iaciendo, iaculandi potius ſcientiam, quàm fortitudinem oſtentaret. Ceruos igitur, & damas, item cornigera alia præter tauros, currens pariter ipſe atq; inſequens impetebat, ac præuēta fuga certiſſimis ictibus proſternebat. Leones uerò & pantheras, aliaq; id genus nobiliſſima animalia, currens in orbem ſupernè iaculis cōfodiebat, ſic ut nec telum quiſquā ſecundū, nec uulnus uiderit, niſi letiferū. Nam ut primùm ſe fera cōcitauerat, ſtatim illam uel in fronte, uel in corde ſauciabat, nullo præterea uſus ſcopo, neq; ad aliam corporis partem telo deſtinato, ſic ut pariter cum uulnere ipſo cōficeretur. Cæterùm beſtiæ conquirebantur undiq;, ac tum primùm uidimus, quæ antea in picturis mirabamur. Quippe ex India, Aethiopia'que, itēq; à Meridie, & à Septentrionibus quicquid incognitū prioribus ſeculis fuerat, confecit ille pariter,

atq; oſtendit, nullo nō obſtupefacto, tam certa illa manu, tamq; nuſquā telis oberrantibus. Idem aliquādo ſagittas lunatæ cuſpidis in Mauruſias ſtruthos intorquebat, quæ & pedum celeritate, & alarū quaſi uelis ocyſſimè ferebantur, ſic ut ſummum contingeret collū, atq; ita capita amputaret, ut exectis ceruicibus (qui teli impetus fuerat) aliquandiu tamen uiuentibus ſimilē curſum continuarent. Quin & pantheram, quę ſcilicet eductū quendam in arenam curſu acerrimo cōprehenderat, ſic ut iamiam laniatura uideretur, ita opportuno uulnere conſecutus eſt, ut interfecta bellua hominē ſeruauerit, ac dentiū quoq; aciē cuſpide ipſa iaculi præueniret. Leones item cauea centū eductos, totidem miſſilibus uniuerſos occidit, ita ſuo ordine iacentibus corporibus, ut numerari facilimè ſingula poſſent, nullo ſcilicet ſuperuacuo incidente telo. Hactenus igitur quæ gerebantur, quamuis à principe aliena uiderentur, tamen quoniam fortitudinē ſcientiamq; præ ſe ferrēt, popularem quandā gratiam emerebantur. Verùm ubi iam nudus ingreſſus amphitheatrum eſt, ſumptisq; armis numeros gladiatorios implebat, tum uerò triſte Rom. pop. ſpectaculū id uiſum, nobiliſſimū imperatorē poſt tam multos parētis ſui, maiorumq; triumphos, non quidem aduerſus beluas arma capere militaria, uel Romanorū imperio congruentia, ſed ampliſſimā dignitatē turpiſſimo fœdiſſimoq; cultu cōtaminare. Facilè aūt dimicans ſuos cōpares ſuperabat, neq; tamē ultra uulnera procedebat, dante unoquoq; manus, atq; imperatorē potius q̃ gladiatorem agnoſcente. Eoq; ueſaniæ prouectus eſt, ut deſerere principalem aulā, atq; in ludum gladiatoriū migrare inſtitueret, neq; ſe amplius Herculē appellari patiebat, adoptato nobiliſſimi gladiatoris nomine, qui iam uita exceſſiſſet: quin ſimulacro illi Coloſſeo; quod Romanis uenerabile eſt, ſolis effigiem gerens, capite dempto ſuum impoſuit, atq; in baſi ſubſcripſit, non quos conſueſſet imperatorios paternosq; titulos, ſed pro Germanico mille gladiatorū uictorē. Cæterùm ipſum quoq; deſinere aliquando ab ſua uecordia, & ciuitatem tyrannide liberari oportebat, idq; anno ineunte, quem diem Romani feſtum agunt, ad Ianum uetuſtiſſimū Italiæ deum referentes, cuius etiam Saturnum ipſum ab Ioue filio pulſum fuiſſe hoſpitem prædicant, & quod ibi latuiſſet, nomen Latio inditum. Quocirca etiā nunc Romani Saturnalia prius, dein uerò initiū anni more ſuo cōcelebrant. Eſtq; eius dei biceps imago, ut à quo incipit, & in quē deſinit annus. Cùm igitur hunc diem feſtū ciuitas agitaret, in quo Romani inuicem ſe colunt, ſalutantq;, & numiſmata alter alteri, cęteraq; omnifariam munera miſſitant, ſummiq; magiſtratus conſpicuam ſibi & ſolennem purpurā induunt, uniuerſis diem concelebrantibus: ſtatuit Cōmodus, non quidē ex imperatorijs (ut mos erat) ædibus, ſed ex ipſo gladiatorio ludo, prodire in publicū, ac pro eleganti ueſtitu, purpuraq; imperatoria, procedere armatus, deducente gladiatorum agmine in conſpectum Romani populi. Quod ubi conſilium ſuum ad Martiam retulit, unam è ſuis concubinis, cui ſcilicet plurimū deferebat, ac propè uxoris eam loco habebat, ſic ut præter ignem, omnes honores uelut Auguſtæ tribuerētur: intellecto mulier tam abſurdo turpiq; conſilio, orare multis lacrymis, ſupplexq; ad genua accidere: ne aut Romanū imperiū pollui pateretur, aut ipſe uitam ſuam perditis ac deploratis hominibus tam periculoſè cōmitteret. Sed cùm nihil profeciſſet, lacrymās diſceſſit. Ille præfectū exercitibus, Lætū nomine, & Electū cubiculi cuſtodē ad ſe accitos, parare iubet in ludo ipſo gladiatorio, quò ſe dormitū recipiat, ut illinc ad ſacrificandū manè procederet, ac ſe armatū Romano populo oſtentaret. Illi multis precibus perſuadere tentabant, ne quid indignum principe conaretur. Quib. Commodus ira percitus faceſſere ab ſe iuſſis, ſtatim in cubiculū reuerſus, ut quemad-

modum cōſueuerat,meridiaretur,ſumpto in manus libello, quales de philyra tenuiſſimi,atq; in utramq; partē replicabiles fiunt, conſcribit in eo quoſcunque illa nocte interficere deſtinauerat.Ex quibus prima erat Martia,mox Lętus atq; Electus,poſt hos ingens eorū numerus,qui plurimū autoritatis in ſenatu obtinebāt: ſiquidē ſenes uniuerſos paternos amicos tollere è medio,ne cenſura illorū ſua interpellarentur flagitia,bonaq; ipſa diuitū dilargiri partim militibus,partim gladiatoribus decreuerat, ut alteri ſe defenderent, alteri oblectarent. Eum igitur libellum ita conſcriptū ſupra lectulū depoſuit,neminem ad ſe introiturū ſuſpectans. Erat aūt puſio quidam, infans adhuc,ex ea nota,qui ueſtitu cætero nudi,ſed auro gemmiſq; ornati,ſolent delicatiſſimo cuiq; Romanorū eſſe oblectamento. Is ita Cōmodo charus erat,ut cum illo ſæpe etiā cubaret,ac Philocōmodus appellaretur,ipſo indicante nomine,amorē principis.Hic itaq; puer ſorte ludibundus, occupato inter balnea & crapulas Commodo, cubiculum (ut conſueuerat) ingreſſus, ſumpto in manus libello, qui cum luſitaret, foras proceſſit, ac forte quadam in Martiam incidit: quæ cùm puerū etiā ipſa diligeret,cō plexa prius,atq; deoſculata, libellū manu aufert, uerita ne quid ob infantiā inſcius puer rerū fortaſſe grauiorū labefaceret.Agnita dein Cōmodi manu,ac legendi cupidine illecta, ubi funeſta cōtineri,ac ſe primam peti intellexit,Lætumq; & Electū ſubſequi, tantamq; deinceps reliquorū futuram cædem, hæc ſecū ingemiſcens conſuſurrabat: Euge Cōmode,hæccine præmia beneuolentiæ, amoriſq; ſunt? Ita ſcilicet de te merui, cum tam multos annos cōtumelias,ebrietatemq; tuam pertuli. Sed nequaquam tibi hæc ita ſucceſſerint, uiro temulento,aduerſus ſobriam mulierem. His dictis, Electū ad ſe arceſſit,quem etiam ipſa aliquando per ſe cōuenire, utpote cubiculi cuſtodē ſolita,& cū eo quoq; ſtupri habuiſſe conſuetudinē credebatur, traditoq; in manus libello: Vide,inquit, Electe, cuiuſmodi ſumus hac nocte feſtū celebraturi.Is eo lecto expauefactus(erat aūt Aegyptius genere,audax homo,ac promptus,& iraſci facilis) ſtatim ſignatū libellū per hominē ſibi fidū,Læto legendum mittit. Qui item exterritus,ad Martiam contendit,ſimulans de ijs ire ſe conſultatum,quæ ad concinnandū ex iuſſu principis ludum gladiatoriū pertinerent. Hoc igitur uſi prætextu, conſtituunt, aut faciendū ſibi q; primùm, aut patiendum aliquid,nullū moræ locum,nullū procraſtinationi eſſe.Placitū autē eſt, rem ueneno agi,quod ſe facilè daturam Martia recepit, quippe ſolita primum illi miſcere atq; offerre poculum,ut ab amica porrectum ſuauius biberetur.Igitur redeunti ex balneis,cōmixtum uino odoratiſſimo uenenū in calice obtulit. Ille diu lauando,uenandoq; collecta ſiti,ueluti de more propinatū ſibi temerè interbibit. Quare ſtatim capitis grauedine occupatus,atq; in ſoporem prolapſus,cum id ex labore accidiſſe opinaretur,quieti ſe tradidit.Electus aūt, & Martia recedere omnes confeſtim,& ſuam quemq; domū reuerti iubent,ne ſomni indigum Commodū,expergēfacerent.Id aūt aliàs quoq; ex ebrietate nimia facere cōſueuerat: nam cùm uel balneis,uel epulis operā daret,nullū ſcilicet habebat præſtitutum quieti tempus. Etenim aliæ ex alijs uoluptates, eæq; inter ſe maximè diuerſæ, ſeruire ſibi hominem,etiam inuitū quocunq; tempore ſubigebant.Pauxillū igitur cùm requieſſet, ac iam ſe ad ſtomachū & aluum ueneni uis inſinuaſſet,oborta uertigine, uomitus & quidē affatim,conſecutus eſt,ſiue ipſo cibo,quem largiter antè ſumpſiſſet,multa'que meri potione,uirus expellente,ſeu quoniam principibus mos eſt,antequā cibū capiant,medicamento uti,quo uenena prohibeantur. Cæterùm cum multū euomuiſſet,ueriti illi,ne ueneno quoq; omni eiecto,colligeret ſeſe, atq; unà omnes cędi imperaret,perſuaſerūt magna mercede,Narciſſo cuidā audaci ſtrenuoq; adoleſcenti

adoleſcenti, ut ipſum in cubiculo ſtrangularet. Hunc finem uitæ Commodus habuit, tredecim annos poſt parentis obitum imperio adminiſtrato, unus omnium ante ſe imperatorum nobiliſſimus, omniumq́ eius ætatis hominum formoſiſſimus: quòd ſi dicendum de fortitudine quoq́ eſt, ne in hoc quidē cuiquam, præſertim deſtinandis ictibus, conceſſurus. Sed tamen totam uitæ rationem ſtudijs (ut dictum eſt) fœdiſſimis contaminauit.

LIBER SECVNDVS.

OCCISO Cōmodo, quemadmodum ſuperiore uolumine demonſtrauimus, cùm celare factū interfectores, & aulicas excubias fallere uellēt, uili quodam ſtragulo inuolutum, conſtrictumq́ corpuſculum, ac duobus exploratæ fidei famulis impoſitū, ædib. exportandū, uelut aliquid ſuperuacuū ex cubiculi ſupellectile curauerunt. Qui aūt exportabāt, per medios euaſere cuſtodes, partim ebrios dormitantesq́, ac manu languida tenentes haſtilia, partim etiam ſocordes eorū, quæ ad ſe parū pertinere arbitrabātur. Ita corpus principis furtim elatū, ac per noctem uehiculo impoſitum, in Ariſteum miſerunt. Lætus autē, Martiaq́ quid agendū foret diu deliberato, tandem decernūt, ita de eius morte rumores ſerere, quaſi repentè in apoplexiam incidiſſet, quod facilè de illo creditū iri exiſtimabant, quem conſtabat identidē ſolitū immoderatis epulis ſaginari. Sed ante omnia tamen uiſum eſt, aliquem prouectū ætate, ac modeſtum hominē deligere ad imperiū, per quem & ipſi incolumes forent, & omnes à ſęua immoderataq́ tyrannide reſpirarent. Igitur diu conſultato, neminē ſic idoneum inuenerunt, ut Pertinacem. Erat autē Pertinax genere Italus, domi belliq́ rebus geſtis clarus, multisq́ inſignis tropæis, quæ aduerſum Germanos atq́ Orientales Barbaros erexerat. Vnusq́ erat reliquus è grauiſſimis illis, quos pater Cōmodo amicos reliquiſſet, cuiq́ plurimùm ex omnibus ſocijs ducibusq́ detulerat: tutus hactenus, uel grauitatē ipſam uerito, uel ob paupertatē hominis diſſimulante Cōmodo. Siquidē id quoq́ illius laudibus accedebat, quòd cùm plurima omniū adminiſtraſſet, tamen erat omniū pauperrimus: Hunc igitur Pertinacē nocte intempeſta ſopitis omnibus, Lętus atq́ Electus cùm paucis eiuſdē factionis adeūt, & cùm ianuam occluſam offendiſſent, ianitorē excitauerūt: qui ubi adaperuit, militesq́ & Lætū præfectū adeſſe uidit, perterritus atq́ expa:iefactus, Pertinaci renunciat. Is admitti ilicò iubet, euentura mox inquiēs, quæ ſibi ad eam diem mala præſagiuerat. Tanta porrò fuit animi conſtantia, ut ne lecto quidē ſe mouerit, ſed ingreſſis Lęto atq́ Electo, quamuis ad ſe occidendū miſſos crederet, pleno audaciæ uultu, minimeq́ pallenti: iampridē, inquit, hunc exitū uitæ ſingulis etiam noctibus ſperabā, qui ex omnibus paternis amicis unus adhuc eſſem reliquus. Itaque demirabar, quo'nam tam diu rem differret Commodus. Proinde quid ſtatis, quin facitis imperata, meq́ à triſti aliquando, ac perpetua formidine liberatis? Ad hæc Lætus: Deſine, inquit, indigna te, & ſuperiore uita tua fabulari, neq́ nos mortē tuam, ſed ſalutē cùm noſtram, tum Romani imperij pętitū uenimus. Iacet enim tyrannus, debitasq́ luit pœnas, ea paſſus à nobis, quę in nos facere moliebatur. Quare huc adſumus imperiū tibi tradituri, quē unū ex omni Senatu, uel temperantia uitæ, uel autoritate, uel ætate etiā, & grauitate morū ſcimus eſſe pręſtantiſſimū, charumq́ populo, & uenerabilē, ſperantes quod agimus, & optabile illis, & nobis ſalubre futurū. Ad hęc Pertinax: Deſinite, inquit, ſenem ludere hominē, atq́ ita timiditatis arguere, ut prius decipere, dein occidere ſtudeatis. Atqui, in-

quit Electus, quando nobis parũ credis, cape libellũ hũc (nam manũ certè agnoſcis Cõmodi) tute lege, cognoſces ꝓculdubio, quantũ effugerimus periculi, neq; tentamentũ aliquod in noſtris uerbis, ſed ueri fidẽ deprehendes. Quod ubi Pertinax fecit, iam profectò uiris antea quoq; ſibi amiciſſimis credendũ ratus, intellecta omni re, totũ ſe illorũ poteſtati permiſit. Placuit igitur primò exercitũ adiri, ac militũ tentari animos, quos tamen Lætus in ſententiã ſuam facilè ſe adducturum pollicetur, quippe cuius aliqua, utpote præfecti, futura eſſet apud illos autoritas. Quocirca omnes quotquot aderant, ad exercitũ feſtinant, cùm iam multũ noctis proceſſiſſet, inſtante Calend. Ianuár. die. Mittũt prætèrea fidos homines, qui paſſim rumorẽ diſſeminẽt, uita defunctũ Commodũ, Pertinacemq́; iam imperaturũ, cõtendere ad exercitũ. Qui ubi rumor euagatus, repentè populus uniuerſus lymphato ſimilis ebacchari, & diſcurrere per uias, ac lætabundi omnes renuntiare ꝓ ſe quiſq; amicis, quibus aut dignitas, aut diuitiæ ſuperabant: namq; illis potiſſimũ diſcrimẽ impẽdebat à Cõmodo. Ibant igitur ad templa, & aras dijs gratulatũ, alij alia uociferãtes. Quidã iacêre tyrannũ, pars gladiatorẽ, nõnulli etiã multo his fœdiora. Quæq; hactenus metus repreſſerat, ea nunc licẽtia ac libertate oborta, impunè iactabantur. Sed & pleraq; pars populi curſu concitato, ad exercitũ tendebat, ueritis omnibus, ut ſatis libẽter imperatorem Pertinacem milites acciperent, quippe moderatũ principẽ, nõ ſanè nimis ex ſentẽtia futurũ ſperabant militibus: qui ſcilicet tyrannidi ſeruire, uimq́; omnẽ ac rapinas exercere conſueuiſſent. Itaq; uelut ad obſequiũ impulſuri, cõfluxere ad caſtra frequẽtes. Quò ubi peruentum, ingreſſi Lętus & Electus unà cum Pertinace ſunt, ibi cõuocatis militibus, ad hũc modũ Lætus uerba facit: Cõmodus imperator ueſter apoplexiæ morbo interijt. Cauſa mortis nemo alius, ſed eſt ipſemet ſibi. Nam cum fruſtra nos optima atq; ſalubria ſubijceremus, gerẽs ille ſe quemadmodũ omnes noſtis, cibo potuq; nimio ſuffocatus eſt, atq; is quidẽ ſuo ſibi fato extinctus perijt. Quippe nõ una eademq́; cunctis hominib. mortis cauſa, ſed aliæ alijs, cunctæq; tamẽ ad eundẽ tendentes uitæ finẽ. Verùm pro illo adducimus uobis ipſi, ac Romanus pop. uirũ ætate grauem, uita moderatũ, militaris diſciplinæ peritiſſimũ, cuius bellicã uirtutẽ uos quidem ueterani ſæpenumero experti, cęteri tot annos urbi præfectũ non honore ſolùm, ſed etiam admiratione digniſſimum iudicaſtis. Igitur fortuna non principem ſolũ uobis dat, ſed parentẽ quoq; optimũ. Cuius principatus nõ uobis modò, qui eum præſentes tuemini, ſed ijs etiã iucundiſſimus futurus eſt, qui ripas fluuiorũ, ac Romani terminos imperij defenſant, uidelicet res eius præclarè geſtas memoria retinentibus. Neq; uerò iam Barbaros nobis precio conciliabimus, ſed eorũ memores, quæ hoc duce perpeſſi ſunt, metu potius ſubigentur. Hæc dicente Læto, minimè iam ſe cohibuit populus, quin ceſſante adhuc & dubitabundo milite, Auguſtũ illũ declararet, patrẽq; appellaret, & fauſtis omnibus acclamationibus ꝓſequeret. Idẽ etiã milites factitabãt, quanq; nõ pari alacritate, ſed circũfuſa undiq; inermibus, feſtũq; agitantibus diem, populi turba facilè illos acclamare, ac Pertinacẽ uocare Auguſtũ coegit. Mox iurati de more in illius nomẽ, factaq́; re diuina, laureati omnes populus atq; exercitus ꝓſequebantur. Sed poſtq; in aulã imperatoriã per noctẽ (ut diximus) à milite populoq; deductus, magnis curarũ motibus æſtuabat. Et quamuis animo eſſe forti cõſtantiq; uideretur, tamẽ illum uehementer præſentia territabant, nõ de ſalute ſua magnopere ſolicitũ: quippe aliàs grauiora pericula contẽpſerat, ſed repẽtinę tyrãnidis mutationẽ animo uerſantẽ, nobilitatẽq; nonnullorũ ſenatorũ reputantẽ, q̃s minimè paſſuros arbitrabatẽ, poſt imperatorẽ generoſiſs. rediſſe principatũ ad hominẽ priuatę ſtirpis atq; obſcuræ

Nam ſi

Nam ſi uita ipſius planè temperans ac frugalis audiebat, maximamq́; in bellicis
negotijs gloriam fuerat adeptus, attamẽ claritate generis impar habebatur. Igitur
poſtꝙ diluxit, in curiã ſe cõtulit, neq; ignem ſibi pręferri, neq; ulla principatus in-
ſignia paſſus attolli, donec ſenatus ſententiam ſcitaretur. Sed eum omnes ſimul
atq; uiderũt, lętis acclamationib. unanimiter exceperunt, Auguſtumq́; & impera
torem conſalutarunt. At ille recuſare inſtitit, tanꝙ rem inuidioſam nomen impe-
rij, excuſare ſenectutẽ, ueniamq́; orare, multos eſſe dictitans patricios uiros, qui-
bus magis imperiũ conueniret. Simul Glabrionẽ manu cõprehenſum protrahẽs,
ſeſſitare imperatoria ſella iubebat. Erat enim ille omniũ patriciorũ nobiliſſimus,
ad Aeneam Veneris & Anchiſæ filium ſeriem generis referens, idemq́; iterum
cõſul, qui tamẽ ita tum locutus eſt: Equidẽ egomet, quem tu omnium putas di-
gniſſimũ, cedo tibi imperio, atq; unà mecũ Senatus omnis ſummã tibi poteſtatẽ
decernimus. Ibi uerò ille uim penè afferẽtibus, atq; impẽſè rogãtib. uniuerſis, uix
tandẽ dubitabũdus ſellã imperatoriã cõſcẽdit, atq; orationẽ huiuſcemodi habuit:

CONſenſus hic ueſter, ſtudiumq́; eximiũ uni mihi plurimũ in tanta iſta nobi-
litate deferendi, cùm omni adulationis ſuſpiciõe uacet, argumentũq́; bene-
uolentiæ, fidemq́; præferat, aliũ fortaſſis audaciorem atq; alacriorẽ redderet ad ea
quæ traderentur ſuſcipienda, ſperantem facili ſe gubernatione uſurũ, qui tantam
in uobis beneuolentiã animaduerteret. Me aũt contrà, magna iſta ſcilicet, atque
egregia, ſicut honoris ſenſu obſtupefaciunt, ita metu quodã, curaq́; ſolicitant. Si-
quidem arduũ in primis eſt, magnis acceptis beneficijs, paria referre. Nam in be-
neficiorũ uiciſſitudine, ſi magnam gratiã referat, qui paruam debuerit, nõ tam fa-
cilitas remunerandi expenditur, ꝙ in ipſo argumentũ grati animi cõmendatur.
Sed cùm prior quiſpiã eximia in te quædam cõtulerit, tum ſi illũ parũ amplè de-
merearis, nõ tam deeſſe quod reponas, ꝙ ipſe inops ſenſuum, ac planè ingratiſſi-
mus uideare. Cerno igitur iam animo, ꝙ mihi arduũ ſit propoſitum certamen, ne
tanto à uobis accepto honore parũ me fortaſſe dignũ exhibeam. Quippe non in
ſella ipſa faſtigiũ dignitatis, ſed in operibus ſitum, quæ illam minimè dedecorent.
Nam quantũ pręterita odimus, tantũ de futuris bene ſperamus. Et ut tenax eſt in-
iuriarum memoria (quod enim offendit, nunquã obliteratur) ſic beneficia in ipſo
excidunt uſu. Siquidẽ non tam delectat libertas, ꝙ ſeruitus offendit. Neq; haben
dam quiſquã gratiã putat, quòd rebus ſuis pro arbitrio utatur, quippe id ſibi de-
beri iure autumat. Qui uerò ſuis exuitur bonis, nunꝙ ſanè iniuriarũ obliuiſcitur.
Neq; quiſquã lucro apponit, quod utilitatẽ in cõmune pariat. Quę enim publicè
proſunt, parũ cuiq; curæ ſunt: ſin quæ propria cuiuſq; ſunt, minus ex ſententia ce
ciderint, tum nemo ſatis ſecũ benignè agi putat. Ad hæc, quicunq; enormibus ty
rannorũ atq; immenſis largitionibus inſuerunt, ij ſi frugalius paulo, aut continen
tius ex pecuniæ inopia agere inſtituas, non tam id moderatæ cuidam diſpenſa-
tioni, prudentiq́; attribuunt, ꝙ auaritiam cõtinuò tibi & ſordes exprobrant. Neq;
autẽ cogitant, neminẽ poſſe magna cuiuis dilargiri, qui ſe à ui atq; à rapinis abſti-
neat. Qui aũt rectè, ac pro cuiuſq; dignitate diſpenſat, nõ modò nihil cuiquã iniu
ſtè eripit, ſed & cæteros frugi eſſe docet, & parcere parto. Hæc igitur cum animis
ueſtris reputantes, adnitimini uos quoq; mecũ patres, cõmunemq́; hanc imperij
adminiſtrationẽ exiſtimate. Quippe in repub. optimatium, nõ autẽ ſub tyrannide
uicturi, cùm ipſi optimã habere ſpem, tum reliquis etiam debetis polliceri. Hæc
locutus Pertinax, Senatui animũ addidit, uotiſq́; exceptus, & acclamationibus,
habituſq́; honorificentiſſimè, Iouis, aliorumq́; deorũ templis conſalutatis, ſacrifi-
cioq́; de more facto, in aulam palatinam ſe contulit. Poſteà uerò quàm fama uul-

gauit, quæ ille uel in Senatu dixiſſet, uel ad populū ſcripſiſſet, læti omnes agitare,
ſperantes ſeriū ſe & clementē principē, parentemq; adeò magis ꝗ imperatorē ha
bituros. Nam & militib. edixit, ne cui ex populo contumeliā facerēt, ne'ue quem
uiatorē pulſarēt, cunctaq; deniq; ad honeſti cultū modeſtiamq; referebat. Ipſe cū
aut ingrederet̃, aut ius diceret, comem ſcilicet, ac manſuetā indolē oſtendebat, &
cùm Marcū in primis referre uideret̃, ſeniores quidē admonitu delectabat, reli-
quos aūt à crudeli contumelioſaq; tyrannide ad modeſtā uitā, tranquillamq; uin-
dicatos, facilè ad ſe amandū impulerat. Quæ cùm fama latius euagaretur, natiōes
omnes atque exercitus ſubiectos Romanis aut amicos ad deferendos ei diuinos
honores incitauit. Quin Barbari quoq;, ſi qui aut frenos depulerant, aut ſeditiōes
moliebant̃, metu uirtutis, quā pręſtitiſſe eum ſuperioribus bellis meminiſſent, iu-
ſtitięq; fide, cùm neminē ab illo ſcirent ultro offendi, ſed gratiā cuiq; ꝓ meritis re-
ferri, uimq; abeſſe & crudelitatē, ſponte illi ſe dediderunt. Legatiōes præterea un
dique confluebant, gratulatū Rom. pop. quòd Pertinacis imperio gubernarent̃.
Sed quod pleriſq; omnib. publicè priuatimq; gratum fuit, modeſtū manſuetumq;
principē pop. Rom. cōtigiſſe, id uerò urbanæ cohortes imperatorū cuſtodiæ ad-
hibitæ grauiter moleſteq; ferebant. Siquidē à rapinis iniurijsq; ad temperatū uitæ
cultū reuocatæ, ac mitem illam ciuilemq; gubernandi rationē in contumeliā ſuā
ac dedecus accipientes, ut ex qua licentiā ſibi ademptā intelligerēt, nullo iam pa
cto rectorē huiuſcemodi tolerandū ſtatuebant. Igitur principio cōtumaciores ſe
gerere, minusq; dicto audiētes eſſe. Poſtremò nondū bimeſtri imperio expleto,
cùm quidē ille iam non dubiū ſuæ probitatis ſpecimen dediſſet, uniuerſis in opti-
mam ſpē erectis, inuidit repentè mala ſors, quę omnia funditus euertit: ſic ut egre
gij illi conatus uehementer omnib. ꝓfuturi, in medio quaſi curſu prolaberentur.
Nam primū quidē quicquid in Italia aut alibi gentiū inculti ſoli, etiamq; ſub regi-
bus uacaret, id totū occupantibus & colentib. adiudicauit: decemq; annorū im-
munitatē, ac perpetuā libertatē agricolis conceſſit. Imperatorijs aūt poſſeſſionib.
nomen ſuum inſcribi prohibuit, nō eſſe illas dictitans imperantium proprias, ſed
cōmunes Romanorū, & publicas: uectigalia quoq; omnia, quæ ad cōtrahendas
pecunias tyranni excogitauerāt in fluuiorū ripis, in urbiū portubus, perq; uias &
itinera, penitus remiſit, atq; in antiquā libertatē reuocauit. Multaq; item ad idem
exemplū facturus uidebat̃. Nam & delatores urbe exegerat, & ubiubi inuenirentur,
puniri imperauerat: cauens ne cui de uanis criminibus periculū conflaret̃. Er
go in maxima trāquillitate ſeſe, beatiſſimoq; rerū ſtatu uicturos Senatus, cæteriq;
arbitrabant̃. Siquidē adeò ſe æquabilē paremq; cæteris pręſtabat, ut filium quoq;
iam adoleſcentē in aulā palatinā nunq; adduxerit, ſed intra priuatos parietes con
tinuerit: ſic ut in ludū quoq; literariū, atq; gymnaſia de more itaret, nihil priuatis
abſimilis, erudireturq;, & omnia perinde ut quiuis è medio agitaret, neq; ullā aut
tyrannicam, aut omnino imperatoriā pompā oſtentaret. Cùm in hac morū uitęq;
modeſtia ageret, ſoli ſcilicet prætoriani milites, præſentē rerū conditionē haud ſa
tis æquo animo ferentes, ueterē illam licentiā uiolenter ſe gerendi raptandiq; om
nia affectabant, interq; uina & epulas cōſilia inierunt, Pertinacē è medio tollēdi,
grauem ipſis, atq; oneroſum, alterumq; eius loco imponendi rebus Romanis, in-
dulgentem atq; intemperantē, nihilq; deniq; nō licentiæ præbiturū. Igitur confe-
ſtim haud opinato cunctis otiū agitantibus turbidi ac furentes, militari curſu me-
ridie ipſo, protentis haſtis, nudis gladijs, frequentes ad imperatoris ædes ferūtur.
Re aūt ſubita inſperataq; perterriti cubicularij palatini, pauci plurimis et inermes
armatis minimè auſi reſiſtere, relicta ſua quiſq; ſtatiōe diuerſi alij aliò defugerunt.

Pauci

Pauci tamē ex amiciſſimis nuntiato militū concurſu perſuadere Pertinaci cona-
bantur, uti fuga ſibi cōſuleret, populiq́; auxiliū imploraret. Ille aūt tametſi utilia in
præſens audiebat, tamē indecorū exiſtimans, atq; illiberale, minimeq́; dignū im-
peratoria maieſtate, atq; anteacta uita, fugæ aut latebris ſalutē debere: occurrere
periculo, ac procedere in mediū decreuit, ſperans perſuaſurū quæ uellet, & furen
tes in præſens animos placaturū. Igitur cubiculo egreſſus, factusq́; irruētibus ob-
uiam, quærere cauſas inſtitit tam ſubiti motus, & à fœdiſſimo illo tumultu abſter-
rere, non attonitus periculo: ſed habitū oris grauē moderatūq́; retinens, paremq́;
imperatoriæ dignitati, ac nihil humile, nihil pauidū aut obnoxiū, nihil deniq; ſup
plice dignū præ ſe ferens, ita ad eos uerba fecit: Me quidē, ô milites, inquit, ſi oc-
ciditis, neq; ipſi rem magnā facitis, neq; mihi ſanè grauem, homini uidelicet huius
ætatis & gloriæ. Siquidē humanæ uitæ finis certè eſt aliquis neceſſarius. Vos aūt
principis curæ cuſtodiæq́;, & propulſandis aliunde periculis adhibitos, cædē ip-
ſos facere primos, neq; ciuili tantū, ſed imperatorio quoq; ſanguine polluere dex
tras, id uerò uidete, ne uel in præſens flagitioſum ſit uobis, uel in poſterū pericu-
loſum. Neq; enim ego ulla uos iniuria affeci. Si enim Cōmodi doletis interitu, ni-
hil ꝓfectò nouū fuit mori, qui homo natus fuerat: ſin dolo necatū putatis, nō meū
ſanè id crimē, quippe quem ipſi ſcitis ab omni etiā ſuſpiciōe procul abeſſe. Quæ
enim tunc acta ſunt, uos primi cognita habuiſtis, ut etiā ſi quid obortū ſuſpiciōis
eſt, id utiq; alios attigerit. Cæterū ne illo quidem extincto, quicq; uobis deſieri pa
tiemur, quod modeſtè, atq; ex dignitate ueſtra, nō aūt per uim & rapinas cōcupi-
ueritis. Ita loquente eo, iam quidā ex his permotum iri uidebanť, neq; ſanè pauci
abire iam cœperant, ueriti ſanctimoniā principis, ac ſenectutē: ſed à cæteris facto
impetu obtruncať. Qui ſtatim eo perpetrato ſcelere multitudinē declinātes, in-
digniſſimè laturā id facinus, occupant in caſtra abire, muroq́; cōtinent ſe diſpoſi-
tis ꝓ turribus armatis, qui populū à mœnibus arcerent. Hunc finē Pertinax ſorti-
tus eſt uitæ, morūq́; (ut ſuprà diximus) laudādus. Sed ubi cædis illius fama per po-
pulū dedita, tumultu ſcilicet, luctuq́; omnia compleri, diſcurrere uniuerſi furen-
tibus ſimiles, neq; certi, quid agerent, quærere ipſos autores, quos neq; inuenire
tn̄ poterāt, neq; ulciſci. Pręcipuè uerò Senatus indignè id ferre, cōmunemq́; eam
calamitatē exiſtimare, deſiderans parentē optimū, ac principē indulgentiſſimū,
rurſumq́; tyrannidem metuens, quā cordi eſſe militib. intelligebat. Sed cum dies
unus, itemq́; alter abiiſſet, plebsq́; uniuerſa ſuo quiſq; metu quietē ageret, & qui
dignitate autoritateq́; pollebant, in ſua prædia q̃ longiſſimè poterant, ab urbe ſe-
ceſſiſſent, ne quid in eligēdo ſucceſſore grauius obiiceretur: cognito milites, &
quietū eſſe populū, & exiſtere neminē, qui principē interfectū uindicaret, ipſi qui
dem caſtris ſe cōtinebant: conſtituto aūt ſupra murū uocaliſſimo quoq;, edicunt
uenale imperiū, traditurosq́; ſe ei qui plurimū pecuniæ polliceretť, tutoq; in aulam
deducturos. Id auditū neminem è Senatu grauitate atq; autoritate præditū, nemi
nemq́; è nobilitate, aut ex his deniq; permouit, quicunq; adhuc opulenti ſupera-
bant tenues reliquiæ Cōmodi tyrānidis, neq; auſus quiſquā, aut muro ſuccedere,
aut turpem contumelioſumq́; dominatū pecunia paciſci. Sed enim Iuliano cuidā
cōſulari uiro, qui grandē habere pecuniā credebať, ueſpere ſupra cœnā nuntiať,
inter uinū atq; epulas, militū edictum. Quippe homo alioqui parū uitæ continen
tis habebatur. Perſuadent igitur uxor, atque filia, & paraſitorum turba, ut relicta
menſa acceleret, & quid agatur intellegat, ac ſubinde inter eundū adhortātur, oc
cupet proiectum imperium, ſuperaturū largitione omnes, qui tantum diuitiarum
poſſideant. Igitur ubi ad muros acceſſit, clamare occœpit, daturum quæ uellent:

habere ſe magnas opes,plenos auri theſauros,atq; argenti.Eodemq; tẽpore Sulpitianus & ipſe uir conſularis,ac præfectus urbi,ſocerq; Pertinacis imperiũ licitabatur. Verùm in eo milites ſuſpectã habuerũt Pertinacis propinquitatẽ, ſubeſſe aliquid fraudis ſuſpectantes, quò illius cædes uindicaretẽ. Ergo Iulianũ ſcalis demiſſis ſupra muros àttollunt, non prius auſi reſerare portas, quàm conueniret de numero dandæ pecuniæ.Ille ingreſſus in caſtra primum quidẽ honores Cõmodi. & ſtatuas quas ſuſtulerat Senatus,inſtauraturũ pollicebatur, concesſurumq; ipſis quam quondã ſub illo licentiã obtinuiſſent: præterea,militibus ſingulis plus multo argenti daturũ,quàm aut petere auderent, aut accepturos expectauerant: neq; in dando moram futurã: nam domi eam pecuniã adſeruari. Quibus adducti rebus milites,atq; in tantam ſpem erecti,Iulianũ declarant principẽ, ſimul ei Commodi cognomen imponunt. Tũ ſignis ſublatis,impoſitisq; illius imaginibus, deducere hominẽ tendũt. Igitur de more ſacrificio in caſtris peracto, exijt maiore militum comitatu, quàm cæteri conſueuerant, ſiquidẽ per uim, contraq; populi uoluntatem, perq; turpitudinẽ & dedecus,imperiũ emercatus,iure impetũ multitudinis uerebatur.Sed induti armaturas milites,circunſeptiq; undiq; teſtudine facta, ut etiam ſi res poſceret,dimicarent,receptoq; in mediũ imperatore ſuo,clypeis, haſtisq; ſupra capita elatis,ut tutiores forent,ſi fortè lapides è tectis mitterentur, deducunt eum in aulã,neq; auſo reſiſtere populo,neq; (ut mos eſt) fauſtis acclamationibus proſequente,ſed diras procul imprecantib.uniuerſis,grauiterq; exprobrantibus, quòd ære ſibi imperiũ parauiſſet. Tum primùm uidelicet corrupti militũ mores, fœdaq; & inſatiabilis pecuniæ cupiditas, & contemptus imperatoriæ maieſtatis inoleuit. Nam cùm neq; uindex exiſteret ullus tam crudeliter interfecti principis,neq; promercale factũ imperiũ,fœdeq; nundinatũ quiſquam prohibuiſſet: id uerò initiũ cauſaq; militibus fuit,ut etiam in poſterũ turpiſſimi contumaciſſimiq; euaderent,ſic ut auaritia in dies,ac principũ contemptus, etiã uſq; ad ſanguinem proueheretur.Enimuero Iulianus imperiũ adeptus, delicijs continuò crapulæq; ſe dedere,circa rempub. indiligens, uitamq; molliſſimã, luxuq; circumfluentem traducere.Sed & ſpem militũ ſefellerat,neq; implere fidem promiſſorũ potuerat, ſiquidẽ nec opes domi quantas iactabat,& publicũ ærariũ ſumptibus illis inſanis iampridẽ à Cõmodo exhauſtũ.Quare cùm milites habebat inſenſos,tum à populo totius rei conſcio facilè contẽnebatur. Itaq; & prætereuntẽ maledictis inſectabantur,& turpes ambiguasq; uoluptates exprobrabant, ſic ut propalàm etiam in circo,quo maxima uis hominũ confluit,Iulianum inceſſerent,ac uindicẽ Romani imperij,præſulemq; ſummi principatus Nigrũ uocitarent, orantes ut quàm primũ adeſſet,ipſosq; à tantis contumelijs aſſereret. Is Niger conſulatũ geſſerat, ac tum Syriæ præerat uniuerſæ,qui honos ea tempeſtate multo maximus erat. Quippe etiã Phœnices, omnisq; ad Euphratẽ regio Nigri ſuberat imperio,ipſe ætatis erat iam ad ſenectutẽ ſpectantis,multisq; & magnis in rebus uerſatus, famã obtinuerat manſuetudinis ac dexteritatis, ſic ut etiã Pertinacis uitam putaretur æmulari, Quibus maximè rebus populi fauorẽ adeptus uidebatur. Hũc igitur aſſiduè frequentis populi clamores implorabant, ac præſentẽ Iulianum cõuitio lacerantes, illum etiã abſentẽ uniuerſi principalibus acclamationibus,fauſtisq; uocibus proſequebantur.Quibus intellectis, Niger putans omnia ſibi ex ſentẽtia ſucceſſura, quòd & à militibus negligebatur Iulianus,ut qui fidẽ minimè impleuerat,& contemnebatur à populo, ut parum dignus empto principatu, ſpem cepit imperij uindicandi.Ac primò quidẽ ex ducibus tribuniſq;,cæteriſq; militibus, qui plurimùm haberẽt autoritatis, diuerſos alium alio tempore domum dimittebat, edo-

ctos rerum

ctos rerum omniũ quæ ſibi Roma afferebantur. Id hoc cõſilio faciebat, ut ꝙ latiſſime toto Oriente rumores diſſeminarentur. Ita enim ſibi adiuncturũ ꝙ plurimos exiſtimabat, ſi nõ imperiũ ex inſidijs occupaturus, ſed opem uocantibus atq; implorantibus allaturus uideretur. Proinde uniuerſi cõfeſtim adeſſe, obſecrare pro ſe quiſq;, obteſtariq;, ut ꝙ primùm rempub. capeſſeret. Eſt aũt Syrorum gens natura leuis, pronaq; ad res nouandas. Amabant aũt uehementer Nigrum, quòd & imperiũ apud illos humaniſſimè geſſerat, & ludis multitudinẽ ac celebritatib. detinuerat. Sunt aũt Syri ſuapte natura huiuſcemodi oblectamentorũ cupidiores, è quibus Antiocheni maximam feliciſſimamq; urbẽ inhabitantes, totũ fermè annum, uel in urbe ipſa, uel in ſuburbanis ludos & feſta concelebrant. Quocirca edendis aſſiduè ſpectaculis, ac remittẽdis exhilarandiſq; otio animis, ita ſibi uulgus adiunxerat, ut ab omnib. magnopere coleretur. Quæ cum ita ſe habere intelligeret, iuſſis adeſſe dicta die militibus, reliqua etiam confluente multitudine, ita pro ſuggeſtu ad idipſum extructo uerba fecit.

QVàm mite ingeniũ, quantaq; in rebus maiorib. aggrediendis noſtra cautio ſit, forſitan ipſi quoq; iampridẽ cognouiſtis. Neq; ego nunc apud uos proceſſiſſem uerba facturus, ſi uel priuato conſilio, uel incerta ſpe, aut ſpem ſuperante cupiditate adducerer. Sed me uocant Romani, & aſſiduè clamantes ſatigant, ut eis manũ porrigam ſalutarẽ. Neq; patiar tam excellẽs, tamq; glorioſum relictũ à maioribus imperiũ iacêre abiectũ turpiter. Vt aũt citra occaſionẽ aliquam res aggredi tantas, audax ſanè, temerariumq; ſit: ita ſi implorantibus ac rogantibus opem deneges, timiditatis & proditionis crimine labores. Quapropter eo conſilio ad uos huc prodij, ut ſcitarer, quid facto opus eſſe duceretis, uobiſ'que uterer quaſi totius negotij huius conſultoribus: quòd ſi ex ſententia ſucceſſerit, cõmunis mihi inde uobiſcũ erit utilitas. Neq; ſcilicet tenues opes, aut leues ſunt, quæ nos ſolicitant, ſed ipſe Romanus populus, cui rerũ omnium poteſtatẽ ſuperi tribuerũt, ipſum Romanũ imperium fluctuans adhuc, neq; apud quenq; certa ſede reſidẽs. Sed neq; parũ tuta inimus cõſilia, his implorantiũ animis, nullo ad prohibendum reſiſtendũq; parato. Nam qui illinc ueniũt, ne ipſos quidẽ milites, unde imperiũ emptitauerit, ſatis ei fidos fore affirmant, quoniã promiſſa non ſoluerit. Quæ ſit igitur ueſtra mens oſtendite. Talia loquentẽ, continuò exercitus omnis, cæterumq; uulgus imperatorẽ atq; Auguſtũ conſalutant. Tum amictum purpura reliquoq; exornatum aulico paratu, ibidẽ ex tempore cõquiſito, præcedente etiã igni, in Antiochiæ primùm templa, mox ad ſuas ædes deduxerunt, quas etiã ceu non iam priuatas omnibus extra inſignibus imperatorijs adornauerunt. His lætus Niger, cùm ſcilicet & Romanorum animos, & cæterorum ſtudia hominum animaduerteret, iam haud dubiè rem omnem ſibi eſſe in uado arbitrabatur. Qui poſtꝙ rumor increbuit, ſtatim quæcunq; aduerſum Europæ continentẽ natiões incolunt, feſtinare ꝓ ſe quæq;, ut præſtò illi eſſent. Legati undiq; Antiochiã confluere, uelut ad legitimum principẽ: Reges quoq; & ſatrapæ trans Euphratẽ Tygrinq; habitantes gratulatum miſerunt, ſuamq; operã in omnẽ euentum pollicebantur. Quos ille ampliſſimis affectos muneribus, gratijſq; actis dimittebat, nullis ſibi in præſens opus eſſe auxilijs affirmans, ſatis munitum imperium, id'que geſturum ſe incruentum. Quare tãta ſpe ſublatis animis ſupinius iam negligẽtiuſq; agitabat, ſeq; populumq; Antiochenũ otio delicijſq; oblectans, ludoſq; edens & ſpectacula. Neq; uerò aut Romã, quod res maximè poſtulabat, proficiſci ſtuduit, aut Illyricos exercitus, qui ſcilicet in primis adeundi conciliandiq; fuerant, ullis de rebus certiores fecit, ſperans ſtatim intellecta re, cum Romanis eos pariter,

cumq;

cumq; Orientis totius exercitibus conſenſuros. Hæc dum agitaret, leui incertaq;
ſpe ſubnixus, fama iam per Pannonios, Illyricosq; increbuerat, per que exercitus
omnes, qui pro ripis Danubij Rheniq; excubantes coercendis Barbaris Roma-
num tuentur imperium. Præerat aũt Pannonijs uniuerſis (nam unius regebantur
imperio) Seuerus quidã, genere Afer, uehemens homo negotijs gerendis, ac fe-
rox, uitæq; inſuetus duræ & aſperæ, promptus excogitandis, acer exequendis re-
bus. Qui poſtq̃ Romanum principatũ pendere ſublimem, quaſiq; direptui expo
ſitum uidit, alterum quidem ut deſidem, alterum ut parum efficacem contem-
ptui habuit. Addebant præterea ſpem ſomnia quædã, & oracula, cæteraq; futu-
rorum præſagia, tum denique fidem ueri impetrantia, cùm ſunt euentum ſortita.
Quorũ pleraq; ipſe in libris de uita ſua conſcripſit, ac publicè in tabulis picta de-
dicauit. Sed quod illi extremũ, maximiq; momenti ſomniũ, ſpem propemodũ om
nem conciliauit, id ne nobis quidem ſilentio prætereundũ. Quo enim tempore
nuntiatum eſt, Pertinacem ad imperium aſcitũ, peracto Seuerus ſacrificio, iura-
tusq; fidem principi, ubi primùm domum redijt ſomno comprehenſus, uidet per
quietem magnum quendam, ac generoſum equum ornàtum phaleris imperia-
libus, qui Pertinacem ipſum per urbem ueheret media ſacrà uia. Sed ubi ad ip-
ſum fori peruenit ingreſſum, in quẽ olim liber populus frequẽs cõueniebat, uiſus
eſt excuſſiſſe Pertinacẽ equus, atq; abieciſſe humi, proximeq; aſtanti Seuero ter-
gum ſubſternere, eumq; proferre ſublimem tutò in forũ mediũ, conſpicuũ uene-
rabundę multitudini. Manet aũt adhuc huius imago ſomnij eodẽ ipſo in loco in-
gens ex ære conflata. Ad hunc igitur modũ ſublatis animis Seuerus, ac ſe diuina
prouidentia ſolicitari ad imperiũ ratus, decreuit animos periclitari militũ, quare
primùm quidẽ præfectos tribunosq;, & primos militũ ſibi adiungẽs, cumq; ijs de
Romano imperio ſermones ſerens, abiectũ id eſſe dictitabat, exiſtente nullo, per
quem fortiter, atq; ex dignitate gubernaretur. Inuehens præterea in prætorianas
cohortes, quæ ſacramentũ militare ciuili, imperatorioq; ſanguine polluiſſent, uin
dicandam eſſe aiebat, ac perſequendam Pertinacis cædem, minimè ignarus ex-
cubare adhuc memoriã Pertinacis apud Illyricos exercitus: quoniã ſub impera-
tore Marco multa illius ductu aduerſus Germanos tropæa excitauerant, & cùm
præfectus Illyrico foret, nullũ non exemplũ uirtutis in prælio oſtentauerat, bene-
uolentiam porrò, ac probitatẽ, ad hæc ciuile moderatumq; imperiũ ſocijs præſti-
terat. Quocirca memoriam eius principis colentes, tantam in illũ editam crude-
litatem indigniſſimè ferebant. Hanc igitur Seuerus occaſionẽ arripiẽs, facilè eos
quò uellet, adducebat, ſimulans non ſe quidẽ imperiũ quærere, aut ſummam po-
teſtatem affectare, ſed ire ultũ ſanguinẽ tanti principis. Nam ut eius regionis ho-
mines corporib. utuntur præualidis, atq; proceris, & in pugnã cædemq; paratiſſi-
mis, ita pingui ſunt ingenió, quare haud facilè ſentiũt, ſi quid agas dicas ue aſtutè,
ac ſubdolè. Quocirca cũ fidẽ feciſſet Seuerus, cædẽ ſe Pertinacis perſequi uelle,
ita ſibi uniuerſos cõciliauit, ut imperator diceretur, ſummãq; ab eis acciperet po-
teſtatẽ. Sed ubi Pannoniorũ animos explorauit, ſtatim uicinarũ quoq; gentium
præſides, quæcunq; Romano ſubiacent imperio, magnis illexit præmijs. Erat aũt
Seuerus unus omniũ mortaliũ ad amorẽ ſimulandũ maximè factus, ſic ut ne iuſiu
randum quidẽ fallere dubitaret, ſi ita uſus poſceret, longeq; aliud in lingua prom
ptum, ꝙ in animo reconditũ gerebat. Igitur Illyrico omni, rectoribusq; ꝓuinciarũ
per literas inſinuatus, collectisq; undecunq; militibus, ac ſuſcepto Pertinacis co-
gnomine, quod nõ Illyricis modò, ſed Romano etiã populo gratiſſimũ fore ſuſpi
cabatur, conuocatis omnibus in campum, ita pro ſuggeſtu locutus dicitur:

QVantum uel fidei,uel religionis erga deos,per quos iurati eſtis,quantumq; honoris imperatoribus exhibeatis,quos adeò uencramini,facilè oſtenditis milites: cum tantopere indignamini,cohortes urbanas,pompæ magis ꝙ uirtutis adminiſtras,adeò fœdũ facinus perpetraſſe. Ac mihi quidẽ in uotis eſt, nunc primùm tantam ſpem auſpicanti(nam profectò ſcitis, ꝙ ſemper audiens dicto principibus fuerim)perducere ad exitũ,atq; explicare,quæ uobis cordi ſunt:neq; Romanum imperiũ abiectũ pati,quod quidem apud maiores ſumma ſemper autoritate geſtũ,uenerandum omnib. uidebatur. Poſtea uerò ꝙ ad Cõmodum recidit, etſi ob illius adoleſcentiam ſæpenumero impegit,attamẽ omne uitiũ, cùm ipſius principis nobilitate,tum ſanctiſſimi parentis memoria obumbrabatur. Neq; tam errata illius odium ꝙ miſericordiã emerebantur. Quippe non tam ipſi quæ gerebantur,ꝙ aſſentatoribus imputabamus,cæteriſq; malarum artium conſultoribus atq; miniſtris,donec ad ſanctiſſimũ illum ſenem, cuius adhuc uirtutis & probitatis noſtris mentibus memoria reſidet, delatũ fuit imperium . Quem tamẽ tantum abeſt ut tolerare illi potuerint,ut cæde etiã nefaria talẽ uirum è medio ſuſtulerint. Poſt hunc autẽ terræ mariſq; imperiũ neſcio quis turpiſſimè auctionatus , & populo quemadmodũ auditis, inuiſus eſt,& milites ipſos, quibus impoſuit , parũ fidos habet. Qui tamen ſi etiã defenſuri illũ forent,attamen neq; numero uniuerſi, neq; uirtute ſinguli conferendi ſunt uobis . Ad hæc bellica uos negotia exercuerunt. Nam & cum Barbaris pedem cõferre,& labores omneis perferre , & algores æſtuſq; deſpicere,& concreta gelu calcare flumina , & potare effoſſos latices non hauſtos,& uenatu inuigilare conſueuiſtis. Omnia deniq; ad uirtutẽ adepti uiatica,ſic ut nemini facilè ſit, ueſtris obſiſtere uiribus . Etenim labore miles probatur non mollitudine, qua illi exſaturati atq; enutriti , ne uocem quidẽ ueſtram, nedum pugnam poterunt ſuſtinere . Quòd ſi cui Syriæ res formidabiles uidentur,is uel ex eo cogitet,ꝙ imbecillæ ſint,quamq; tenui ſpe nitantur , quòd neque adhuc progredi quoquam,neq; de urbe petẽda deliberare auſi,ſedeſq; illas boni conſulentes,delicias in diem quęſitas,lucrũ eſſe ambiguæ poteſtatis arbitrantur. Eſt autẽ ad ioca & cauilla in primis factũ Syrorum genus , tum qui Antiochiam colunt,ij ſtudere Nigro potiſſimũ creduntur. Nam gentes reliquæ,& ciuitates, cùm adhuc neminẽ imperio dignũ aſpiciant , quiq; ſit rempub. fortiter moderateq; geſturus,ei ſcilicet obedire tandẽ ſimulant. Quòd ſi ab Illyrico exercitu ducẽ creatũ cognouerint,ſimulq; noſtrũ nomen inaudierint,nõ obſcurũ ſanè apud ipſos,neq; ignoratũ: quippe illic etiam cum imperio præfuimus : neq; me profectò deſidię aut torporis arguerint,neq; ueſtrũ exceptare impetũ,aut bellicã uirtutem uolent experiri,pręſertim cùm & corporũ proceritatibus,& armorũ exercitationibus,& conferẽda manu longè uobis impares habeantur. Quare occupemus ꝙ primùm Romã , larem ipſum imperij , reliqua dein facilè expedituri,cùm deorũ oraculis,tum armorũ,corporumq; ueſtrorũ uiribus confidentes. Hæc locutũ Seuerum,fauſtis acclamationib. milites exceperunt, Auguſtũ,Pertinacemq; appellantes,ſtudiumq; in eum propenſum,atq; egregiam uoluntatẽ pollicebantur . At Seuerus nihil procraſtinandũ ratus, armari ꝙ expeditiſſimè iubet , iterq; ad urbẽ edicit,diſtributiſq; uiritim cibarijs ,omniq; uiatico, nihil ſibi ad celeritatẽ facit reliqui,nullis interquieſcẽs locis,ac uix reſidere tantiſper milites paſſus,donec ànimia itineris contentiõe reſpirarẽt . Ipſe inter primos laborans, uiliq; tabernaculo utẽs,cibũ potumq; eundẽ,quem etiã cæteri milites,capiebat. Nihil unq; imperatoriæ luxuriæ, nihil deliciarum oſtentans , ſic ut acceptior indies militibus fieret. Nam cùm laborũ omniũ,non modò particeps,ſed princeps etiam,autorq; foret,

adeò

adeò cunctis uenerabilis erat, ut nihil non pro illo cupidiſſimè facturi uiderẽtur.
Poſtea uerò ꝙ emenſa Pannonia ipſos Italiæ montes inſedit, famamq; ſui præue-
niens, prius coràm cõſpectus eſt, ꝙ aduentate auditũ fuerat, magnus ſcilicet om-
nes Italiæ ciuitates tanto conſpecto exercitu metus inuaſit. Quippe homines in
Italia pridem ab armis belloq; remotiſſimi, agros, pacemq; colebãt. Etenim quan
diu libera ciuitas egit, atq; à Senatu belli duces eligebãtur, fuere in armis ſemper
Italiæ nationes, Græcisq; & Barbaris ſubactis, terræ ſibi marisq; imperiũ pepere-
runt. Neq; ulla orbis terrarũ pars, aut cœli tractus fuit, quò non uires ſuas Roma-
norũ arma protulerint. Poſtea uerò ꝙ Auguſtus rerũ potitus eſt, & laborẽ Italis
ademit, & arma detraxit: milites tantũ quoſdam certis autoramentis habuit mer-
cenarios, qui Romanũ tuerẽtur imperiũ, tum fluuiorũ magnitudine, atq; foſſarũ,
montibusq; aſperrimis, deſertisq; locis atq; imperuijs circũſeptos, imperij limites
cõmuniuit. Quocirca meritò omnes, poſtq; aduentare Seuerũ cum tanto milite
audiuerunt, inſueta re perterriti, cùm neq; ſtare contrà, neq; prohibere auderent,
ibant obuiam laureati, portisq; eum patentibus excipiebant. Ille tam diu locis ſin
gulis immoratus, quàm diu aut ſacra faceret, aut populos alloqueretur, Romam
è ueſtigio pergebat. Quæ ubi Iuliano nunciata ſunt, actum de ſe prorſus exiſtima
uit. Nam & exercitus Illyrici potentiam, multitudinemq; audiebat, & populo pa-
rum fidebat, cui ſe cernebat inuiſum: neq; ſatis magnam ſpem in militibus habe-
bat, quos uidelicet fefelliſſet. Itaq; collectas undiq; pecunias, partim ſuas, partim
ab amicis acceptas, tum quaſcunq; in templis, alijsq; locis publicè inueniſſet, di-
uidere militibus inſtituit, ut eo pacto illorũ beneuolentiã redimeret. Sed ei tam-
etſi multa magnaq; acceperant, nullam tamen habebant gratiam, perſolui debitũ
ſibi, nõ dari munus aliquod interpretãtes. Cæterùm ſuadentib. amicis Iuliano, ut
exercitũ educeret, atq; alpium anguſtias occuparet (ſunt aũt alpes altiſſimi mon-
tes, quales in his regionibus nulli, porrecti ad muri formam, circumdatiq; Italiæ,
quaſi ad reliquam regionis eius felicitatem, hunc etiam quaſi cumulũ natura ad-
diderit, ut munitionem haberet inexpugnabilem, pertinentem ſcilicet à Septen-
trionali, ad id mare, quod ad Meridiem ſpectat) nõ auſus tamen ille urbe egredi,
ſupplicatũ militibus mittebat, uti arma caperent, exercerent ſe, ac foſſas ante ur-
bem ducerent, omnemq; belli apparatũ in ipſa demũ urbe expediebat. Siquidem
elephantos quoq;, quos ad pompam inſtitutos habebat, inſuefacere conabatur
ſeſſorem pati: ratus Illyricos milites, equosq; eorũ perterritũ iri facie magnitudi-
neq; beluarũ, quales antea nullas aſpexiſſent. Totaq; ciuitas armis fabricãdis, bel-
licisq; inſtrumentis conficiendis erat intenta. Sed cunctantibus adhuc Iuliani mi
litibus, ac ſe cõparantibus ad bellũ, nunciatur adeſſe iam Seuerus. Is multos è mi-
litibus ſuis ſparſim dimiſerat, qui clàm Romam proficiſcerentur. Quare alij alijs
itineribus noctu ingreſſi urbem, protectis armis habitu paganorũ operiebantur.
Iamq; intus hoſtis erat, ſupino adhuc Iuliano, & quid ageret ignaro. Quę ubi po-
pulus intellexit, cunctis metu perculſis, ac Seueri potentiã formidantibus, ſentire
iam ſe cum illo ſimulabat. Et Iulianũ quidẽ, quòd imbellis, Nigrum, quòd lentus
atq; iners, uituperantes: Seuerũ ipſum iam aduentantem magnopere admiraban
tur. Enimuero Iulianus hæſitabundus, atq; inops conſilij, cõuocato prius Senatu,
literas ad Seuerũ mittit, quibus fœdus paciſceretur, eumq; in cõmunionem acci-
peret imperij. Cæterùm Senatus, etſi illa omnia decernebat, tamen ut eum paui-
tare deſperata ſalute animaduertit, totus iam ad Seuerũ incubuerat. Biduo uerò
pòſt, triduo'ue, audito Seuerum iam planè adeſſe, omnes contempto Iuliano, in
curiam conuenere iuſſu conſulum. Quippe ijs curæ Romana res eſt, quoties de
imperio

imperio ambigitur. Qui poſtꝙ frequentes affuerunt, quod facto opus eſſet, inter ſe deliberabant, manente adhuc in aula Iuliano, ac fortunam ſuam miſerante, ſuppliciterq; rogante, ut ſibi eiurare imperiū liceret, omnemq; eam poteſtatē Seuero tranſcribere. Sed ubi intellexit Senatus pauidū Iulianum, perterritos corporis cuſtodes, ipſum penè ab omnibus deſtitutū: decreta illius nece, Seuerū imperatorē declarant. Tum legatos ad eum mittunt, partim qui magiſtratū obtinerēt, partim qui maximā haberent in Senatu autoritatē, ut omnes illi honores Auguſtorū deferrent. Occidēdi aūt Iuliani datur uni è tribunis negotiū. Is imbellem miſerumq; ſenem, qui ſibi ipſe tam infelicem exitū própria pecunia emiſſet, deſertū iam, deſtitutumq; ab omnibus, inter fœdiſſimas cōplórationes trucidauit. Quæ ubi Seuerus audiuit, maiora iam moliēs animo, conſiliū iniȷt capiendorū militum omniū, quicunq; Pertinacem interemiſſent. Datis itaq; clàm ad tribunos, centurionesq; literis hortatur, multa pollicens, perſuadeant militibus urbanis, ut ſibi dicto audientes ſint. Ipſe edictū proponit, ut relictis inter caſtra armis, exeant pacatorum habitu, quales procedere in pompam, aut ludos celebrare conſueuiſſent, iurētq; in Seueri nomen, ac ſpem ſibi optimā proponentes prę ſtò ſint, ut nouū imperatorem comitentur. His creditis, milites ſuaſu quoq; tribunorū relictis armis, pomparum habitu laureati proceſſerunt. Sed ubi ad exercitum Seueri peruenerunt, nuntiato iam adeſſe, iubet in campum conuenire frequentes, quaſi ſalutaturus, ac perbenignè accepturus uniuerſos. Enimuero cum ad tribunal principis acceſſiſſent, unanimiter acclamantes, dato repentè ſigno cōprehenduntur. Ita enim prę ceperat Seuerus, ut cùm ſtare pendētes eos ab ore principis uidiſſent, circumirēt uniuerſos milites ſui more hoſtium, neminemq; uulnerantes, aut pulſantes, tantū orbe facto clauſos in medio continerent, pila duntaxat intendentes, & haſtas, ut ſcilicet metu uulnerum nudi reſiſtere armatis, paucíq; plurimis minimè auderēt. Quos ubi uelut indagine armorum cōcluſos captiuosq; habuit, magna uoce, ac turbido ſpiritu, ita ad eos uerba fecit:

SVperari uos à nobis, uel ſapientia, uel uiribus, uel etiā numero, re ipſa uidetis. Capti eſtis quàm facilimè, ac nullo fermè negotio tenemini. Quid futurū de uobis ſit, in mea manu eſt. Iam ſcilicet uictimæ hic ſtatis obnoxiæ noſtro imperio. ſi ſceleri ueſtro debitū quæratis ſuppliciū, nunquam ſanè inuenietis, ſanctiſſimum illum ſenem, imperatoremq; optimum ſeruandū, tuendumq; uobis, ipſi occidiſtis: Romanū imperium perpetua clarum gloria, quod maiores noſtri aut uirtutis, aut nobilitatis nomine ſuſcipiebant, hoc uos turpiter fœdeq; uelut aliquid ex priuatorum inſtrumēto, quaſi ſectores uendidiſtis. Ac ne eum quidem ipſum, quem ſic ad imperium produxeratis, ſeruare ſaltem, ac defenſare auſi, homines timidiſſimi, ꝓdidiſtis. Ob hæc igitur crimina, ac facinora ueſtra, mille uobis debentur mortes, ſi quis par noxæ ſuppliciū ſtudeat petere. Proinde quid uos ęquū pati ſit, ſanè uidetis. Ego tamen ſanguine abſtinebo, neq; ueſtras imitabor manus. Sed quoniā ius fasq; negat ſtipari à uobis iam principem, uiolato iureiurando, ac manibus ciuili et imperatorio ſanguine pollutis, proditaq; fide cuſtodia' que, animas quidem & corpora uobis noſtra largietur humanitas. Porrò, militibus meis ita præcipio, recingant uos, ac ueſtimentis exutos militaribus, nudos' que dimittant. Vobis autem ſic impero, diſcedatis ꝙ longiſſimè, edico item, iuroq;, ac denuncio capite pœnas daturū, ſi quis ueſtrū poſthac intra centeſimum ab urbe lapidē conſpicietur. His imperatis, è ueſtigio milites Illyrici concurrunt, breuesq; illos gladios detrahunt, quos auro argentoq; ornatos, in uſum pompæ ſuſpenſos habebant, tum zonis, ueſtituq;, & cæteris militiæ inſignibus per uim ablatis, nudós ad

unum,exautoratosq́ dimiſerunt.Enimuero illi proditos ſe uidentes, atq; aſtu captos,patientiā ſcilicet præſtabant. Nam quid agerent nudi aduerſus armatos,pauci aduerſus plurimos? Diſceſſere igitur cōplorantes ſeſe, cōceſſamq́ ſalutē loco muneris interpretantes,pertæſi tamen,ac dolentes,quòd inermes egreſſi,capiendos ſe turpiter,ignominioſeq́ obtulerant. Vſus item alio conſilio Seuerus eſt. Quippe metuens,ne recincti exautoratiq́ deploratis rebus, rurſus caſtra repeterent, reſumerēntq́ arma, præmiſſos alijs itineribus ac ſemitis electiſſimos quoſq;, & exploratiſſimos ſuorū militū,iubet clanculū uacua caſtra irrumpere,armisq́ ipſorum occupatis excludere redeūtes. Hanc igitur pœnam Pertinacis interfectores dederunt.Poſt hæc Seuerus cum reliquo exercitu inſtructo armis,Romā petijt, attonitis metuentibusq́ pariter primo conſpectu Romanis, audaciamq́ uiri, ac fortunam repetentibus animo. Quem quidem Senatus populusq́ uniuerſus laureati exceperunt, primū ſcilicet ex omnibus hominibus atq; imperatoribus citra ſanguinē,atq; adeò citra puluerē tanti effectorem operis.Omnia porrò mirabilia in illo,præcipueq́ ingenij acumen,laborū tolerātia, rebusq́ maximis aggrediendis,bonam ſibi ſpem proponēs audacia. Poſtea uerò q̄ eum populus fauſtis acclamationibus ſuſcepit,& Senatus uniuerſus ad portas urbis conſalutauit, inito Iouis templo, factaq; re diuina, reliquisq́ item ſacris ædibus de more conſalutatis,nouiſſimè ad domū imperatoriā ſe recepit. Poſtridie uerò curiam inijt, ibiq; placidus orationē habuit plenā optimæ ſpei,ſimul omnes publicè priuatimq́ benignè complexus,ueniſſe in urbem aiebat, ut occiſum Pertinacem ulciſceretur, daturumq́ operam,ut ſtatus optimatiū fundamenta ſe principe iacerentur. Nullum niſi iudicio damnatū capite bonis'ue multatū iri,non paſſurū delatores,æmulum ſe Marci futurū gerendo imperio,neq; ſolū Pertinacis cognomen, ſed mentem quoq; habiturū. In hanc ſententiam uerba faciens,fauorem ſibi,fidemq́ conciliabat. Quidam tamen è maioribus natu,qui conſuetū ipſius haberent ingeniū, iam tum clanculū reliquis prędicebant,uerſipellem hunc eſſe hominem,nihil nō aſtu & arte tractantem, ſimulatorem diſſimulatoremq́ idoneū, nihil penſi habentem,dum id efficeret,quod uſui ſibi aut emolumento crederet fore, quod ſeniorum iudiciū haud ita multo pòſt euentus comprobauit. Igitur Seuerus paucos in urbe dies moratus, dato plebi uberrimo congiario, donatisq́ abundè militibus, & ex ijs robuſtiſſimo quoq; in locū exautoratorū delecto ad imperij cuſtodiā,ſtatim ipſe in Orientē profectionē parat,cunctāte Nigro adhuc, & ſupino,atq; Antiochenis delicijs uacante,ratus properandū ſibi,ut inexpectatus imparatū opprimeret. Edicto igitur militibus,ut ad iter ſe accingerent,cōtractisq́ undiq; copijs, ac delectu iuniorū tota Italia habito,ſimul reliquijs Illyrici exercitus,quæ in Thracia remanſerant,occurrere iuſſis, neq; ſecius ingenti claſſe coacta, cōpletisq́ armato milite totius Italiæ triremibus, ingentis ſibi omnis generis copias incredibili celeritate cōparauit. Siquidē haud exiguis uiribus eſſe opus intelligebat, aduerſus nationes partē orbis Europæ oppoſitā incolentes,quę ſcilicet uno ordine omnes Nigri ſequebātur auſpicia. Ad hunc igitur modū bellum Seuerus inſtruebat. Cæterùm prouidus homo,ac ſobrius,nonnulla ſuſpicione tenebatur de Britannicis exercitibus,maximis uidelicet,pugnaciſſimisq́,quibus præerat uniuerſis Albinus,Senatorij patricijq́ generis uir,ſummis opibus ac delicijs innutritus. Hunc ſibi igitur Seuerus aſtu ratus adiungendū,ne ſcilicet diuitijs,genere, exercitibus,famaq́ nominis, magnis ad concupiſcendū imperium facibus inſtinctus, ſummā ſibi rerū poſceret, Romamq́ haud procul à Britannia diſtantem, ſe bellis Orientalibus implicito, occuparet: ſtatuit eum ſpecie quadam honoris ineſcare,

leuem

leuem alioqui,& ſimplicem,tunc uerò etiam iuranti per literas credētem. Quare
eum Cæſarem appellans,ſpem cupiditatemq́ hominis anticipat, poteſtate parti-
cipanda. Mittit item plenas humanitatis literas,obſecrans, ut ipſe potiſſimum cu
ram ſuſcipiat imperij,opus eſſe uiro aliquo nobili,& ætatis integræ,qualis ille fo-
ret,ſe iam ſenem,morboq́ articulari affectum,natos adhuc infantes. Quibus cre
ditis Albinus honorem libenter ſuſcepit, lætus citra pugnam aut diſcrimē ullum
compotem ſe uoti factum. Cæterùm Seuerus quò omnia credibiliora forent, ijſ-
dem illis ad Senatum relatis, nummisq́ imagine eius percuti iuſſis, ſtatuisq́ ere-
ctis,ſimul alijs collatis honoribus,fidem gratię ſuæ fecit. Quæ poſtq́ ſapienter ab
illo prouiſa ſunt,nullo iam ex Britannia impendēte metu,collectis in unū circa ſe
Illyricis exercitibus, reliquisq́ rebus ex uſu cōparatis, copias aduerſus Nigrum
educere inſtitit. Igitur quibus locis itinere illo remoratus ſit,quæ apud quamq́ ci
uitatē uerba fecerit, quæ ſigna diuinitus apparuerint, regiones item peragratas,
conflictusq́,& utrinq́ cæſorū numerum,cùm pleriq́ hiſtorię autores,tum maxi-
mè poetæ uerſibus ſuis uberrimè ſunt executi,materiam totius operis, ipſum de-
nique Seueri uitam deligentes. Mihi autem propoſitū eſt ſeptuaginta annorum
res, quas habeam cognitiſſimas ſub diuerſis principibus geſtas, in unū corpus
comprehenſas,literarū mandare monumentis. Quocirca excellentiſſima & prę-
cipua quęq́ rerū à Seuero geſtarū, deinceps perſequemur, neq́ ad gratiam uero
quippiam affingentes, quod feciſſe uidemus, qui illa ętate ſcriptitarunt, neq́ taci-
tum prætereuntes,ſi quid modò mentione dignum,memoriaq́ uidebitur.

LIBER TERTIVS.

SVPERIORE libro Pertinacis interitū, cædemq́ Iuliani, ſimul profe-
ctionem Seueri ad urbem, ſuſceptamq́ mox aduerſus Nigrū expedi-
tionem edocuimus. Enimuero Niger ubi Romam à Seuero occupa-
tam, ipſum à Senatu appellatū imperatorē nihil tale expectans audi-
uit: præterea omnem Illyricū exercitū contra ſe pedeſtres, naualesq́ copias edu-
ci,perturbato uehemēter animo,monet prouinciarū pręſides,aditus omneis,por
tusq́ cuſtodiant, mittitq́ rogatū auxilia ad Parthorū, Armeniorū, atq́ Atrenorū
reges. Cui quidem Armenius,neutras ſe parteis ſuſcepturū reſpondit,tantum res
ſuas defenſurum Seueri aduentu: Parthus autē ſatrapis imperaturū per epiſtolas,
uti copias congregarent. Ita enim facere conſueuit bellū comparaturus. Siquidē
mercenarios milites,atq́ ordinarios exercitus Parthi nullos habent. Ex Atrenis
autem ſagittarij auxiliares uenerunt miſſu regis Barſemij, qui tum in eis regioni-
bus imperitabat. Reliquas omneis copias è militibus qui aderant, potiſſimū con
flauit,plurimis etiam è populo,maximeq́ Antiochenis, cùm ætatis leuitate, tum
ipſius Nigri ſtudio impulſis,audacius q́ prudētius nomina dantibus. Sed & Tau
ri montis anguſtias,ac prærupta loca muro ualido Niger, munimentisq́ obſtrue
bat,ratus montem illū imperuium, magnū Orienti propugnaculū futurū. Siqui-
dem Taurus inter Cappadociam Ciliciamq́ dorſum erigens nationes diſcrimi-
nat,Orienti ac Septentrionibus ſubiectas. Idem Byzantium pręſidio occupauit,
urbem Thraciæ maximam feliciſſimamq́, uiribusq́ & opibus ea tempeſtate flo-
rentem. Quippe in anguſtiſſimo Propontidos conſtituta freto, uectigalia, piſca-
tumq́ à mari accipit,ſimul agros poſſidēs ampliſſimos, uberrimosq́,utroq́ uelut
elemento lucrū facit. Viſum igitur Nigro,talem hanc urbē pręſidijs occupare,ut
claſſes nauigiaq́ per eas anguſtias tranſgredi ex Europa in Aſiam prohiberētur.
Erat enim munita urbs ualido ingentiq́ muro, qui Mileſio quadrato lapide con-

ſtructus, adeò tenui iunctura fuit, ut nemini cõpoſitum opus, ſed ex uno tantum perpetuoq; lapide uideretur: ac nunc quoq; ruinas ipſas, reliquiasq; cum uideris, mireris utiq; uel eorũ artificiũ, qui primi extruxerũt, uel horũ uires, qui deinceps ſunt demoliti. Ad hunc igitur modũ Niger ſuas res cõprobat, prouidentiſſimo ſcilicet (ut ipſe putabat) tutiſſimoq; conſilio. Cæterùm Seuerus quantũ maximè poterat, cum ſuis copijs feſtinare, nullũ deſidię quietiq; locũ relinquere. Cognito aũt præſidijs teneri Byzantium, quòd ſciebat munitiſſimam eſſe urbẽ, ad Cyzicum ſe conuertit. Hoc intellecto, dux Aſiæ Aemilianus, cui ſummã Niger totius belli, maximumq; imperiũ tradiderat, & ipſe Cyzicũ proficiſcitur, & copias adducit uniuerſas, quaſcunq; aut Niger miſerat, aut ipſe contraxerat. Sed ubi uentũ ad manus, aliquot acerrimè editis prælijs, uictoria tandem penes Seuerũ ſtetit, fuſo, fugatoq; Nigri exercitu. Itaq; confeſtim fracti Orientaliũ animi, Illyricianis autem ſpes ingens addita. Neq; defuere, qui crederẽt Nigri res initio ſtatim proditas ab Aemiliano: cuius conſilio duplicem afferunt cauſam. Alij Nigro inuidiſſe, ferentem ſcilicet haud æquo animo, ſi quem paulo antè in Syria ſucceſſorẽ habuiſſet, eundem ſuperiorẽ mox, atq; adeò imperatorem dominumq; eſſet habiturus. Alij perſuaſum à liberis patri per epiſtolas, uitã ſalutemq; ſuam cõmendantibus, quos Romæ inuentos Seuerus in cuſtodia habebat: ſiquidem hoc quoq; uſus eſt prouidentiſſimo conſilio. Mos fuerat Cõmodo, retinere apud ſe liberos eorum, qui ad regẽdas prouincias cum imperio proficiſcerentur, quaſi obſides quoſdam beneuolẽtiæ illorum, fideiq;. Igitur Seuerus cùm primùm eſt imperator appellatus, ſuperſtite adhuc Iuliano, miſit furtim, qui liberos ſuos ex urbe ſubducerent, ne in alterius eſſent poteſtate. Cæterùm ipſe cùm primùm Romam ingreſſus eſt, comprehenſos omnes ducũ liberos, cæterorumq; item quicunq; munus publicum in Oriente Aſiaq; tota obirent, atque in cuſtodiam datos ſecũ retinebat, quò per ea quaſi pignora Nigri ducibus perſuaderetur, ut illũ deſiderio ſalutis liberorũ proderent, aut certè ſi in fide permanſiſſent, liberũ ſibi relinquerent cæde filiorum quos uellet ulciſci. Victi autẽ ad Cyzicum Nigri milites, quà quiſq; maximè poterat, aufugerunt, partim præter Armenię montana, quidam per Aſiam Galatiamq; ſuperare tantum feſtinantes, ut ſcilicet intra munimenta ſe reciperent. At uerò Seueri exercitus Cyzicenum per agrũ in Bithyniam finitimam regionem cõtendebat. Sed ut Seuerũ uiciſſe fama diuulgauit, repens cõfeſtim in eis locis ſeditio, diſcordiaq; urbes inuaſit. Non tam quidem ipſorum imperatorum odio aliquo, aut ſtudio, quàm æmulatione quadam, & contentione, inuidiaq; inter eiuſdẽ gentis homines funeſtiſſima. Antiquum id uitium Græcorũ, qui dum ſeditiones agitant, atq; eminentiſſimum quemq; tollere è medio conantur, totam iam conſumpſere Græciam. Cęterùm illi quidem inueterati iam, attritiq; inter ſe captiui prius Macedonũ, dein mancipia quoq; Romanorũ facti ſunt. Ea uerò labes æmulationis atq; inuidiæ florentibus etiamnum ætatis noſtrę ciuitatibus incubuit. Igitur in Bithynia ſtatim poſt res ad Cyzicum geſtas, Nicomedenſes ad Seuerum defecerunt, miſſis legationibus, quæ ſe exercitũ accepturos, omniaq; tradituros pollicerentur. Nicenſes contrà illorũ inſtigati odio, Nigri partibus ſtudebãt, eiusq; ſuſcipiebant milites, ſiue qui ſe ex fuga receperant, ſiue qui ad tuendam Bithyniã mitterentur. Quocirca ex utriſq; urbibus quaſi è caſtris egreſſi milites iterũ concurrerunt, magnoq; cõmiſſo prælio, longè ſuperior Seuerus fuit. Inde etiam fuga facta, Nigri milites, qui prælio ſuperfuerant, ad Tauri montis anguſtias euaſerant, clauſasq; munitiones tuebantur. At Niger relicto ibi quantum ſatis fore præſidij putabat, profectus Antiochiam eſt, ut exercitus, pecuniam'que contraheret.

Interea

Interea Seueri exercitus Bithyniam Galatiamꝗ egreſſus, cùm ſe mox in Cappadociam quoꝗ incitaſſet, oppugnare munitionē incœpit, ibi multis eſt laboribus conflictatus: quippe arcta aſperaꝗ uia, lapideſꝗ ſupernè iacentibus, ac fortiſſimè dimicantibus, qui ſummis inſtiterant mœnibus, eoꝗ facilè paucis arcentibus plurimos. Etenim anguſtiſſima utiꝗ uia eſt, cuius pars altera monte altiſſimo defenditur, altera per immane præceps defluente montibus aqua redundat, tum ualida munitiōe Niger obſtruxerat, ut ſcilicet undiꝗ hoſtis aditu prohiberet̃. Dum hæc in Cappadocia gerunt̃, interim ſeditiones inter ſe quoꝗ agitabāt, pari æmulatione odioꝗ Laodicea quidē in Syria Antiochenorū odio, Tyros aūt in Phœnicia Berythijs infenſa. Quæ nuntiata Nigri fuga, ſublatis illius honoribus, Seuero proſperè acclamarunt. At Niger audita re, cùm quidē Antiochiæ ageret, iure ſcilicet homo alioqui benigni manſuetiꝗ ingenij, defectiōe illorū, contumeliaꝗ irritatus, immittit utriſꝗ urbibus Mauros iaculatores, quoſcunꝗ ſecū habuerat, ſimul partē ſagittariorū iuſſos occidere obuiū quemꝗ, diripere urbes ipſas atque incendere. Sed enim Mauri (ut eſt genus hominum ſuapte natura cædis auidiſſimum, nihilꝗ nō facilè audens, ac deſperatis ſimile cōtemptu uidelicet mortis, ac periculorū) Laodicenis deimprouiſo oppreſſis, populū ipſum omni genere crudelitatis, urbemꝗ uaſtarūt. Inde Tyrū pergentes, direptis omniū bonis, ac patrata ingenti cæde, totam incenderunt. Quæ dum in Syria gerebant̃, contrahēte copias Nigro, interea Seueriani milites, munitionē Tauri montis oppugnabant, triſtes utique, ac citra ſpem uictoriæ, quippe ualida inexpugnabiliſꝗ per ſe, monte quoꝗ ipſo, præcipitioꝗ defendebatur. Igitur iam defatigatis, alta aduerſariorum ſecuritate, ecce tibi noctu maximi repentè ruere imbres, oppleri omnia niuibus, ut ſunt difficiles in Cappadocia hyemes, maximeꝗ ad Taurū montem. Quocirca ſubitus impetu magno erumpit torrens, curſuꝗ impedito (quòd munitio exitū prohibeat) maior iam uiolentiorꝗ factus, quando artem ſuperante natura tantū impetū ſuſtinere munitio nō poterat, laxatis paulatim coagmentis, ac fundamentis loco emotis, iter ſibi torrens pateſecit. Quo animaduerſo qui in præſidio erāt, metu ne ab hoſte circumuenirent̃, nullo mox futuro propugnaculo, ſimul unda reſediſſet, ꝑdita cuſtodia, cuncti fuga dilabunt̃. Igitur læti Seueriani, cōfirmatiꝗ animos, uelut dijs ipſis immortalib. manu ducētibus, cognito cuſtodes aufugiſſe, facilè ſcilicet nullis ꝓhibentib. Taurū ſupergreſſi, in Ciliciā mox impetū fecerūt. His nuntiatis Niger, cū quidē ingentē exercitū, ſed pugnæ laborūꝗ inſciū collegiſſet, magnis itineribus accelerabat, ꝗ plurimis eum mortalibus, omniꝗ fermè Antiochenorū iuuentute ſequentib. ducē, multa ſcilicet animorū alacritate, cæterùm uirtute ac peritia belli nulla ex parte cum Illyrico milite conferendis. Ita concurrerunt ad Iſſicum, quem appellant ſinū, longè lateꝗ ſpatioſiſſima in planicie, quæ perpetuis ſubiecta collibus, in theatri ſpeciem littus habet à mari longiſſimè excurrens, quaſi quoddā belli ſtadiū fabricata natura: quin eodē quoꝗ loco Darium ab Alexandro ferunt maximo, extremoꝗ illo prælio profligatū captumꝗ, Septentrionalibus etiam tum uiris, Orientis nationes ſuperātibus. Manet adhuc tropæum, & tantæ uictoriæ teſtimoniū urbs in colle Alexandria, ſimul æneū ipſius ſimulacrū, unde loco impoſitū nomen. Euenit aūt, ut Seueri ac Nigri exercituum non congreſſus modò in eum locū, ſed fortuna etiam fortunę ſimilis fuerit. Vtrinꝗ enim ſub ueſperā parati ad pugnā conſtiterāt, curis dein pauoribuſꝗ totam noctē extraxerant inſomnē, ſtatimꝗ cum ſolis ortu ducib. utrinꝗ adhortantibus, incredibili alacritate utrinꝗ ſe incitarūt, tanꝗ de omni ſpe reliqua nouiſſimo illo cōgreſſu dimicaturi, diſceptāte illic ſuper Romano imperatore fortuna.

Sed ubi diu pugnatum acerrimè, tantaq; edita utrinq; ſtrages, ut flumina per eam planiciem decurrentia, maiore aliquanto ui ſanguinis, ꝙ aquarũ in mare ſe uoluerent, fuſi tandẽ profligatiq; Orientales, imminentibus à tergo Illyricianis, partim in mare ſaucij protrudebant, partim in colles ſummos fugitantes à perſequentibus obtruncabant: cumq; ijs unà uulgus ingens hominũ, qui ex urbibus uicinis, agriſq; confluxerant, ſupernè, quaſiq; ex tuto loco prælıũ ſpectaturi. At Niger ualido euectus equo, paucis comitantibus, Antiochiam peruenit, ubi fugiente paſſim multitudine, magnoq; ubiq; fletu, clamoribusq; natos, fratresq; lugentiũ, deploratis & ipſe rebus ſuis fugam capit, occultantiq; dein ſe in ſuburbano quodã, & ab equitibus reperto, caput amputatũ. Hunc habuit exitũ uitę Niger, dato cunctationis tarditatisq; ſupplicio: homo alioqui (ut perhibent) publicè priuatimq; minimè improbus. Sed occiſo Nigro, Seuerus omnes ſtatim illius amicos ſupplicio affecit, ſiue qui ſponte, ſiue qui neceſſitate coacti rebus illius ſtuduiſſent, militibus tantũ qui effugerant, ac trans fluuiũ Tygrim metu Seueri ad Barbaros abierant, impunitate ꝓpoſita receptis. Quippe magna uis hominũ in ea loca cõceſſerat, quo effectũ eſt ut ualidiores deinceps Barbari aduerſus Romanos conferenda manu euaſerint, gnari antea pugnare tantũ arcu ex equis, neq; armatura muniti, neq; haſta, gladio'ue ſatis audaces, leui pendulaq; ueſte, plurimumq; inter fugiendum auerſi ſagittas intendebant. Poſteà uerò ꝙ Romani aliquot milites, fabriq; nonnulli in eas regiones confugerunt, ibi ætatẽ acturi, non ſolùm armis uti, ſed ea quoq; fabricari Barbari didicerunt. Rebus aũt Oriennis ex ſententia geſtis atq; ut res poſcere uidebat, ordinatis, cupido iam Seuerũ habebat, regem quoq; Atrenorũ bello tentandi, ac Parthorũ regionem occupãdi, quos utroſq; in ſocietatem Niger aſciuerat. Quibus tandem rebus in aliud tempus reiectis, cogitare inſtitit, quo pacto ſibi Romanũ imperiũ, liberiſq; ſuis bona fide adiudicaret. Nã ſublato Nigro, reliquus erat Albinus, quem ſibi parũ ex ſententia, parumq; uſui fore arbitrabatur. Vulgato rumore, iam nimis illũ impotẽter, nimiſq; moleſtè nomen Cęſaris uſurpare, præterea multos eſſe è primorib. Senatus, qui ad eum clàm darẽt literas, hortantes ad reditũ, abſente adhuc occupatoq; Seuero. Quippe nobilitas omnis Albinũ malebat imperatorem, ortum illuſtri genere, ac bonæ indolis iuuenem. Quibus rebus cognitis Seuerus, minimè utiq; apertis inimicitijs, ac manifeſto bello agendũ putans, nulla exiſtente cauſa, quæ ſaltem ſpecie honeſta uideri poſſet, decreuit cũ dolo inſidijſq; tentare. Quare tabellarios aliquot ex ijs qui literas imperatorias perferunt, fidiſſimos ſibi homines cum literis mandatiſq; ad eum mittit, præmonitos uti redditis publicè epiſtolis quædam habere ſe dicerent, quæ apud illũ remotis arbitris loquerentur. Quare ut primùm ſeorſum à cuſtodibus nacti eum forent, facto impetu obtruncarẽt. Quin uenena quoq; dedit, quibus eum, ſi poſſent, per aliquem ab epulis, aut à cyatho aggrederẽtur. Erat autem illius amicis ſuſpecta Seueri fides. Itaq; cauendũ identidem admonebant hominem perfidioſum, plenũ fraudis & inſidiarũ. Nam uulgò etiam parum cõſtanti fide habebatur, impulſis (ut dictum eſt) per ipſorum filios Nigri ducibus, ad res illius prodendas, dein poſtꝙ eorũ opera abuſus eſt, ſuaq; omnia ex ſententia cõpoſuerat, ipſis liberiſq; enecatis. Igitur infidum ſubdolumq; ingenium, res ipſæ declarabant, obq; id maiore ſe cuſtodia Albinus circummunierat. Neq; enim temerè quiſquã à Seuero miſſus ad illum introducebatur, niſi prius depoſito militari gladio, ſinuq; excuſſo. Poſtꝙ igitur à Seuero tabellarij ad eum peruenerunt, redditiſq; publicè literis, habere ſe dixerunt quædam ſecretius renuntianda, indulgens ſuſpicionibus Albinus cõprehendi ilicò iubet. Dein explorata re, inſidijſq;

ordine

ordine intellectis, ubi noxios ſupplicio affecit, iam ipſe ſe, ut aduerſus maniſeſtiſſimum hoſtem comparabat. Quibus cognitis Seuerus homo iracundo ingenio, non iam celandas ſibi inimicitias putauit, ſed omni conuocato exercitu, huiuſcemodi habuit orationem:

NEq; leuitatis me quiſquam ob anteacta inſimulet, neq; infidum aut ingratũ putet aduerſus eum quem pro amico habuerim. Omnia nos quidẽ præſtitimus, etiam in partem principatus, & quidem ſtabiliſſimi recepto. Quod ne geminis quidem fratribus facilè quiſquam indulſerit: quod enim uos mihi uni detuliſtis, id ego cum illo cõmunicaui. Tantis autẽ beneficijs noſtris peſſimam uidelicet gratiã retulit Albinus, contempta uirtute noſtra, ſueq; immemor fidei, ardẽsq; inexhauſta cupiditate id uniuerſum periculoſè præripiendi, cuius particeps eſſe citra bellum ac dimicationem ullam potuiſſet. Neq; deos reueretur, per quos toties iuratus, neq; ueſtris parcit laboribus, quos tanta cum gloria uirtuteq; pro nobis pertuliſtis. Quippe ſucceſſuum ueſtrorũ nec ipſe fructu carebat, imò autem ſi fidem ſeruaſſet, maior illi portio contigiſſet. Vt aũt ſi ipſe autor malorum ſis, iniuſtus uideare: ita ſi non ulciſcare acceptas iniurias, ignauus. Nam cùm bellum aduerſus Nigrũ geſſimus, non ita ſanè ſpecioſas inimicitiarũ cauſas habebamus: nõ enim quaſi raptorem occupati à nobis principatus oderamus, ſed poſitũ eum in medio, atq; adhuc in diſceptatione uerſantem: pari uterq; ambitu ad ſe trahebat. Verùm Albinus deſpecto fœdere, ac iureiurando, cũ ſit noſtro munere adeptus quæ tantũ legitimis liberis tribuuntur, hoſtis eſſe mauult nobis, q̃ familiaris. Vt igitur pridem beneficio affectũ, honore, gloriaq; cohoneſtauimus: ita nunc perfidioſum atq; imbellem ipſius animũ coarguamus armis. Neq; enim ſuſtinere ille exercitus poterit exiguus, atq; inſularis, uires noſtras. Nam cùm uos propemodum ſoli alacritate quadam, & uirtute ueſtra, tam multis prælijs peruiceritis, totumq; uobis Orientem ſubegeritis, quis dubitet, quin nunc quoq; tantarũ acceſſione uirium (quippe hic totus penè Romanus exercitus) facilè profligaturi paucos ſitis, ne ſub uiro quidem ſobrio, nedum ſub forti duce militantes? Quis enim luxuriam illius ignorat, uitamq; hominis ſubulcorum potius gregibus, quàm militum legionibus congruentem? Proinde eamus audacter in illum, qua ſolemus alacritate animi, atq; uirtute, dijs freti autorib. ab eodẽ impiè peieratis, ſimul memores excitatorũ ſæpe à nobis tropæorũ, quæ ſcilicet ab ipſo deſpecta ſunt. Hæc locuto Seuero, cõfeſtim exercitus uniuerſus Albinũ hoſtem declarat, exceptoq; fauſtis acclamationibus ipſo, nihil non alacritatis & ſtudij clamoribus oſtendentes, magis magisq; hominẽ ſpe addita ſuccenderũt. Qui ampliſſimo donatiuo milites proſecutus, ſtatim uniuerſos contra Albinum educit, miſſis item pariter qui Byzantium expugnarent, clauſam adhuc receptis Nigri ducibus. Quæ deinde urbs fame capta, totaq; planè diruta, ſimul theatro, thermisq;, omniq; cultu atque honore detracto, et in uici formã redacta, Perinthijsq; adiudicata eſt, quemadmodum & Antiochia quoq; Laodicenis. Tum pecuniæ magnã uim curauit ad reficiendas inſtaurandasq; urbes, quas Nigriani milites deuaſtauerãt. Ipſe iter faciebat ſine intermiſſiõe, neq; feſtos dies, neq; labores ullos magnopere curans, algoris atq; æſtus iuxtà patiẽs: ſæpe etiã per altiſſimos mõtes hyeme ſæua, niuib. cœlo ingruentibus ibat aperto capite, ut milites ad alacritatẽ patientiamq; laborũ re ipſa cohortaret. Quocirca nõ metu quodã, ac lege, ſed æmulatione magis, atq; exemplo principis ad perferenda omnia incitabant. Miſit etiã qui anguſtias occuparent Alpiũ, atq; aditus Italiæ obſiderẽt. Enimuero poſtquã nuntiatum Albino eſt, nihil cunctari Seuerum, ſed adeſſe iam, ſupinus hactenus ac delicias agitans,

magno tum metu perculſus, ſtatim è Britannia tranſmittens, in aduerſo Galliæ littore caſtra collocauit, literisq́; ad uicinarũ gentiũ præſides miſſis, pecunias commeatumq́; exercitibus iuuandis conrogabat. Qui igitur dicto audientes fuerunt, peſſimè illud in ſe conſuluerunt, nullo non ſupplicio dein poſt bellũ affecti. Qui uerò imperiũ detractauerunt, cùm quidẽ felicius q̃ prudentius id egiſſent, euaſere incolumes, euentu ac fortuna rerũ utraq; conſilia diſcernentibus. Sed ubi iam in Galliam Seueri copiæ peruenerunt, leues quædã primò pugnæ, quaſiq́; uelitares fuerunt, donec poſtremò apud Lugdunũ magnam urbẽ atq; opulentam, prælium in manibus fuit. Nam cùm ſe mœnib. tenuiſſet Albinus, exercitus emiſit in pugnam. Vt uerò ad manus uentũ, diu quidẽ utrinq; decertatũ eſt æquis uiribus, ſic ut ambigua uictoriæ fortuna penderet: neq; enim Britanni uel animi magnitudine, uel auiditate cædis, Illyricis conceſſerint. Ita conflictu primo ualẽtiſſimorum exercituũ neutram in partẽ acies inclinabat. Atq; ut nõnulli prodiderũt eius ætatis autores, qui non ad gratiã, ſed ad fidem loquunt̃, longè potior fuit Albini acies. Qua in parte Seuerus curabat, ſic ut fugerit quoq;, & ab equo deciderit, abiectoq́; palduamento delituerit. Sed inſequentib. iam uitulantibusq́; Britannis, ceu planè uictoribus apparuiſſe extemplo Lætũ Seueri ducem cum recenti adhuc exercitu. Quippe malè audijt, quaſi euentũ pugnæ expectauerit, cũctatus de induſtria retento milite, ut ſibimet imperiũ uindicaret. Siquidẽ non prius in pugnam ꝓtulit pedem, quã ubi Seuerus cecidiſſe nũtiatus. Quam ſuſpicionẽ etiam dein euentus approbauit. Quippe rebus omnib. ex ſentẽtia mox cõpoſitis, atq; in maxima ſecuritate agitans Seuerus, cùm quidẽ cæteros belli duces magnis affeciſſet præmijs, Lætũ ipſum tamen (ut par fuit) memor ꝓditionis, morte mulctauit. Sed iſta quidẽ pòſt fuere. Tunc aũt conſpecto (ut diximus) Læto, ſpes addita Seuerianis eſt, ac ſublatus in equũ Seuerus, & paludamento purpureo circundatus. At Albiniani iam ſe uictores rati, confuſis ordinibus, incitante ſe in eos deimprouiſo ualida recentiq́; hoſtiũ manu, cùm paulùm primò reſtitiſſent, terga demũ uerterunt. Fuſos igitur, fugatosq́; eos perſecuti Seueriani, magna edita ſtrage, ad urbem ipſam peruenerunt. Occiſorũ utrinq;, aut captiuorũ numerus, uariè prout uiſum eius ætatis ſcriptoribus, proditur. Direpta mox incenſaq́; Lugdunũ, & Albino caput abſciſum, perlatumq́; ad Seuerũ eſt. Ita duo maxima excita trophæa ad Orientem ac Septemtriones, ſic ut nihil ſit, quod cum Seueri cõtentionibus aut uictorijs conferas, ſiue copiarũ multitudinẽ, ſiue nationũ motus, ſiue numerũ pugnarũ, ſiue itinerũ longitudinẽ, celeritatemq́; conſideres. Nam Cæſaris quidẽ res aduerſus Pompeiũ, Romano utrinq; milite, magnæ profectò fuerunt, item Augusti aduerſus Antoniũ, aut Pompeij liberos, & quæ antea à Sylla Marioq́; ciuilibus, externisq́; prælijs geſta ſunt. Sed qui unus uir treis imperatores rerũ iam potitos ſuſtulerit, qui urbanos exercitus, Romam ipſam ac palatiũ obtinentes, aſtu circumuenerit, quiq́; unũ è principibus in ipſa palatina aula curauerit occidendũ, alterumq́; iterũ in Oriente rurſus gubernacula rerũ tenentem, appellatũq́; à Romanis imperatorẽ, tertiũ porrò Cæſaris honore atq; autoritate præditũ, in poteſtatẽ redegerit, haud facilè alter inuenieẽ. Hunc finẽ uitæ habuit Albinus, breui ſanè lætatus funeſto honore. Cæterùm Seuerus omnẽ ſtatim iram atq; atrocitatẽ animi ſuam, in illius neceſſarios Romæ effudit, ac primò quidẽ præmiſſo in urbẽ capite Albini abſciſo, iuſſoq́; publicè patibulo præfigi, in ima epiſtola, qua de ſua uictoria populũ edocebat, hoc quoq; aſcripſit: ideo ſe caput illud publicè in patibulo ſpectandũ miſiſſe, uti exemplũ caperent, quid item ipſis patiendũ foret. Rebus igitur Britanniæ ordinatis, cùm totius inſulæ adminiſtrationẽ bifariã diſpertiſſet

tiſſet,itemq́; omniGallia(quemadmodũ quidem uidebatur)cõpoſita ex ſentẽtiá
ſupplicioq́; de Albini amicis ſumpto, ſiue quos ei ſua quemq́; uoluntas, ſiue ne-
ceſſitas adiunxerat,continuò Romam proficiſcitur, exercitũ ſecum omnem ad-
ducens,quò terribilior uideretur. Confectoq́; magna uelocitate itinere, quemad
modum cõſueuerat,infeſtus adhuc ſuperſtitibus Albini amicis, Romã intrat,oc-
currente laureato populo,ac magno honore,fauſtiſq́; acclamationib.excipiente,
Senatuq́; uniuerſo conſalutante. Tametſi pleroſq́; metus conſternauerat, ꝙ ſibi
haudquaq́; parſurũ rebantur immitẽ ſuapte natura,& ſanguinariũ, neq́; ſane ma-
gna cauſa indigentem ad inferendas iniurias: cæterũ tunc probabiles odij ratio-
nes habiturum. Poſtea uerò q̃ in templũ Iouis ingreſſus eſt,omniaq́; ſacrificia de
more peregit,reuerſus in palatiũ, magnoq́; cõgiario pop. Rom. uictoriæ nomine
proſecutus, ac nummos militibus largitus eſt, ſimul alia permulta indulxit,quæ
nunq́; antea acceperãt. Nam & frumenti ſummã primus adauxit, & aureis anulis
uti,& domi habere mulierẽ permiſit. Quæ omnia procul à militari diſciplina ſuc-
cinctos eos,paratoſq́; ad bellũ minimè præſtitura uidebantur. Primuſq́; ipſe du-
ritiam atq́; aſperitatẽ uictus,tolerantiamq́; laborũ,diſciplinamq́; omnẽ,ac ducum
reuerentiã ſubuertit,inhiare pecunijs,& mũditias colere militib.inſuefactis. His
ergo optimè ꝓ ſuo iudicio cõſtitutis,curiã deinde ingreſſus, ſedenſq́; imperato-
ria ſella,accuſare infit truculenta oratione Albini amicos, prolatis etiã quorundã
arcanis epiſtolis,quas apud illũ ſepoſitas deprehendiſſet, quibuſdam aũt expro-
brans,ꝙ eum ſplendidioribus munerib.affeciſſent:alijs ꝙ amici Oriẽtalibus,alijs
ꝙ Albino fuerunt notiores.Eoq́; pacto eximiũ quemq́; è Senatu, tum ut quiſq́; in
prouincijs genere aut opibus excelleret,omnes ſine diſcrimine ſupplicio afficie-
bat,ulciſcens(ut quidẽ præ ſe ferebat)inimicos,ſed re uera ſubigẽte auaritia, qua
ſupra omnes imperatores laborauit.Nam ut animi patientia,atq́; in laborib. per-
ſeuerantia,ſimul rei militaris gloria,nemini etiã laudatiſſimo cõceſſerit: ita quæ-
ſtui ſuprà q̃ dici poſſet,addictus, iniuſtis cædibus,atq́; adeò cuicuimodi ex cauſa
pecuniã colligebat,imperiũ metu q̃ beneuolẽtia retinẽs. Quanq́; popularis eſſe
in primis uolebat,edendis omnifariã magnificẽtiſſimis ſpectaculis, centenis etiã
ſæpenumero occiſis beluis, quas omnib.regionibus noſtris, Barbariſq́; conqui-
rebat.Sed & cõgiaria dedit uberrima,& certamen ꝓpoſuit, undiq́; accitis ludio-
nibus,atq́; athletis. Vidimus item ſub illo quoſdã omnis generis ludos, cunctis
editos theatris,ſimulq́; ſupplicationes, & peruigilia ad formã Cereris initiorum,
ſeculares hi tunc appellabant,celebratos(ut aiunt)decurſo triũ ſpatio ętatum.ſi-
quidem urbe tota atq́; Italia præcones itabant conuocatũ omnes ad ludos, quos
nec uidiſſent hactenus,nec uiſuri poſtmodò forent.Ita ſcilicet interuallũ præteri-
tæ futuræq́; celebritatis,ſupra omnẽ eſſe hominũ ætatem ſignificantes. Igitur ali-
quandiu Romæ moratus,participato filijs imperio,cũ ſe ciuili tantũ uictoria,con
traq́; Romanos exercitus habita, clarũ hactenus intelligeret, ex qua etiã trium-
phum recuſauerat,decreuit iterũ Barbarorũ inclareſcere tropęis.Quocirca præ-
textu uindicãdi Barſemij Atrenorũ regis,qui Nigri partes fouerat, exercitum in
Orientem eduxit,iamq́; in Armeniam facturus impetũ,præuentus à rege Arme-
niorum eſt,mittente obſides ultrò,& munera, ac ſuppliciter petente, ut ſibi cum
illo inire amicitiã,fœduſq́; ferire liceret.Quare Seuerus procedẽtibus ex ſenten-
tia rebus,in Armeniam perrexit ad Atrenos. Sed & rex Oſrhoenorum Augarus
ad eundem transfugit,traditiſq́; obſidio liberis fidem ſuam autorauit, ſagittario-
rumq́; uim magnam miſit auxilio. Cæterùm Seuerus regionem interamnanam,
agrum'que Albenorum tranſgreſſus, etiam in Arabiam felicem excucurrit.

Illic enim herbæ proueniunt odoratæ, quæ nos aromata ſuffimentaq; habemus. Ibi expugnatis uicis, urbibuſq; permultis, omnemq; agrum depopulatus, in Atrenorum regionem mox ingreſſus, Atras circunſedit, urbē ſcilicet altiſſimo impoſitam monti, ac maximis ualidiſſimisq; obſeptam mœnibus, florentemq; ingēti ſagittariorū copia. Igitur hanc urbem Seuerianus exercitus, quanta maxima ui poterat, oppugnabat, machinæq; omnifariam mœnibus admouebant, nullo oppugnationis genere prætermiſſo. Contrà aūt Atreni audacter urbē defenſare, ſagittasq; ac lapides ſupernè iaciētes, peſſimè accipere Seuerianos, etiamq; uaſa fictilia uolucribus quibuſdam, uenenatisq; beſtiolis oppleta deuoluere, quæ cùm aut oculis inuolitarent, aut in apertas corporis partes ſenſim obreperent, grauiter ſingulos conſauciabant, incideratq; in morbos Romanus miles, æſtum illū cœli nimio ſole præferuidi, parum ferens, ſic ut lōgè plures ob hos caſus, q̃ hoſtili manu interierint. Proin defatigatis iam, & cōtuſis omnibus, ꝑcedēte ſecus obſidiōe, ac plus iacturę q̃ lucri Romano faciente, decreuit exercitū Seuerus, priuſq; uniuerſus perierat, deportare ex eis locis, triſtē uidelicet infecto negotio. Quippe aſſuetus uincere prælijs omnibus, uictum ſe tunc putabat, quia non uicerat. Sed eum proſpera fors & fautrix ſtatim cōſolatur: neq; enim planè rebus infectis redijt, ſed maiore q̃ ſperauerat ſucceſſu. Nam impoſitis nauib. permultis exercitus uniuerſus, nequaquā, ſcilicet quò intenderat, Romanæ appulſus ripæ, ſed undarum impetu, Parthorū ad agrum prouectus, haud procul Cteſiphonte, qua in urbe ſedes regis eſt. Is tunc pacem agitans, ac nihil ad ſe pertinere Seueri pugnas autumans, quas gereret cum Atrenis, otioſus uidelicet nihil expectabat mali. Cæterùm Seueri exercitus, cum ad eas ripas ui fluminis inuectus, moxq; in terram eſſet expoſitus, omnem ilicò depopulari agrum cœpit, abactisq;, ut in quæq; inciderant, pecoribus ad ueſcendū, uicisq; aliquot incenſis, paulatim uſq; ad Cteſiphontē perrexerunt, qua in ciuitate magnus rex Artabanus cōmorabatur. Igitur imparatos nacti Barbaros, cæſis primò quicunq; reſtitiſſent, direptaq; mox urbe, pueris fœminisq; in captiuitatē abductis, tantū ipſo rege cum paucis equitibus elapſo, theſauris illius, ornatuq; omni, & ſupellectile potiti, uictores regrediuntur. Ita Seuerus fortuna magis q̃ conſilio Parthicam uictoriā adeptus eſt. Igitur proſperè ſuccedētibus rebus, literas ad Senatū, populumq; Romanū de ſe magnificas dedit, ac depictas in tabulis pugnas uictoriasq; ſuas expoſuit, nihil non honorū decernente Senatu, & ſuper his cognomina imponēte deuictarū gentium. Ipſe interea rebus ad Orientē ſic geſtis, Romā reuertebat̄, filios iam puberes ſecū adducens. Confectoq; itinere, ac prouincijs, ut cuiq; uiſus foret, ordinatis, Myſorūq; & Pannoniorū recognitis exercitibus, urbem dein triumphans inuectus eſt, multis acclamationibus, omniq; ceremonia populo excipiente. Cui quidē ipſe feſtos dies, ſacrificiaq; & ſpectacula, ac celebritates indulxit, magnoq; dato congiario, & ludos pro uictoria celebrauit. Romæ deinde haud paucos moratus annos, ius dicebat frequenter, ciuilib. negotijs & liberis erudiēdis intentus. At illi iam tum adoleſcētes delicijs uictuq; urbano, nimioq; ſpectaculorū aurigationisq;, & ſaltationis ſtudio, bonam indolē corruperant. Interq; ſe fratres diſſidebant, puerili primū certamine, edendis coturnicū pugnis, gallinaceorumq; conflictibus, ac puerorū colluctationibus exorta diſcordia. Nam ſeu quid in ſcena audirent, ſiue item ſpectarent, ſemper utiq; diuerſis accedebant, nuſquam eiſdem ſtudente utroq;, ſed quod alteri charum foret, id alteri ſtatim odioſum, committentibus etiam utrinq; ipſos adulatoribus atq; miniſtris, nihilq; nō ad gratiā ſuggerētibus, ut ad ſe quiſque pro uirili diuerſos retraherent. His cognitis Seuerus reducere in gratiam,

atq;

atq; emendare conabat̃. Tum Baſſiano, qui tunc honores imperatorios adeptus, Seuerus Antoninus, accepto Marci cognomine uocabatur, ac maior natu erat, uxorẽ dedit filiam Plautiani, præfecti cohortibus urbanis. Hic (ut perhibẽt) Plautianus ab initio ætatis tenui fortuna fuit, ſeditioniſq; & aliorum criminum reus, ac mulctatus exilio: ſed erat Seueri municeps, Afer natione, atq; (ut quidam putãt) etiam conſanguinitate propinquus: ut uerò alij affirmant, flore magis ætatis per ſtuprũ conciliatus. Hunc autem Seuerus ex parua humiliq; fortuna, ad opes maximas prouexerat, ac damnatorũ bonis adiudicatis, longe ſupra cæteros collocupletauerat, tantũ non imperio quoq; participato. Queis ille opibus licẽtiaq; abutens, nihil crudelitatis aut uiolentiæ, ut quidq; ageret, omittebat, cunctis etiam atrocior omniũ ætatum principibus. Ergo huius filiam Seuerus uxorẽ filio ſuo tradidit. Enimuero Antoninus ipſe parũ lætus eo matrimonio, ac neceſſitate, q̃ uoluntate impulſus, puellam ipſam pariter & puellæ parentẽ peſſimè oderat, ſic ut ne thorum quidem, laremq; cum ea cõmunem pateretur, adeoq; auerſabatur, ut minaretur quotidie occiſurũ ipſam patrẽq;, ſimul atq; imperiũ ſolus obtinuiſſet. Quod cùm illa identidẽ ad patrem referret, ſimulq; quantopere foret inuiſa, patẽ feciſſet, magnopere hominẽ irritauit. Igitur Plautianus ſenem iam Seuerũ ipſum cernens, ac morbo ſæpe laborantem, contrà uerò Antoninũ ferocem in primis, audacemq; iuuenem, pauidus ob illius minas, decreuit facinus inuadere aliquod, priuſquã ipſe opprimeret̃. Suberant præterea multa, quę hominẽ ad imperij cupiditatem inflammarent, opes quantas nemo antea priuatus poſſederat. Militum præterea obedientia, & apud omnes Romanæ ditionis homines maximi honores: ad hęc habitus, quo in publicum prodibat. Siquidẽ latum clauũ perpetuò habebat, atq; in ſecundis conſularibus numerabat̃. Enſem præterea geſtabat, cæteraq; omnia ſupremæ dignitatis inſignia, adeò quacũq; incederet, trux atq; horribilis, ut nõ modò nõ adiretur à quoquã; ſed etiã qui fortuitò occurrebant, ab eo uerterent oculos. Quin anteambulones aliquot, quacũq; iter facerẽt, denuntiabant, ne quis in proximo cõſiſtere, né ue illũ contueri auderet, ſed auerterẽt uniuerſi oculos, terramq; deſpectarent. Quæ cùm cognouiſſet Seuerus, ne ipſe quidem prorſus æqui boni facere, ſed moleſtius iam, grauiuſq; ferre, ſic ut nonnihil etiã de illius autoritate detraheret, ac perſuadere homini conaret̃, aliquid iam è tanta illa inſolentia imminueret. Quorũ impatiens Plautianus nõ dubitauit imperiũ ipſum appetere inſidijs, quocirca talia quædã machinat̃. Saturninus erat quidam tribunus, qui Plautianũ in primis obſeruabat, & cũ facerẽt idẽ omnes, unus tamen ille maiore quadã uenerationis ſpecie, magis magiſq; homini obrepſerat. Hunc ſibi igitur fidiſſimũ fore putans, ac ſolũ deniq; cõmiſſa tacitè habiturum, & imperata facturũ, uocari ad ſe ſub ueſperã iubet, remotiſq; arbitris. Nunc illud, inquit, eſt, cùm ſummã imponere manũ debeas amori, obſeruãtiæq; tuæ, cuius mihi hactenus dediſti ſpecimen: cumq; ego remunerare te ꝓ meritis, ac debitã referre gratiã poſſim, datur optio tibi, uelis'ne ille ipſe euadere, quẽ me nunc eſſe cernis, atq; huic tantæ potẽtiæ ſuccedere, an perire ſtatim dato cõtumacis animi ſupplicio. Neq; tu uel magnitudinẽ rei pertimueris, uel nomina imperatorũ expaueris, intrare in cubiculum ubi ſomnũ capiunt, ſoli nempe licet, redeũti uice nocturnæ cuſtodiæ clam, nulloq; prohibente, facilè quod uolueris, tranſiges. Nihil eſt autem, quod hic meum iam expectes imperium. Abi modò in aulam principum, quaſi aliqua à me mandata habeas arcana, & grauia, atque ut uirum fortem decet, ſenem unũ, ac puerũ intra ſuum utrunq; cubiculum obtrunca. Nam cùm in partem ueneris periculi, etiam re confecta, in partem maximi honoris ſuccedes.

Hæc

Hæc dicta ut animum tribuni perterruerunt,ita minimè conſilium excuſſerunt. Sed ut homo neutiquam mente captus(erat enim genere Syrus,ac ſunt fermè ad Oriẽtem mortales acerrimis ingenijs)cognito furore ac uecordia, quantumq; ei liceret,minimè ignarus,haudquaquam auſus detractare,ne ſcilicet continuò daret pœnas,cùm ſe optata ac lubentia ſimularet audire, prius adorato illo, tanquã imperatore, iam libellum petebat demandatæ ſibi cædis. Quippe mos tyrannis, cùm aliquem indemnatum occidi iubẽt, per literas potiſſimũ iniungere, ne dein cædis impetratæ nullum relinquatur argumentum.Hic Plautianus cæcutiens nimia cupiditate,dat libellum tribuno,atq; ad cædem mittens admonet diligenter, ut interfecto utroq; principe,priuſquàm diuulgetur facinus, ſe iubeat acciri, quo antè in palatio conſpiciatur,quàm occupatum imperium quiſquam audiat. Sub hac pactione tribunus digreditur, ac de more totam liberè domũ principis peruadit,cognitoq; φ difficile factu foret, duos ab uno homine principes,&quidem diuerſis habitantes cubiculis,obtruncari,adit ad Seuerum,& cum ianitoribus agit,ut ſe ad principem intromittãt, afferre ſe quæ ad illius ad ſalutem pertineant. Illi hæc Seuero renunciant,qui tribunum continuò iubet acciri.Ingreſſus, uenio inquit,tibi ô domine, ut ſane putat is, à quo ſum miſſus, ad cædem tui, carnificinamq;: ut egomet opto,ac uolo,beneficij autor tibi & ſalutis. Plautianus imperium captãs inſidijs,cædem mihi tuam,filijq; tui mandauit,neq; uerbis modò, ſed & literis. Teſtimonio eſt hic libellus.Equidem ego recepi facturum,quæ imperaret,ne alter ſcilicet me detrectante,negotium ſuſciperet. Verùm ad indicandam rem tibi ſum præſtò, ne ignarum illius opprimat audacia. Dicenti hæc tribuno, atq; ubertim lacrymanti, non continuò tamen fidem Seuerus habebat. Quippe adhuc in pectore multum ex Plautiani amatorio inſederat,quin eſſe id totum negotium compoſitum ac fabuloſum ſuſpectabat, ratus filium ſuum Plautiano infeſtum,natamq; eius peroſum, cõmentum eſſe technam huiuſcemodi, ac mortiferam calumniam.Quare accitum ad ſe, grauiter increpare inſtitit, quòd in hominem amicum atq; domeſticum talia machinaretur.Antoninus autem primò quidem deierabat ignarum ſe totius negotij,dein inſtanti tribuno, & libellum oſtendenti,animum audaciamq; addebat ad crimẽ coarguendum. Sed ille cognito, φ magnum in diſcrimen uenerat, tum præterea haud ignarus, φ acceptus Seuero Plautianus foret,neq; non etiam intelligens,ſi latuiſſent inſidiæ, parumq; indiciũ probaretur,exquiſitiſſimum ſibi impendere ſupplicium: & quod nam, inquit, ô domini argumentum amplius,quod ue apertius quæritis indicium? Sinite egrediar regia,petq; aliquem fidum mihi hominẽ ſignificem Plautiano facta eſſe iam quæ imperauerat.Aderit ille ſtatim re credita, uacuam ſcilicet regiam occupaturus. Ibi ueſtri muneris fuerit, rem totam deprehendere. Iubete modò in ædibus quietem agitari,ne præcognita res omne conſilium ſubuertat.Hęc locutus,fidiſſimum ſibi hominem deligit,qui Plautianum ſuis hortetur uerbis, acceleret, atq; adſit quàm primùm, dum uterq; princeps iacet, oportere antequàm res populo innoteſcat,intus eſſe eum,ut ſcilicet occupata arce, cõſtabilitoq; imperio, uelint nolint uniuerſi non ſcilicet principatum adeunti,ſed iam planè principi obediãt. His creditis, Plautianus(erat autem iam diei ueſper) magnam in ſpem ſublatus, loricam induitur ſub ueſtẽ tuendi corporis gratia,ſimul conſcenſo uehiculo,properat in regiam,paucis modò qui aderant deducentibus, ratisq; eum magnis de rebus ab imperatoribus acciri. Vt autem in aulam nullo prohibẽte ingreſſus eſt, ignaris quæ agitarentur cuſtodibus,occurrens tribunus, compoſito dolo ſalutat imperatorem,dein manu prehenſum deducit intra cubiculum, ubi proiecta eſſe

impera-

imperatorũ cadauera mentiebatur, iamq́ aliquot è corporis ſui cuſtodibus Seue
rus comparauerat, qui ſtatim ingreſſo manus inijcerent. At Plautianus cum lõgè
alias animo ſpes agitaret, ut ingreſſus cubiculum eſt, cernens utrũq; illic ſtantem
principem, comprehenſumq́ ſe teneri ſentiens, re tanta perterritus, rogare, ſup-
plicare, falſa illa omnia, cõmentum id in ſe fabulamq́ excogitatam. Igitur expro-
brante hinc Seuero beneficia, & honores, illinc Plautiano fidei, beneuolentiæq́
ſuæ ueteris teſtimonia repetente, paulatim labaſcere Seuerus, atq; adduci Plautia
ni uerbis, donec pars loricæ per ſciſſum ueſtimenti apparuit. Qua Antoninus a-
nimaduerſa, audax iuuenis, & iracundus, ac iam antea homini infeſtus: Atqui, in-
quit, ad hæc certè duo quid reſpondeas expectò. Veniſti ad imperatores ſub ue-
ſperam minimè accitus, deinde quid ſibi, rogo, hæc lorica uult? Quis ad cœnam
comeſſationem'ue armatus accedit? Simul hæc dicens iubet tribunũ, cæterosq́
qui aderant, ilicò eum ſtrictis gladijs obtruncare, ut hoſtem manifeſtarium. Nihil
illi cunctati, iuſſa faciunt iuuenis imperatoris, occiduntq́ hominem, & cadauer
in uiam projciunt ad uulgi ludibriũ. Hunc finem habuit parem uitæ Plautianus,
inexhauſtæ homo cupiditatis. Cęterùm Seuerus duobus præfectis militarib. con
ſtitutis, plurimũ in ſuburbanis, aut circum maritimas Campanię oras agitabat, ius
dicens, & ciuilibus negotijs intentus, cupiensq́ in primis, ut Romæ ſui liberi bo-
nis moribus inſtituerentur. Nam ludis eos, ſpectaculisq́ uehementius ſtudere a-
nimaduerterat, q̃ principib. conueniebat. Quo fieret, uti ſtudio certamineq́ ſem
per in diuerſum tendente, etiam animi iuuenum diſtraherẽtur, quibuſdam quaſi
admotis contentionum atq; inimicitiarũ facibus. Maximè tamen Antoninus in-
tolerandus, ſublato iam è medio Plautiano, terribilisq́ & formidoloſus erat om-
nibus, tum illius natæ, cõiugi ſcilicet ſuæ, quib. maximè artibus aut machinis po
terat, exitiũ intendebat. At Seuerus ipſam pariter cum filiolo, quẽ pepererat, rele
gauit in Siciliam, datis opibus quantæ ad uictũ atq; uſum abundè ſufficerẽt. Imi-
tatus in hoc Auguſtũ, qui filios Antonij, poſteaq̃ hoſtis iudicatus eſt, eodem mo
do tractauerit. Ipſe ad pacẽ concordiamq́ reuocare liberos, et reconciliare utrũq;
alteri conabat͂, admonens identidem ueterũ fabularũ, in quibus pleræq; regũ ca-
lamitates fraternis ortæ ſeditionibus memorant͂. Huc adducebat theſauros, tem-
plaq́ pecunijs plena eſſe, diuitias foris ex uectigalibus accedere poſſe in tanta o-
pulentia, militem largitione teneri, auctas in quadruplũ copias urbanas, tantũ ſe-
dere exercitũ ante urbẽ, ut nulla externa uis, ſeu multitudinem ipſam militũ, ſeu
corporum magnitudinẽ, ſeu pecuniæ abundantiã ſpectes, par inueniri tantis opi
bus poſſit. Sed ea in nihilũ recaſura, ipſis inter ſe diſcordantibus, atq; inteſtinum
agitantibus bellũ. Hæc ille quotidie ediſſerens, precesq́ caſtigationib. admiſcẽs,
reprimere illorum ſpiritus, ac reducere germanos in gratiam ſtudebat. Cæterùm
omnia fruſtra erant. Quippe frenos ore depulerant, proni ſemper in peius, atq; il-
los adoleſcentes adhuc in ipſo ætatis feruore, atq; in ſumma licentia uoluptatum
omnium, irritamentis incitatos, etiam adulatorũ miniſteria diuerſos trahebãt, ſci-
licet qui non modò illorũ obſequerent͂ cupidinibus, atq; flagitijs, ſed noua ſem-
per aliqua excogitarent, unde alteri gratũ fieret, alter offenderetur. Quorũ etiam
nonnullos Seuerus ipſe in huiuſcemodi miniſterijs deprehẽſos, ſupplicio affecit.
Hanc liberorũ ſuorũ uitam, & indecora in ſpectaculis ſtudia ferẽs grauiter ſenex
imperator, literas à Britanniæ præfecto accepit, quæ docebant Barbaros illic ſe-
ditiões agitare, regionemq́ omnem incurſionibus ac depopulationibus uaſtare:
quare maiore manu ad reſiſtendũ, uel etiam principis ipſius præſentia opus eſſe.
Lætus ea Seuerus accepit, quippe homo ſuapte natura gloriæ appetentior, poſt

uictorias ad Orientē Septentrionemq;, & cognomina utrinq; parta, etiā tropæa cōtra Britannos excitare aliqua cupiebat. Ad hęc filios quoq; abducere ex urbe, ut procul à mundicijs urbanis, in caſtris militari uitæ, ac ſobriæ iuuenes inſueſcerent. Ita expeditionē in Britanniā edicit ſenex iam, & morbo articulari laborans, tanta aũt animi uirtute, quanta nemo unq; uel iuuenũ. Igitur iter ingreſſus, lectica plurimũ uehebatᷣ, nulloq; ceſſabat loco. Quare cōfecto itinere, ſpeq; omni ac ſermone celerius enauigato Oceano, Britanniā ingreſſus eſt, collectisq; militibus, ac maximis cōflatis uiribus, bellũ cōparabat. Cæterùm Britanni repentino principis aduentu perculſi, auditoq; tantas contra ſe cōparari copias, legatos ad eum de pace, ac ſeipſos expurgatũ miſerũt. At Seuerus moras de induſtria nectens, ne uacuo ſibi Romā redeundũ foret, cupidus uictorię, cognominisq; Britannici, legatos quidē re infecta domũ dimittit, ipſe quæ bello uſui forēt, magna ſolertia cōparabat. Sed in primis tamen curæ habuit pontibus occupare paludes, ut ſtare in tuto milites poſſent, atq; in ſolido præliari. Siquidē Britānię pleraq; loca frequentibus Oceani adluuionibus paludeſcunt. Per eas igitur paludes Barbari ipſi natant, excurſantq; ad ilia uſq; demerſi, ac pleraq; corporis nudi cœnũ contemnunt. Neq; enim ueſtis uſum cognouerũt, ſed uentrē atq; ceruicē ferro incingunt, ornamentũ id eſſe, ac diuitiarũ argumentũ exiſtimantes, perinde ut aurũ cæteri Barbari. Quin ipſa notant corpora pictura uaria, & omnifariam formis animaliũ, quocirca ne induuntᷣ quidē, uidelicet picturā corporis ne adoperiant. Sunt aũt bellicoſiſſima gens, atq; auidiſſima cædis, tantũ ſcuto anguſto, lanceaq; contenti, præterea gladio nudis corporib. dependēte, loricæ ac galeæ penitus ignorant uſum, impedimentũ id eſſe tranſgrediēdis paludib. arbitrantes, quarũ uaporibus æſtuq; cœlũ ibi ſemper caliginoſum. Ad hæc Seuerus nihil nō cōparabat, quod uſui Romano militi, q̃d detrimēto Barbaris impedimētoq; foret. Vbi uerò ſatis ex ſententia prōpta ſibi eſſe ac parata omnia intellexit, iuniorē filiũ Getā nomine, in parte inſulæ Romanis ſubiecta reliquit, ut iuri dicundo, rebusq; ciuilibus adminiſtrandis pręeſſet, eiq; cōſiliarios ex amicis natu grandibus reliquit, Antonino ſecũ aduerſus Barbaros educto. Tranſgreſſo igitᷣ Romano exercitu amnes, aggeresq; eos, qui obiecti Barbaris, Romanorũ fines diſterminãt, pugnæ quędā tumultuarię fiebant, & excurſiōes, uictore ubiq; Romano. Cęterùm facilis erat ex fuga receptus Barbaris, quippe inter ſyluas ac paludes & loca ipſis notiſſima deliteſcentibus. Quæ omnia Romanis aduerſa, morā bello addebant. Interea Seuerum iam confectũ ſenio, longior inuaſit morbus, ſic ut ipſe domi reſidere, atq; Antoninum mittere in bellũ, ad imperatoris obeũda munia cogeretᷣ. Cæterũ Antoninus haud magnopere de Barbaris ſolicitus, exercitũ ſibi adiungere, & cōfirmare uniuerſos tendebat, uti ſe unũ intuerentᷣ, ſoli ſibi imperiũ uindicās, ac germano identidē obtrectans. Quin lōgior q̃q; patris ualetudo, ac mortis mora diuturnior, anxiũ uidelicet adoleſcentē habebāt: ſic ut medicis miniſtrisq; ſubinde conaretᷣ perſuadere, ſenē ut è medio q̃; primũ quoquo modo tollerēt. Donec tandē Seuerus mœrore magis q̃; morbo cōſumptus, uitaq; defunctus eſt, clariſſimus omniũ imperatorũ bellicis operibus. Neq; eñ aut ciuiles quiſq; aduerſus inimicos, aut externas aduerſus Barbaros tondē alius uictorias reportauit: annisq; duodeuiginti geſto imperio deceſſit, ſucceſſorib. liberis, tanta pecuniæ relicta copia, quantā antea nemo, tũ ampliore exercitu, q̃; cui obſiſtere ulla uis poſſet. Igitᷣ Antoninus, mortuo Seuero, ſummā poteſtatē nactus, cōfeſtim uniuerſos ab ipſo (q̃d aiunt) lare interficere cępit. Nam & medicos ſupplicio affecit, ꝙ ſibi parũ obtēperauerant, iubēti ſenis maturare necē, nutriciosq; ſuos iuxtà & fratris, ꝙ de recōciliandis egiſſent,

ne unq

ne uno quidem reliquo ſuę crudelitati facto ex eo ordine hominũ, qui in honore aliquo fuerant, quiq; ipſius parentem obſeruauerãt. Duces porrò exercitus magnis muneribus ac promiſſis adhortabatur, perſuaderent militibus, uti ſe unũ imperatorem declararent, nullasq; non machinas aduerſus germanum intendebat. Neq; id tamẽ perſuadere militib. potuit. Quippe memores, utrũq; à Seuero iam inde à pueritia pari honore cultuq; educatũ, etiam ipſi parem utriq; obedientiã beneuolentiamq; exhibebant. Igitur Antoninus cognito parum ſibi rem aduerſus exercitũ procedere, icto cum Barbaris fœdere, dataq; pace, & obſidibus acceptis, decedens illinc, ad matrem iam, germanumq; feſtinat. Congreſſos reducere in gratiam conata, adnitentibus honeſtiſſimis quibusq; Seueri amicis et conſiliarijs. Igitur Antoninus, cùm nemo ſcilicet non eius libidini refragaretur, ui potius ꝗ uolũtate, ad concordiæ amorisq; ſimulationẽ adducitur. Ita ambo pari honore imperiũ gerentes, ſoluerunt ex Britannia, Romamq; cum patris reliquijs contendebant. Nam corpuſculo ignibus tradito, cinerem ipſum cum odoribus in uaſculum alabaſtri coniectũ, Romam referebant, ut uidelicet in ſacris principum monumentis componeretur. Ipſi exercitum deportantes, uictoresq; iam Britanniæ, in aduerſam Galliam emenſo Oceano peruenerunt. Quo igitur pacto & diem ſuum obierit Seuerus, & liberi eius imperium ſuſceperint, in hoc uolumine demonſtratum eſt.

LIBER QVARTVS.

Res geſtas Seueri principis per annos duodeuiginti ſuperiore libro ſumus perſecuti. Porrò aũt ipſius liberi adoleſcentes iam unà cum matre Romam feſtinabant, ſeditiões etiam tum in itinere agitantes. Quippe diuerſorijs menſaq; nunꝗ eiſdem utebanť, multumq; ſuſpicionis in cibo omni, potuq;, ne alteruter antecapto tempore, ipſe clàm aut per miniſteria ueneno rem gereret. Ob eamq; cauſam etiã iter properantius faciebant, tutius rati uicturos, ubi iam in urbem perueniſſent, diuiſaq; inter ſe regia, amplis ac ſpatioſis ædibus, maioribus etiam reliqua urbe, pro ſuo uterq; arbitrio ſeparatim agitarẽt. Poſtꝗ uerò in urbem peruentũ, populus eos uniuerſus laureatus excepit, & Senatus conſalutauit. Præibant igitur principes ipſi cum purpura imperatoria, pòſt ſequebanť conſules, urnam cum Seueri reliquijs geſtantes. Qui aũt nouos imperatores conſalutauerant, progreſſi deinde, urnam quoq; ipſam ſupplices adorabant. Ita comitati magna pompa, cõpoſuerunt ipſum in templo, ubi Marci, ac ſuperiorum principũ ſacra uiſuntur monimenta. Re igitur diuina, ceremonijsq; de more concelebratis, uterq; in regiam diſcedunt, partiti inter ſe domũ, ianuisq; ſecretioribus obſtructis, publicis tantũ atq; atrieſibus promiſcuè utentes. Quin & cuſtodes corporis ſeparatim ſibi delegerunt, uix unquã congredientes, niſi pauxillum duntaxat, ut in publico à multitudine ipſa conſpicerentur. Sed in primis tamen iuſta parenti perſoluerunt. Mos eſt enim Romanis, conſecrare imperatores, qui ſuperſtitibus filijs, uel ſucceſſoribus moriunť. Quiq; eo ſunt honore affecti, relati dicunť inter diuos. Eſt autem tota urbe quaſi luctus quidam, feſtæ celebritati promiſcuus. Quippe functũ uita corpus, ritu hominum ſumptuoſo funere ſepeliunt. Sed certam imaginem defuncto ꝗ ſimilimam fingunt, eamq; in regiæ ueſtibulo proponunt ſupra eburneũ lectum maximũ atq; ſublimem, ueſtibus inſtratum aureis. Et quidem imago illa ad ægroti ſpeciem pallida recumbit. Circa lectum uerò utrinq; magnã partẽ diei ſedent, à læua quidem Senatus omnis ueſtibus atris amictus, à dextra uerò matronæ, quas uirorũ aut parentum dignitas

honeſtat,harumq́ nulla uel aurũ geſtans,uel ornata monilibus conſpicit̃, ſed ue-
ſtibus albis exilibus indutæ,mœrentiũ ſpeciem præbent.Hæc ita per ſeptem dies
continuos faciunt,medicis ad lectũ quotidie accedentibus,inſpectumq́ uelut æ-
grum deterius ſe habere pronuntiantibus.Dein ubi iam uiſus obijſſe diem, lectũ
humeris attollunt equeſtris ſenatorijq́ ordinis nobiliſſimi ac lectiſſimi iuuenes,
perq́ uiam ſacrã in uetus forũ deferunt, ubi magiſtratus Romani deponere impe
rium cõſueuerant. Vtrinq́ aũt gradus quidã ſunt ad ſcalarũ ſimilitudinem extru-
cti,in quibus altera ex parte puerorũ chorus eſt è nobiliſſimis atq́ patricijs , alte-
ra fœminarũ illuſtrium,hymnos in defunctũ,pęanasq́ canentium, uerendo ac la
mentabili carmine emodulatos.Quibus peractis,tollunt iterũ lectum, atq́ extra
urbem perferunt in Martiũ campũ,ubi q́ latiſſimè campus patet: ſuggeſtus qui-
dam ſpecie quadrangula,laterib.æquis aſſurgit, nulla præterq́ lignorũ ingẽtium
materia cõpactus in tabernaculi formam.Id quidem interius totũ eſt aridis fomi-
tibus oppletum,extrà autem intextis auro ſtragulis,atq́ eboreis ſignis,uarijsq́ pi
cturis exornatum.Infrà uerò alterum minuſculum quidem poſitum eſt,ſed forma
& ornatu perſimile,portis ianuisq́ patentibus.Tertiumq́ item, & quartum ſem-
per ſuperiore contractius,ac deinceps alia, donec ad extremũ,quod eſt omnium
breuiſſimũ,perueniatur.Poſſis eius ædificij formam comparare turribus his quæ
portibus imminentes noctu igne prælato,naues in tutas ſtationes dirigunt.Pha-
ros uulgò appellant.Igitur lecto in ſecundum tabernaculum ſublato, aromata &
ſuffimenta omnis generis, fructus herbasq́ , ſuccosq́ omneis odoratos conqui-
runt,atq́ aceruatim effundunt.Quippe neq́ gens eſt,neq́ ciuitas, neq́ qui hono
re ullo aut dignitate præcellat, quin certarim pro ſe quiſque ſuprema illa munera
principis honori deferant. Vbi uerò ingens aromatũ aceruus aggeſtus eſt, ac lo-
cus omnis expletus,tum circa ædificiũ illud adequitant,uniuerſis equeſtris ordi-
nis certa quadam lege ac recurſu,motuq́ Pyrrhichio, numeroq́ in orbem decur
rentibus.Currus item circumaguntur inſeſſi purpuratis rectoribus, qui perſonas
ferant ducum omnium Romanorũ , principumq́ illuſtrium. Quæ ubi celebrata
ſunt,facem capit imperij ſucceſſor,eamq́ tabernaculo admouet.Tum cęteri om-
nes undiq́ ignem ſubijciunt, cunctaq́ ilicò fomitibus illis aridis , odoramentisq́
referta igni ualido corripiuntur . Mox ab extremo minimoq́ tabernaculo, tanq́
è faſtigio quodam,ſimul cum ſubiecto igni,aquila dimittitur, quæ in cœlũ credi-
tur ipſam principis animam deferre.Ac iam ex illo unà cum cæteris numinib.im-
perator colitur.Ita conſecrato parente,reuerſi domũ iuuenes , diſcordias quotti-
die & ſimultates exercere,inſidiari inter ſe,moliri, parare omnibus modis , atque
eo modo uterq́ in animo habere,quibus alter dolo caperetur.poſtremò quacum
que uia graſſari ad ſingulare imperiũ,ac nihil inuicem prætermittere,dum conſor
tem poteſtatis expungerent . Sed & mentes animiq́ omniũ urbanorum, quicũq́
honore aliquo,aut dignitate præſtarent,diuerſi trahebantur, utroq́ ſeorſum lite-
ras clanculum miſſitante , magnisq́ pollicitationibus ſibi homines adiungente.
Maior tandem pars ad Getam ſpectabat, quòd opinionem nonnullã oſtenderet
probitatis,moderatumq́ ſe & lenem in congreſſibus præſtaret , ſtudia porrò tra-
ctabat honeſtiſſima. Quippe & diſciplinarũ laude celebres circa ſe frequẽtes ha-
bebat,& in palęſtra,ac reliquis ingenuis exercitationibus uerſabat̃.Placidus prę
terea in omnes,atq́ humanus,fama & gloria quadam optima plurimos ad amici-
tiam beneuolentiáq́ alliciebat. Cõtrà uerò Antoninus cũcta aſperius ferociusq́
gerebat,atq́ ab his rebus,quas ſuprà diximus,alienus,militaris uitæ ac bellicę ui-
deri amator affectabat. Nihilq́ nõ iracundè faciens, minitando quàm ſuadendo,

metu ꝗ beneuolentia ſibi amicitias quærebat. Sed cùm diu fruſtra mater diſcor-
danteis inter ſe germanos redigere in gratiam ſtuderet: uiſum aliquando ambo-
bus eſt, imperiũ inter ſe diuidere, ne Romæ agitantes, alter alterius eſſent inſidijs
opportuni. Quare conuocatis paternis amicis, coram ipſa matre de imperio diui
dendo diſceptabant, ſic uti Europa omnis Antonino, tellus aũt aduerſa, quæ om-
nis Aſia nuncupatur, Getæ adiudicaret̃. Ita enim diuina quadã prouidẽtia, utrũq;
continentem Propontidos incurſu diſterminari. Placebat aũt, ut Antoninus ca-
ſtra ad Byzantiũ haberet, Geta uerò in Chalcedone Bithyniæ urbe, quæ ſcilicet
oppoſita inter ſe, utriuſq; imperiũ tuerent̃, atq; à tranſmittendo prohiberẽt. Tum
ut è ſenatorio ordine quotcunq; ex Europa forent, in urbe ipſa remanerent, reli-
qui Getam ſequerent̃. Sedes imperij ſui Geta deſtinabat Antiochiã, uel Alexan
driam, urbes magnitudine haud longè infra Romam. Tum ex gentibus ad meri-
diem habentibus Mauros, Numidasq;, Antonino concedens, reliquos ad Orien
tem uſq; Geta ſibi aſciſcebat. Hæc dum illi agitarent, reliquis omnib. mœſto uul-
tu terram intuentibus, ita Iulia mater locuta eſt: Terram quidẽ, & mare, ò filij, iam
inueniſtis quo pacto diuidatis, & continentem utramq;, ut dicitis, Pontici diſcri-
minant fluctus, matrem uerò quo'nam modo diuidetis? quo'nam modo infelix
ego diſtribuar inter utrunq; ueſtrũ, aut diſſecabor? Me primã igitur occidite, di-
midiamq; uterq; apud ſe partem ſepeliat, ut ego quoq; inter uos cum mari terraq;
ipſa diuidar. Hęc locuta multis cum lacrymis, eiulatuq; manus ambobus inijciẽs,
cõplexa utrũq;, reconciliare inter ſe conabatur. Quare coorta miſeratione, cũcti
diſceſſere improbato conſilio, ipſiq; in ædes ſuas reuerſi. Sed gliſcebat in dies o-
dium atq; diſcordiæ. Nam ſiue duces ac magiſtratus aliqui eligerent̃, uterq; ami-
co ſuo potiſſimũ ſuffragabat̃, ſiue ius dicerent, ſemper diuerſa ſentiebant, magno
illorũ periculo cuia res agebat̃. Pluris enim ſtudiũ ſuum, ꝗ ius aut æquũ faciebãt,
etiam in ludis ipſis diuerſarũ ſemper factionũ. Nihil præterea inſidiarum omitte-
bant. Cocos identidem, & pincernas conati ad ueneficia impellere: quæ ubi tar-
dius procedebant, ꝙ ſcilicet uterq; magna diligentia curaq; cibũ capeſſerent, po-
ſtremò impatiẽs Antoninus, atq; imperij totius cupidine inſtigatus, deliberat ma
gnum aliquid uel facere, uel pati, ferrumq; & cædẽ molitur. Et quando ſecus pro-
ceſſerant latentes inſidiæ, neceſſarium putabat periculo omni, ac ſpe poſthabita,
quouis modo incœptũ patrare. Quare irrupto fratris cubiculo, nihil eum tale ex-
pectantẽ ſupra matris pectus multo undantẽ ſanguine ſæuus obtruncat. Quo fa-
cto exilit ſtatim, ac per totam regiam currens clamitat magnũ ſe periculum effu-
giſſe, uixq; euaſiſſe incolumem. Simul imperat militibus regiæ cuſtodibus, rape-
rent ilicò ſe, atq; in caſtra deducerent, ubi tutius aſſeruetur, periturum dictitans, ſi
diutius in ædibus morã trahat. Illi pro ueris ea dicta accipientes, ſimul ignari quæ
intus geſta, currentem eum currentes & ipſi comitantur. Fit ingens populi tumul
tus, raptim agente ſe ſub ueſperam principe mediam per urbẽ. Vt autẽ caſtra atti
git, ædiculamq; eam intra quã ſigna ac ſimulacra exercitus adorantur, procidens
humi, gratias agebat, uotis quaſi pro ſalute ſuſceptis. Ea re militibus nuntiata, par
tim iam lauantibus, partim requieſcentibus, ſtatim illuc omnes exterriti feruntur.
Ille progreſſus in mediũ, non quidem continuò rem ipſam, prout erat geſta, fate-
batur, ſed effugiſſe periculũ clamitabat, inſidiasq; inimici hominis atq; hoſtis. Nã
ita fratrẽ appellabat. Vixq; tandem poſt longũ certamen, aduerſarios ſuperatos.
Quippe utriſq; periclitantibus, ſe poſtremò unicum imperatorem fortunæ reli-
ctum dono. Talia quædam obliquans, atq; inuoluens, intelligi quæ feciſſet, ꝗ au
diri malebat. Tum ꝓ ſalute imperioq; ſuo ſingulis militib. Atticarũ drachmarum

duo millia ſupra quingentos pollicet̃. Prætereáq; annonæ ſupra ꝙ ſueti accipere
dimidiũ. Iubet item iam tum ex templis, theſauriſq; ſibi ipſos pecuniã ſumere, lar
giter effuſis uno die, quęcũq; per duodeuiginti annos Seuerus collegerat atq; re-
condiderat alienis calamitatibus. At milites tanta pecuniæ magnitudine illecti,
totoq; iam negotio intellecto, uulgata paſſim cæde per eos qui ędib. effugerant,
unũ illum declarãt imperatorẽ, Geta hoſte appellato. Igitur ea nocte moratus in
templo Antoninus, ac fretus largitionibus, quibus ſibi milites adiunxerat, cõten
dit poſtridie in Senatũ, toto ſtipante exercitu, ſed armis inſtructiore, ꝙ conſueuit
principẽ deducere. Ingreſſus deinde, ubi rem diuinã fecit, conſcendit ſellã impe-
ratoriam, atq; ad hunc modũ uerba facit: Nõ me quidẽ fugit, omnem domeſtico-
rum cædem, ſtatim atq; auribus inciderit, odioſam uideri, nomenq; ipſum ut pri-
mùm audiatur, afferre grauem calumniã. Quippe infelices miſericordia, potẽtes
inuidia ſequit̃, ac uictus accepiſſe, uictor attuliſſe iniuriã uidet̃. Cæterùm ſi quis
uero magis iudicio ꝙ ſtudio erga defunctũ aliquo rem ipſam expẽdat, cauſamq;
eius & conſiliũ exquirat, facilè ſcilicet inueniet, rectũ eſſe & neceſſariũ, uindicare
magis ꝙ accipere iniuriã, quippe ad occiſi calamitatẽ etiã infamia timiditatis ac-
cedit. uictor præterq; quòd incolumis eſt, etiã gloriã retulit fortitudinis. ac cæte-
ta quidẽ quæ ſæpe in me cùm ueneficijs, tum omni genere inſidiarũ intẽdit, facile
uobis eſt exquirere tormentis. Quippe idcirco adeſſe omnes illius miniſtros im-
peraui, ut uerũ deprehendatis. Sunt aũt nonnulli quoq; ex his iam torti, quorum
exaudire confeſſionẽ poſſitis. Poſtremò aũt cum ego apud matrẽ forem, uenit il-
le in me, quoſdam ſecũ adducens gladijs accinctos. Sed ego re pręcognita, ultus
hoſtem ſum. Neq; enim iam aut fratris mentem gerebat, aut fraterna moliebatur.
Vlciſci aũt illũ qui prior inſidietur, ut iuſtũ eſt, ita uſu quoq; iam receptũ. Quippe
ne ipſe quidem urbis huius conditor Romulus germanũ pertulit, ſuis tantũ ope-
ribus illudentem. Taceo Germanicũ Neronis, ac Titum Domitiani fratres. Mar-
cus ipſe philoſophiæ ſimulator, ac manſuetudinis, Lucij generi ſui contumeliam
non pertulit. Ego uerò uenenis cõparatis in me, gladioq; impendente, ultus ho-
ſtem: quippe hoc illi ſua opera nomen imponebant. Vos aũt dijs gratias agite, ꝙ
alterũ uobis principẽ ſeruauerint, neq; mẽtes ueſtras in diuerſa partiti, ſed unum
tantũ ſpectantes imperatorẽ, uitam ſecuri traducite. Imperiũ autem Iupiter ſicut
ipſe inter deos ſolus poſſidet, ita etiam uni tantùm mortaliũ adiudicat. Hæc locu-
tus magna uoce, irarumq; plenus, ac truculento uultu illius amicos intuens, tre-
mentibus pallentibusq; pleriſq; in regiã reuertitur. Continuò igitur cœpti occidi
domeſtici omnes fratris, atq; amici, quiq; in ædibus habitabant, quas ille incolue
rat, miniſtriq; item uniuerſi, ſic ut ne ætati quidẽ infantiũ parceretur. Porrò ipſa ca
dauera plauſtris omnib. per contumeliam impoſita, atq; extra urbem exportata,
aceruatim aut temerè iniecta rogis cõburebantur. Nec quiſquam ſuperfuit ex ijs
qui leuem modò cum Geta notitiam habuiſſet. Atletæ etiam, & aurigæ, atq; om-
nifariam hiſtriones, & quicquid deniq; uel oculis illius, uel auribus iucundũ fue-
rat, paſſim occidebantur. Præterea ſenatorij ordinis quicunq; aut nobilitate, aut
opibus excellerẽt, minima quaq; de cauſa, uel planè nulla, quantumlibet leui de-
latione pro illius amicis interimebantur. Quin & Cõmodi ſororẽ iam anum, atq;
ab omnib. imperatoribus, ut Marci filiam oportuit, magno in honore habitam,
morte affecit, cauſatus Getæ necem apud ipſius matrem defleuiſſe. Et coniugem
quondam ſuam Plautiani filiam, quæ fuerat in Siciliam relegata, ac conſobrinum
Seuero cognomine, filiumq; Pertinacis, & Lucillæ Commodi ſororis: poſtremò
quicquid ex cognatione imperatoria, aut in Senatu ex patricia nobilitate ſuper-
erat

erat,planè quaſi ab ſtirpe abſcidit.Ducesq; prouinciatū uniuerſos, ac procurato-
res,ueluti Getæ amicos,neci dedidit. Totæq; noctes cędēdis plurifariā mortalib.
impendebant. Sed & ueſtales uirgines uiuas obruit terræ,quaſi temerata uirgi-
nitate.Deniq; id quod nunꝙ aliàs factitatum,cùm Circenſes ſpectante eo popu-
lus Romanus in aurigam,cui ſtudebat,neſcio quid cauillatus eſſet, ratus ſibi con
tumeliam illatam,repentè omnem exercitum facere impetum iuſſit in populum,
ac raptare,& occidere quicunq; in aurigā dixiſſent. At milites accepta ſemel uio
landi rapiendiq; poteſtate, cum diſcerni à reliquis nequirent qui fuerant proter-
uius locuti,nullo ſcilicet in tanta multitudine uerū fatēte,paſſim ut in quemq; in-
ciderant,aut occidebant,aut omnibus ereptis, quaſi ſalute redempta,uiuos ægrè
dimittebant. His actis, ſtimulante malorū facinorū conſcientia,uitamq; peroſus
urbanam,ſtatuit Roma ſecedere, ut & milites ordinaret, & prouincias inuiſeret.
Igit̃ Italia decedēs,ad ripas Danubij peruenit,ac partes imperij Romani Septen-
trioni ſubiectas.Ibi aut corpus exercebat aurigando, cædendiſq; cominus omne
genus beluis,aut ius dicebat,rarius id tamen,ſtatimq; ſententiā ferens,ac reſpon-
dens,pauculis duntaxat auditis.Cæterū Germanos illic ſibi omnes adiūxit,atq;
in amicitiam cōciliauit, ſic ut ex his ſocios bellorū, & cuſtodes corporis ualidiſ-
ſimum quemq;,& pulcherrimū ſibi adſciuerit.Sæpe etiam Romano cultu depo-
ſito,ueſtem Germanicam induebat,atq; in eorū ſagulis argento uariegatis conſpi
ciebatur,etiam flauam capiti cæſariē imponens, ad modū Germanicæ tonſuræ.
Quibus læti Barbari,mirificè eum diligere, gaudere etiā Romanus miles, quem
ſcilicet ille ampliſſimis largitionibus proſequebatur.Ipſe nullū nō militiæ munus
promptè obire: & ſiue quid fodiendū foret,primus fodere,ſiue pons flumini im-
ponendus,aut extruendus agger,ſiue quod opus manuum faciendum,aut labor
ſubeundus,primus omnia occupare, tenuiq; menſa, ac ligneolis poculis, uaſiſq;
eſculentorū contentus eſſe,panemq; etiam temerè factū comeſſe.Quippe tritico
quantū ſatis uni foret,ſua manu molito,maſſaq; inde facta,atq; in carbonibus de-
cocta,ueſci ſolitus,omnia deniq; elegantiora aſpernari,& uiliſſimis quibuſq;, ac
uel pauperrimo gregarioq; militi facilimis uti.Tum cōmilitonem ꝙ principē uo-
cari ſe malle,ac plerunq; iter facere,perinde atq; ipſi pedibus ambulans,raroq; ue
hiculum conſcendere,aut equū,ſibi ipſe portare arma,nonnunꝙ etiam ſigna mi-
litaria longiſſima,& aureis ornamentis prægrauia, ac ne robuſtiſſimis quidē mi-
litibus facilia,ipſe humeris ſubire.Ob hæc igitur,aliaq; huiuſcemodi, ut hominē
militarem diligere eum ſuus exercitus,& ut uirum fortem admirari. Quippe in-
ſtar miraculi uidebatur tantulæ hominem ſtaturæ,tantis eſſe laboribus parē. Sed
ubi milites apud Danubium ordinauit, atq; in Thraciam Macedonibus conter-
minam diſceſſit, continuò Alexander alter euaſit. Nam & memoriam regis eius
omnibus modis renouauit,ſtatuis imaginibuſq; nulla non urbe poni iuſſis, Ro-
mamq; ipſam, Capitoliumq;,& templa uniuerſa referſit Alexandri ſimulacris. Vi
dimus item imagines nonnullas ridiculè depictas, quæ uno corpore duas facies
præferrent,Alexandri atq; Antonini.Ipſe prodibat Macedonico habitu,cauſiam
geſtans,et crepidas,ac lectiſſimā iuuenū manū in exercitu Phalangem Macedo-
nicam appellabat,iuſſis ducibus nomina ſibi ducum Alexandri,imponere. Præ-
terea iuuenes Sparta accitos,Laconicam & Pitanitem centuriā uocabat.His igit̃
actis,atq; urbibus ꝓut quamq; potuerat ordinatis,Pergamū adit,Aſię ciuitatē,ut
Aeſculapij curationibus uteretur.Quò poſtꝙ peruenit,ſomnijs ꝙ diu uoluit,ca-
ptatis,Ilium mox petijt,& cunctis urbis reliquijs colluſtratis, ad Achillis tumulū
ꝓceſſit.Eoq; coronis floribuſq; magnificè exornato,rurſus imitari Achillē cępit.

 Sed

Sed Patroclum deſiderans aliquem, quippiam huiuſmodi fecit. Libertorum omnium chariſſimus Feſtus, à memoria, dum ad Iliũ moratur, uita defunctus eſt, ueneno (ut quidam aiebãt) extinctus, quo ſcilicet Patrocli more ſepeliretur (ut alij affirmant) morbo interceptus. Huius igitur cadauer efferri iuſſit, cõpluribusq; lignis rogum ſtrui. Dein impoſito in medium, mactatisq; omne genus animalibus, ſubiecit ignem, phialamq; manu tenẽs, uinumq; libans, uentos precabatur. Cũq; eſſet raro capillo, & crinem quæreret, ut imponeret ignibus, deridiculo erat omnibus: cæterùm quos habuit capillos, tamen totondit. Laudabat aũt ex omnibus ducibus præcipuè Syllam Romanũ, & Afrum Annibalem, quibus etiam ſtatuas atq; imagines excitauit. Decedens autẽ Ilio, Aſiaq; omni, et Bithynia, gentibusq; reliquis pertranſitis, atq; ubiq; rebus cõpoſitis, deuenit Antiochiã, ibiq; exceptus honorificentiſſimè, atq; aliquandiu moratus, Alexandriam contendit, prętexens huic itineri deſideriũ uiſendæ urbis ab Alexandro conſtructæ, ſimul conſulendi illorũ numinis, quod egregiè incolæ uenerantur, ac ſimulans hæc duo, in primis religionem Dei, & herois memoriã, iubet hecatombas cõparari, ac parentatiões omne genus. Quod ut primùm eſt Alexandrinæ multitudini nuntiatũ, leuiſſimæ ſuapte natura, & omnibus momentis expoſitæ, ſtudiũ beneuolẽtiamq; principis omnes, quaſi animorũ impotes accipiebãt. Igitur ad excipiendũ illum ſe comparabant, quanto nunq; antea honore conſueuerant. Quippe omnifariam muſica inſtrumenta diſpoſita, ubiq; uariũ edebant ſonitũ. Præterea aromatũ ac ſuffimentorum uapor omne genus additus, cũctos optimis replebat odoribus: tædis præterea & florũ ſparſionibus honorabant. Sed ubi in urbẽ iam peruenit, primò quidem templũ ingreſſus eſt, multisq; uictimis immolatis, ac thure cumulatis altaribus, ad Alexandri monimentũ ſe contulit, paludamentumq; purpureũ, & claris ſpecioſisq; gemmis anulos conſpicuos, balteumq;, & ſi qua alia geſtabat elegantiora, dempta ſibi, tum illius impoſuit tumulo. Hæc cernentes Alexandrini, læti ſupra modũ, noctibus totis, ac diebus feſtum celebrabant, ignari quid intra ulceratum pectus imperator occuleret. Hæc enim omnia per ſimulationẽ faciebat, ut uniuerſam illorũ multitudinem contrucidaret. Latentis odij cauſa talis erat. Nuntiatum ei fuerat Romæ agenti, uiuo adhuc patre, atq; item pòſt extincto, multa in ipſum dicere Alexandrinos. Sunt enim homines ſuapte natura dicaces, atque ad deſcribendũ illudendumq; maximè facti, iactantes in optimũ quemq;, & potentiſſimũ dicteria quædã, ut quidẽ ipſi putant, feſtiua: ut aũt uidentur ijs in quos dicuntur, longè grauiſſima. Quippe huiuſcemodi iocorũ, uel maximè illa permouent, quibus delicti ueritas arguitur. Quare cùm multa in eum dixiſſent, ne diſſimulata quidem fraterna cæde, matremq; etiam Iocaſtam uulgò appellarent, irriderẽtq; ipſum, quòd tantulæ homo ſtaturæ, Alexandrũ atq; Achillẽ maximos ac fortiſſimos heroas æmularetur: dum ludere ſe putant, eò impulerunt Antoninũ, hominem ſuapte natura iracundũ atq; ſanguinariũ, ut perniciem illis inſidiasq́ue moliretur. Igitur celebritate ac feſto iam peracto, cùm uideret maximã hominũ multitudinem ex uicinis regionibus confluxiſſe in urbẽ, monuit edicto, ut in planiciem quandam iuuentus uniuerſa conueniret, uelle affirmans, ſicuti Macedonicam Spartanamq; habebat, ita etiam in Alexandri honorem ipſius herois cognomento phalangem conſtituere. Iubet igitur conſiſtere iuuenes uniuerſos, relicto interuallo, ut ſingulorũ ætatem ſtaturamq;, & corporis habitudinem militiæ idoneam conſideraret. His creditis iuuenes, ac ueriſimili ſpe ducti, ob inſignẽ honorem paulo antè exhibitũ principi, conueniunt frequentes unà cum parẽtibus atq; germanis lætis gratulãtibusq;. At uerò Antoninus ſingulos inter ſe diſtantes

circumiens

circumiens,contrectanſq;,&aliud in alio laudans præteribat:donec illos,neq; id animaduertentes,neq; expectantes uniuerſus circumueniret exercitus. Vt uerò coniecturā fecit,iam eſſe omnes militū ſuorū armis incluſos,quaſiq; retibus implicitos,ipſe ſtatim cum ſuo præſidio exceſſit,ac ſignū militibus dedit. Qui ſtatim facto undiq; impetu,deprehēſam in medio inermem iuuentutē,cęterosq; qui aderant,magna cæde contrucidant,atq; è militibus alij cædem tantum faciebant,alij foueis ingentibus cadauera obruebant, aggeſtaq; deſuper humo immanē tumulum excitarunt. Multi etiam in eas foueas ſemiuiui protrahebantur, multi adhuc integri detrudebant. Sed & milites nonnulli ſimul perierunt. Nam qui reliquias adhuc aliquas ſpiritus retinebāt,neq; penitus defecti erant uiribus,impliciti proruentibus ſe militibus,eos quoq; ſecū trahebant in foueam. Tanta eſt aūt facta cędes,ut riuis cruoris per planiciem decurrentibus, cùm fauces ipſæ Nili ingentes, tum littus omne circa urbem purpuraſceret. Sed affectans Parthici cognomē,famamq; deuictæ ad Orientē Barbariæ,quanq; in altiſſima pace,tale quiddam machinatur. Dat literas ad regem Parthorū Artabanum,ſimulq; legatos cum muneribus mittit,materiæ & artis conſpicuæ. In eis literis fuerat ſcriptū,uelle ſe regis filiam ducere in matrimoniū. Principem ſe eſſe,& principe natū:quare haud decorum priuati cuiuſquā, & tenuis fieri generū, ſed reginam ducere potius, filiamq; magni regis. Duo maxima imperia eſſe, Romanū & Parthicū. Quibus affinitate illa in unū coeuntibus,ac nullo iam diſcriminante fluuio, unam tantū potentiam factum iri, nullis expugnabilem uiribus. Nam reliquas Barbaras nationes, quæ nunc amborum imperijs ſubiectæ ſunt,facilè iugum toleraturas,ſi proprios gens quæq;,& conuentus ſit habitura rectores. Eſſe Romanis pedeſtrem exercitum, qui haſtis,& ſtataria pugna cæteros antecellat: Parthis uerò equitatū plurimum, peritiſſimosq; ſagittarios. His igitur concurrentibus, & quæ uſui ad bellum ſunt in unum conſpirantibus,facilè ipſos ſub uno diademate totius orbis terrarum imperium retenturos. Præterea odoramenta,quæ apud illos proueniant, telasq; laudatiſſimas,contraq; apud Romanos metalla ipſa, & quæcunq; arte aliqua conſpicua uiſuntur, non iam uix raroq; & clanculū per mercatores importatū iri, ſed in una duntaxat terra, unoq; imperio, cōmunemq; fore utriſq; uſum rerum omniū, minimeq; impeditum. His literis Parthus acceptis,primo quidē abnuere, negare Romano conuenire Barbarum matrimonium. Quam enim fore cōcordiam, neque uoce ſatis congruentibus, & uictu habituq; inter ſe diſtantibus. Eſſe Romæ patricios permultos, quorum ſibi ille optare liberos in matrimoniū poſſit, ſicuti itidem apud ſe Arſacidas. Neq; ullam ſanè extare cauſam, cur alterutrum genus adulteretur. Hæc igitur à principio reſcribens,cōditionem aſpernabatur. Sed inſtanti Antonino doniſq; & iureiurando fidē ſtudij ſui,& charitatis uxoriæ facienti,credidit Barbarus,ac pollicitus daturam filiam, generum iam ipſum appellitabat. Cuius rei uulgata mox fama, Barbari ſcilicet omnes ad Romanum ſuſcipiendum principem ſe comparabant,ſpe quadam ſempiternæ pacis exultantes. Cæterùm Antoninus prohibente nullo,fluuios tranſgreſſus, ac iam Parthicam regionem quaſi propriam peragrans,ſacrificantibus paſſim uniuerſis,ſupra´que coronata altaria odores incendētibus, lætum ſe honore illo Barbarorum magnopere ſimulabat. Poſteà uerò quàm magno itinere facto,ad ipſam Artabani regiam appropinquabat, occurrit ei rex in quadam ante urbem planicie, nouum nuptum excepturus,generumq; ſuum: ſed Barbarorum magna multitudo, floribus indigenis coronati, atq; induti ueſtes auro, diuerſiſq; coloribus uarias, feſtum agitabant ad tibiarum fiſtularum´que & tympanorum ſonitus ſaltantes numeroſè.

Quippe

Quippe huiuſcemodi tripudijs ſupra modum delectantur, præſertim cum ſe temeto largius inuitarunt. Sed ubi omnis multitudo confluxit, ac relictis equis pharetriſq́;, & arcubus depoſitis, inter libamina & calices agitabant, collectiq́; in unũ Barbarorũ ꝙ plurimi, temerè inordinatiq́; conſtiterant, nihil ſuſpectantes mali, ſed pro ſe quiſq; ſtudentes uidere nouum nuptũ, tum ſigno dato Antoninus militibus imperat, impetũ cædeq́; in Barbaros faciant. Illi re ſubita perterriti, cædentibus ſauciantibusq́; Romanis terga obuertunt. Ipſe Artabanus à ſuis ſtipatoribus raptus, atq; equo impoſitus, uix ęgreq́; cum paucis fugiens elabitur. Reliqua uerò multitudo Barbarorum paſſim cædebatur. Quippe neq; equos habebant, quibus maximè uruntur. Deſcenderant enim ex ijs, paſtumq́; dimiſerãt: neq; ipſi euadere fuga poterant, impediẽte curſum fluxa ueſte, ad pedes uſq; deducta. Porrò pharetras & arcus omninò non attulerant. Nam quid illis opus ad nuptias? Ita ingenti cæde Barbarorum facta, Antoninus prædaq; & hominibus magna copia captis diſcedit, reſiſtente nullo, uiciſq; & urbibus incenſis, data poteſtate militibus rapiendi, quod quiſq; poſſet aut uellet. Hanc igiť calamitatẽ haud opinato Barbari acceperunt. Antoninus autem regionem Parthicam penitus ingreſſus, defeſſis iam rapiendo cædendoq́; militibus, reuertitur in Meſopotamiam, indeq; Senatui populoq́; Rom. per literas ſignificat ſubactum à ſe Orientem, cunctoſq; illius regni mortales in ſuam ditionem conceſſiſſe. At Senatus quanq; totius negotij gnarus (quippe principũ res latêre nullo pacto poſſunt) metu tamen atque aſſentatione cunctos illi honores uictoriæ decernunt. Subſtitit aũt poſt id Antoninus in Meſopotamia ſtudio aurigandi, ac beluarum uenationibus intentus. Erant præfecti exercituum duo, Audentius & Macrinus: quorum alter ſenex iam, rerumq; ciuilium planè rudis, haud tamen imperitus rei militaris habebatur: alter & in foro uerſatus, & legũ conſultiſſimus. In hunc igitur ut parum militarem, minimeq; fortem uirũ, publicè nonnunq; princeps cauillabatur, nec conuitijs quidẽ abſtinẽs. Nam audito illũ & uictũ uſurpare liberaliorẽ, & aſpernari uiliſſima abiectiſſimaq; cibaria, quibus Antoninus mirabiliter delectabatur, chlamydemq; & ueſtem cæteram ad urbanũ modum geſtare, quaſi degenerẽ ipſum, morboq; muliebri laborantem calumniabatur, minitans etiam occiſurũ. Quorum impatiens Macrinus, uehemẽter exacerbatus eſt. Accidit aũt res huiuſcemodi. Quippe habitura finem aliquando fuerat Antonini uita. Nam cùm ſuapte natura curioſior eſſet, non hominũ modò res cognoſcere ſtudebat, ſed deorũ dæmonumq; etiam rimari arcana, metuq; ſemper inſidiarũ nullis non oraculis incubabat, accitis undique magis, aſtrologis, haruſpicibus, ac nullo planè præterito, qui huiuſcemodi fallacias profiteretur. Sed eos quoq; ſuſpectans, ut parũ uera loquentes, omniaq; ad aſſentationem uaticinantes, ſcribit ad Maternianum quendã, cui rerũ ſuarum omnium curam in urbe crediderat, & quem ſibi ex amicis omnibus fidiſſimũ putabat, conſciumq; omnium ſecretorum habuerat, magos undiq; optimos conquirat, atq; euocatis manibus de fine ipſius uitę conſulat, & an quiſquam imperio inſidietur. At Maternianus nauata principi opera, ſiue id re uera manes ſignificauerant, ſiue alioqui Macrinum peroſus, reſcribit Antonino, Macrinũ eſſe qui inſidietur imperio, eumq; è medio tollendũ. Has igitur literas, ut mos eſt, cũ reliquis obſignatas, dat ignaris quid ferrent tabellarijs. Illi conſueta uſi itineris celeritate, ad Antoninum perueniunt, quo ille potiſſimum tempore ad aurigandum ſe parabat, ac iam currũ conſcendebat. Ita ei reddunt integrũ epiſtolarum faſciculum, in quibus erant etiã literæ quæ ad Macrinũ pertinebant. At uerò Antoninus ſtudio iam omni atq; animo ad aurigandum intentus, imperat Macrino, uti ipſe literas

ſeorſum

ſeorſum inſpiciat: ac ſi quid maioris momẽti ſit, renũtiet: ſin minus, ipſe de more ſuũ, hoc eſt, præfecti officiũ exequatur: quippe talia identidem iniungere cõſueuerat. Ipſe deinde ad ſuum ſtudiũ perrexit. Macrinus ſeorſum, epiſtolis omnibus ſolutis, etiam in eam incidit, quæ ipſi perniciẽ afferebat. Cognito igitur quantum periculi impenderet, ac gnarus Antonini iracundiæ, truculentiæꝗ, prẹſertim tam ſpecioſo prætextu, ſubtrahit epiſtolã illam. Cæterarũ uerò (ut ſolebat) argumẽta principi renuntiat. Sed metuẽs ne iterũ ſuper eiuſcemodi rebus Maternianus reſcriberet, malens facere ipſe aliquid, ꝗ expectando pati, tale quiddam comminiſcitur. Erat Martialis quidã centurio unus è cuſtodib. corporis Antonini, ſemper illum affectari ſolitus, cuius fratrẽ paucis antè diebus princeps delatũ tantũ, ſed minimè redargutũ occiderat, ipſumꝗ Martialem per contumeliã timidũ ac degenerem, & Macrini amicũ appellauerat. Hunc uehementer dolentem fratris nece, proprijsꝗ incitatũ contumelijs, gnarus omniũ Macrinus ad ſe uocat, ſtudioſum iampridẽ ſui ac multis obſtrictũ beneficijs, cui perſuadet, ut captato ꝗ primũ tempore Antoninũ obtruncet. Ille, cùm promiſſis adductus, tum proprio odio, uindictæ fraternæ ſtudio incitatus, libenter omnia ſe facturũ pollicet̃, cùm primùm occaſio eueniſſet. Euenit aũt haud multo pòſt, quippe agens Carris, quæ eſt Meſopotamię urbs, Antoninus deæ Lunę inuiſit templũ, quod in ea regione diſtans aliquantũ ab urbe, præcipuo honore ab incolis colitur. Eò ſecum paucos equitũ eduxit, relicto exercitu cætero, ut ſacrificio facto in urbẽ reuerteretur. Medio autem itinere uno tantũ famulo comitatus, ac reliquis abſiſtere iuſſis, receſſit ad requiſita naturæ. Quare auerſis omnibus, & quàm longiſſimè recedentibus, honoris ac reuerentiæ cauſa, Martialis, qui omnes temporũ captabat articulos, ut eum ſolum eſſe animaduertit, ceu nutu principis ad uidendũ aliquid, aut audiendũ uocatus, accurrit ilicò, auerſumꝗ, & ſubligacula ſibi deducentem pugione traijcit, quẽ celatũ manu attulerat, & cùm in ipſam iuncturã ferrũ incidiſſet, letali ſcilicet uulnere deimprouiſo Antoninus minimè defenſus occubuit. Quo facto, Martialis ſtatim equũ inſcendit, ac fuga euadere conatur. Cęterùm Germani equites, quibus & delectabatur Antoninus, & cuſtodibus corporis utebatur, propiores cæteris, primiꝗ facinus cõſpicati, Martialẽ conſecuti miſſilib. confodiunt. Quod ubi exercitus reliquus cognouit, omnes ſubitò cõcurrerunt, primusꝗ Macrinus ſupra cadauer conqueri ac delamẽtari per ſimulationẽ cępit. Grauis ea res, & moleſta militibus incidit, cõmilitonem conuictoremꝗ aliquem amiſiſſe, non principem exiſtimantibus. Neꝗ de Macrino quippiam illis adhuc ſuboluerat, putantibus Martialem proprias inimicitias perſecutum. Ita in ſua quiſꝗ tabernacula diſceſſere. At Macrinus tradito igni corpuſculo, reliquias intra urnam coniectas, matri ad ſepulturã remiſit. Ea tunc Antiochiæ morabatur. Moxꝗ ob liberorũ calamitates, incertum ſponte an imperio alicuius, mortem ſibi conſciuit. Hunc finẽ habuerunt Antoninus & Iulia mater, cum quidem ad eum quem diximus, modũ uixiſſent, ac ſexenniũ tantũ ille ſine parente, germanoꝗ ſuo imperauiſſet. Extincto Antonino, incerti ignariꝗ quid agerent milites, biduo ſine Imperatore fuerunt, quærentes inter ſe, quem potiſsimum principem deligerent. Siquidem aduentare magnis copijs Artabanus nunciabatur, pœnas exacturus, & cæſis inter pacem, ac libationes miſſurus inferias. Igitur principem deligunt, primo quidem Audentium militarem ſcilicet uirum, præfectumꝗ non improbum. Sed ille ſene ctutem excuſans, abnuit Imperium. Dein uerò Macrinum, ſuadentibus potiſſimum tribunis, quos etiã conſcios inſidiarũ Antonini, ac Macrino participes con ſilij fuiſſe, poſt illius mortẽ ſuſpicio extitit, quemadmodũ in ſequẽtibus dicemus.

Suſcepit

Suſcepit autem Macrinus imperium,non tam fide militũ fretus,ꝙ neceſſitate im
pulſus, uſuq; præſenti. His actis, iam ſcilicet Artabanus multis copijs ac uiribus
aderat,equitatum ingentem & ſagittariorum multitudinem adducens: præterea
cataphractos camelis inſidentes,qui prælongis contis præliarentur. Quo cogni-
to Macrinus conuocato exercitu ita loquutus perhibetur.

DOlere uos omnes principis huiuſcemodi, uel ut uerius loquar, cõmilitonis
interitu,minimè mirandum. Sed calamitates caſusq; humanos modicè fer-
re,id uerò eſt prudentium. Cæterùm illius memoria ueſtris æternũ præcordijs in-
ſidebit,atq; ad poſteritatem propagabitur,rerum fortiter ac magnificè geſtarum,
præterea amoris beneuolẽtiæq;, & cõmunicatorum uobiſcum laborum laudem
ſecum deferens ſempiternam. Nunc autem poſtulat tempus honore habito illius
memoriæ,iuſtisq; omnib. perſolutis,occurrere imminenti periculo. Videtis Bar
barum inſtantem cum totius Orientis multitudine,ac iuſtas(ut uidetur)belli cau
ſas præferentem:ſiquidem nos illum priores laceſſiuimus, uiolato fœdere,atq; in
altiſſima pace bellum excitauimus. Nunc omne Romanum imperiũ in uirtutem
ueſtram recumbit, & fidem. Neq; enim de finibus imperij,aut de fluminibus di-
micatio nobis aduerſus magnum regem, ſed de omnibus fortunis eſt, cùm ſcili-
cet conſanguineos ſuos ultum ueniat,quos iniuſtè à nobis, contraq; fœdera occi
ſos arbitratur. Igitur arma capiamus,atq;(ut mos Romano eſt)ordines in prælio
ſeruemus. Quippe in acie Barbarorum incompoſita multitudo, ac tumultuaria,
ipſa ſe fortaſſe impediet. Veſter autem ordo atq; conſenſus,pugnandiq; peritia,
ſicuti uobis ſalutem,ita hoſtibus perniciem attulerit. Quapropter ſic uelim bene
ſperantes dimicetis,ut Romanos decet,utq; hactenus conſueſtis. Ita enim & Bar
baros ipſos fuderitis,& gloriam inſignem adepti, fidem Romanis cæterisq; om-
nibus feceritis,non dolo aut fraude ulla, ſed uirtute & armis ſuperiorem uictoriã
à uobis partam. Quæ poſtꝙ locutus eſt, cognita neceſſitate, milites in ordines ſe
recepere,atq; in armis agitabant. Sole autem oriente,conſpiciunt Artabanũ ma-
ximas ſecum copias adducentem. Vt autem ſolem Barbari de more propitiarũt,
confeſtim edito ingenti clamore concurrunt in Romanos, ijsq; adequitantes ſa-
gittas ingerunt. At Romani acie inſtructa, Maurorumq; equitatu per latera diſ-
poſito,ac receptis per interualla expeditis militibus,quibus facilis eſſet excurſio,
fortiter reſiſtentes, impetum Barbarorum ſuſtinebant, qui ſcilicet & ſagittarum
multitudine,& prælongis contis, quibus cataphracti ex equis aut camelis depu-
gnabant,peſſimè Romanos accipiebant. Contrà Romani quoties pedem confe
rebant,facilè ſcilicet aduerſarios ſuperabant. Poſtea uerò ꝙ ab equitatu & came-
litarum multitudine premebantur, fuga ſimulata tribolos, aliaq; machinamenta
ferrea acuminata proijciebãt,quæ ſub arenis latentia,neq; cuiquã conſpecta per-
niciem equitibus & camelorũ inſeſſoribus afferebant. Quippe illis calcatis,equi,
potiſſimum uerò cameli, quoniã huic generi molliſſimæ ſunt ungulæ, ſuccidüæ
claudicabant,excuſſis tergo inſeſſoribus. Cæterùm Barbari illi,quàm diu equis
aut camelis inuehuntur, acerrimè ſcilicet confligunt. Vbi autem uel deſcendêre
iam,uel excidêre,faciles ſunt captu,neq; prælium in manibus gerere audent,& ſi
fugiendus aut inſequendus ſit hoſtis,crura ſcilicet fluxa ueſte præpediũtur. Vno
igitur,alteroq; die à mane ad ueſperam pugnatũ. Nox prælium diremit, reuerſiq;
ſunt in caſtra utriq; quaſi uictores. Tertia die in planiciem pugnaturi conuenere.
Tentante autem Barbaro, utpote qui numero præſtabat, circumuenire Roma-
num,quaſiq; indagine concludere: contrà,non iam profundiorem,ſed in frõtem
productã conſtituebant Romani aciem, ac ſe circumueniri prohibebant. Tanta
autem

autem uirorum iumentorumque multitudo cecidit, ut omnis cõpleretur campus, maximique cadauerũ acerui in altum attollerentur, præſertim uerò camelorũ, quæ aliæ ſuper alias procubuerunt. Ergo nec liber pugnantibus curſus erat, nec inter ſe cernendi copia, uelut ingenti quodã, ac uix peruio aggere cadauerũ in mediũ extructo, quo ſcilicet prohibente tranſitũ ad reliquos, ſinguli ſe in ſua caſtra rece perũt. At Macrinus cognito nõ alia de cauſa tam acriter ac pertinaciter pugnare Artabanum, niſi quia ſe pugnare contra Antoninũ arbitrabatur (ſolent enim Barbari paulo negotio quaſi fatiſcere, uelutique oneri cedere, ſi modò primis congreſſibus parũ ex ſententia res geſſerint. Tunc aũt perſtabant, prœliũ integraturi, cùm primum cadauera concremaſſent, ignari periſſe, qui has inimicitias cõcitauerat) mittit Parthis legatos cum literis, quæ declararent, occidiſſe imperatorẽ, ac debitum ſupplíciũ luiſſe, qui fœdera & iuſiurandũ temerauerat, ſibi eſſe à Romanis, quorũ ipſum tandem imperium ſit, ſummam rerum traditam. Non placere uerò, quæ acta forent. Itaque captiuos quicunque ſupereſſent, raptaque omnia redditurum. Cupere ſe illũ ex inimico amicum facere, pacemque iureiurando ac libaminib. ſancire. Quibus lectis Artabanus, edoctusque à legatis de Antonini cæde, ſatis dediſſe ſupplicij uiolatorem fœderis arbitratus, contentusque reddi ſibi citra ullũ cruorem captiuos, prædamque omnem, fœdus cum Macrino ferit, atque in proprias ſedes reuertitur. Sed & Romanus imperator, deducto ex Meſopotamia exercitu, Antiochiam profectus eſt.

LIBER QVINTVS.

DE Antonini imperio, cædeque, inſidijs, ac ſucceſſione item ſuperiore libro diximus. Cæterùm Macrinus ubi Antiochiam peruenit, literas Senatui populoque Romano miſit in hanc ſententiam: Cùm ſatis ipſi cognitum habeatis, quod nam fuerit meũ iam inde à principio totius uitæ inſtitutum, quamque ad benignitatẽ propenſi mores, quæ manſuetudo in ea poteſtate explicata, quæ non multũ abeſt à principatu (ſiquidem ipſe quoque imperatori fidei ſe præfecti cohortis credit) ſuperuacuum eſſe arbitror multis uerbis uti apud uos. Noſtis enim & ipſi parũ me lætum fuiſſe ijs rebus quæ ab illo gerebantur, ac ſæpe ueſtri cauſa periclitatũ, dum ille nulli non calumniæ fidem habens, uelut effrenus contra uos irrueret. Itaque identidem mihi obtrectare ſolitus, etiam publicè modeſtiam in me, atque humanitatem uituperabat, ſegnem, et fluxis moribus uocitans. Quippe homo aſſentationibus gaudens, quicunque ipſum ad crudelitatem exacuebant, rabiemque inſitam, quaſi ſigno dato prouocabant, & calumnijs iram excitabant, eos ſibi denique beneuolos, fidosque in primis amicos arbitrabatur. Mihi autem iam inde à principio nihil lenitate antiquius, modeſtiaque fuit. Igitur Parthicum bellũ longè maximum, & in quo omne Romanũ imperium fluctuauerit, ita confecimus, ut nec in acie fortiter dimicando hoſtibus ceſſerimus, & regem maximas ſecũ trahentem copias, icto fœdere ex inimico amicum reddiderimus. Porrò, me principe, liberi, incruentique omnes agitabunt, magisque optimatiũ conſpiratio hæc erit, quàm principatus. Neque tamen eſt quod quiſquam indignũ imperio cenſeat, aut crimen putet eſſe, quòd ex equeſtri ordine ad imperium peruenerim. Nam quò obſecro nobilitas ipſa, niſi morum benignitas adſit, & humanitas? Siquidem fortunæ munera, etiam parum dignos exornant, animi uirtus propriam cuique gloriam cõciliat: & claritas quidẽ generis diuitiæque, atque id genus reliqua, etſi beatorum propria putantur, minimè in ipſis, utpote ab alijs tradita laudantur. Lenitas aũt, ac benignitas, etſi ipſæ quoque admirationi ſunt, attamẽ habẽti

quoq; laudem accumulant. Quid enim nobis profuit Cõmodi nobilitas, aut An-
tonini paterna ſucceſſio? Scilicet eiuſmodi homines quaſi ipſis debitam hæredi-
tatem adepti, ueluti proprio patrimonio per contumeliam abutũtur. Qui autem
à uobis imperium acceperunt, uelut in perpetuũ obſtricti etiam referre gratiam
pro meritis enituntur. Ad hæc patricia principũ nobilitas ſæpenumero in ſuper-
biam uertit, deſpectis omnibus uelut inferioribus. At qui modeſtiæ experimẽto
ad imperium aſciſcuntur, quaſi partum labore tuentur ſemper, uerenturq; & co-
lunt, quos conſueuerant. Mihi ſanè decretum eſt, nihil ſine autoritate ueſtra ge-
rere, ac uos participes conſiliariosq; habere reipub. gerendæ. Viuetisq; pro arbi-
trio ueſtro in libertate illa, quam uobis antehac à patricijs imperatoribus ereptã,
Marcus dein, Pertinaxq; reſtituere conati ſunt, ambo ad imperiũ priuatis cunabu-
lis innutriti: quippe generis initia clara poſteris relinquere, ipſum præſtat, ꝙ acce-
pta à maioribus fœdis moribus contaminare. Hac lecta epiſtola, conclamatum à
Senatu uniuerſo, nulliq; nõ honores Auguſtorũ Macrino decreti. Neq; uerò tan
topere lætus Senatus Macrini ſucceſſione fuit, ꝙ uulgò uniuerſi gratulabant̃ ex-
tinctũ Antoninũ. Nam ut quiſq; autoritate aliqua, aut dignitate præcellebat, ita
maximè imminentem ſuis ceruicibus depuliſſe gladium arbitrabatur. Delatores
aũt & ſerui omnes, quicũq; dominos detulerant, patibulo ſuffixi, totaq; urbs, atq;
adeò Romanũ imperiũ ſceleratis hominibus perpurgatũ, partim ſupplicio affe-
ctis, partim exilio mulctatis. Quòd ſi qui tamen latuerunt, metu quieſcentiũ, etiã
ipſi libertatis quandam imaginẽ pręferebant, anno duntaxat uno, quo Macrinus
imperiũ obtinuit. Quippe hoc tantũ peccauit, quòd non exercitum ilicò dimiſit,
atq; unoquoq; domũ reuerti iuſſo, ipſe Romam ſui cupidam ſtatim non petijt, uo-
cante populo quotidie ſe, ac Macrinũ uociferante. Sed Antiochiæ morabat̃, bar
bam nutriens, & incedẽs ꝙ ſolebat lentius, tardiſſimeq;, ac uix adeuntibus ſe re-
ſpondens, adeoq; interdũ ſubmiſſa uoce, ut ne exaudiri quidẽ poſſet. Hęc eñ de-
mum ſibi de Marci moribus imitanda propoſuerat, cùm ad illius reliquam uitam
nullo pacto aſpiraret. Quippe delicioſius in dies agitãs, histrionibusq; & ſaltato-
ribus intentus, & gubernandi negligens, incedebat cum fibulis, ac balteo auratis
gemmatisq;. Qui luxus minimè Romano gratus exercitui, certè quem Barbaris
putant, fœminisq; congruentiorẽ, ꝙ principi. Talia igitur intuentes, magnopere
improbare omnes, uitamq; planè hominis aſpernari molliorem, ꝙ ut militari ui-
ro conueniret, ſimul cõparare inuicem Antonini uitæ exemplũ, ſolertis in primis,
ac planè militaris uiri, et Macrini luxuriam. Pręterea grauiter indignari, quòd ipſi
adhuc in tabernaculis agerent, procul à patria, ac nonnunꝙ rerũ quoq; neceſſa-
riarum indigerent, neq; domũ dimitterentur etiã pace facta, cùm ſcilicet ille con-
trà molliſſimè ac delicioſiſſimè uitam coleret. Igitur excuſſis uelut habenis quo-
tidie in hominem cauillabantur, ac leuiſſimam quamq; occidendi eius occaſionẽ
aucupabantur. Sed ita ſcilicet fato datum fuerat, ut uno duntaxat anno princeps
Macrinus in delicijs abſumpto, ſimul cum uita imperium amitteret, exiguam, te-
nuemq; fortuna occaſionẽ militibus oſtentante, ad ea quæ concupierant patran-
da. Mæſa erat quædam nomine Phœniſſa mulier, ab Emæſa urbe Phœniciæ, cui
ſoror Iulia fuerat Seueri coniux, ac mater Antonini, ea uiuente ſorore multos an
nos in aula imperatoria uixerat, Seuero & Antonino principibus. Hanc igitur
Mæſam poſt ſororis obitum, atq; Antonini cædem, iuſſerat Macrinus in patriam
cum omnibus bonis reuerti. Abundabat aũt grandi pecunia, utpote longiſſimo
tempore inter principalẽ potẽtiam enutrita. Reuerſa igitur anus, domi agitabat.
Erant uerò ei filiæ duæ, quarũ natu maior Soæmis, minor Mammæa uocabatur.

Illi filius Baſſianus, huic Alexianus, amboq; ſub matribus auiaq; educabãtur. Et
quidẽ Baſſianus annos natus erat circiter quatuordecim, Alexianus aũt decimũ
iam annum attigerat, ſacerdotes ambo Solis, quem maximè indigenæ colunt,
Phœnicum lingua Heleagabalũ uocitantes. Templũq; illi maximũ conſtructum
habent auro argẽtoq; plurimo, ac lapidũ eleganti magnificentia exornatũ. Neq;
ſolùm indigenæ deum illum uenerant̃, ſed uicini quoq; ſatrapæ, regesq; Barbari,
certatim quotannis ſplendida offerunt munera. Simulacrũ uerò nullum Græco
aut Romano more manufactũ ad eius dei ſimilitudinẽ: ſed lapis eſt maximus, ab
imo rotundus, & ſenſim faſtigiatus propemodũ ad coni figuram. Niger lapidi co
lor, quem etiam iactant cœlitus decidiſſe. Eminẽt in lapide quædã, formæq; non-
nullæ uiſunt̃, ac Solis imaginem illam eſſe affirmant, minime humano artificio fa
brefactam. Huic igitur deo ſacer erat Baſſianus, quippe natu maior, ipſe potiſſi-
mùm ſacerdotio fungebat̃, incedens Barbarico cultu, tunicas indutus intextas
auro, ac manuleatas, & ad pedes uſq; demiſſas, cruraq; tota conuelans ab ungui-
bus ad femora, ueſtibus ſimiliter auro purpuraq; uarijs, capite coronam geſtans,
precioſorũ lapidũ coloribus florentẽ. Præterea integer æui, cunctorũq; eius æta-
tis adoleſcentiũ formoſiſſimus. Quare congruẽtibus in unũ forma corporis, atq;
ætatis flore, ſimul habitu illo molliſſimo, facilè eum Dionyſi pulcherrimis imagi
nibus aſſimilabant. Hunc igitur ſacra celebrantẽ, chorumq; circa altaria Barbarũ
in morem, ad tibias fiſtulaſq;, & omnifariã organa inſtaurantẽ, curioſius inſpecta-
bant, cùm mortales alij, tũ in primis Romani milites, uel ꝙ genere Imperatorio
editũ ſciebant, uel ꝙ formæ uiribus, omniũ in ſe oculos cõuertebat. Quippe tum
uicinus urbi illi exercitus erat, tuẽdæ Phœniciæ præpoſitus, deductus inde mox,
ut in ſequentib. exponemus. Cùm itaq; quotidie religiõis nomine milites ad tem
plum itarent, libẽter ſcilicet adoleſcentẽ intuebant̃. Erant aũt ex ijs nonnulli Ro-
ma profugi Mæſę familiares, quibus illa formã pueri admirantibus, incertũ men-
tita, an uerũ profeſſa, filiũ utiq; eſſe ait Antonini, quãuis alterius putaretur. Quip
pe cùm ſuis natabus adoleſcentulis adhuc, & formoſis, rem habuiſſe, quo tẽpore
ipſa in palatio ſimul cum ſorore agitabat. Ea res audita ab illis, ac ſenſim cõmuni-
cata reliquis cõmilitonibus, per uniuerſum deniq; exercitũ uulgata eſt. Porrò e-
tiam aceruos habere nummorũ Męſa dicebat̃, facileq; omnes militibus elargitu-
ra, ſi modò imperiũ ſuæ ſoboli reſtitueret̃. Pollicẽtibus aũt, ſe eam cum ſuis, ſi no-
ctu clanculũ in caſtra ueniſſet, patentibus portis excepturos, atq; Antonini filiũ
imperatorẽ declaraturos: nihil ſcilicet recuſauit anus, decreta periculũ quoduis
adire, ꝙ uitã colere priuatã atq; abiectã. Quapropter noctu clanculũ urbe egreſ-
ſa, cũ liberis nepotibusq; ſuis, deducente ipſos profugo tum militũ agmine, facilè
in caſtra admittit̃, ibiq; puerũ confeſtim milites uniuerſi Antoninũ appellatũ atq;
indutũ purpura cuſtodiebant. Tum cõmeatu omni ſimul cum ſuis natis, & coniu
gibus, cęterisq; adeò rebus importatis, quas in uicis agriſq; propinquis habebat,
ita ſe intus cõparabant, ut etiã ſi opus foret, caſtrorum obſidionẽ exciperẽt. Quæ
ubi nuntiata Macrino ſunt Antiochiæ moranti, dedito per exercitus rumore, re-
pertũ Antonini filiũ, pecunias militibus elargiri Iulię ſororẽ, cùm omnia quęcũq;
dicerẽtur, aut eſſe ullo modo poterant, pro ueris acciperẽtur, pendebant animis
omnes, atq; eos ad res nouas moliendas, cùm propriũ Macrini odiũ, tum Anto-
nini memoriæ quædã quaſi cõmiſeratio ſubigebat, ſed in primis pecuniarũ ſpes,
ut multi iam ex ijs ad nouũ Antoninũ transfugerẽt. At Macrinus rem totã quaſi
puerilẽ contemnens, conſuetamq; obtinens animi alacritatẽ, domi ipſe ſedens,
unũ è ſuis ducibus mittit, traditis copijs, quantæ ad rebelles expugnandos uide-

rentur ſuffectura. Vt aūt eò peruenit Iulianus (id enim nomen præfecto fuit) ac iam mœnibus ſuccedebat, ſtatim incluſi milites, puerū exercitui infeſto de turribus, pinniſq; oſtentare, uociferari Antonini filiū, ſacculos quoq; nummorū plenos, eſcam ſcilicet proditiōis attollere. At illi credito Antonini eſſe filiū (& quoniam ſic uideri uolebant) facie quoq; & lineamētis ꝙ ſimilimū exiſtimantes, caput amputant Iuliano, mittūtq; ad Macrinū. Ipſi reſeratis portis, uniuerſi in caſtra accipiunt. Ita ſcilicet adauctæ copiæ, non modò ad excipiendā obſidionē, ſed ad conferendā quoq; manū, dimicandumq; inſtructa acie, ſatis futuræ, transfugarū etiā magna ui paulatim quotidie ſe aggregante. Quibus auditis Macrinus, cum omni exercitu ad caſtra illa oppugnanda contendit. Antoninus aūt militibus oppugnationē haud expectantibus, ſed congredi audētibus, copias omnes educit. Concurrerunt aūt inter ſe exercitus uterq;, in Phœnicię Syriæq; finibus, acrius dimicante Antonini milite, cōſcientia metuq; pœnæ, ſi uictus foret, cōtrà aūt Macrini exercitu languidius, remiſſiusq; prælū capeſſente, multiſq; ſubinde ad Antoninū transfugiētibus. Quo animaduerſo Macrinus metu, ne planè omnib. exutus copijs captiuus ageret, nihil nō paſſurus cōtumelię, ſtante adhuc acie, chlamydem ſibi, cæterumq; imperatoriū detrahit ornatū, pauciſq; è fidiſſimis cōmilitonum comitatus, fugam occupat, detonſaq; barba, ne agnoſceretur, itinerario ueſtimento, capiteq; ſemper conuelato, noctem diemq; accelerabat, famam quoq; ſuæ fortunæ præueniens, quippe ingenti ſtudio cōmilitones uehicula urgebant, quaſi Macrino adhuc rerū potente, magnis de rebus mitterentur. Ille igitur fuga euaſerat, quemadmodum diximus. Interea milites utrinq; pugnabant, atq; à Macrino quidem corporis cuſtodes, ac ſtipatores, quos prætorianos uocant, fortiter ſtantes, reliquū omnem exercitū ſoli ſuſtinebant, uidelicet proceri homines, atq; ex omni numero delecti. Cætera omnis multitudo pro Antonino præliabatur. Sed ubi diu neq; Macrinū iam ipſum, neq; imperij ſigna conſpiciebant, qui ꝑ illo certamen ſubierant, ignari ubi'nam foret, iaceret, an aufugiſſet, haud ſatis conſtitutum habentes, quod ſibi capiendū conſilium foret, neq; periclitari diutius pro eo decreuerant, qui iam nuſquā compareret, & ſe permittere hoſtium poteſtati, quaſi dedititios captiuosq; uerebantur. Vt aūt à captiuis audiuit Antoninus aufugiſſe è prælio Macrinū, mittit ſtatim nuncios, qui doceant fruſtra illos pro homine pauidiſſimo ac fugitiuo decertare, ueniamq; & obliuionē omnium iureiurando pollicetur, ſtipatoreſq; iam tum ſibi illos adſciſcit. Igitur omnes re credita ceſſerūt. At uerò Antoninus mittit ilicò, qui Macrinū conſequant, cùm iam plurimùm uiæ præcepiſſet. Inuentus aūt eſt in Chalcedone Bithyniæ urbe, grauiſſimè ægrotans, ac perpetuo itinere attritus, latitans in ſuburbano quodā, ubi illi caput abſciſſum. Dicebatur aūt Romam properare, fretus popularibus ſtudijs, ſed tranſgredientē in Europam, anguſto Propontidos freto, iamq; Byzantio appropinquantem, uento aduerſo uſum perhibent, quaſi flatu ipſo ad ſuppliciū retrudente. Tantū igitur abfuit Macrinus, quo minus perſecutores effugerit, finē uitæ ſortitus fœdiſſimū, qui Romam reuerti pòſt uoluerit, quod ſtatim à principio facere oportuerat. Offendit aūt conſilio pariter, atq; fortuna. Ita ſcilicet occiſus eſt Macrinus cum filio Diadumeno, quē iam Cæſarē fecerat. Poſteà uerò ꝙ exercitus uniuerſus Antoninū Imperatorē cōſalutauit, atq; ille ſummā rerū ſuſcepit, rebus iam in Oriēte, ut quæq; maximè urgebant, ordinatis, ab aula ſcilicet atq; amicis (nam ipſe adoleſcēs admodū, ac rerū erat imperitus) haud diu moratus, profectionē edicit, feſtinante in primis Mæſa ad Romanā aulā, cui tam diu inſueuiſſet. Sed ut ſenatui populoq; Rom. res innotuit, omnes eū nuntiū grauiter accepere.

Sed

Sed parendũ neceſſitati fuit, electo à militibus principe. Cęterùm incuſantes Ma
crini negligens ingeniũ, fluxosq́; mores, neminem utiq; aliũ, ſed ipſum ſibi fuiſſe
mali cauſam dictitabant. At uerò Antoninus è Syria profectus Nicomediæ habi
tauit, ita poſtulante anni tempore. Statim igitur debacchari ſupra modum cœpit,
cultumq́; patrij numinis, cui dicatus fuerat, celebrare ſuperuacuis ſaltationib. ue-
ſtitum uſurpans luxurioſum, purpura intextum, atq; auro monilibusq́; & armillis
redimitus, coronas etiam ſuſtinens ad tiaræ modum, auro lapillisq́; precioſis inſi-
gnitas. Forma habitus inter Phœniſſam ſtolam, ac Medorum amictum. Nam Ro
manam ueſtem, aut Græcanicam planè aſpernabatur, è lana (ut ipſe aiebat) hoc
eſt, è re uiliſſima cõſectam. Neq; niſi ſericas telas dignabatur, procedens identi-
dem ad tibias, & tympana, uelut orgia numinis concelebraret. Hæc cernens Mæ
ſa, ac ferens iniquo animo, ſupplex illi perſuadere conabat̃, ut Romanum aſſume
ret cultum, ne urbem mox, curiamq́; ingrediens peregrino illo, Barbaricoq́; ha-
bitu, ſpectantium oculos perſtringeret, inſolentes eiuſcemodi munditiarũ, ac re-
putantes mulierculis, q̃ uiris congruentiores. Sed ille uerbis aniculæ cõtemptis,
nec cuiquã præterea credendum putans (quippe neminem circa ſe, niſi moribus
conſimilem, ſuisq́; obſecundantẽ uitijs habebat) cùm retinendũ ſibi quemcunq;
illum cultũ animo obſtinaſſet, decreuit abſens periculum facere, quo'nam animo
Senatus populusq́; Romanus laturi forent. Quare imaginem propriã maximis li
niamentis, qua ipſe obire ſacerdotis munia uidebatur, ſimulq́; figurã numinis, cu
ius ſacerdotium gerebat, depictã in tabula præmiſit Romã, iuſſis qui eam ferrent
in media curia loco edito ſupra Victoriæ caput collocare, ut cùm Senatus habe-
retur, tura unuſquiſq; adoleret, merumq́; libaret. Edixit item, ut omnes Romani
magiſtratus, quiq́; publicè ſacra facerẽt, ante alios deos, quorum meminiſſe inter
ſacrificandũ ſolent, deum Heleagabalũ nuncuparent. Quapropter ut in urbem
peruenit, nihil ſcilicet nouũ Romani uiderunt, inſueti iam picturæ. Diuiſo igitur
congiario in populũ (ut mos eſt imperiũ ſuſcipientibus) ſpectacula omnifariam
edebat magnificentiſſima, templumq́; item maximũ pulcherrimumq́; deo erexit,
plurimaſq́; circa templum aras, ad quas quotidie manè taurorum hecatombas, &
ouiũ magnã multitudinẽ immolabat. Coaceruatiſq́; ſupra aras omne genus odo-
ribus, etiã ueterrimi cuiuſq; optimiq́; uini plurimas amphoras profundebat, ſic ut
riui paſſim uini, ſanguiniſq́; promiſcuè defluerent. Chorosq́; circũ aras agitabat
nullis nõ organis conſonantibus, unaq́; mulieribus Phœniſſis curſitantibus in or
bem, cymbalaq́; inter manus habentibus, aut tympana, omni circũſtante Senatu,
atq; equeſtri ordine ad theatri formã. Exta porrò uictimarum atq; aromata intra
lances aureas, capitibus impoſita geſtabant, non quidẽ famuli aliqui, aut humiles
perſonæ, ſed pręfecti exercitibus, & quicũq; maximas dignitates obtinebant, in-
duti tunicas talares, ac manuleatas, unamq́; in medio purpurã ferentes: ſed & lin-
teis calceamentis utebant̃, quemadmodũ uates in eis regionibus conſueuerunt.
Porrò ingentem ſe honorẽ tribuere putabat, quibus eiuſcemodi ſacrificia partici
paret. Sed quamuis inſtaurare choros, & ſacra facere perpetuò uideretur, pluri-
mos tamen ex illuſtribus uiris, atq; opulentis interfecit, delatos ſibi, quòd parum
læti illiuſmodi uita, etiam in ipſum quandoq; cauillarentur. Duxit præterea uxo-
rem illuſtriſſimam, Romanã fœminam, quam etiam Auguſtam appellauit, cumq́;
ea tamen paulo pòſt diuortium fecit, ademptisq́; honoribus, priuatam colere ui-
tam iuſſit. Poſt illam uerò captum ſe amore ſimulans, ut aliquid uirile ſaltẽ facere
uideretur, Veſtalem ſacerdotem, quam leges caſtam eſſe, & uirginem perpetuò
uolunt, abreptam è templo pro uxore habuit. Ita mœſtũ tanto flagitio ac piaculo

Senatum per epiſtolam conſolatus,humanũ eſſe id peccatum, captum ſe illius amore.Cæterùm ſacerdoti congruere ſacerdotis nuptias, ob idq; etiam auguſtiores futuras. Sed eam quoq; paulo pòſt dimiſit, tertia uxore ducta,quæ referre ſuũ genus ad Cõmodum dicebatˉ.Neq; uerò humana tantũ matrimonia ludebat,ſed etiam deo ſuo quęrebat uxorem.Itaq; Palladis ſimulacrũ,quod occultũ Romani, neminiq; uidendũ colunt,in cubiculũ ſuum tranſtulit, immotumq; ad eam diem, ex quo Ilio auectũ fuerat, præterq; quum templũ conflagrauit, ipſe emouit ſedibus,eamq; deam ſui dei coniugẽ in aulã imperatoriã adduxit. Dein cordi eſſe negans deo belligeram uxorẽ,atq; armatam, ſimulacrũ Vraniæ iuſſit afferri. Quod ſcilicet Carthaginiẽſibus,omniq; Africę uenerabile,poſitũ fuiſſe à Phœniſſa Didone creditˉ,quo tempore antiquã Carthaginem diſſecto corio ædificauit.Hanc Afri Vraniam uocant,Phœnices Aſtroarchen,lunã eſſe affirmantes.Congruere igitur aiebat Antoninus matrimoniũ Solis & Lunæ.Itaq; & ſimulacrũ afferri iuſſit,& auri quicquid in templo erat, pecuniamq; deo ſuo dotis nomine dari præcepit.Quod ubi allatum eſt, acprope Heleagabalũ conſtitutũ, iuſſit urbe tota,Italiaq; feſtos dies,celebresq;,& lætitiæ plenos,publicè priuatimq; quaſi dijs nubentibus agitari.Fecit & in ſuburbano templũ maximũ, ac magnificentiſſimũ, in ꝗd anno uertente deũ ſuum adulta iam æſtate deducebat, ludisq; curulibus,& ſcenicis,epulisq; & peruigilijs populũ à ſe oblectari arbitrabatˉ. Ipſum porrò dei ſimulacrũ impoſitũ uehiculo,quod eſſet auro,precioſisq; lapidibus exornatũ,deducebat ex urbe in ſuburbanũ,trahẽtibus equis ſeiugibus,emaculato candore,ac magnitudine præcellentibus, auroq; multo, & phalerarum uarietate conſpiciendis. Neq; enim quiſquã mortaliũ eum inſcenderat currum,ſed circumſtabant omnes quaſi aurigantem deũ. Antoninus aũt retrorſus currens,ac ſimulacrũ ipſum aſpectans,currũ antecedebat,frenos manib.retinens, totũq; iter ita retrorſum currẽs, ac deũ ſemper aſpectans confecit.Ac ne caderet labereturq;,ignarus quò tenderet,auroſam ſubſtrauerant arenã,militesq; eum utrinq; retentabãt, quò tutius recederet,diſcurrẽte etiã cum facibus utrinq; populo,& coronas,floresq; iaciente,tum deorũ omniũ ſimulacra, & quicquid conſpicuũ in templis, principatusq; inſignia, & pretioſiſſima ſupellex, equites item, & exercitus uniuerſus pompam illiuſmodi comitabanˉ.Vbi aũt deduxerat,atq; in templo conſtituerat, ſacris iam celebritatibusq; peractis, maximas altiſſimasq; turres ad idipſum extructas conſcendebat.Inde ſcilicet in plebẽ miſſilia ſparſurus,aurea uidelicet argenteaq; pocula,ueſtesq;,& lintea omne genus: beſtias prętereà cicures omnes, exceptis ſuibus,quibus ipſe(ut mos eſt Phœnicibus)abſtinebat. Multi igitur inter rapiendũ periere,partim inuicẽ proculcati, partim militũ contis transfixi, ſic ut ea celebritas calamitatẽ ꝙ plurimis attulerit. Ipſe identidẽ aurigans, aut ſaltans conſpiciebatur: quippe ne latêre quidẽ ſua patiebatˉ flagitia, procedens etiã in publicũ pictis oculis,genisq; purpuriſſatis, faciẽq; ſuapte natura formoſam indecoris coloribus inficiens. Quod animaduertens Mæſa, ac ſuſpectans militũ indignationẽ, metuensq;,ne ſi illi quid accidiſſet,ipſa rurſus in priuatã uitã relaberetˉ,perſuadet leui alioqui ſtolidoq; adoleſcenti,ut ſibi conſobrinũ ſuũ, nepotemq; ipſius ex altera filiarũ Mammæa prognatũ adoptaret. Ita ad gratiã locuta, oportere iam ipſum ſacerdotio religioniq; numinis uacantẽ bacchari, ac deûm celebrare orgia, ſufficiendũ aũt alterũ,qui res curaret humanas, quiq; illi principatũ uacuũ ab omni moleſtia curaq; præſtaret. Neq; tñ peregrinũ aliquẽ, aut alienũ hominẽ requirendũ,ſed cõſobrino potiſſimũ id honoris tribuendũ.Is erat Alexianus, qui tum nuncupabatˉ Alexãder, auito ipſo nomine in Macedonis regis nomẽ cõmutato.

Nam

Nam eum regẽ fama per ſe celebrem, etiã magnopere coluerat Antoninus Seue
ri filius, quem fuiſſe amborũ parentẽ perſuadere anus conabat̃, iactato filiarũ in-
ceſto, quò illi magis magiſq; à militib. diligerent̃. Quare Cęſar declaratus Alexan
der, cõſulq; factus cũ Antonino eſt, Senatu ſcilicet per ridiculũ decernẽte, quod
ille uoluerat, hoc eſt uideri ipſum patrẽ, qui natus annos foret circiter quatuorde
cim: Alexandrũ uerò filium, qui tum duodecimũ attigiſſet. Poſtea igitur q̃ Ale-
xander Cæſar eſt appellatus, uolebat eum ſtatim Antoninus ſuis illis inſtitutis im
buere, ut ſcilicet choros agitans, ſaltansq;, & ſacerdotij particeps, ueſtitu eodem,
atq; artibus uteretur, quem tamen mater Mammæa ab omni illa fœditate uindi-
cabat, ſummis clam doctoribus omniũ diſciplinarum, modeſtiamq; edocens, ac
palæſtra, uirilibusq; gymnaſiis inſuefaciens, Græcisq; eum pariter & Latinis lite-
ris inſtituens. Quibus rebus magnopere Antoninus indignabat̃, iamq; adoptio-
nis imperijq; participati pœnitebat. Quapropter omnes illius doctores aula exe
git, quoſdamq; illuſtriores partim morte, partim exilio affecit, ridiculas allegans
cauſas, quòd filiũ ipſius corrumperent, neq; agitare eum choros, atq; ebacchari
ſinerent, ſed ad modeſtiam cõponerent, & uirilia officia edocerent. Eoq; uecor-
diæ prouectus eſt, ut omnes ſcenicos artifices, ac theatricos ad maximas imperij
dignitates promoueret. Quippe exercitibus ſaltatorẽ quendã præfecit, qui olim
iuuenis publicè in theatro operas dederat. Aliũ item è ſcena iuuentuti, alium Se-
natui, aliũ etiam equeſtri ordini præpoſuit. Aurigis item, & comœdis, mimorũq;
hiſtrionibus, maxima imperij munia demandabat. Seruisq; ſuis, aut libertis (ut
quiſq; turpitudine reliquos anteibat) procurationes tradebat prouinciarũ. Ita re-
bus omnibus, quæ grauia olim, honeſtaq; cenſebant̃, per omnem contumeliã ac
temulentiam debacchantibus, cùm cæteri omnes, tum in primis Romani milites
indignabant̃, contemnebantq; eum, utpote uultũ componentem elegantius, q̃
fœminam probam deceret. Inſuper aureis monilibus, molliſſimoq; ueſtitu haud-
quaquam uiriliter ornatũ, ſaltantemq; in conſpectu omniũ. Quare propenſiores
animos in Alexandrum habebant, ſpemq; meliorem in puero modeſtè & conti-
nenter educato, ſeruabantq; eum diligenter omnes ab inſidijs Antonini. Mater
autem Mammæa neq; poculentũ aliquid, neq; eſculentũ guſtare puerũ ſinebat,
quod ab illo mitteretur. Cocis aũt & pincernis utebat̃ puer non quidem impera-
torijs, aut cõmunibus, ſed quos mater tantũ delegerat, ac ſpectatæ fidei futuros
arbitrabatur. Dabat item pecunias furtim mater, quas ille inter milites clanculũ
diuideret, ut corũ beneuolentiã etiam pecuniæ pignore (hanc enim illi potiſſimũ
ſpectant) haberet autoratam. Quæ intelligens Antoninus, nihil non inſidiarum
Alexandro matriq; intendebat. Quas tamen omnes arcebat, prohibebatq; cõmu
nis auia Mæſa, mulier alioqui acerrima, multosq; annos in aula cum ſorore ſua Iu
lia Seueri cõiuge cõmorata. Nihil itaq; eam latebat, quod Antoninus moliretur,
homo ſuapte natura futilis, qui omnia quæ placerent, propalàm loqueretur atq;
ageret. Poſteà uerò quàm inſidiæ parum procedebant, detrahere puero Cæſaris
honorem decreuit. Itaque neq; ſalutari, neq; iam foras procedere patiebatur. Mi-
lites autem magnopere illum requirebant indignantes, ſi quidem imperiũ quoq;
adimeretur. Sed Antoninus famam uulgauit, quaſi iam obijſſet Alexander, ut ſci
licet periclitaretur, quo'nam id animo laturi milites forent. At illi nuſquã compa-
rente puero, præterea animis rumore illo exulceratis indignabundi, neq; ſolitam
cuſtodiã miſerunt Antonino, & incluſi caſtris uidere Alexandrũ uelle in ipſo tem
plo dictitabãt. Eo metu ictus Antoninus Alexandro ſecũ in uehiculo imperato-
rio conſidente, quod erat auro multo, gemmisq; exornatum, contendit in caſtra.

Cæterùm portis reſeratis accepere utrunq; milites, atq; in templũ caſtrorum deduxerunt, ſalutantes ſupra modũ, & lætis clamoribus proſequentes Alexandrũ, ſpreto propemodum Antonino. Quæ ille ægrè ferens, cum in templo caſtrorum pernoctaſſet, iratus militibus, notatos qui Alexandro acclamauerant, quaſi ſeditionis & tumultus autoribus, arripi omnes ad ſupplicium imperauit. Quod illi ægreferentes, atq; Antoninum iam antea quoq; peroſi, cum tollere è medio principem fœdiſſimum optarent, ſuisq; commilitonibus ferre ſuppetias, rati hoc eſſe tempus, ipſum ſtatim Antoninũ, matremq; Soænidem, quæ fortè illic aderat, interfecerunt, cumq; eis ſeruos miniſtrosq; omnes ſcelerum, quicunq; tum in ea caſtra conuenerant. Cæterùm Antonini & Soænidis cadauera trahenda per contumeliam plebi tradiderunt, quæ diu per totam urbem raptata ac dilaniata, poſtremò in cloacas abiecta ſunt, ut inde ſcilicet in Tyberim deferrentur. Sic Antoninus ſexennium imperio occupato, uitaq; ut diximus acta, ſimul cum matre occiſus eſt. Milites autem Alexandrum imperatorem conſalutatum in aulam palatinam deduxerunt, adoleſcentulum admodum, atque adhuc auiæ præceptis obtemperantem.

LIBER SEXTVS

QVEM igitur habuerit finem uitę maior Antoninus, in ſuperioribus demonſtratum eſt. Alexander autẽ poſt illum nomen inſigniaq; gerebat imperij. Cęterùm negotiorum adminiſtratio, ac principatus gubernacula, mulieribus incumbebant, omnia transferre ad modeſtiam grauitatem'que conantibus. Quippe iam primùm ſedecim ordinis Senatorij uiros ætatis grauitate, uitæq; ſanctimonia præcellentes, aſſeſſores principis, & conſiliarios delegerunt, nihilq; aut dicebatur, aut agebatur, niſi illorum accedente ſuffragio. Grata igitur populo, militibusq; ac Senatui: præterea forma principatus erat ex contumelioſiſſima tyrannide ad optimatium gubernationem redacta. Igitur primò deorum ſimulacra, quæ ille proprijs ſedibus extulerat, ſuis quæque templis, delubris, fanisq; reſtituerũt. Dein quos ille temerè, aut uitiorum nomine ad honores dignitatesq; extulerat, ſubmotos inde ad priſtinam uitam omnes, artificiumq; redegerunt. Res autem cunctas, atq; adminiſtrationes, ciuiles quidem, & forenſes, inſignibus doctrina uiris, legumq; peritiſſimis, militares autem claris bellica uirtute hominibus cõmmendabant. Cumq; diu ad hunc modum regeretur imperium, Mæſa iam extremæ ſenectutis diem ſuum obijt, honores adepta imperatorios, atq; (ut mos Romanis eſt) inter diuas relata: at Mammęa cernens iam ſolam ſe filio reliquam, præeſſe ad eundem modum, moderariq; ſtudebat. Cumq; adoleſcentem ſummam habere iam cerneret autoritatẽ, metu ne uiuida ætas in ſumma poteſtate licentiaq; rerum, in cognata aliqua impingeret uitia, undiq; aulam ſeruabat, neq; adiri à quoquam adoleſcentem patiebatur, cuius uita moresq; improbarentur, ne ſcilicet bona indoles corrumperetur, prouocantibus appetitum eius iam uigentem aſſentatoribus in extremas libidines. Perſuaſerat autẽ, ut actibus incubaret meliore diei parte, idq; faceret ꝙ ſæpiſſimè, ne quod ſpacium ſupereſſet uacandi malis artibus, occupato rebus prioribus, ac neceſſarijs imperanti. Cæterùm ſuapte natura ſuberat Alexandro mite manſuetumq; ingenium, propenſum'que ad humanitatem, quod ipſum ætas etiam conſequens declarauit. Quippe annis quatuordecim anæmaton, hoc eſt, citra ſanguinem geſſit imperiũ ne uno quidem occiſo. Licet enim permulti maximis criminibus impegerint, tamen ab illorũ cæde ſemper abſtinuit, quod utiq; non facilè à quoquam omnium

imperato-

imperatorum, quiqui Marco ſucceſſerint, ſactum obſeruatumq; inuenies. Neminem quiſquam, illo imperante, commemorare poteſt, cui mors indemnato ſit illata. Matrem uerò etiam incuſabat, eiq; grauiter ſuccenſebat, quòd eſſet pecuniæ auidior, & opum cumulandarũ ſtudioſior uidebatur. Etenim cùm ſimularet ideo ſe theſauros congerere Mammęa, ut ſuppeditare Alexandro poſſet, quòd is facilè abũdanterq; ſuis largiretur militibus, proprios domi theſauros extruebat. Quę res imperatori notam infamię attulit, quòd illo ſcilicet inuito atq; indignabundo etiam mulier auida per fraudem bona quorundam, atq; hæreditates ſuppilabat.

Dedit item filio in matrimonium puellam patricij generis, quam etiã marito charam, gratamq; in primis, eadem paulo pòſt aula per omnem contumeliam exegit. Et cùm ipſa tantum uocari Auguſta uellet, eamq; appellationẽ puellæ inuideret, eò contumeliarum prouecta eſt, ut puellæ pater, quamuis magnæ apud Alexandrum generum autoritatis, impatiẽs Mammææ iniuriarum, quas ipſi natæq; inſerebat, confugerit in caſtra, gratiam ſe habere Alexandro dictitans habiti ſibi honoris. Cæterùm Mammæam accuſans, nihil non contumeliæ inferentem. Quare indignata mulier, interfici eum quidem iuſſit, puellam uerò ædibus imperatorijs exactam, in Africam relegauit. Hæc autẽ omnia fiebant inuito coactoq; Alexandro, quippe illi mater ſupra modum imperitabat, ac dicto audientem ſemper habebat, ut hoc tantũ reprehendi in Alexandro poſſit, quòd manſuetudine nimia, & reuerentia maiore quàm oportuit, etiam cõtra animi ſui ſententiam matri obſequeretur. Igitur cùm ad hunc modum tredecim annos (quod quidem ad ſe attineret) ſine querela cuiuſquam imperium gubernaſſet, ecce tibi haud opinato literæ è Syria Meſopotamiaq; redditæ à ducibus, in quibus ſcriptum eſſet, Artaxarẽ Perſarum regem Parthis iam deuictis, atq; Artabano, qui rex Magnus primus appellatus eſt, dupliciq; diademate utebatur, non ſolũ Orientis regno, ſed uita quoque expulſo, ſubigere uicinos Barbaros, ac ſibi uectigales facere: neq; iam intra fluuium Tygrim tenere ſe, ſed ſuperatis ripis, ac Romani finibus imperij, excurrere per Meſopotamiam, Syriæq; minitari, omnemq; Europæ oppoſitam continentem, quæ mari Aegæo fretoq; Propontidos terminatur, atq; Aſiæ nomen habet, ceu ueterem Perſarum poſſeſſionẽ ſibi uindicare, quod iam inde à Cyro, qui primus imperium à Medis in Perſas tranſtulit, ad Darium uſque extremum Perſarum regem, cui regnum Alexander abſtulerit, cuncta olim Ionia Cariaq; tenus à Perſarum ſatrapis gubernarentur. Quare ſui muneris eſſe, curare nunc, ut uetus atq; integrum imperium Perſis reſtitueretur. Quibus intellectis Alexander, atq; haud mediocriter re ſubita inopinata'que perturbatus, quippe in altiſſima pace educatus à puero, atque urbanis delicijs innutritus, conuocato prius amicorum conſilio, decreuit legatos cum literis mittere, qui ſpem Barbari, conatusq; inhiberent. Igitur literæ in hanc ſententiam compoſitæ: Oportere illum ſuis finibus contentum, nihil rerum nouarum moliri, neque ſublatum uana ſpe ingens excitare bellum. Debere unumquemq; ſuis fortunis acquieſcere. Non perinde ſibi pugnã proceſſuram aduerſus Romanos, ut aduerſus uicinos, et eiuſdem corporis Barbaros. Admonebat præterea uictoriarum, quas contra eos Auguſtus ac Traianus, Luciusq;, item & Seuerus adepti fuiſſent. Huiuſcemodi literis Alexander perſuaſurum ſe Barbaro, metu ſcilicet perterrito, pacem quietemq; arbitrabatur. Quibus ille contemptis, remq; armis potius quàm uerbis gerendam ratus, tum uerò ferociſſimus ingruere, decurſaq; ac perequitata Meſopotamia omni, prędas agere, atq; oppugnare Romanorum caſtra impoſita fluminum ripis, quæ ſcilicet imperij limites tuerentur. Cum'que homo eſſet natura glorioſus, ac ſublimes ani-

mos

mos gereret, ſucceſſu rerũ inopinato ſubacturũ ſe omnia uidelicet exiſtimabat. Neq; enim parua erant, quæ illius animũ ad maius concupiſcendum regnum inflammabant. Primus namq; ipſe Parthis bellũ inferre auſus, Perſarũ recepit imperium. Siquidẽ poſt Darium illum, cui regnũ Macedo Alexander abſtulerat, permultis ſanè annis Macedones ipſi, quiq; Alexandro ſucceſſerunt, diuiſas inter ſe Orientis Aſiæq; totius regiones gubernarunt. Sed ortis inter ipſos diſcordijs, ac frequentibus bellis attrito Macedonũ robore, primus Arſaces Parthus perſuaſiſſe earum regionum Barbaris memoratur, ut à Macedonibus deficerent, impoſitoq; ſibi diademate Parthorum Barbarorumq; uicinorũ conſenſu & ipſe regnũ tenuit, & poſteris reliquit ad Artabanũ uſq; regem: quo interfecto Artaxares, regnoq; Perſis reſtituto, uicinaq; Barbaria per uim ſubacta, facilè iam Romanam quoq; potentiã laceſſebat. Quæ ubi Alexãdro Romæ agẽti nũtiata ſunt, minimè iam ferendam putans inſolentiam Barbari, uocantibus illuc ſe ducibus, ægrè ſcilicet, tandemq;, contraq; animi ſui ſententiam ad expeditionem ſe comparat. Igitur in Italia prouincijsq; reliquis delectus habebantur cunctorum, qui uel habitudine corporis, uel ætatis uigore, idonei fore ad pugnam uiderẽtur, motusq; ingens omnibus Romani imperij regionibus extitit delectibus habendis, qui tantæ Barbarorum multitudini pares forent. At uerò Alexander, urbanis omnibus militibus conuocatis in campũ, conſcenſoq; tribunali, in hanc ſententiam uerba fecit:

CVperem, cõmilitones, eiuſcemodi habere orationem apud uos, quæ & dicenti mihi, ut conſueuerat, ornamentũ, & uobis audientibus lætitiam conciliaret. Nam cùm multos annos pacem agitauerimus, ſi quid noui nũc audieritis, fortaſſe quaſi præter ſpem acciderit, expaueſcetis. Decet autem uiros fortes, atq; moderatos optima quidem optare, ſed ferre quæcunq; incidant. Vt enim quæ cũ uoluptate agimus dulcia, ita quæ cum uirtute, glorioſa ſunt. Atq; ut is qui prior laceſſit, ipſe ſibi iniurius uidetur, ita qui propulſat iniuriam, cõfidentior ex cõſcientia fit, atq; ex iuſtitia ſpem bonam mutuatur. Artaxares uir Perſa, poſteaq; Artabanum dominũ ſuum interfecit, atq; ad Perſas imperiũ tranſtulit, etiam noſtra arma laceſſere deſpecta maieſtate Romana, etiam incurſare, ac uaſtare noſtras prouincias aggreditur. Huic ego per literas à principio ſtudui perſuadere, ut inexplebilem illam uecordiam omitteret, ne'ue aliena concupiſceret. At ille barbara inſolentia prouectus, neq; ſe continere ſuis ſedibus iam uult, & nos ad pugnã prouocat. Ne cunctemur igitur, ne'ue prælium detrectemus, ſed quicunq; ſeniores hic adeſtis, admonete ꝙ primùm illũ tropæorũ, quæ plurima aduerſus Barbaros Seuero, atq; Antonino parẽte meo ducib. excitaſtis. Quibus aũt ætas integra eſt, laudẽ hanc in primis, ac gloriam cõcupiſcite, ut intelligant omnes ſcire uos non ſolũ pacem manſuetè ac reuerẽter colere, uerumetiã cum res poſtulat, fortiſſimè præliari. Quippe Barbari ut cedentibus detrectantibusq; acriter inſtant, ita repugnantibus minimè reſiſtunt. Neq; enim illis collata acies ſpem uictoriæ pollicet, ſed excurſibus fugaq; utentes, lucrari ſe demũ putant, quæ ſcilicet rapuerunt. At nos cum omnia cõpoſita ordinataq; habeamus, tum illos uincere ac ꝓfligare ſemper didicimus. Talia quædam locutũ Alexandrũ alacri uociferatione milites exceperunt, ac ſe promptiſſimos ad bellandũ oſtenderunt. Ille diuiſo largiter ſtipendio, iubet ad iter accingi, mox ad eam fermè ſententiam locutus in Senatu, diem diſceſſui pręſtituit. Quę ubi aduenit, ſacris de more peractis, deducẽte ſenatu, populoq; uniuerſo, Roma proficiſcit, reſpectãs identidẽ, ac lacrymans. Sed neq; popularium quiſq; fuit, qui ſiccis oculis aſpexerit abeuntẽ. Quippe omnẽ multitudinẽ ſui cupidã habebat, educatus ab ipſis, imperioq; tam multos annos modeſtiſſimè

administrato

adminiſtrato. Cæterū feſtinato itinere, cū Illyricas etiā gētes exercituſq; luſtraſſet,
magnis inde quoq; uirib. collectis, Antiochiā contendit. In ea ciuitate quæ belli
uſus poſtularet, diligenter comparabat, exercēdis etiam militibus, ac cæteris bel-
licis muneribus pertractandis intentus. Viſum igitur illi eſt, legationem iterum
mittere ad Perſarum regem, quæ de pace amicitiaq; cū illo ageret. Nam cùm ipſe
iam affore, minimè deſperabat, aut perſuaſurū quæ uellet, aut certè perterrefactu
rum. Enimuero Barbarus Romanos oratores re infecta domū remiſit. Ipſe qua-
dringentos è ſuis, proceritate inſignes, ueſtituq; eleganti auroq; exornatos, equis
atq; arcubus conſpicuos, legatos ad Alexandrum mittit, perterritum iri Roma-
nos putans aſpectu illo, cultuq; Perſarum. Legationis eius hæc erat ſententia: Iu-
bere magnum regem Artaxarem Romanos, eorumq; principem Syria omni,
Aſiaq;, quæcūq; ex aduerſo Europæ ſita eſt, decedere, ſinere Perſas Ionia Cariaq;
tenus dominari, omnibusq; ijs regionibus, quas mare Aegæum, Pontusq; diſter-
minat. Hæc afferentes legatos quadraginta cōprehendi Alexāder iubet, omniq;
adempto cultu in Phrygiam relegat, uicis agriſq; conceſſis, quos colerent, cōten
tus hoc ſupplicio interdicti in patriam reditus, quippe occidere nefariū facinus,
minimeq; uirile arbitrabatur, neq; in acie captos, & ſui regis mandata executos.
His ad hunc modū peractis, cōparante iam ſe, ut fluuios tranſgrederetur, Alexan
dro, ac Romanorū exercitū in Barbarorū agros deduceret, defecerunt ab illo mi
lites nonnulli ex Aegypto acciti, neq; non in Syria quoq; res nouas contra impe
rium moliti alij, ſed uniuerſi tamen oppreſſi ſtatim, ſupplicioq; affecti ſunt. Quoſ-
dam etiā exercitus in regiones alias tranſtulit Alexander, ut inde Barbarorū in-
curſiones facilius arcerent. Quibus ordinatis rebus, magnoq; iam coacto exer-
citu, cùm primū ſe haud imparem fore aduerſariorū copijs credidit, de amicorum
ſententia milites trifariā diſtribuit. Sic ut unam partē iuberet, ſpectantem ad Se-
ptentriones, facere iter per Armeniā, quæ regio amica Romanis uidebat, atq; il-
linc Medorū fines incurſare. Alterā item ad Septentrionē, per Barbarorū agros
contendere, ubi confluentes Tigris & Euphrates, denſiſſimis paludibus excipi,
atq; ob id eorū latêre egreſſus dicunt. Tertiam porrò exercitus partem, ipſe addu
cturum ſe aduerſus Barbaros medio iam itinere pollicebatur. Ita enim putabat di
uerſis itineribus imparatos eos, ac ſic nec opinantes oppreſſurū, Perſarumq; co-
pias ſemper ingruentibus Romanis occurſantes, diſtractum iri, atq; imbecillio-
res futuras, minuſq; ordinatè prælium ſuſcepturas. Neq; enim mercenario milite
utuntur Barbari, quemadmodū Romani conſueuerunt, neq; ſtatiuis caſtris exer
citus habent, qui bellorū actibus exerceantur, ſed omnis multitudo uirorū, non-
nunquā autē mulierū quoq;, regis congregantur imperio, quæ mox bello pera-
cto, ſuas protinus in ſedes dimittitur, ea demum præmia belli referēs, quę cuique
ex rapina ſuperfuerint. Arcubus aūt, & equis nō in prælio tantū more Romano-
rum utūtur, ſed à pueritia uſq; enutriunt unà, uenatu inuigilātes, pharetratiq; ſem
per, ac nunq; ex equis deſilientes, ſiue bellū gerant, ſiue feras conficiant. Sed hoc
Alexandri conſiliū, & ſi longè optimū prima ſpecie uidebatur, ſtatim tamē fortu-
na deſtituit: ſiquidē exercitus contendere per Armeniam iuſſus, uix ægreq; ſupe
ratis eius regionis aſperrimis præruptiſſimiſq; montibus, quanquam æſtas tole-
rabilius iter faciebat, impetu in Mediam facto, uicos concremauit, prædamq; abe
git. At rex Perſarū intellecta re, confeſtim q̄ maximis potuit copijs, auxilio ad-
fuit. Cæterùm arcere illinc Romanos minimè poterat. Quippe aſpera regio pe-
ditibus quidē ſtabilem greſſum, facilemq; tranſitū præbebat. At Barbarorū equi-
tatus montium aſperitate, & curſum difficiliorem, & iter habebat impeditius.

Nuntiatum

Nunciatum dein regi eſt, exercitum alterum Romanorũ, Parthorũ in agros, quà
adOrientem ſpectant, impetum feciſſe. Quare metuens, ne Parthis facilè ſupera-
tis, mox in Perſiam graſſarẽtur, relictis copijs quantæ ad tuendam Mediam ſatis
fore uidebantur, ipſe cum toto exercitu ad Orientis partes accelerabat. Cæterùm
exercitus Romanus, comparente ac repugnante nullo, negligẽtius iter faciebat,
ratus Alexandrum cum tertia parte copiarũ, quæ maximæ ualentiſſimæq; forẽt,
in medios incurriſſe Barbaros. Itaq; reſtitantibus illis, atq; ob id exercitum reten
tantibus, minimè ſibi properandum putabat, ut qui ſe tutos crederent, prǽſtituto
antea loco, in quem pariter uniuerſi cum præda abacta, captiuisq; omnibus còn-
uenirent. Sed eos Alexander fefellit: neq; enim aut ipſe uenit, aut exercitum ad-
duxit, incertum, metu ne proprio, ne ipſe imperium tuendo uita periclitaretur, an
quia mater retinuerit, muliebri pauore, & charitate filij nimia. Siquidem omnes
illius generoſos ſpiritus retundebat, ſuadens alios potius periculis exponeret, ꝙ
ipſe in acie conſiſteret. Quæ res exercitum Romanum fines Barbarorum in-
greſſum, planè prodidit. Etenim Perſarum rex omnibus copijs occurrens, impa-
ratis, minimeq; expectantibus, quaſiq; intra retia uudiq; concludens, omnem Ro
manorum exercitum profligauit. Quippe pauci plurimis reſiſtere haud poterãt,
ſemperq; nudas corporis partes armis aduerſus impetum ſagittarũ protegebãt,
ſatis præclarè agi ſecum exiſtimãtes, ſi nulla edita pugna integri receſſiſſent: Sed
cùm aliquandiu confertim clypeis ſeſe quaſi muro circumſepſiſſent, atq; omnes
undiq; uelut urbs aliqua oppugnarentur, conſauciarenturq;, tandem ubi diu for-
titer reſtiterant, occidione occiderunt. Ingens hæc calamitas, & qualis nulla faci-
lè memoratur, Romanis incidit, amiſſo ingenti exercitu, uel fide, uel robore cuiuſ
bet antiquorum exercituum cõferendo. Perſam uerò maiorum ſpe rerum imple-
uit tantarum ſucceſſus rerum. Quæ ubi nunciata Alexandro ſunt, grauiſſimè tũc
ęgrotanti, ſiue ex mœrore animi, ſiue inſolentia cœli, cùm ipſe tulit moleſtiſſimè,
tum exercitus omnis grauiter imperatori ſuccenſebat. Quippe ipſius mendacio
minimè ſignis ſeruatis, proditos ab eo ſuos milites dictitabant. Cæterùm Alexan
der morbi cœliq; illius æſtuoſi impatiens, laborante pariter omni exercitu, maxi-
meq; Illyricianis, qui humido hibernoq; cœlo inſueti, largiusq; cibum capientes,
letaliter ægrotabant, redire Antiochiam cõſtituit, accitis etiam eò militibus, qui
montium tamen, atq; hyemis aſperitate attriti, pauciſſimis tantum reliquis, perie-
rant. Copias autem quas ſecum Alexander habebat, Antiochiam reduxit, multis
inde quoq; amiſſis. Quare magnum exercitui mœrorem, magnum Alexandro
dedecus ea res attulit, cùm ſcilicet omnib. locis fortuna illius conſilium fefellerit:
Siquidem plurimi è triplici illo exercitu (ita namq; diſtribuebat) deſiderati ſunt
diuerſis calamitatibus, morbo, ferro, frigore. Vt uerò Antiochiam peruenit Ale-
xander, facilè & ipſe conualuit, ſpiritu illo cœli, & aquarũ abundantia, poſt æſtuo
ſos Meſopotamiæ calores refectus, & milites uniuerſos recreauit, conſolatus e-
tiam mœſtitiam illorum pecunijs elargiendis. Id enim ſolum ualere ad concilian
dos militum animos arbitrabatur. Copias autem inſtaurabat, comparabatq; de
integro, quaſi iterum in Perſas exercitum deducturus, ſi moleſti eſſe pergerent,
neq; ab iniuria deſiſterẽt. Sed & rex Perſarum dimiſiſſe milites ſuam quemq; do-
mum nunciabatur. Nam quamuis bello ſuperiores fuiſſe Barbari uiderentur, ta-
men prælijs crebris in Media Parthiaq; geſtis pars ceciderant, alij attriti & ſaucij
ſuperfuerant. Neq; eñ ſegniter Romani deuicti, ſed ipſi quoq; interdum exitioſi
hoſtibus, nullaq; adeò re magis perierunt, ꝙ quoniã pauciores deprehenſi. Nam
cùm ferè par utrinq; numerus cecidiſſet, reliquiæ illæ Barbarorum non quidem
fuiſſe

fuiſſe uiribus ſuperiores, ſed numero uidebant̃. Cuius rei argumentum eſt, quòd triennio mox aut quadriennio Barbari nequaꝗ arma reſumpſerunt. Quibus intellectis Alexander Antiochiæ cõmorabatur, hilarioꝛꝗ iam, & liberior, laxatis bellorũ curis, urbis eius delicijs indulgebat. Enimuero putante illo tum quieturos Perſas, aut ſanè multũ ſpatij moræꝗ interceſſurũ, priuſquàm exercitũ de integro cogerent, haud facilè, cum ſemel diſſipatus eſt, in unũ coeuntem, utpote incertũ atꝗ inordinatũ, uulguſꝗ potius ꝙ exercitum, tantumꝗ cõmeatum habentem, quantum ſibi unuſquiſꝗ ad præſentem uſum domo attuliſſet, prȩterea ægrè filios uxoreſꝗ, & ſedes proprias relinquentem, ſtatim nuncij literæꝗ ab Illyricis procuratoribus adfuerunt, qui eum uehementer perturbarent, curamꝗ animo maiorem inijcerent. Quippe ſignificabant Germanos Rhenũ Danubiũꝗ transgreſſos, Romanos in fines hoſtiliter intraſſe, oppugnareꝗ iam exercitus ripis inſidentes, perꝗ urbes & uicos magnis copijs excurrere. Quapropter haud leuiter Illyricas nationes conterminas, uicinaſꝗ Italiæ periclitari. Opus eſſe igitur ipſius præſentia, totoꝗ quantũ ſecũ exercitũ haberet. Hæc & formidinem Alexandro, & Illyricis militibus moleſtiam attulerũt: quippe duplici ſe calamitate uſos intelligebant, quòd & ipſi malè accepti in acie aduerſus Perſas fuerant, & ſuos domi cæſos à Germanis audiebant. Quare indignabantur, atꝗ Alexandro ſuccenſebant, tanquã res in Oriente prius, uel metu, uel negligentia prodidiſſet, nunc autem rebus ad Septentrionẽ uocantibus, metu cunctaretur. Erant aũt Alexander iam, atꝗ amici illius etiã de ipſa Italia ſoliciti. Neꝗ enim par periculũ à Perſis atꝗ à Germanis impẽdebat. Nam qui ſub Orientem habitant magno terrarũ mariſꝗ interuallo diſcreti, Italiæ uix nomẽ audiunt. At Illyricæ gentes anguſtæ uidelicet, neꝗ multũ agri Romanis ſubiecti poſſidentes, ſolæ diſcrimen faciunt inter Italiã atꝗ Germaniam. Edicit itaꝗ profectionẽ ingratis, atꝗ ægreferens, ſed urgẽte tamen neceſſitate. Relictis aũt copijs, quantas fore ſatis tuendis Romanis ripis arbitrabatur, caſtriſꝗ & caſtellis diligentius cõmunitis, ac prȩſidio firmatis, ipſe aduerſus Germanos cum reliqua omni multitudine approperabat. Confectoꝗ celeriter itinere, conſtitit ad Rheni ripas, atꝗ ibi res ad bellũ neceſſarias comparabat. Pontemꝗ primò iunctis inter ſe nauigijs fecit in Rheno flumine, ut per eum exercitus tranſgrederetur. Quippe hi maximi fluminũ ſub Septentrione ſerũtur, Rhenus ac Danubius, quorũ alter Germanos, alter Pannonios præterfluit. Atꝗ ȩſtate quidẽ nauigabiles, altiſſimo latiſſimoꝗ alueo, per hyemẽ dein cõcreti gelu camporũ in morẽ perequitãtur. Eſt aũt adeò eius aluei ſolida glacies, ut nõ equorum ungulis tantũ, pedibuſꝗ uirorũ ſubſiſtat: ſed qui hauſturi inde ſunt, non tam urnas, aut uaſa alia ſecũ afferant, ꝙ ſecures, ac dolabras, ut cæſam inde aquam ſine uaſe ullo ueluti lapidem aſportent. Hæc igitur illorũ amnium natura eſt. Alexander aũt Mauros cõplureis, ac uim ingentem ſagittariorũ, quos ſecum ex Oriente adduxerat, partim ex agro Oſrhoænorũ, partim è Parthia transfugas, pecuniáue illectos, aduerſus Germanos inſtruebat. Quippe huiuſcemodi milites maximè Germanos infeſtant: cum & Mauri longius iacula intorqueant, ſintꝗ faciles ad incurſus recurſuſꝗ, utpote leues atꝗ expediti, & ſagittarij nuda Germanorum capita, prȩgrandiaꝗ illa corpora facilè eminus ueluti ſignum aliquod cõtingant. Nonnunꝗ uerò etiam collata acie res gerebatur, ex qua Germani perſæpe haud impares Romanis abibant. Cum in his Alexander uerſaretur, decreuit tamẽ oratores ad illos de pace mittere, qui pollicerent̃ omnia illis principem Romanum quorũ foret opus, præbiturũ, pecuniaſꝗ daturũ magna copia. Sũt enim Germani pecuniæ in primis auidi, nunquãꝗ nõ auro pacẽ Romanis cauponantur. Quare

Alexander pacẽ fœderaq́ʒ potius ab illis emercari q̃ periclitari bello tẽdebat. Cæ-
terùm miles Romanus iniquo animo ferebat, fruſtra ſe tempus terere, nulla oc-
caſione fortiter quicq̃ʒ, animoſeq́ʒ gerendi, intento aurigationibus (ut aiebant) ac
delicijs Alexandro, cum cõtrà oporteret uindicare potius Germanos, pœnasq́ʒ
ab ijs exigere audaciæ. Erat aũt in exercitu Maximinus è quodã Thraciæ, & qui-
dem intimæ uico, ſemibarbarus homo, & qui à pueritia opilio fuiſſet, dein uigẽte
ætate ob corporis proceritatẽ, uiresq́ʒ ingentes, equo ſtipẽdia fecerat, poſtremoq́ʒ
fortuna quaſi manu ducẽte, ac prȩuia, cùm per omnes militiȩ gradus aſcendiſſet,
etiam ad exercitũ prouinciarũq́ʒ præpoſituras euaſerat. Hunc igitur Maximinũ,
ob eam quam ſuprà diximus rei militaris peritiã, tyronibus uniuerſis Alexander
prȩfecerat, quos ad militiȩ munera exerceret, atq́ʒ ad bellandũ idoneos redderet.
Qui cùm in eo negotio nihil ſibi ad omnẽ diligentiã reliqui faceret, maximã ſcili-
cet à cuncto exercitu gratiã inibat, non ſolũ quæ gerẽda forent aſſiduè edocens,
ſed ipſe etiã primus obiens quæ uſus poſceret, ut nõ diſcipulos tantũ, ſed æmulos
etiã atq́ʒ imitatores haberet ſuæ uirtutis, quos etiã muneribus, omniq́ʒ genere ho-
norũ ſibi adiungebat. Quapropter adoleſcentes, quorũ bona pars ex Pannonia
erat, læti uirtute Maximini, uulgò obtrectabant Alexandro, quòd ſub matris au-
toritate adhuc eſſet, nihilq́ʒ nõ ex arbitrio conſilioq́ʒ illius adminiſtraret, bellumq́ʒ
ſegniter & timidè gereret, ferẽtes identidẽ ſermonibus inter ſe quantũ detrimẽti
cunctatiõe illius in Oriente accepiſſent, nihilq́ʒ adhuc fortiter ac uiriliter geſtum
aduerſus Germanos. Quare & ſuapte natura proni ad res nouandas, & tam lon-
gum principatũ grauati, minus iam lucroſum omni ambitione pridẽ conſumpta:
cum ſperantes alterũ mox principẽ, adepto præter expectationẽ imperio, plus ali-
quantũ utilitatis, honorũq́ʒ ipſis, ac ſtudij delaturũ, decreuere Alexandrũ obtrun-
care, ac Maximinũ uocare Auguſtũ, cõmilitonem uidelicet, & cõtubernalẽ, præ-
tereaq́ʒ rei militaris peritia maximè præſenti bello idoneũ. Cùm igitur frequentes
in campũ conueniſſent, uenienti de more ad exercendos tyrones Maximino, du-
bium, ignaro, an re prius cõpoſita, purpurã circundant, imperatorẽq́ʒ ſalutant. Ille
primò reniti, & abijcere purpuram. Vt aũt nudos intentari gladios à militibus ui-
dit, occiſuros niſi cederet minitantibus, futurũ q̃ præſens periculũ prȩoptans, ho-
norẽ ſcilicet recepit, fortunamq́ʒ illã ſæpe (ut aiebat) oraculis ac ſomnijs prȩmon-
ſtratam, teſtatus milites prius, inuitũ, retrectantemq́ʒ ſe cogi, ſed illorũ tamen ob-
ſequi uoluntati. Quamobrẽ quæ ipſis placuerint, re ſanciant, ſublatisq́ʒ armis etiã
præuento rumore, Alexandrum iam rei totius ignarũ opprimant: ut milites illius,
ac ſtipatores re ſubita perterriti, aut ſpõte cum reliquis cõſentiant, aut certè dum
imparati ſunt, nihilq́ʒ eiuſmodi expectant, etiã ingratis ſubigantur. Poſtea uerò q̃
beneuolentiã omniũ atq́ʒ alacritatẽ prouocauit, duplicata ſcilicet annona, ingen-
tiq́ʒ promiſſo donatiuo, pœnisq́ʒ omnibus, ignominijsq́ʒ remiſſis, cõfeſtim ad Ale-
xandri tabernaculũ, quod haud procul abeſſet, uniuerſos educit. His ille nuntia-
tis, uehementer rei nouitate perturbatus atq́ʒ exterritus, proſilit è tabernaculo ue-
ſano ſimilis, lacrymansq́ʒ & tremẽs, nunc Maximinũ perfidũ ingratumq́ʒ uocare,
enumeratis quæcunq́ʒ in illũ beneficia contuliſſet, nunc tyrones accuſare, qui ne-
glecto ſacramẽto, adeò proteruiter id facinus auderẽt: poſtremò aũt polliceri da-
turũ ſe quæ uellent, emendaturumq́ʒ, ſi qua deſiderarent. Sed milites qui eum tue-
bantur, fauſtis in præſens acclamationibus proſecuti, defenſuros eum cunctis ui-
ribus affirmabant. Nocte aũt exacta, cùm iam luceſceret, nuntiantibus quibuſdã
adeſſe Maximinũ, pulueremq́ʒ haud procul excitatũ uideri, ac uoces magnæ mul-
titudinis exaudiri: rurſus in planiciẽ egreſſus Alexander, conuocare milites, ro-

gare

gare ut ſe defenderēt, tuerenturq; eum quē ipſi educauiſſent, quoq; iam quatuordecim annos imperante, ſine ulla querela uixiſſent. Cōmotis miſeratione omnibus arma capere, ac reſiſtere hoſtib. imperabat. At milites etſi omnia principi pollicebantur, paulatim tamen alij aliò dilabebātur. Quidā etiam pręfectum prætorij atq; Alexandri familiares ad ſuppliciū depoſcebāt, ortam ab illis defectionem cauſantes. Alij matrē ipſius accuſabant auaram fœminā, & quæ pecunijs congerendis, ob ſordes nimias, parſimoniamq; erga milites, inuiſum cūctis Alexandrū reddiderit. Igitur aliquandiu hæc inter ſe diuerſi dictitantes, ſtabant adhuc tamē. Vt uerò exercitus Maximini in conſpectū uenit, atq; hortari cōmilitones cępit, ut mulierē ſordidam, et puſillū adoleſcentē etiamnū ſub matris ſeruitio ſtatim deſererent, ſeq; uiro forti proboq; aggregarent, cōmilitoni ipſorū, atq; in armis ſemper, bellicisq; muneribus uerſato, confeſtim uniuerſi ab Alexandro deſciuerunt, atq; unanimiter imperatorem Maximinū conſalutauerunt. At ille tremens atque exanimatus in tabernaculū reuertitur, matriq; implicitus, & (ut aiunt) conquerēs atq; incuſans, quòd ob illam talia pateretur, expectabat interfectorē. Maximinus aūt poſtq; cum exercitus uniuerſus Auguſtū appellauit, tribuno, & cēturionibus aliquot negotiū dat Alexandri, matrisq; unà, & quicūq; uim contrafacerēt occidendorū. Qui facto impetu in tabernaculū, ſtatim ipſum cū matre amiciſq; & honoratiſſimò quoq; obtruncant, exceptis qui paulo antè fuga ſibi, ac latebris conſuluiſſent. Quos tamē uniuerſos haud multo pòſt cōprehenſos Maximinus ipſe morte affecit. Hunc finē habuit uitę Alexander, unà cum matre, cum annos quatuordecim, ſine ulla ſubiectorum querelà, atq; adeò ſine ſanguine imperaſſet. Siquidē à cædibus & crudelitate abhorrens, neminē niſi iudicio damnatū perire patiebatur, ad humanitatē uidelicet ac beneuolentiam propenſus. Quapropter niſi filium mater auara ac ſordida infamaſſet, nihil planè deſiderari in illius gubernatione imperij potuiſſet.

LIBER SEPTIMVS.

QVALEM ſe geſſerit Alexander quatuordecim annorū imperio, ſuperiore uolumine expoſuimus. Interea Maximinus rerū potitus, mutata uehementer rerū conditiōe, aſperè ferociterq; adepta poteſtate utebatur, ſic ut ex molli manſuetoq; imperio ad tyrannidis crudelitatē uertere omnia contenderet. Nam cùm ſe inuiſum hominibus cognoſceret, quòd primus ex infimo loco ad eam fortunā perueniſſet, præterea moribus perinde ut genere Barbarus, patrioq; inſtituto cædis auidiſſimus, ad id potiſſimū dabat operā, ut imperiū ſibi ſæuitia conſtabiliret: ſcilicet metuens ne Senatui reliquiſq; omnibus Romanæ ditionis hominibus contemptibilior fieret, dum nō tam in eo pręſens fortuna q; nataliū obſcuritas ſpectatur: Quippe iam id tritū uulgatūq; apud omnes opilionem fuiſſe in Thraciæ montibus, dein corporis uaſtitate, ac robore inter eius regionis tenuiſſimos milites adſcitū, quaſiq; manu ductū à fortuna ad Romanū imperiū. Quare omnes confeſtim amicos conſiliarioſq; Alexandri à Senatu lectos ſuſtulit è medio, partimq; Romā dimiſit, partim adminiſtrationē rerū cauſatus officio priuauit. Id eo conſilio fecit, ut ſolus eſſet in exercitu, nemineq; prope ſe haberet ex conſcientia nobilitatis potiorē, ſed uelut ex arce quadā citra ullius reuerentiā, tyrannidis operibus uacare poſſet. Omniaq; Alexandri miniſteria, quibus ille per tot annos uſus fuerat, ex aula eiecit, plurimis etiā interfectis, q; inſidias uidelicet ſuſpectaret, quando omnes illius interitu mœſtos eſſe intelligebat. Cæterū magis magiſq; crudelitatē irritauit cōiurationis cuiuſdā in ſe delatio,

conſpiratis in unũ centurionib. permultis, omniq; ſenatu Romano. Magnus erat
quidam nomine, uir patricius & conſularis, qui delatus imperatori eſt, quaſi ma-
num contra ipſum cõpararet, ac militibus perſuaderet, ut ad ſe imperiũ transfer-
rent. Conſiliũ autẽ huiuſcemodi fuiſſe putatur. Pontem conſtruxerat Maximinus
ſupra flumen, quà aduerſus Germanos tranſiret: ut enim primùm ſummã rerum
ſuſcepit, ſtatim bellica facinora affectauit. Siquidẽ ob immanem corporis ſtaturã,
& militare robur, ac peritiã pugnandi, adſcitus ad imperiũ, re ipſa famã confirma-
re, atq; opinionẽ militũ tendebat, ut metũ illũ atq; cunctationẽ Alexandri in prę-
lijs capeſſendis iure improbatam fuiſſe coargueret. Quare nihil ſibi ad exercen-
dos milites reliqui faciebat, & cum ipſe in armis aſſiduus erat, tum exercitũ uehe-
menter adhortabatur. Sed tum conſtructo (ut diximus) ponte, tranſire in Germa
niam ſtatuerat. Cæterùm Magnus haud ſanè paucis militibus, ſed qui uirtute cæ-
teros anteirent, atq; ijs potiſſimũ, quibus cuſtodia pontis, curaq; fuerat demanda
ta, perſuaſiſſe dicebaẽ, ut ſimul ac Maximinus in alteram ripam peruaſiſſet, ponte
abſciſſo, redituq; intercluſo Barbaris eum proderent. Siquidẽ tanta erat amnis il-
lius profunditas ac latitudo, ut irremeabilis fore uideretur, nullis præſertim naui-
gijs in aduerſa ripa. Talia ſcilicet ſermonibus ferebanẽ, incertũ uero, an cõpoſita
fraude: neq; eñ facilis ſententia, parũ explorata re, citraq; iudiciũ, aut defenſionẽ
ullã, correptis interfectiſq; omnibus quoſcũq; ſuſpicio attigerat. ſed & militũ Oſ-
rhoænorũ defectio nõnulla oborta eſt. Nã cũ magnopere indoluiſſent Alexãdri
nece, ac forte fortuna in quendã ex illius amicis, cui nomen Quarcino fuit, paulo
antè à caſtris à Maximino dimiſſum incidiſſent, correptũ atq; retractantem, neq;
tale quippiã cogitantẽ ducẽ ſibi delegerunt, purpuraq; eum, prelatoq; igni, fune-
ſtis ſcilicet honoribus condecoratũ, nihilq; minus optantem, ad imperiũ protule-
runt. Qui tamen haud diu pòſt in tabernaculo dormiens, à cõtubernali quodam
ſuo, & (ut credebaẽ) amico per inſidias occidiẽ. Macedoni nomen fuit, qui & an-
tea Oſrhoænis præfuerat, & nunc primus eiſdẽ autor fuerat deficiẽdi à Maximi-
no. Cumq; nulla ſubeſſet odij aut inimicitiarũ cauſa, tamẽ eum occîdit, quẽ ipſe-
met corripuerat, atq; ad ſuſcipiendũ imperium perpulerat. Sed enim magnopere,
tunc gratũ ſe Maximino facturũ putans, abſciſum Quarcino caput dono obtulit.
Verum Maximinus quamuis eo facinore lætus, gaudẽsq; præreptũ ſibi hoſtẽ, ta-
men illũ haud modica ſperantẽ, putantemq; ſibi inſignẽ gratiã relatũ iri, extremo
ſupplicio affecit, ceu defectionis auctorẽ, interfectoremq; eius cui facinus inuito
perſuaſerat, atq; infidũ homini quem antea pro amiciſſimo habuiſſet. Huiuſmodi
igitur cauſæ magis magiſq; animũ exaſperabãt Maximini, atq; ad ſæuitiã exacue
bant, etiã antea ſua ſponte crudeliſſimũ. Cæterùm aſpectu quoq; erat horrendus,
uaſto atq; immani corpore, ut nemo illi uel exercitatiſſimorũ Græcorum, uel pu-
gnaciſſimorũ Barbarorũ cõferri poſſit. His ita diſpoſitis rebus, collecto exercitu
omni, ac ponte intrepidè pertranſito, bellũ Germanis intulit. Secuti illum magna
uis mortaliũ, ac penè omnes Barbarorũ copiæ ad hæc Mauriſii iaculatores, ſagit-
tarijq; q; plurimi. Præterea Oſrhoæni, & Armenij, quorũ hi Romanis ſubiecti, illi
in amicitiã fuerant, ſocietatemq; adſciti: tum ſi qui ex Parthis aut pecunia condu-
cti, aut transfugæ, aut item capti bello Romanis ſeruiebant. Hæc autẽ multitudo
coacta ab Alexandro prius, aucta dein atq; exercitata à Maximino fuerat. Cæte-
rùm iaculatores ſagittarijq; gerendo aduerſus Germanos bello magnopere ido-
nei uidẽtur, ſiquidẽ expediti hoſtẽ opprimũt incautũ, facileq; rurſus in tutũ ſe reci
piunt. At uerò Maximinus ingreſſus agrum, diu nemine qui reſiſteret inuento
(quippe omnes abſceſſerant Barbari) regionẽ illorum depopulabatur, maturis

ſegetibus

ſegetibus, uicoſq; omnes incendendos, diripiendoſq; militibus tradebat. Sunt autẽ urbes ædificiaq; illa maximè incendijs obnoxia. Rara apud Germanos ſtructura è lapide, ac lateribus coctilibus, denſiſq; potius ſyluis, quorũ confixis coagmentatiſq; lignis, quædã quaſi tabernacula ædificant. Igitur Maximinus in eam regionẽ graſſatus, populatis ſegetibus, omniq; pecore captiuo militib. permiſſo, nullos adhuc hoſtes inuenerat. Siquidẽ campeſtres regiões, locaq; ab arboribus pura deſeruerant, atq; intra ſyluas & paludes delituerant, ut inde præliarẽtur, atq; eruptionẽ in hoſtẽ facerent. Etenim denſitas illa arborũ, ſagittis iaculiſq; hoſtium allatura impedimentũ, & paludũ altitudo periculoſa Romanis locorũ ignaris, ipſis aũt facilis expeditaq; fore uidebatr̃, non ignaris quæ uſquã peruia, quæ inuia, & genuũ tenus quotidie per illas diſcurſantibus. Sunt aũt Germani peritiſſimi nandi, ut qui tantummodo in fluminibus lauentur. In huiuſcemodi igitur locis, pugna inita, ubi etiã imperator ipſe Romanus fortiſſimè præliũ inchoauit. Nã cùm ad ingentẽ quandam, uaſtámq; paludẽ uentũ eſſet, intra quam Germani fuga ſe receperant, uerentibus Romanis eodẽ hoſtes inſequi, primus Maximinus equo paludẽ ingreſſus, cùm quidẽ etiam ſupra aluũ equus uoragine hauriretur, magna ui repugnantes Barbaros cõtrucidauit. Quare exercitus reliquus pudore inſtinctus, ne prodere pugnantẽ pro ſe imperatorẽ uideretur, auſus et ipſe eſt paludem ingredi, multiq; utrinq; ceciderunt, ita tamen, ut nullus penè Barbarorũ fuerit reliquus, dimicante inſigniter Romano principe. Quare & ſtagnũ cadaueribus oppletũ, & palus ſanguine confuſa, pedeſtris prælij naualẽ faciem præferebat. Hanc igitur pugnã, ſuaq; ipſius fortia facinora, non ſolũ per literas Senatui populo'que Rom. ſignificauit, ſed etiam depictã maximis imaginib. ante curiam publicauit, ut nõ tam audire quæ geſta forent, q̃ etiã ſubijcere oculis Romani poſſent. Eam tabulam deinde unà cum reliquis illius honoribus Senatus ſuſtulit. Fuere itẽ alia prælia, quibus omnib. ipſe manu pugnã capeſſens, ac fortiſſimè dimicans explendeſcebat. Multiſq; captiuis, atq; ingenti abacta præda, inſtante hyeme, in Pannoniam reuerſus eſt, intraq; urbem Sirmiũ, quæ maxima omniũ eius regiónis habetur, in hybernis agens, ad uernam ſeſe expeditionẽ comparabat, identidem minitans, id quod etiam præſtiturus uidebatur, exciſurũ, ſubacturumq; Oceano tenus omnes Germaniæ Barbaras natiões. Talis utiq; fuit in bellicis negotijs, maximã rebus geſtis claritudinẽ adepturus, niſi grauior multo ſuis, ac truculentior, q̃ ipſis fuiſſet hoſtibus. Quò em̃ Barbaros interemptos, ſi longè plures in ipſa urbe Roma, ſubiectiſq; nationibus cædes edebantur? Quid prædã aut captiuos abactos proderat, ſi ſuis fortunis Romanæ ditionis mortales quotidie diſpoliabantur? Quippe omnis nõ modò libertas, ſed inſtigatio quoq; delatorib. permiſſa, ut circumuenire quos uellent, renouareq; etiã (ſi ita uſus poſceret) uſq; à progenitoribus ignota, atq; indeprehenſa ad eam diem crimina liceret. Neq; ſanè delicti alicuius quiſpiã arceſſebatur, quin idem continuò reus peragеretur, ac cenſu, fortuniſq; omnibus expelleretur. Itaq; quotidie cerneres, qui pridem opulentiſſimi fuiſſent, eos nunc emendicare ſtipem. Tanta uidelicet tyrannidis auaritia inceſſerat, aſſiduas erga militem largitiones obtendentis. Erant pręterea illius aures omnibus calumnijs patulæ, ſic ut nullius uel ætatis uel dignitatis rationẽ haberet. Igitur complures exercitibus aut prouincijs præpoſitos, conſulares, triumphaleſq; uiros, leuiſſima tenuiſſimaq; calumnia attactos, corripi deimprouiſo iubebat, ac ſine ullis miniſterijs ſolos uehiculis impoſitos die noctuq; iter facere ab Orientẽ aut Occidente, ſi ita cecidiſſet, itemq; à Meridie in Pannoniam uſq;, in qua tunc ipſe morabatur. Dein ſpoliatos omniq; ignominia affectos exilio uel morte pu-

niebat. Quàm diu igitur unus aut alter talia patiebantur, neq; ea calamitas extra ipſorum familiam egrediebatur, non ſanè magnopere populorum gentiumq; intereſſe uidebatur. Siquidem beatorum diuitumq; res aduerſę, non ſolùm à plebe negliguntur, ſed eis nonnulli etiam prauo malignoq; ingenio, ob inuidiam ſcilicet potentiorum atq; felicium delectantur. Poſtquam autem Maximinus plurimas illuſtrium uirorum familias ad egeſtatem redegit, leuiora iam illa, ac minora ducens, quàm ut ipſius cupiditati ſatisfacerent, animum ad publicas opes tranſtulit. Igitur quæcunq; pecuniæ ciuiles, aut ad publicam annonã repoſitæ, aut in plebem diuidendæ ſupererant, tum quæ theatris ac celebritatibus ſeruiebant, uniuerſas ſibi adiudicauit. Ad hæc templorũ omniũ donaria, ſtatuæq; deorum, heroũq; honores, tum quicquid publici operis, aut ciuilis ornamenti, aut materiæ deniq; fuit nummis idoneæ conficiundis, omnia pariter ignibus conflabantur. Quæ res in primis animos multitudinis exulcerauit, quaſiq; luctum publicũ effecit: cum citra pugnam atq; arma quaſi oppugnanõi eſſe urbs obnoxia uideretur, ſic ut quidam è populo cõtrà reſiſtere, templaq; auſi tueri, etiam cadere ante aras deorum immortalium, quàm ſpectare patriæ ſpolia pręoptauerint. Hinc itaq; potiſſimùm per urbes atq; nationes popularium animi intumuerant, ac nec milites quoq; ſatis æquo animo ferebant, exprobrantibus inuidioſè conſanguineis, atq; domeſticis, & ipſorum culpa talia patrare Maximinum dictitãtibus. Huiuſcemodi igitur cauſæ minimè profectò leues ad odiũ ac defectionem populos proritabant. Cæterùm uotis tantũmodo agebant, læſa implorantes numina, nullo ſcilicet audente profiteri ſe uindicẽ, donec exacto imperij triennio, exigua leuiq; occaſione (ut ſunt lubricæ tyrannorum res) primò arma ſumpſerunt, rebellaruntq; Afri tali cauſa. Procurator erat quidam Carthagini, cui nihil ad extremam uel aſperitatem uel ſæuitiam deerat. Is damnandis iudicio hominibus, exigendiſq; pecunijs fauorem principis aucupabatur. Siquidem Maximinus, quos ſibi factos cognoſcebat, eos potiſſimùm diligere cõſueuerat. Quicunq; igitur fiſci rem curabant, ſi modò uiri probi forent (quod perrarò eueniebat) aut procuratione exciderant, aut præſenti periculo conterriti, gnariq; illius auaritiæ, quamuis inuiti cæteros imitabantur. Quapropter Africæ procurator, cum pleraq; alia uiolẽter factitabat, tum ab adoleſcentibus quibuſdam nobilibus atq; opulentis damnatione circumuentis, ſtatim exigere pecunias intenderat, patrimonioq; illos & auitis bonis exuere. Quibus rebus exacerbati adoleſcentes, pecuniam quidem ſe daturos pollicentur, petito trium dierum ſpacio, conſpiranteſq; interim in unum, quicũq; graue aliquid uel paſſi fuerant, uel paſſuros metuebant, iubent nocte ex agris iuuentutem cum fuſtibus ac ſecuribus adeſſe. Illi dominorum imperia exequentes, uenere ante lucem uniuerſi in urbem, celantes ſub ueſtibus arma, quæ cuiq; tumultuaria ſe obtulerant. Magna uerò uis mortalium confluxere, ſiquidem fœcũdiſſima hominum Africa, plurimos tunc etiam agrorum cultores habebat. Vt autem dies iam illuxit, iubent adoleſcentes ponè ſequi ſeruorum ſuorum gregem, tanquam ſi è reliqua eſſent populi multitudine, neq; tamen arma proferre prius, aut uim facere, q̃ ubi aliquos aut è militibus, aut è populo uiderint irruere contra ſe, atq; ire ultum facinus, quod geſturi mox eſſent. Ipſi reconditis intra ſinum pugionibus, adeunt procuratorem tanq̃ cum eo de perſoluendis pecunijs acturi, cõtinuoq; nihil tale ſuſpicantem neci dedunt. Ibi exertantibus gladios illius militibus, atq; ire ultum uolentibus, repentè agreſtes cum fuſtibus ac ſecuribus occurrunt, fortiterq; pro dominis pugnantes, facilè omnes in fugam uerterunt. Ad hunc modum negotio ſuccedente, iuuenes deſperatis ſemel rebus, unam ſibi reliquam ſalutem fore arbitrati

bitrati, ſi patratum nuper facinus maiore aliquo facinore cumularent, ſtatuunt in cōmunionem periculi rectorem prouinciæ aſſumere, ac populos ad defectionem ſolicitare, quod optari iampridem ab uniuerſis cognouerāt, Maximini odio, ſed metu prohiberi. Igitur cum omni multitudine nocte intempeſta domum proconſulis petunt. Is Gordianus fuit proconſulatum ſortitus eum, cùm annū ageret circiter octogeſimū, multarumq́ ante prouinciarum fuerat rector, atq; in maximis ſpectatus negotijs. Quocirca facilè ſuſceptum iri ab illo imperium exiſtimabant, quaſi faſtigium aliquod ſuperiorum dignitatum, Senatuiq́ & pop. Rom. gratum futurum principem, qui præterq̃ quòd erat illuſtri ortus genere, etiam per honores plurimos, quaſi per gradus quoſdā ad imperij culmen aſcendiſſet. Euenit autem, ut quo die hæc agebantur, domi Gordianus reſideret, dilatis laboribus, omniq́ actu rerum ſuſpenſo. Igitur adoleſcentes cum gladijs magna ſtipante multitudine, proturbatis ianitoribus, impetum in ædes faciunt, eumq́ ſupra grabatum requieſcentem offendunt, circumfuſiq́ ſenem purpura induunt, atq; Auguſtalib. honoribus conſalutant. Ille re ſubita exterritus, inſidiasq́ & dolum in ſe cōpoſitum ratus, deijcit humi ſe ex grabato, obſecrans parcerēt ſeni, à quo nihil iniuriarum accepiſſent, fidemq́ principi et beneuolentiam ſeruarent. Inſtantibus autem illis, ac nudos manu gladios tenentibus, cùm partim metu, partim ignoratione, haudquaquam ſciret Gordianus, quid ſibi ea res uellet, quæq́ ſubitę fortunæ cauſa foret, unus è numero adoleſcentium, qui & nobilitate & facundia cæteros anteiret, reliquis tacere, & paulìſper quieſcere iuſſis, dextra capulum tenēs, in hanc ſententiam uerba fecit:

E Duobus periculis, quorū alterū præſens manifeſtūq;, alterū futurū forſitan, dubijq́ euētus, eligendū tibi hodie alterutrū eſt, ut aut nos, teq́ unà ſerues, et ſpē meliorē, qua omnes freti ſumus, amplectaris, aut iamiam noſtris manib. intereas. Quòd ſi potiora malueris, multa ad ſpē bonā uiatica ſunt. Quippe inuiſum omnibus Maximinū, peſtemq́ illam crudeliſſimæ tyrānidis tolles, uitāq; antehac præclarè tibi actam, illuſtri gloria cumulabis, maximosq́ à Senatu P. Q. R. honores ac ſempiternam laudē naneiſceris. Sin uerò abnueris, ac nobiſcū conſpirare pernegaueris, iamiam te hîc obtruncabimus, atq; ipſi quoq; (ſi oportuerit) occiſo tibi immoriemur. Maius nanq; facinus auſi ſumus, q̃ ut ſalui eſſe citra deſperationem poſſimus. Iacet em̄ tyrannidis miniſter, luitq́ pœnas crudelitatis, noſtris nūc nuper manibus interemptus. Quapropter ſi cōſenſeris nobiſcū, atq; in partē periculorū acceſſeris, cùm ipſe honorē imperij cōſequeris, tū quod nos facinus perpetrauimus, laude q̃ ſupplicio dignū reputabitur. Dum hæc loquit̃ adoleſcens, impatiens moræ cætera multitudo, cùm quidē eòdem iam ciuitas uniuerſa re uulgata concurriſſet, Gordianum unanimes Auguſtū appellant. Ille quamuis recuſaret, ac ſenectutē obtenderet, tamen ſuapte natura gloriæ auidior, haud ægrè tandem honorē ſuſcepit, malens futurū dein, q̃ præſens iam periculum ſubire, ſimul ætate iam exacta minimè recuſandū putabat, quin (ſi ita res poſceret) etiā imperatorijs honorib. immoreret̃. Igitur ſtatim tumultuari omnis Africa, ſublatisq́ Maximini honoribus ciuitates pleræq; imagines Gordiani ac ſtatuas ponere. Sed eū quoq; à ſe cognominarunt Africanū: nam qui ad Meridiē Libyes habitant, Afri Romana uoce nuncupantur. At Gordianus aliquot dies Thyſtri commoratus, qua in urbe hæc acta fuerant, nomen imperatoris iam, cultumq́ gerens, Carthaginem proficiſcitur, ut in ciuitate maxima celeberrimaq́ omnia quaſi Romę agitarent. Siquidē urbs illa uel opibus, uel populi frequētia, uel magnitudine tantū Romæ concedens, cùm Alexandri urbe Aegyptiaca de ſecūda palma cōtendit.

Sequebatur aũt ipſum principalis pompa omnis,militeſq́ quicũq; aderant, iuue-
neſq́ urbani procera ſtatura , ad eorũ ſimilitudinẽ, qui Romæ imperatorẽ comi-
tantur,uirgæ item laureatæ, quo inſigni principes à priuatis dignoſcuntur. Præ-
tereaq́ ignis de more præferebatur, ut ſpeciem fortunamq́ exiguũ ſanè ad tẽpus
Romanæ ciuitatis Carthago repræſentaret.Cæterùm Gordianus literas complu
reis,ad primũ quemq; Romam miſſitabat,atq; ad proceres Senatus,quorũ erant
ei permulti amici,ac neceſſarij.Scripſit item publicè ad Senatũ P.Q.R.ſignificans
Afrorũ erga ſe cõſenſum,ſimulq́ accuſans Maximini crudelitatẽ, quam eſſe om-
nibus magnopere inuiſam ſentiebat.Ipſe omnẽ præ ſe manſuetudinẽ ferebat.Nã
et delatores omnes exilio affecit,& ijs qui parũ iuſto iudicio dãnati fuerant, iterũ
defendendi ſui poteſtatẽ indulxit, quin exules ꝙq; in patriã reſtituebat, ac militi-
bus plura ſe ꝙ́ quiſquã antea largiturũ , populoq; ingens daturũ congiariũ polli-
cebatur.Idem præfectũ quoq; prætorij Vitalianũ,ferũ,crudelemq́ hominẽ, cha-
riſſimũ deuotiſſimumq́ Maximino,in ipſa urbe curauit interimendũ . Siquidem
ſuſpectans , ne ille ſuis inceptis fortiter reſiſtẽdo , cæteros quoq; metu deterritos
à ſe auerteret,mittit prouinciæ quæſtorẽ,àduleſcentẽ audaciſſimũ , corpore uali-
dum,atq; ætate florentẽ,promptumq́ ad omne periculũ pro ſe ſuſcipiendũ, tradi
tis centurionibus , ac militibus nonnullis, cui etiã literas dedit obſignatas dupli-
cibus tabellis,per quas arcana occultaq; negotia ſignificare imperatores conſue-
uerunt. Iubet itaq; illos intrare urbẽ ante lucẽ, ac dum adhuc in actibus occupa-
tus eſſet Vitalianus,accedere ad eum intra cellulã,ubi res ſecretas atq; arcanas ad
ſalutẽ principis pertinẽtes ſcrutari,atq; inquirere cõſueuerat, habere ſe ad eũ lite-
ras arcanas à Maximino dicẽres,ac uelle etiã,remotis arbitris, de reb.ad ſecurita-
tẽ imperatoris ſpectãtibus,cũ illo colloqui, ac mãdata principis exponere . Dein
ſignis agnoſcẽdis occcupatũ pugiõibus,quos in ſinu occultos haberẽt,deimpro
uiſo confoderent.Quæ ſcilicet omnia ex ſententia ſucceſſerunt.Etenim ante lucẽ
quo tempore prodire illi mos fuerat,inueniunt hominẽ penè ſolũ,paucis tantum
circumſtantibus,quippe alij nondũ uenerant,alij ſalutato abierant, priuſquã dilu
ceſceret.Igitur uacante illo, ac paucis duntaxat ante cellulã inuentis , ubi quæ ſu-
prà diximus,nuntiauerunt,facilè ſcilicet intromiſſi ſunt,porrectiſq́ epiſtolis, con
templantẽ eum ſigna diligentius , prolatis pugionibus confodiunt , nudoſq́ eos
manibus præ ſe tenentes proſiliunt,omnibus loco cedẽtibus. Nam id Maximini
factũ imperio putabant.Quando idem ſæpenumero etiã in eos facere conſueue-
rat,qui antea ipſi chariſſimi uidebantur . Dein uadẽtes media ſacra uia,proponũt
epiſtolã Gordiani ad populũ,literaſq; item ab illo conſulibus ipſis, cæteriſq́ red-
dunt,uulgata etiã fama interfecti Maximini. Quod ubi auditũ eſt,ſtatim uniuer-
ſus populus diſcurrere undiq;,furẽti ſimilis . Nam etſi ubiq; uulgus ſemper ad res
nouas leuiſſimũ , tamẽ Romana plebs in primis quæ ex magna uariaq; etiã pere-
grinorũ multitudine cõſtat,lõgè cæteris mobilior eſt. Igitur ſtatuæ atq; imagines
Maximini,cæteriq́ honores ſtatim conuulſi,clauſumq́ antea formidine odiũ , li-
centia iam & poteſtate adepta,nullo prohibẽte effundebãt. Quare ſenatus quo-
que frequẽs , etſi de Maximino certi nihil habebat,ex præſenti fortuna rem con-
iectans,abolitis illius honoribus, Gordianũ filiumq́ ipſius Auguſtos declaraue-
runt,ſtatimq́ delatores atq; accuſatores uniuerſi aut effugerãt,aut ab ijs quos of-
fenderant,occidebãtur. Procuratores aũt,& qui ius in illius crudelitatis miniſte-
rium dicebãt,tracti à plebe ſunt,abiectiq́ in cloacas.Multi itẽ inſontes occiſi.Nã
& creditorem ſuum quiſq; & aduerſariũ in forẽſibus cauſis , & ut quemq; aliquis
leuiſſima de cauſa oderat, impetu in domum facto, boniſq́ direptis trucidabant.

Ita

Ita ſub ſpecie libertatis, paciſq; prætextu, ciuilis belli facinora edebantur: quin præfectũ quoq; urbi Sabinũ, prohibere talia conantẽ fuſte capiti illiſo mactauerunt. Hæc igitur populus agitabat. Enimuero Senatus quando iam ſemel periculum ſubierat metu Maximini nihil ſibi ad ſolicitandas ad defectionẽ prouincias reliqui faciebat. Quocirca legationes undiq; ad rectores prouinciarũ mittebantur, electis è Senatorio equeſtriq; ordine clariſſimis hominibus, cũ literis quibus Senatus populiq; Rom. mens exponebatur, qui ꝓcuratores ipſos hortarẽtur, uti cõmunẽ patriã capeſſerẽt, curiamq; Romanã tuerẽtur, perſuaderẽtq; nationibus, ut in fide pop. Rom. perſeuerarẽt, cuius propriũ antiquitus imperiũ foret, ueterrimumq; cũ illis amicitiæ ius à maioribus inſtitutũ. Quocirca pleriq; legatis benignè exceptis, populos ad defectionẽ perpulerũt, quod ſcilicet pronum fuit, adeò incredibili apud omnes odio Maximinus laborabat. Igitur omnib. quicũq; apud ipſos magiſtratũ gerentes, cum Maximino ſentiebãt, repentè ad unũ occiſis, ipſi uniuerſi ad Romanos defecerũt, pauci tamẽ inuẽti, qui legatos ad ſe miſſos interficerẽt, aut ad ipſum mitterẽt, adhibitis cuſtodibus, qui deinde omnes exquiſitiſſimis à Maximino ſupplicijs affecti ſunt. Hæc mens Romanæ ciuitatis, hic animus fuit. Quæ poſtquã Maximino nuntiata ſunt, quanq; triſtis ac ſolicitus, tamẽ illa ſe contemnere ſimulabat, ac primo quidẽ alteroq; die domi quietus, ad amicos de eo negotio retulit. Cæterùm exercitus omnis, cunctiq; eius regiõis mortales, etſi rem omnẽ intellexerant, intumuerantq; animis, audacia rerũ tantarũ, ac nouitate, tamẽ pro ſe quiſq; tacebant, ac ſe ignorare omnia ſimulabant. Quippe tantus erat Maximini metus, ut nihil illũ plane lateret, omniũq; nõ ſolũ uerba, ſed nutus ꝙq;, ſpeciemq; oris obſeruaret. Tertio uerò die cõuocatis in campũ ante urbẽ militibus ſuis Maximinus, tribunal inſcendit, atq; ex libello orationẽ ab amicis cõpoſitam, in hanc ſententiã recitauit. Scio me uobis incredibilia nouaq; dicturũ, ſed (ut ego exiſtimo) nõ tam admiratione ꝙ riſu digna. Arma uobis ueſtræq; uirtuti nõ Germani inferũt ſæpe deuicti, nõ Sarmatæ, qui de pace nobis quotidie ſupplicant. Perſæ itẽ, qui olim Meſopotamiã peruagabantur, nũc ſuas intra ſedes quieſcere, boni cõſulunt, cùm gloria in armis ueſtra, tum rerũ à me geſtarum periculo edocti, quæ iam tum illis innotuerunt, cùm tuendi ripas exercitui præfuimus. Verùm (ne quid magis ridiculũ dixerim) Carthaginienſes inſaniunt, atq; ſene infeliciſſimo, & extremo iam ætatis delirante, dubium ſuaſu an coactu, quaſi aliqua in pompa ludunt principatũ. Quo enim freti exercitu, cũ apud eos procõſulis miniſterio lictores ſatisfaciant? Quibus porrò uſuri armis, ubi præter lanceas exiguas ad feras excipiẽdas, nihil ſit telorũ, proq; bellicis exercitationibus chori tantũ dictaq; procacia, & numeri quidã uſurpentur? Neq; uerò uos perterrefecerint, quę facta in urbe nuntiantur, nempe Vitalianus per dolũ fraudẽq; occiſus eſt. Quàm aũt leue inſtabileq; ſit Romani pop. ingeniũ, ꝙ prompta clamorũ tenus audacia, notiſſimũ ſcilicet uobis eſt. Si duos modò, treſ'ue armatos cõſpexerint, trudẽtes alter alterũ, & proculcantes, ac ſuũ quiſq; periculũ fugitantes, publicũ neglectui habẽt. Quòd ſi quis uobis etiã quæ acta in Senatu ſunt, renuntiauit, nõ eſt profectò ꝙ miremini noſtrã illis continentiã duriorẽ uideri, atq; ob id morũ congruentiam uitamq; illius luxurioſam nobis anteferri. Quippe apud illos fortiſſima quęque, ac grauiſſima pro aſperrimis, diſſoluta atq; ebacchantia pro mitibus uoluptuarijſq; habentur. Quocirca noſtrum quidem imperium, quoniam induſtrium atq; moderatum reformidant, Gordiani delectantur nomine, cuius infamia uitæ minimè uos præterit. Igitur aduerſus hos atq; huiuſcemodi homines bellum uobis eſt milites, ſi tamen id bellum appellandum. Nam ut mihi quidem, atq; adeò

cæteris

cæteris omnibus uidet,nõ prius Italiam attigerimus,ꝙ illorũ maxima pars ramos ſupplices,liberosq́ ſuos præferentes,noſtris ſe pedibus aduoluent,aut formidine degeneri fugam facient,ut mihi liberũ ſit,bona illorũ uobis contribuere,quib. in perpetuũ perfruamini.Hæc cùm dixiſſet, ac multa in ciuitatẽ Senatumq́ uniuerſum interpellatim probra feciſſet, manuũq́ geſtibus minabundus,trucię uultu, nutuq́ oris quaſi præſentibus iraſcens,profectionẽ in Italiam edicit. Diuiſoq́ inter milites ingenti ſtipendio, uno tantũ die interiecto facere iter incœpit, magnũ ſecũ exercitũ, atq; uniuerſas adducens Romanas copias. Sequebaẽ eundẽ etiam Germanorũ haudquaq; negligendus numerus, quos uel armis ſubegerat, uel in amicitiã ſocietatemq́ adſciuerat.Præterea machinæ & bellica inſtrumẽta, quæq; alia aduerſus Barbaros cõparauerat. Cæterùm tardius iter faciebat, ob uehicula, resq́ alias uſui neceſſarias,quæ undiq; importabanẽ.Nam cùm repentinum id illi iter obueniſſet,non cuiuſquã prouidentia,ut conſueuerat,ſed tumultuario ac feſtinato miniſterio, quæ erant militibus neceſſaria colligebanẽ. Igitur præmittere Pannoniorũ cohortes decreuit,quibus fretus maximè erat,quæq; primæ imperatorem cõſalutauerant, atq; ultrò etiã pro illius ſalute omne periculũ depoſcebãt. Iis igitur imperauit, ut cæteras copias præcederent, ac regiones occuparẽt Italię. Dum in itinere Maximinus eſt, res interea Carthagini præter ſpem magnopere ſucceſſerunt.Erat enim Capellianus quidã ſenatorũ ordinis uir, procurator Mauritaniæ Romanis ſubiectæ, quæ ab ipſis Numidia appellaẽ. Ea gens munita exercitibus fuerat,à quibus Barbarorũ incurſus ac populationes coërcerenẽ. Quare haud contemnendã militũ manũ circa ſe habebat.Cum hoc igiturCapelliano ueteres Gordiano ſimultates,ex forenſi quadã diſceptatione interceſſerant,quocirca nomen adeptus imperatoris,ſucceſſorẽ illi miſit,atq; abſcedere prouincia imperauit. Ille ea re indignatus, ac principi ſuo deuotus,à quo magiſtratũ quoq; eũ accepiſſet,omni coacto exercitu,cùm quidẽ fidem tueri, ac iuſiurandũ perſuaſiſſet,Carthaginẽ contendit,maximas ualẽtiſſimasq́ copias ſecũ adducens, uiroſq́ cùm ætate florentes,tum omni armorũ genere inſtructos, peritosq́ rei militaris, atq; ex conſuetudine præliorũ aduerſus Barbaros magnopere ad pugnandũ paratos.Vt uerò nuntiatũ Gordiano eſt,aduentare ad urbẽ Capellianũ,& ipſe affectus eſt extrema formidinẽ, & perterriti Carthaginienſes uniuerſi, qui ſcilicet in turba potius ꝙ in exercitus aliquo ordine, collocata uictoriæ ſpe, cuncti pariter urbe effundunẽ obuiam Capelliano. Cæterùm ſenex Gordianus (ut quidã perhibent)ſimul atq; ille Carthaginem attigit,deſperatis rebus, ꝗ Maximino uires ingentes,nullas in Africa copias eſſe uidebat,laqueo ſe ſuſpendit.Sed occultata illius nece,filiũ ſibi ducẽ multitudo elegit.Ita uentũ ad manus eſt.Erãt aũt numerò quidẽ plures Carthaginienſes,ſed inordinati,ac rerũ bellicarũ imperiti, quippe in altiſſima pace educati,feſtisq́ & delicijs emolliti, nudiq́ armis,omniq́ue bellico inſtrumento. Nam domo quiſq; pugionẽ,aut ſecurẽ,aut uenabulũ,aut item præuſtas ſudes,ut quiſq; poterat acuminatas,ad tuendũ corpus extulerãt. Cõtrà, Numidæ iaculatores optimi,atq; equitandi peritiſſimi, ſic ut equos etiã infrenos uirga tãtũ currẽtes moderenẽ. Quocirca facilè Carthaginienſiũ plebs in fugã uerſa.Siquidẽ haud ferentes illorũ impetũ, omnes abiectis armis confertim effugerũt,trudẽtesq́ inter ſe,& proculcãtes,multo ſanè plures ipſi inuicẽ affligebanẽ, ꝙ cædebanẽ ab hoſtibus.Hic & Gordiani filius cecidit,& quicũq; eum ſecuti, ſic ut prę multitudine interfectorũ,neq; diſcerni ad ſepulturã funera potuerint,neq; aduleſcẽtis Gordiani cadauer inueniretẽ.Etenĩ ex tãta copia fugientiũ,pauci dũtaxat urbẽ ingreſſi,cõiectiq́ in latebras euaſerant,cæteri ad portas conferti, ac pro

ſe quiſq;

ſe quiſque intrare primi urbem feſtinabundi, ab iaculatoribus Numidis, cæteriſq; armatis militibus contrucidabant, maximo fœminarũ puerorumq; eiulatu, quorũ ante oculos chariſſima pignora occidebant. Sunt qui perhibeant, ut primũ Gordiano, qui propter ſeniũ domi ſe continuerat, nuntiatũ ſit Capellianũ iam in urbẽ perueniſſe, deplorata ſalute intra cubiculũ ſe quaſi dormiturũ recepiſſe, colloq; zonæ inſerto, qua præcinctus fuerat, ſibi mortem conſciuiſſe. Hęc finis Gordiani fuit, felicis anteacta uita, atq; in quadã principatus imagine extincti. Sed enim Capellianus Carthaginẽ ingreſſus, præcipuum quemq; ex ijs qui è pugna ſuperauerant, neci dedidit, ac neq; à templis deſpoliandis, neq; à publicis priuatiſq; pecunijs diripiendis abſtinuit, aditiſq; urbibus reliquis, quæcunq; honores Maximini ſuſtuliſſent, in his præſtantiſſimũ quẽq; morte, cæteros ſupplicio afficiebat: agros aũt, uicoſq; concremandos militibus tradebat, prætexto quidẽ ulciſcendi Maximinum. Cæterùm clanculum militum ſibi animos concilians, ut ſicubi res à Maximino turbaſſent, ipſe ad occupandũ principatum beneuolis militibus uteretur. Ita ſe uidelicet res in Africa habebãt. Poſtea uerò quàm Romæ audita ſenis Gordiani mors eſt, ingens perturbatio Senatum populumq; Romanum, ingensq; terror inuaſit, extincto, in quem unum ſpes omnes ſuas collocauerant. Neq; enim illos prætcribat, nemini iam parſurum Maximinum, cùm ſponte alienum ab ipſis, atque hoſtili animo, tum iuſtis etiam cauſis, & profeſſo quaſi odio ſuccenſentem. Itaque frequentes in unum conuenere, ac de toto negotio deliberantes, quando ſemel in periculum uenerant, bellum comparare decreuerunt, duobus electis imperatoribus, qui Rempublicam pari poteſtate adminiſtrarent, ne rurſus principatus autoritas in tyrannidem proueheretur. Conuenerunt igitur non quidem in curiam, quò antea conſueuerant, ſed in templum Capitolini Iouis, quod in arce ſumma præcipuæ uenerationis Romani habent, ibi clauſis foribus ſoli quaſi teſte & cõſeſſore, atq; adeò rerũ omniũ inſpectore deo, ſelectis, qui ætate ac dignitate cæteros anteirẽt, de quibus ſuffragia ferrentur, duo ex omni numero, Maximus atq; Albinus plurimis ſuffragantibus imperatores creati. Horum Maximus cùm ſæpe exercitibus præfuerat, tum pręfectura urbi egregiè geſta maximã ingenij prouidẽtiæq;, præterea uitæ continentis opinionẽ uulgo de ſe præbuerat. Albinus aũt patricij generis homo, cõſulatu iterũ geſto, multiſq; prouincijs ſine ulla querela adminiſtratis, morũ ſimplicior habebat. Ita creati principes, Auguſtiq; appellati, ac Senatuſconſulto omnib. imperatorijs honoribus affecti ſunt. Dum hęc aguntur in Capitolio, interea pop. Rom. incertũ ſubijcientibus Gordiani amicis, ac neceſſarijs, an tantũ rumoribus exciti, facto ad portas concurſu, uiam qua itur in Capitoliũ, totam conferta multitudine occupauerant, lapideſq; & fuſtes ingerentes, rebus in Capitolio actis aduerſabantur, ac Maximum inprimis recuſantes, ſeueriorẽ quàm ut eum lenis multitudo facilè pateretur. Quapropter eo maximè offendebantur, clamantes identidẽ, ac minitantes utrunq; ſe confeſtim occiſuros. Nam ipſi ex Gordiani genere principẽ ſibi depoſcebant, ut in familia, nomineq; eo nomen imperatoriũ remaneret. Albinus aũt, ac Maximus equeſtris ordinis iuuentute, atq; urbanis militibus cum gladijs undiq; ſtipati, egredi Capitolio conabant, ſed lapidibus ac fuſtibus coerciti, donec ſubijciente neſcio quo, ad hunc modum populo impoſuerunt. Erat puer quidam infans adhuc ex Gordiani filia natus, nomen aui referens. Hunc igitur ſubmiſſis quibuſdam afferri ad ſe iuſſerunt. Qui cùm domi eum ludibundum offendiſſent, impoſitum in humeros per mediam ferebant multitudinem, plebi oſtentantes, ac nepotulum Gordiani dictitantes, uocantes'que eum nominatim, quoad in Capitolium pertulcrũt,

populo ſubinde acclamante, & conſpergente puerum frondibus. Cum itaq; Se-
natus Cæſarem illũ declaraſſet, quando adhuc per ætatem rempub. gerere nõ po-
terat, & iræ multitudinis reſederant, paſſi uidelicet ſunt in aulam palatinam ſenes
imperatores cõmigrare. Sed incidit per eos dies ciuitati Rom. funeſta calamitas,
orta de nimia duorum ſenatorũ audacia. Nam cùm Senatus haberetur de publi-
cis negotijs, duo ex militibus Maximini, quos in caſtris reliquerat, emeritæ iam
ætatis, ad fores curiæ acceſſerunt, exploratũ quæ gererentur, inermes uidelicet,
tantumq; ſubarmalibus, & ſagis induti. Conſtiterant aũt pariter cum reliqua mul
titudine, ſed cæteris ante fores præſtolantibus, duo, tres'ue ad ſummã curioſiores
audiendi, curiam ingreſſi, ſic ut ultra aram quoq; Victoriæ penetrarent. Hic Se-
nator quidam depoſito nuper conſulatu, Gallicanus nomine, ac genere Cartha-
ginienſis, alterq; item prætorius Mecœnas, nihil tale expectãtes milites, manuſq;
adhuc ſub ſagulis habentes, repentè adactis in corda pugionibus interficiunt.
Etenim omnis Senatus ob recentem ſeditionẽ, tumultumq; ſuperiorẽ, alij propa
làm, pars clanculũ gladios gerebant, quibus ſuam quiſq; ſalutem ab inimicorum
inſidijs tuerẽtur. Ita cęſi milites, quòd ſe deimprouiſo defendere haud quiuerant,
proſtrati ante altaria iacebant. Quo uiſo cæteri confeſtim expauefacti cõmilito-
num interitu, ſimul populi concurſum formidantes, quòd erant inermes, fugam
arripuere. Cæterùm Gallicanus raptim ſe curia in mediã multitudinẽ proripiens,
gladiumq; & manũ ſtillantem ſanguine oſtentans, ad perſequendos occidẽdoſq;
Senatus populiq; Romani hoſtes, amicos ſocioſq; Maximini uulgus adhortaba
tur. Quibus rebus inducta plebs, Gallicanũ fauſtis excipit acclamationibus, mili
teſq; lapidibus inceſſit, quatenus licuit perſecuta. Cæterùm cum ſe illi in caſtra re
cepiſſent, paucis tantummodo uulneratis, clauſis portis, armiſq; arreptis, caſtro-
rum mœnia defenſabant. Verùm Gallicanus (quando ſemel tantũ facinus auſus
fuerat) bellum protinus ciuile, atq; omnibus pernicioſum ſuſcitauit. Quippe iuſ-
ſis effringi publicis armamentarijs, in quibus pompæ magis inſtrumenta, q̃ belli
aſſeruabantur, unde ſibi quiſq; munimentũ corporis accõmodaret, apertiſq; item
gladiatorũ ludis, atq; unoquoq; proprijs armis ornato, præterea cunctis, quęcũq;
intra domos aut officinas eſſent, haſtis, gladijs ac ſecurib. direptis, cùm quicquid
occurrerat, furor in arma conuerteret, ſtatim omnes conferti, conglobatiq; ad ca
ſtra contenderunt, ac uelut urbem aliquam expugnaturi, murũ ipſum portaſq; cir
cumſederunt. Cęterùm milites, utpote pugnandi peritiſſimi, pinnis ſeſe murorũ,
clypeiſq; protegentes, ſagittarũ iactu crebrò ac prælongis contis multitudinem
repellebant. Poſtremò cùm iam defatigato populo, ſaucijſq; magna ex parte gla-
diatoribus, atq; in ueſperam uergente die, regredi in urbẽ decreuiſſent, cõſpicati
milites ſecuritatẽ abeuntium (quippe minimè auſuros putabant Romani, adeò
paucos aduerſus tantam multitudinẽ, caſtris eruptionẽ facere) cõfeſtim uniuerſi
ſeſe portis patẽtibus in uulgus illud hominũ concitauere. Ibi gladiatores ad unũ
cæſi, magnaq; pars populi colliſa. Quo facto, cũ haud procul caſtris receſſiſſent,
rurſum ſeſe intra munimẽta receperunt. Hinc igitur maior Senatui populoq; Ro
mano indignatio oborta: quare duces ex Italia omni probatiſſimũ quemq; dele-
gerunt, iuuentutemq; omnẽ collectam in unũ, ſubitarijs armis, ac tumultuarijs a-
dornarunt. Horum potiſſimam partẽ ſecum Maximus eduxit, ut aduerſus Maxi
minum præliaretur, reliqui ad urbis cuſtodiam tutelamq; relicti. Interea quotidie
ad muros caſtrorũ dimicabatur, ſed profectu nullo, defenſantibus ſupernè militi-
bus, ictamq; & ſauciam multitudinẽ fœdè repellẽtibus. At Balbinus domi ſe con
tinens, populo per edictũ ſupplicabat, ut in gratiam cum militib. rediret, quibus
etiam

etiam omnium quæ patrauerāt, obliuionem atq; impunitatem pollicebatur. Sed neutris id perſuaſum, gliſcente in dies malo, ac populo indignante, q; tanta multitudo tam paucis contemptui foret, contrà militibus ęgerrimè ferentibus, ea ſe à Romanis paſſos, quæ uix unquam à Barbaris expectaſſent. Poſtremò quādo op pugnatio parum procedebat, uiſum ducibus interuertere omneis riuos, qui in caſtra peruenirent, ut milites aquarum penuria, ſitiq; conficerent. Igitur abſcindendo obſtruendoq; cunctos è caſtris aquarum riuos auertebant. Sed enim intellecto periculo milites, ac rebus deſperatis, erumpunt uniuerſi patentib. portis, congreſſiq; multitudinem fugientem in urbem uſq; perſequuntur. Sed ubi iam ſtatario illo certamine, plebs inferior intra domos ſe receperat, ac tegularū, lapidumq; & teſtarum iactibus deſuper urgere cœperat milites, haud auſi illi ignota ædificia ſubire, clauſis etiam domibus, & tabernis, ignem ianuis ac ligneis ædificiorū proiecturis, quales in urbe plurimæ ſunt ilicò admouerunt. Quo factū eſt, ut partim crebritate inſularū, partim lignea materia bona pars urbis conflagrauerit, multiq; ex opulentis pauperes facti, maximis atq; egregijs amiſſis poſſeſſiōibus, uel prouentu uberrimis, uel ſplendore ipſo, & uarietate pretioſis. Neq; uerò pauci extincti mortales, quòd ianuis igne occupatis, proripere ſe domo copia nō fuerat: bonaq; diuitum direpta penitus, immiſcente ſe militibus ſtudio rapiendi facinoroſiſſimo quoq; & tenui plebecula. Sed adeò peruagatum longè lateq; incendium eſt, ut plus multo cōſumpſerit, q̄ quantum ſpacij maxima quæq; urbs ædificijs occupet. Dum hæc Romæ geruntur, interea Maximinus confecto itinere Italiā attigerat, ac ſacrificato ad aras, quæ in finib. ipſis erectæ ſunt, pergit iter facere, iuſſis arma tenere, atq; inſtructa acie progredi militibus. Sed cum & Africæ defectionem, & Romæ bellum ciuile, prætereaq; res à Maximino geſtas, iterq; eius hactenus conſcripſerimus, reliqua deinceps explicabuntur.

LIBER OCTAVVS.

QVAE poſt interitum Gordiani geſſerit Maximinus, iterq; eius in Italiā, prætereaq; Africæ defectionem, & in urbe ipſa populi ac militum ſeditiones, ſuperiore uolumine receſuimus. Enimuerò Maximinus poſtquā ad Italiæ fines peruenit, præmiſſis exploratoribus, qui ſpecularentur, anſ ullæ in alpium conuallibus, & denſiſſimis ſyluis inſidiæ deliteſcerent, ipſe in planum deductis militibus, iubet armatorū acies quadrato agmine incedere, ut ab ijs q̄ plurimum campi occuparetur, cunctiſq; in mediū coactis impedimentis, ipſe cum ſuis ſtipatoribus ueluti ſubſidio ſequebatur, alis utrinq; diſcurrentibus cataphractorū equitum, Mauriſq; iaculatoribus, ſagittarijſq; ex Oriente, & equitatu Germanorū, quos auxiliares aſciuerat, quoſq; etiam præcipuè opponere hoſtibus conſueuerat, ut primos uidelicet impetus exciperent, feroces audaceſq; initio pugnæ uiri, ſimul ut (ſi in diſcrimen ueniretur) uilis potiſſimùm Barbaria illa periclitaretur. Sed ubi totam planiciem ſeruatis ordinibus tranſmiſerūt, ad Italiæ urbem peruentum eſt, quæ Ema à cultoribus uocatur. Ea ſita eſt in extrema planicie ad alpium radices, ubi ſpeculatores atq; exploratores exercitus, narrant Maximino, uacuam relictam urbem, aufugiſſe omnes incolas, templorum etiam ac domorum ianuis incendio cōſumptis, atq; omnibus quæ uel in urbe uel in agris fuerant exportatis, aut igni corruptis, nihil aut iumentis aut hominib. alimentorum relictum. Quæ res grata in primis Maximino fuit, quod idem ceteros quoq; populos ſuo quemque metu facturos arbitrabatur, contrà milites indignè

tulerunt, quòd initio ſtatim fame laborarent. Cumq; noctem exegiſſent, partim intra patentes, cõmunesq; omnibus domos, partim in planicie ipſa, ſtatim ſole oriente, ad alpes acceſſerunt. Hi ſunt longiſſimi quidam montes, uice murorum Italiæ circundati, adeò in altum editi, ut etiam ſuperare nubes uideantur, ita'que in longum porrecti, ut uniuerſam Italiam comprehendant, lęua ad Tyrrhenum pelagus, dextra ad Ionium uſq; pertingentes, denſis ubiq; nemoribus inſeſſi, atq; anguſtiſſimis callibus, & rupium prærupta altitudine, ſcopulorumq; aſperitate uix peruij, nonnullis tamen quaſi ſemitis magno ueterum Italorum labore manu factis. Quapropter ingens tranſiturum illac exercitum formido tenebat, ſperãtem ſumma iuga teneri iam ab hoſte, nullosq; non obſtructos exitus ad ſe prohibendos. Neq; is metus de nihilo erat, locorum naturam contemplantibus. Poſtea uerò quàm ſine ullo impedimento, ſuperatis alpibus in caſtra deſcenderant, lęti ſcilicet omnes inſtauratis animis uitulabantur, nihilq; non ſibi ex ſententia ceſſurũ Maximinus arbitrabatur, ne locorum quidem difficultati fidentibus Italis, intra quos latitare ipſi, & ſaluti ſuæ conſulere, prætereaq; inſidiari hoſtibus, ac locis ſupernè imminentibus pugnam capeſſere potuiſſent. Sed ubi planiciem attigerũt, nuntiant exploratores maximam Italiæ urbem Aquileiam portas occluſiſſe, Pannoniarum acies quæ pręiuerant, acriter murum oppugnaſſe. Cęterùm tentata re, ſæpe omnes incaſſum conatus euaſiſſe. Itaq; iam defatigatos recedere, lapidibus ſcilicet, & haſtis, magnaq; ſagittarum ui deſuper ingruẽtibus. At Maximinus iratus Pannonijs, quaſi parum impigrè præliatis, ipſe cum exercitu reliquo accelerabat, ſperans nullo negotio ſe illius urbis potiturum. Sed Aquileia prius quoque (ut erat ingens urbis eius magnitudo) populo abundabat, & uelut Italiæ quoddã emporium ad mare ſita, quaſiq; terminus Illyriæ, copiam rerum è continenti per terram fluuiosq; conuectam nauigantib. ſuggerebat, & ab ipſo mari res ad uſum eorum, qui continentem colunt, neceſſarias uidelicet ſuperioribus terris propter hyemis aſperitatem minus feracibus, maximè tamen uinum, cuius in ipſa regione maximus prouentus eſt, uicinis gentibus ne uitem quidem habentibus, affatim ſuppeditabat. Ex quo factum uti ſuper ciuium ingentem numerũ, etiam magna uis hoſpitum ac mercatorum eam urbem frequẽtaret. Enimuerò tunc etiam aucta multitudo confluentibus illuc ex agris quicunq; oppidulis, uiciſq; circà relictis, fidebant urbis magnitudini, ac uetuſtis mœnibus dirutis quidem antea magna ex parte. Quippe in tanta Romanorum potentia, neque murorum, neque armorum Italiæ ciuitates indigebant, pacem altiſſimam agitantes, atque in participatum Reipublicæ adſcitæ. Sed tunc urgente uidelicet neceſſitate, renouatis inſtauratis'que mœnibus, præterea turribus ac propugnaculis excitatis, tota'que urbe ad eum modum communita, clauſis'que portis, noctem diem'que uniuerſi pro muro ſtantes, hoſtem fortiſſimè propulſabant. Duces erant ſumma poteſtate duo conſulares uiri lecti à Senatu, Criſpinus ac Menephilus. Hi maxima diligentia procurauerant, uti neceſſaria quæque in urbem importarentur, ſic ut diuturnior quoque ſuſtineri oppugnatio potuerit. Erat item in urbe magna aquarum abundantia, partim ex puteis ſanè frequentibus, partim è fluuio muros præterfluente, ac pariter foſſæ obiectus, & aquarum præbente copiam. His ita intra urbem comparatis, ut primùm defendi muros diligenter, clauſas'que portas Maximinus audiuit, decreuit mittere legatorum ſpecie, qui illos alloquerentur, ac ſi poſſent, reſerari ſibi portas perſuaderent. Habebat autem in exercitu tribunũ quendam Aquileiæ ciuem, cuius nati atque uxor, præterea familia omnis in urbe erant concluſi. Quare eum, Centuriones'que nonnullos quaſi oratores mittit,

ſperans

ſperans facilè illius autoritatē municipes ſecuturos : qui ubi muro appropinqua-
runt, in hanc ſententiam uerba faciunt : Iubere cōmunem imperatorē pacem de-
poſitis armis colere, ſeq; amicum pro hoſte accipere, ſacriſq; faciundis uacare, q̃
cædibus, miſerari patriam paulo pòſt (ſi obſtinati perſtiterint) ruituram, licere ip-
ſis (ſi uelint) una opera ſibi quemq;, & ſaluti patriæ cōſulere : quippe obliuionem
ueniamq; omnium quæ fecerint, optimum principem polliceri, quando nihil ip-
ſorum, ſed omnia forent aliena culpa contracta. Talia quædam ſub muro legati
magna uoce pronunciabant, ſic ut facilè exaudiri, ſi non planè ab omnibus, certè
ab ea multitudine poſſent, quæcunq; ſupra muros turreſq; conſtiterat. Etenim ta
citi omnes legatorum dictis aures dediderant. Quare metuens Criſpinus, ne pol
licitationibus illis, quæ uulgi inconſtantia eſt, ad mutandum pace bellū, reſeran-
daſq; hoſti portas impellerentur, diſcurſans ipſe per muros rogare, obteſtariq; ſin
gulos, uti audacter manerent, fortiterq; reſiſterent, neq; fidem proderēt, Senatui
debitam, populoq; Rom. né ue titulum ſeruatæ ac propugnatę Italiæ totius aſper
narentur, neu promiſſis crederent periuri, fraudulentiq; tyranni, né ue item beni
gna oratione ineſcati ruerent in manifeſtam perniciem, ſed confiderent belli for-
tunæ, ita plerunq; dubiæ, atq; ancipiti, ut magnus interim numerus à pauciſſimis
& qui potentiores creduntur, ab ijs qui imbecilliores habeantur, uicti ſuperatiq;
ſint, né ue utiq; expaueſcerent exercitus illius magnitudinem. Nam qui pro alte-
ro dimicant, cum ſuæ uictoriæ felicitatem ad alios uideant migraturā, minus pro-
fectò acriter decertant : quippe qui intelligant ſe quidem in periculi participatū
admitti, cæterū extremos uictoriæ fructus ad alium peruenturos: Qui autem pro
patria pugnant, præterquàm quòd ſpe meliore eſſe debent (neq; enim aliena oc-
cupare, ſed tueri ſua contendunt) etiam animo ſunt maiore, ut quos nō alienum
imperium, ſed ſua quemq; neceſſitas adigat, quoniam ſcilicet uictorię fructus ip-
ſis potiſſimùm debeantur. Talia quędam nunc ſingulis, nunc uniuerſis ingerens
Criſpinus, homo ſuapte natura uenerabilis, ac Romana facūdia pollens, prętere a
gratus omnibus, miti modeſtoq; imperio perſuaſit multitudini, ut in officio fidé-
que permanerent, iuſſitq; legatos rebus infectis ad Maximinum reuerti. Diceba
tur autem Criſpinus ad bellum ſic audacter ſuſtinendum, etiam aruſpicū reſpon-
ſo, qui læta exta nuntiarent, animatus: etenim magnopere fidem huiuſcemodi ſi-
gnis habere Itali conſueuerunt. Cæterùm nonnulla quoq; oracula ferebantur, pa
trij cuiuſdam numinis, uictoriam promittētia: Belem uocant indigenæ, magna q;
cum religione colunt, Apollinem interpretantes, cuius etiam ſpeciem pro urbe
ipſa pugnantem, quidam è militibus Maximini uiſam ſibi in cœlo affirmabant.
Quod utrum ſic eſſe nonnulli putauerint, an id commentum placuerit, ad leuan-
dam infamiam tanti exercitus, qui bello impar foret aduerſus minorē multo nu-
merum oppidanorum, ut ſcilicet uicti potius à dijs, quàm ab hominibus uideren
tur, haud ſanè ſatis exploratum habeo. Cæterùm nouitas euentus cuncta credibi
liora facit. Poſtea uerò quàm infecto negotio legati reuerterunt, ira & furore in-
ſtinctus Maximinus, magis magiſq; accelerabat. Vt autem ad fluuium peruenit,
qui ad lapidem duodecimū procul eſt ab urbe, inuenit ipſum maxima aluei pro-
funditate, ac latitudine defluentem. Etenim anni tempore ſolutæ uicinorū mon-
tium niues, quas longa hyems durauerat, maximum torrentem effecerant : ſic ut
nullo pacto tranſire exercitus poſſet. Nam pontem, quod opus magnum atque
pulcherrimum ueteres imperatores lapide quadrato conſtruxerant, pylis ueluti
quibuſdam paruis ſenſim creſcentibus, ruperant ac reſoluerant Aquilcienſes. Ita
cū neq; ponte neq; nauigijs (quippe nulla ſuppeditabant) tranſire exercitus poſ-

ſet,ſubſtitit incertus conſilij.Sed enim Germani aliquot ignari, quam rapido ab-
ruptoꝗ impetu Italiæ flumina deferantur,ratiꝗ ſenſim influere campos,quemad
modum apud ipſos conſueuerunt(unde etiã quia minimũ ſe concitant, perfacilè
congelaſcunt)auſi ſeꝗ & equos natandi peritos alueo credere, ui fluminis ablati
perierunt.Igitur cum biduum aut triduũ in tentorijs fuiſſet Maximinus,ducta cir
cum exercitum foſſa,ne qui deimprouiſo in caſtra ruerent, ſtabat in ſua ripa deli-
berabundus,quo'nam tandem pacto fluuium ponte iungeret.Sed magna ligno-
rum ac nauigiorũ penuria,quibus inter ſe iunctis pontem fabricaretur, nunciarũt
quidam è fabris,eſſe permultas in agris illis deſertis inanes cupas forma rotunda,
quibus uidelicet incolæ quondam ad uinũ importandũ utebantur, ea cum eſſent
ad nauium ſimilitudinẽ concaua,deuincta mox inter ſeſe ſcapharum more,inna-
tatura uidebanẽ.Etenim ire peſſum uinculis inter ſe conſtricta, ac uiminibus de-
ſuper iniectis,& puluere multo ſaburrata nõ poterant. Quod ubi factum eſt,faci-
lè milites in ulteriorem ripam tranſgreſſi,ſuburbanis ædificijs, quæ deſerta inue-
nerunt,igne correptis,uites arboresꝗ exciderunt, omnemꝗ eius regionis orna-
tum fœdauerunt. Siquidẽ arborum cõparibus ordinibus, ac uitibus inter ſe iun-
ctis,& in ſublime euectis,ad feſtæ celebritatis ſpeciem, quaſi coronis quibuſdam
redimita omnis regio uidebatur,quibus radicitus exciſis,exercitus ad ipſos urbis
muros contendebat.Sed omnibus defatigatis,non fuit imperatoris conſilium,ur
bem ipſam ſtatim inuadere. Sed extra teli iactum cõſtituto milite,diuiſoꝗ in cen-
turias & cuneos, ac partibus muri totius unicuiꝗ attributis, uno tantũ die ad re-
quieſcendũ indulto,ſtatim deinde oppugnare urbẽ aggreditur. Igitur machina-
mentis omnifariam admotis,cùm genus oppugnationis nullũ prætermitteretur,
plurima ſcilicet,ac propemodũ quotidiana certamina edebanẽ. Etenim circunda
tis uelut indagine quadã muris,magnaꝗ ui atꝗ alacritate pugnã capeſſente mili-
te,reſiſtebant audacter Aquileienſes,clauſiſꝗ templis & domibus, uniuerſi cum
liberis & coniugibus urbẽ deſuper è turrib.ac propugnaculis defenſabant. Neꝗ
erat ulla tam inutilis ætas,quæ pugnare pro patria recuſaret.Cęterùm ſuburbana
omnia,& quicquid extra urbẽ ædificiorum fuerat demolitus Maximinus, lignis
materiaꝗ omni ad machinas abutebatur,quibus muri ſaltẽ aliquam partẽ demo-
liretur,qua immiſſus exercitus diriperet urbem, ac dirueret, totamꝗ eam uaſtam
mox,deſertamꝗ relinqueret.Neꝗ enim decorũ ſibi, aut honorificũ fore iter Ro
mam arbitrabaẽ,niſi urbẽ deleuiſſet,quę prima in Italia obſtitiſſet.Quocirca mul
ta pollicentes atꝗ oſtentantes ipſe cum filio,quem Cæſarẽ fecerat,obequitabant
militibus, eosꝗ ad pugnandũ acriter adhortabanẽ. Enimuero Aquileienſes ſaxa
deſuper iaciebant,ſulphurꝗ bitumine ac pice mixtũ dolijs,quorũ manubria lon-
giora immittebãt, atꝗ ut primũ exercitus muris ſucceſſerat, ignibus iniectis diſ-
pergebant unanimiter imbriũ ritu. Quamobrẽ pix illa cũ cæteris, quæ ſuprà dixi-
mus, partes nudas corporis ſubiens, undiꝗ diffundebaẽ, ſic ut miles loricas,ar-
maꝗ cætera ferro excandeſcente,corijsꝗ ac lignis ardentibus, contrahentibusꝗ
ſe raptim abijceret.Itaꝗ cernere erat milites arma ſibi ipſos detrahentes,quæ ſpo
liorũ ſpeciem abiecta humi,cõmento magis artis ꝙ ui pugnantium præferebant.
Ex quo factũ eſt,ut pleriſꝗ militibus aut oculi extinguerenẽ, aut ſummæ oris par
tes,manusꝗ item,& ſi qua præterea nuda in corpore patebãt, ignibus labefacta-
rentur.Sed & machinis quæ muro admouebantur,deſuper tædas inijciebãt,pice
ac reſina oblitas,quarũ extremitas mucronẽ ueluti ſagittæ haberet, quæ cùm ac-
cenſæ deferebanẽ,infixæ inhærentesꝗ machinis,facilè ſcilicet illas cõcremabant.
Sed primis ſanè diebus par utrinꝗ librata fuit pugnę fortuna.Dein mora iniecta,
minus

minus minuſq; iam alacer Maximini erat exercitus, ſed quia ſpe falſus, triſtiorq; in dies: nam quos ne unum quidem diem ſperauerant ſuum laturos impetum, eos non modò non cedentes, ſed reſiſtentes etiam audaciſſimè animaduertebant. Contrà Aquileienſes magis magisq; in dies uirium atq; animorum implebantur, & aſſiduitate pugnandi peritiam pariter audaciamq; conſecuti, ſic deſpiciebant milites, ut etiam iocarentur in eos, & cauillarentur, nihilq; non cōtumeliæ obeuntí muros Maximino exprobrarent, tum in ipſum iuxtà filiumq; nulla non iacerēt probra. Quibus irritatus, ac furens, cum effundere in hoſtes iram non liceret, plurimos è ſuis ducibus, quaſi parum ſtrenuè atq; acriter urbem oppugnarent, extremo ſupplicio affecit. Quo factum, ut infeſtiorem ſibi atq; iratiorem militem reddiderit, & contēptibilior fieret aduerſarijs. Euenit præterea, ut Aquileienſes commeatu rebusq; cæteris abundarent: quoniam magna diligentia quæcunq; ad homines aut equos ſuſtentandos deſiderantur, in urbē fuerant comportata. Contrà exercitus omniū rerū egenus, exciſis feracib. arboribus, agroq; omni peruaſtato, partim ſub tumultuarijs tentorijs agitabāt, partim ſub aperto cœlo tolerabāt ſolē atq; imbres. Siquidem nihil alimēti, uel ipſis, uel iumentis importabatur, obſeſſis omnibus Italiç itineribus Romanorum diligentia, murisq; & portis excitatis. Etenim uiros conſulares cum lectiſſimis ac ſpectatiſſimis hominibus ex Italia tota miſerat Senatus, qui littora portusq; tutarentur, neq; cuiquā poteſtatem facerent nauigandi, ſic ut inaudita incognitaq; forent Maximino, quæcunq; Romæ agitabantur. Quin uiæ quoq; omnes, & calles, ne quis tranſiret, diligētiſſimè ſeruabantur. Ita eueniebat, ut exercitus qui urbē obſidebat, ipſe inuicem obſideret. Nam neq; Aquileiam capere, neq; Romam proficiſci poterat, nauigiorum ac uehiculorum penuria, quæ omnia prius occupata & concluſa fuerant. Rumores quoq; ſuſpicionibus in maius augebantur, eſſe uniuerſum in armis Romanum populū, conſenſiſſe Italiam, genteſq; omnes Illyricas, Barbaraſq; quaſcunq; aut Oriens, aut Meridies uidet, ad exercitum contrahendum, coniuratas in Maximini odiū. Quare deſperantes milites, omnium rerum penuria laborabant, uixq; aquæ ſatis habebāt, quam etiam pollutā ſanguine, & cædibus de flumine hauriebant. Nam & Aquileienſes cadauera ſuorum, quæ humari non poterant, in flumina præcipitabant, & qui ferro morboq; in exercitu perierant, itidem alueo demergebantur. Inter quos etiā qui inopia ciborum cōfecti, uix adhuc ſpiritum retentabant. Cùm igitur ad hunc modum mœſtus atq; inops exercitus eſſet, repentè dum ſub tentorio quieſcit Maximinus uacuo die à pugna, cum plerīq; aut in tabernacula, aut in ſuas quiſq; ſtationes conceſſiſſent, uiſum eſt militibus ijs, quorum ad urbem Romam ſub monte Albano caſtra erant, atq; in his liberi eorum, coniugeſq; relictę, neci dedere Maximinum, ut aliquando à diuturna & inexplicabili obſidione requieſcerent, neq; Italiæ bellum inferrent in tyranni gratiam, damnati omnibus, & inuiſi. Quocirca occupata audacia, ſub mediū fermè diem ad illius tentoriū contendunt, conſpirantibus unà corporis cuſtodibus. Ibiq; poſtquàm de ſignis militaribus illius imagines detraxerunt, prodeuntem mox tentorio, cum filio, ut ad eos loquerentur, continuò obtruncant, unàq; præfectum prætorio, & quoſcunq; chariſſimos ille habuerat. Proiectaq; ad ludibrium cadauera, canibus dein, uolucribusq; lanianda reliquerunt, miſſis tantùm Romam imperatorum capitibus. Hunc habuit finē Maximinus cum filio. Ita malè geſti imperij dedere ambo ſupplicium. Cæterùm exercitus hærebat nece audita principum. Neq; enim perinde omnibus grata, præſertimq; Pannonijs, Thracibusq; Barbaris, qui ſcilicet imperium tradiderant. Sed quando infectum fieri iam nequibat, ferebant, quanquam

inuiti,& ſe gaudere cum cæteris ſimulabant.Quare depoſitis armis,pacatorũ habitu,ad Aquileiæ muros acceſſerunt,nuntiataq; cæde Maximini, petebãt uti ſibi portæ aperirentur amicis iam,qui pridie hoſtes fuiſſent.Enim uero Aquileienſiũ duces haud paſſi,proponunt Maximi, & Albini,ac Gordiani Cæſaris imagines, coronis & lauro redimitas. Quibus ipſi acclamantes etiam hortabantur exercitum,ut agnoſcerent ſalutarentq;, & lætis exciperent uocibus, quos Senatus populusq; Romanus imperatores elegiſſet. Nam Gordianos illos ſuperiores, cum dijs agere æuum. Sed & forum rerum uenalium ſupra muros expoſuerũt, magna ciborum uiniq; copia,prætereaq; ueſtium & calceorum, rerumq; adeò omnium, quas præbere hominibus poſſet ciuitas beata & florens. Igitur magis magisq; ea res exercitum obſtupefecit, cogitantem fuiſſe illis abunde omnia, etiam ad longiorem obſidionem ſuffectura, contraq; ſe magna egeſtate omniũ, prius aliquan to perituros,quàm urbe omnibus circumfluente copijs potirentur. Ita manente ſub muris exercitu, & quæ cuiq; uſui forent, inde ſumentibus colloquentibusq; inter ſe,pacis erant amicitię que uelut habitus manente adhuc obſidionis ſpecie, cum ſcilicet clauſa mœnia Romanus circũſideret exercitus. Dum hæc ad Aquileiam geruntur, interea equites, qui Maximini caput Romam ferebant, magno ſtudio accelerantes,patentibus ubiq; portis,ac laureata populariũ frequentia excepti,ſtagnis paludibusq; inter Altinum ac Rauennam enauigatis,Maximum in urbe Rauenna inuenerunt, delectos ex urbe & Italia contrahentem milites, ac Germanorum auxiliares, qui beneuolentiæ nomine publicè à popularibus miſſi fuerant,quibus olim Maximus cum imperio diligentiſſimè præfuerat. Ergo paranti copias aduerſus Maximinũ repentè occurrunt equites capita ferentes principum,uictoriamq; nuntiantes,& rerum proſperos ſucceſſus,conſenſumq; exercitus et populi,ad eoſdem colendos principes,quos Senatus elegiſſet.His igitur præter ſpem nuntiatis, ſtatim ad aras ſacrificatum diſcurritur,uictoriam canentibus uniuerſis,quam citra pulueris iactum ſibi pepererant. Enimuero Maximus peracto ſacrificio,Romam dimittit equites,ut rem geſtam populo narrent,& capita illa perferant. Qui poſtquàm peruenere in urbem, atq; infixa contis hoſtilia capita omnibus conſpicienda prætulerunt,nemo utiq; uerbis ullis conſequi poſſet feſtum,lætitiamq; eius diei.Nulla quippe fuit ætas, quæ non ad aras & templa feſtinaret, nemo qui domi ſe continuerit, ſed ibant ceu lymphati gratantes inuicem, atq; in circum ueluti futura concione frequentes concurrebant. Ipſeq; Albinus hecatombas immolabat,nulliq; non magiſtratus, nulli non è Senatorio or dine lætabundi ſuprà quàm dici poſſet,agitabant,quaſi ſecurim ceruicibus imminentem excuſſiſſent.Igitur nuntij legatiq; per omnes prouincias laureati dimittebantur. Dumq; ad hunc modum tanta Romanum populum lætitia tenebat, interea Maximus Rauenna profectus Aquileiam peruenit, tranſmiſſis paludibus, in quas fluuius Eridanus, ac uicina exundãt ſtagna, ſic ut per ora ſeptem in mare præcipitentur. Itaq; indigenæ patria lingua paludem illam ſeptem maria appellant.Statim igitur Aquileienſes Maximum reſeratis portis excepere, nullæq; nõ Italiæ ciuitates legatos mittebãt principes uiros candidatos,ac laureatos,& deorum patriorum ſimulacra aureaſq; coronas,ſi quæ in donarijs fuerant, cõportantes: qui fauſta omnia Maximo acclamarent, & frondibus eum conſpergerent. Quin exercitus etiam qui Aquileiam circumſederat, pacato habitu prodibat laureatus,non tam uero concordiq; affectu uniuerſorum, quàm ficta beneuolentia, & honore temporario ad præſentem fortunam principis accommodato. Pleriſq; tamen indignantibus ac dolentibus clanculũ,quem ipſi elegerant cecidiſſe, rerũ potiri

potiri quem Senatus creauerat. Enimuero Maximus uno alteroque die ſacrificijs abſumpto, tertio dein exercitum omnem in planiciem conuocauit, atque ex tribunali ad hunc modum uerba fecit:

QVàm fuerit ex uſu uobis pœnitentia, & reconciliata cum Romanis gratia, re ipſa didiciſtis, pacem uidelicet pro bello agitantes, ſeruato etiam militari iureiurando, quod eſt unũ Romani principatus myſterium ſanctiſſimum. Quare debetis etiam deinceps huiuſcemodi cõmodis frui, fidem populo ſeruãtes, ſenatuique Rom. & nobis imperatoribus, quos à nobilitate & rebus geſtis, longaque ſerie generis, quaſi per gradus quoſdam prouectos, pari iudicio S.P.Q.R. elegerũt. Neque enim unius tantùm hominis peculiaris poſſeſſio principatus eſt, ſed cõmunis antiquitus totius Rom. pop. Siquidem in illa urbe ſita eſt imperij fortuna, nobis autem diſpenſatio tantum, atque adminiſtratio principatus unà uobiſcum demandata eſt. Qui ſi ordinem quem decet, ac modeſtiam retinebitis, ſi debitũ principibus honorem ac reuerentiã exhibebitis, cum ipſi beatam uitam bonisque omnibus affluentem adipiſcemini, tum nationes ac ciuitates uniuerſæ pacem colentes in officio permanebunt. Viuetis autem cuncti ex animi ueſtri ſententia domi ſuæ quiſque, neque in externis regionibus conflictabimini. Vt autem Barbaræ gentes pacem quietemque tueantur, nobiſcum erit hic labor. Nam cum duo ſint imperatores, facilius urbanæ res adminiſtrabuntur, atque externæ, præſtò ſcilicet futuro alterutro, quocunque uſus uocauerit. Neque uerò ſuſpicemini rerum ſuperiorũ memoriam ullam ſuperfore, aut in nobis (quippe nihil nõ iuſſi feciſtis) aut in Rom. pop. nationibusque alijs, quæcunque ob acceptas iniurias deſciuerunt. Sit omnium obliuio, ſit fœdus conſtantis amicitiæ, fidesque beneuolentiæ, ac moderationis ſempiternæ. Hæc locutus Maximus, ac pecunias magna copia pollicitus, paucos Aquileiæ cõmoratus dies, Romã reuerti conſtituit. Igitur dimiſſo exercitu reliquo in prouincias, caſtraque propria, Romã reuertitur ipſe, cum ſtipatoribus ijs, quibus imperatorũ cuſtodia incumbebat, quique delecti ab Albino fuerant, neque non auxiliaribus Germanis, quorũ potiſſimũ fidei confidebat, utpote quibus olim nondum adepto imperio cum poteſtate præfuerat. Ingredienti urbem, etiam Albinus occurrit, Gordianũ Cæſarem ſecũ adducens. Senatus aũt populusque uniuerſus lætis acclamatiõibus ueluti triumphantes exceperunt. Poſt id aũt, cum publicè priuatimque magna modeſtia & grauitate imperiũ gubernaretur, omnesque omnia bona dicerent, lætareturque populus, & gloriaretur patricijs imperioque dignis principibus, militum tamen ulceroſi animi populares illas acclamationes haud æquis auribus accipiebant, ipſamque illam nobilitatem grauabant, indignè ferentes, datos ſibi à Senatu principes. Angebant præterea eos Germani, quos in urbe ſecũ Maximus retinuerat. Nam futuros uindices ſperabant, ſi quid ipſi maius auſi forent, etiamque inſidias ſuſpectabant, ne fortè ab illis per fraudem exarmarẽtur, memores Seueri principis, qui etiã Pertinacis interfectores exautorauerat. Cùm itaque ludi Capitolini celebrarent, deditis feſto ac ſpectaculis omniũ mentibus, repentè diſſimulatum diu ſenſum milites indicarunt. Namque ira inſtincti, ac ueſano quodã motu unanimiter ad regiã concurrentes, ſenes principes ad necẽ depoſcebant. Fortè accidit, ut ne ipſi quidẽ inter ſe ſatis cõgruerent. Sed (ut eſt regnandi inexhauſta auiditas, atque incõmunicabilis natura poteſtatis) uterque ad ſe ſummam imperij trahebat. Etenim Albino claritudo natalium, atque iterum geſtus Conſulatus, Maximo autem præfectura urbi, & quòd rerum peritus habebatur, animos faciebant: utrunque tamen patricia nobilitas, & quantum ſatis eſſet, illuſtre genus, ad ſummum imperium ſtimulabant. Quæ res in primis ambos perdidit.

Nam audito Maximus ueniſſe ad ſe occidēdum milites qui prætoriani appellantur, arceſſere ſtatim Germanos auxiliares ſtatuerat, qui ſcilicet in urbe ipſa erant, ac poſſe reſiſtere prætorianis uidebantur. At Albinus dolum contra ſe compoſitamq; aliquam ſuſpectans fraudem, quòd ſtudere Maximo Germanos cognouerat, prohibuit acciri illos, negans ad prohibendos repellēdosq; prætorianos conuocari, ſed id agi, ut ſumma rerū ſolus Maximus potiatur. Ac dum inter ſe ad hūc modum diſceptant, ecce tibi unanimiter milites impetu in aulam facto, turbatis ianuarum cuſtodibus, ſenem corripiunt utrunq;, laceratisq; ueſtibus quas gerebant, uilioribus ſanè, utpote domi ſe continentiū, nudos ipſos ex aula abſtrahūt, ac per omnem ignominiam contumeliamq; cædentes, irridentesq; ſenatorios imperatores, barbamq; & ſupercilia uellentes, neq; ulli parcentes corporis totius ludibrio, per mediam urbem ad caſtra deducebant, ne occidere quidem illos in regia decreti, ſed lento mortis genere prius excarnificare, quò dolorē diutius perpeterentur. Sed ubi Germanos re deinde cognita, raptis armis in auxilium concurrere nuntiatum prætorianis eſt, ſtatim illos nullo non ludibrio prius affectos contrucidant. Relictisq; in ipſa uia cadaueribus, tollentes in altū manibus Gordianum Cæſarem, quando aliud nihil occurrit, imperatorem conſalutabant. Identidem ad populum uociferantes, iacêre ipſorū manu, quos populus ab initio recuſauerat. Electumq; Gordianum, Gordiani nepotem, quem ipſe Rom. pop. ad imperium cōpuliſſet. Hunc igitur ſecum deducētes coiere in caſtra, clauſisq; portis quieti agitabant. At Germani ubi occiſos profectosq; audierunt, quorū cauſa properauerant, cùm nollent irritum bellum pro uiris uita defunctis ſuſcipere, in ſua diuerſoria reuertuntur. Hunc finem uitæ habuerunt, indignum uidelicet, ac nefarium, ſancti & uenerabiles ſenes, claritudine generis, atq; egregijs meritis ad imperij faſtigium prouecti. Cæterùm Gordianus cùm annorum eſſet fermè tredecim, princeps ab uniuerſis declaratus, Romanum ſuſcepit imperium.

HERODIANI FINIS.

ANGELI POLITIANI AD LAVRENTIVM MEDICEM EPISTOLA.

CAENEA Lapithã eum qui cũ centauris pugnauerit, Laurenti Medices, adeò uulneribus inuiolabilem, teliſq; imperuium fuiſſe ſcribit Pindarus, ut cùm in eum centauri ingentem quandam ſyluarũ molem facto unanimiter impetu congeſſiſſent, recto (ut idẽ inquit) pede terram ſciderit. At uerò Epicterus hic noſter, ea non à Vulcano, ut Achilles atq; Aeneas, ſed à natura ipſa, ac ratione arma accepit, quæ nõ modò ſe à telis & ferro, ſed à metu quoq;, & dolore, cæteriſq; animi perturbationibus tutum inuiolabilemq; pręſtiterint. Bellum quidem hic uir non cum centauris, ut ille, ſed cum fortuna, cumq; opinione acerrimum geſſit. Quas ita ambas fudit atque fugauit, ut eas ex uniuerſa quoq; hominum uita exterminauerit. Qui cum & ſeruus eſſet, & claudus, & Homerico Iro pauperior, haud tamen dubitauit, dijs ſeſe amicum notiſſimo apud Græcos diſticho aſſeuerare. Legerat enim apud Platonem in eo dialogo, qui Alcibiades primus, aut de natura hominis inſcribitur: Eum propriè uerè que hominem eſſe, cuius omnis in rationali animo ſubſtantia exiſteret. Quapropter quicquid extra hunc hominem foret, id ad ſe minimè pertinere arbitratus eſt, neq; id uerbis tantùm, aut libris, ſed uita quoq; ipſa præ ſe tulit. Ita enim ſeſe ab externorum cura auocauit, ut Romæ eius domus, ne ianuam quidem ullam habuerit. Quippe in qua præter uiliſſimum cubile nihil omnino eſſet. Huius de uita ac moribus ingens uolumen, quod tamen olim culpa temporum interijt, Arrianus uir clariſſimus cõſcripſit, eq; eius libris, quaſi florem quendam, qui hunc Platonicum, hoc eſt, uerum hominem in libertatẽ uendicaret, excerpſit, atq; in uolumen redegit: quem quia librum ad manum ſemper habere oporteat, Enchiridion, quo nomine militaris pugiunculus ſignificatur, inſcripſit. Sermo autem in eo omnino efficax eſt, atq; energiæ plenus, & in quo mira ſit ad permouendum uis. Suos enim quiuis affectus in eo agnoſcit: adq; eos emendandos, ceu quodam aculeo excitatur. Omnia uerò ordinem inter ſeſe mirũ habent, omnibusq; ueluti lineis, quamuis in plura id opus capita ſit diſtinctũ, ad excitandum rationalem animum, quaſi ad ipſum centrum cõtendunt: ut is, & ſuæ dignitatis curam habeat, & proprijs actionibus ſecundum naturam utatur. Stylus autẽ qualem res poſtularet, conciſus eſt, dilucidus, quiq; omnem reſpuat ornatum, Pythagoreorumq; præceptis, quas illi Diathecas uocant, quàm ſimilimus. Hoc ego opus cùm Latinum facere aggrederer, ut indulti à te nobis huius tam ſuauis otij rationem aliquam redderẽ, in duo omnino mendoſiſſima exemplaria incidi, pluribusq; locis magna ex parte mutilata. Quapropter cum & cætera quęcunq; uſq; exemplaria extarent, non diſſimilia his eſſe audirẽ, permiſi mihi, ut ſicubi aliqua capita aut deeſſent, aut dimidiata ſuperforent, ea ego de Simplicij uerbis, qui id opus interpretatus eſt, maxima (quantũ in me eſſet) fide ſupplerem. Quòd ſi non uerba ad unguem (id nullo modo fieri poterat) at ſenſum certè ipſum purum ſincerumq; Latinum à nobis redditũ arbitror. Quod ne quempiam fortaſſe perturbet, quemadmodũ Ariſtarchus Homeri uerſus, quos ipſe non probaret, ita nos ſingula ipſa capita, quæ noſtris quidẽ uerbis explicentur, obelo, hoc eſt, ueru iugulauimus. Suffurare igitur Laurenti tuis occupationibus otioſũ aliquod, ſi potes, quod libelli huius lectioni impertias. Id enim diſciplinæ genus in eo eſt, quod ſi rectè perpendas, non cuiq; magis aliorum ꝗ ingentis fortunæ uiris conueniat. Sed quod in toto hoc libello pluribus explicatur, id omne Epictetus duobus his

uerbis

uerbis,quæ etiam frequentiſſimè uſurpabat,comprehendere eſt ſolitus: Suſtine & abſtine.Patriam hic uir Hieropolim Phrygiæ urbem habuit, Romæ Epaphrodito cuidam Neronis familiari ſeruijt.Atq; ad Marci uſq; Antonini tẽpora peruenit.Domitiano autẽ imperante,eius dominatu offenſus, Roma Hieropolim migrauit: ratus uerum eſſe, quod eſt apud Tragicum: Patriam eſſe cuiuſq;, ubi quis rectè ageret. Tanta uerò apud omneis homines eius uitæ admiratio extitit,ut Lucianus Syrus Epicteti lucernam fictilem,tribus drachmarum millibus ob eius autoritatem ueniſſe tradat. Nos ad te nũc nõ lucernã Epicteti,ſed eius imaginẽ animi,quæ multo plus lucis habeat,Laurẽti mittimus. Nam cùm uniuerſam tuæ pulcherrimæ bibliothecæ ſupellectilem, quam tutè nobis tuendam conceſſiſti, nuperrimè ſcrutarer,hoc unum meritò opuſculum,quaſi ex horto floſculum, quod tibi offerrem,delibaui.Hic enim unus eſt liber,niſi me opinio fallit,qui & naturæ iſti tuæ ad magna quædam ſemper atq; ardua excitatæ, & his tam duris temporibus, quibus te undique fortuna exercendum accepit, maximè omnium conueniat. Vale.

EPICTETI STOICI ENCHIRIDION, AB ANGELO POLITIANO E Græco uerſum.

Quæ in nobis ſint, quæ'ue non, qualia'ue quæq; ſint. CAPVT I.

EORVM quæ ſunt,partim in nobis eſt, partim nõ eſt. In nobis eſt opinio,conatus,appetitus,declinatio,& uno dicam uerbo quæcunq; noſtra ſunt opera.Nõ ſunt in nobis corpus,poſſeſſio, gloria,principatus,& uno uerbo, quæcunq; noſtra opera non ſunt. Quæ igitur in nobis ſunt, natura ſunt libera, nec quæ prohiberi impedirí'ue poſſint. Quæ in nobis non ſunt,ea imbecilla,ſerua, & quæ prohiberi poſſint,atque aliena.

Quid ex eorum quæ noſtra,quæq; aliena ſint,ignoratione notitiaq; eueniat. CAP. II.

SI quæ natura ſunt libera,ſerua putabis,& aliena quæ ſunt propria,impedieris, dolebis,turbaberis,incuſabis deos atq; homines.Si uerò quod tuum eſt,id ſolum tuum eſſe putabis,& alienum,quod re uera eſt alienum,nemo te coget unquam, nemo prohibebit,neminem culpabis,neminem accuſabis,inuitus nihil ages, nemo te lædet,inimicum non habebis.

Quòd aliena omittenda,noſtra curanda,quodq; utraq; aſſequi non eſt. CAP. III.

SI ergo talia expetis, memento non oportere modicè cõmotum ea attingere, ſed partim omnino dimittere,partim in præſentia reijcere, ac primò tui ipſius curam agere.Si autem & hæc ipſa uelis,regnare ſcilicet,diues eſſe, & domeſticos dirigere,fortaſſe neq; hæc ipſa conſequeris,quia priora quoq; expetis. Illa uerò nullo modo conſequeris,quæ ſola homini felicitatem pariunt.

Quo nos pacto in aſpera quauis imaginatione gerere oporteat. CAP. IIII.

CONTINVÒ igitur in quauis aſpera imaginatione diſce cõſiderare,imaginationem eſſe illam,neq; id omnino eſſe,quod uidetur. Deinde ſcrutare id, & examina

mina his regulis quas habes. Primaq; hac, & maximè, utrum circa ea ſit, quæ ſunt in nobis, an quæ non ſunt. Quòd ſi circa aliquod eorum ſit, quę in nobis nō ſunt, promptum hoc eſto, Nihil ad me.

Quomodo tractanda ſunt, quæ in nobis ſunt. CAP. V.

MEMENTO appetitus promiſſionem eſſe, ut conſequaris quod appetis: declinationis autem promiſſionem, ut in id non incidas quod declinas. Qui ergo appetitus promiſſione excidit, infortunatus eſt: qui autem in id quod declinat incidit, malè eſt fortunatus. Si ergo ſola declines, quæ præter eorum naturam ſunt, quæ in te ſunt, nunquam in id incides, quod declinabis. Morbum autem ſi declines, aut mortem, aut paupertatem, male fortunatus eris. Aufer igitur declinationem ab omnibus quæ non ſunt in nobis, eamq; transfer in ea quæ præter eorum naturam ſunt, quæ in nobis ſunt. Appetitum uerò penitus in præſentia aufer. Si enim appetis, quæ in nobis non ſunt, ab aliquo eorum excidas, neceſſe eſt: quantum uerò eorum quæ ſunt in nobis, appetere expediat, nondum tibi cōſtat. Solo animi conatu, aut conatiōe utere leuiter, & cum ſupputatione, & remiſſè.

Quomodo tractanda quæ in nobis non ſunt. CAP. VI.

IN unoquoq; eorum quæ aut delectant, aut utilitatem prębent, aut diliguntur, memento conſiderare, quale id quidq; eſt, incipiens à minimis. Si ollam diligis, dic, ollam diligo. Ea enim fracta, non perturbaberis. Si filium tuum amas, aut uxorem, dic te hominem diligere: mortuo enim non perturbaberis.

Quomodo præparari in actionibus oporteat, ut perturbatione uacemus, ac primò per meditationem. CAP. VII.

CVM rem quampiam aggreſſurus es, redige tibi in memoriam, qualis'nam ea res ſit. Si lotum abis, præpone tibi quæcunq; in balneo fiunt, irroranteis, inquietos, conuitianteis, furanteis, atq; ita tutius rem aggredieris: ſi autem continuò dices, lauari uolo, propoſitumq; meum, quod ſecundum naturam eſt, ſeruare, & in quacunq; re ſimiliter, non peccabis. Hoc enim pacto ſi quid inter lauandum impedimenti accidat, in promptu hoc tibi erit, Nō hoc uolebam ſolū, ſed & meum propoſitum, quod eſt ſecundum naturā, ſeruare. Nō ſeruabo autem, ſi moleſte feram, quæ fiunt.

De perturbatione declinanda, per eorū naturæ conſiderationē, quę nos perturbant. CAP. VIII.

PERTVRBANT homines non res ipſæ, ſed rerū opiniones, ut mors nihil terribile. Alioqui & Socrati uiſa foret, ſed quia opinio de morte terribilis, ideo illa terribilis. Igitur cùm aut impediamur, aut perturbemur, aut doleamus, nunquam alium accuſemus, ſed nos ipſos, hoc eſt, opiniones noſtras.

Ratio ſuperioris præcepti, triplicisq; hominum gradus aſſignatio. CAP. IX.

INERVDITI eſt, alios culpare, cùm quid malè agat. Eius qui iam cœpit erudiri, ſeipſum. Eruditi neq; alium, neq; ſeipſum.

Quomodo tractanda, quæ de externis uidentur eligenda. CAP. X.

OB nullam alienam excellentiam te efferas, ſi equus ſuperbiens dicat, pulcher ſum, ferendum eſſet. Tu uerò cum dicis ſuperbiēs, pulchrum habeo equum, memento te ob pulchrum equum ſuperbire. Quid ergo eſt tuum, præter uſum imaginationum? Ergo cùm in uſu opinionum ſecundū naturam te habebis, tum uerò ſuperbias: ob aliquod enim tuum bonum ſuperbies.

Quem

Quæ nobis ex externis concedantur, quoq; ijs pacto ſit utendum per ſimilitudinem. CAP. XI.

QVEMADMODVM in nauigatione, ubi in portum eſt uentũ, ſi exeas aquatũ, incidit ut cochleas in itinere, aut bulbulos colligas, animũ tamẽ ad nauigium intentum habere conuenit, & ſæpe reſpicere, an gubernator uocet, & ſi uocet, omnia illa abijcere, nè uinctus eò conijciaris inſtar pecudum. Sic in uita, ſi pro bulbulo aut cochleola uxorcula nobis, aut filiolus præbeatur, nihil ſit prohibendum: ſi autem gubernator uocet, curre ad nauigium relinquens hęc neq; reſpiciens: ſi autem ſis ſenex, nunquã procul à nauigio diſcede, ne fortè uocatus deſis, inq; id uinctus conijciaris. Qui enim uolens non ſequitur, neceſſitate hoc patietur.

Quo pacto ſine perturbatione & noxia externis acquieſcere poſſimus. CAP. XII.

NE uelis quæ fiunt, fieri ut uelis: ſed uelis, quæ fiunt, ut fiũt, & proſpereris. Motbus corporis eſt impedimentũ: propoſiti uerò minimè, niſi ipſum uelit. Claudicatio cruris impedimentum eſt, propoſiti uerò minimè. Atq; hoc in quocũq; incidentium conſidera: inuenieſq; id alterius eſſe impedimentũ, non tuum.

Quòd impoſſibilia nõ ſunt, quæ præcipiunt, quando uires animo aduerſus omnia inſunt. CAP. XIII.

IN quocunq; incidentium memento tecum ipſe quęrere, quam tu uim habeas ad eius uſum. Si malum habeas, uim bonam inuenies, ut ad uoluptates continentiam. Si labor offeratur, inuenies robur: ſi conuitium, patientiam. Atq; hoc pacto aſſuetus ab imaginationibus non perturbaberis.

Quales præbere nos oporteat, cùm externa amittamus. CAP. XIIII.

NVNQVAM in te quapiam dicas, perdidi hoc, ſed reddidi. Puer obijt, redditus eſt. Ager ereptus, non'ne & hic redditus eſt? Sed malus eſt uir qui abſtulit. quid ad te per quem repetierit, qui dedit? Quouſq; aũt tibi præbeãtur, uelut alienorum curam habe, ut hoſpitij uiatores.

Reſponſio ad obiecta, quę de ſuperiori pręcepto emergũt, ac regula quà talibus ærumnis exerceamur. CAP. XV.

SI proficere uis, dimitte has conſiderationes: Si rem meam neglexero, nutrimentis carebo. Niſi puerum puniam, malus erit. Præſtat enim fame obire ſine dolore & metu, ꝗ in affluentia uiuere cum perturbatione. Præſtat & puerũ malum eſſe, ꝗ te infelicem dominari. Igitur à minimis incipias oportet, effuſum eſt oleũ, ablatum uinum. Conſidera tanti abs te emi quietem, ſecuritatemq; animi. Gratis autem nihil acquiritur. Si autem uoces puerũ, cogita poſſe illum non audire, aut audientem nihil eorum agere, quæ uelis. Sed non tanti eſt, ut propter eum tute perturberis.

Contra uulgi de nobis exiſtimationem. XVI.

SI proficere uis, ne moleſtè feras, ſi propter ea quæ extrinſecus ſunt, demẽs aut ſtultus uidearis.

Aduerſus inanem gloriam. CAP. XVII.

NE uelis rei cuiuſquam gnarus uideri. Et ſi quibus eſſe aliquis uideare, ne crede tibi ipſi. Scis enim non facilè eſſe, & propoſitum tuum ſecundum naturam ſeruare, & ijs qui ſint extrinſecus placere: ſed neceſſe eſt, ut qui alterum curet, alterum negligat.

Quibus ſtudendum ſit, quibus non ſit. XVIII.

SI uelis liberos uxoremq; tuam, & amicos uiuere, ſtultus es. Quæ enim in te nõ ſunt, uis in te eſſe: & quæ aliena, tua. Atq; ita ſi puerũ peccare nõ uis, ſtultus es.

Vis enim ut uitium non ſit uitium. Si autem uelis appetens aliquid, eo non excidere, hoc potes, hoc igitur exercere potes.

Quæ nos ſeruos faciant, quæ'ue liberos. CAP. XIX.

DOMINVS cuiuſq; eſt is, qui, quæ ille uult, aut nō uult, poteſt aut dare, aut auferre: qui autem liber eſſe uelit, neq; uelit quicquam, neq; fugiat eorum quæ ſunt in alijs. Alioqui ut ſeruiat neceſſe eſt.

Regula electionis præſentium, præteritorū & futurorū per ſimilitudinem. CAP. XX.

MEMENTO oportere te in conuiuio uerſari. In quo ſi fercula ad te peruenirīt, extenta manu modeſtè carpe. Si tranſit, qui fert, ne eum detine: ſi nondum peruenit, ne procul appetitum extende, ſed expecta dum ad te ueniat: ſic erga filios, ſic erga uxorem, ſic erga principatus, ſic erga diuitias. Erisq; aliquando dignus deorum conuiuio. Si uerò quæ appoſita fuerint, non capies, ſed contemnes, tunc uerò non modò deorum conuiua, ſed collega eris. Id enim cum facerent Diogenes & Heraclitus, atq; his ſimiles, meritò & diuini erant, & uocabantur.

Quo pacto imaginationi moderandū circa ea quæ fugienda uidentur. CAP. XXI.

CVM flentem uideas in luctu, quia eius filius, aut peræ grè abſit, aut obierit, aut bona dilapidauerit, caue ne te imaginatio corripiat, tanquam in malis ſit ille, cum ſit in externis. Sed ſtatim in promptu habeto: Non hunc caſus hic torquet, quia alium non torquet, ſed opinio: quantum igitur ad ſermonem pertinet, uerſare au dacter cum illo, quinimò & ſi inciderit, ſimul geme. Caue tamen, ne & intrinſecus gemas.

Quid ad nos attineat, quid'ue ſupra nos ſit aptiſſima ſimilitudine. CAP. XXII.

MEMENTO actorem te eſſe fabulæ, quamcunq; is uelit qui docet: ſi breuem, breuis: ſi longam, longæ. Si medicum agere te uelit, & tunc ingenioſè age: ſi claudum, ſi principem, ſi priuatum: ad te enim pertinet, datam tibi perſonam bene agere: eligere ad alium.

Quo pacto & in diuerſorum expectatione imaginationi moderandum ſit. CAP. XXIII.

SI coruus aduerſum crocitauit, ne te imaginatio corripiat, ſed ſtatim tecū ipſe dijudica, & dic, nihil mihi hæc ſignificant, ſed uel corpori meo, uel gloriolæ, uel natis, uel uxori. Mihi uerò omnia proſpera ſignificant, ſi uoluero: quicquid enim horum incidat, in me eſt, ut ex ijs utilitatem capiam.

Cauſa ſuperioris ſenſus, & quaſi concluſio. CAP. XXIIII.

INVICTVS eſſe poteris, ſi in nullum certamen deſcendes, quòd ut uincas, in te non eſt.

Quæ uia ad libertatem expeditiſſima ſit. CAP. XXV.

VIDE ne quenquam quem tu aut honore, aut potentia, aut fama præſtantem uideas, beatum dicas, ab imaginatione uidelicet correptus. Nam ſi ſubſtantia boni in ijs eſt quæ ſunt in nobis, ibi neq; inuidia, neq; æmulatio locum habet. Tu autem non imperator aut conſul eſſe uis, ſed liber. Vna aūt uia ad hoc eſt, contemptus eorum quæ in nobis non ſunt.

Solutio eorum quæ ſuperioribus obſtare uidentur. CAP. XXVI.

MEMENTO, non qui cōuitiatur, aut uerberat, iniuriam facere, ſed opinionem de hoc, uelut iniuriam facere. Cùm te igitur quis irritet, tua te opinione ſcito irritari. Quamobrē à principio enitere, ne te imaginatio corripiat: ſi enim ſemel per

aliquod tempus eam continebis, facilius tui ipſius compos eris. Mors & exilium, & omnia quæ terribilia uidentur, ante oculos tibi continuò ſunto: maximè uerò omnium mors, neq; quicquam unquam humile cogitabis, neq; quicquam cupies nimis.

Secunda pars, qua eum qui iam profecerit, inſtituit: eaq; primò diſſoluit, quæ philoſophari incipientibus occurrunt. CAP. XXVII.

SI philoſophiam cupis, prępara te continuò, ut irridearis, ut ſubſanneris à multis, ut dicant, Repentè nobis philoſophus emerſit. Et: Vnde nobis hoc ſupercilium? Tu uerò ſupercilium quidem ne habe: quæ uerò tibi optima uidentur, ita retine, tanquam ſis à Deo in hac acie collocatus. Quòd ſi perſiſtes in ijſdē, & qui te prius deridebant, ijdem poſtea admirabuntur. Si uerò ijs terga dederis, dupla irriſione afficieris.

Quòd à ſcipſo ad externos conuerſio philoſophi ſtatum deſtruit. CAP. XXVIII.

SI quando euenerit, ut ad ea quæ extrà ſunt, te conuertas, uelisq; cuipiam placere, ſcito te de ſtatu decidiſſe. Satis igitur tibi in omnibus ſit, philoſophū te eſſe. Si autē uideri etiam uis, tibijpſi uideare, & ſatis erit.

Solutio emergentium in eius animo cogitationū qui philoſophiam aggrediatur. CAP. XXIX.

HAE te cogitationes ne crucient, honore carebo, neq; uſquam ullus ero. Si enim carere honore in malis eſt (ut certè eſt) nō poteſt in malo eſſe propter aliud, non magis quàm in turpi. Nunquid igitur tuum opus eſt, principatu potiri, conuiuio accipi? minimè. Quomodo igitur hoc eſt, honore carere? quomodo uerò, neq; uſquam ullus eris, quem in ijs ſolis eſſe oportet, quæ ſunt in re, in quibus tibi ipſi maximè eſſe licet. Sed amicis prodeſſe non potero. Quid tu ais prodeſſe? nō habebunt abs te argentum, neq; eos ciues Romanos facies. Quis tibi ergo dixit, eſſe hæc in nobis, & non aliena opera? Quis autem poteſt dare alteri, quod ipſe non habet? Poſſide igitur, inquit, ut & nos habeamus. Si poſſum poſſidere ſeruans memet uerecundum, fidum, & magnanimum, oſtende uiam, & poſſidebo. Si uerò æquum ducitis, mea me bona perdere, ut uos, quæ bona non ſunt, acquiratis, uos ipſi uidete, q̄ iniqui ſitis, quamq; ingrati. Quòd ſi fidum uerecundumq; amicum argento pręponitis, in hoc uos mihi opitulamini, neq; ea me agere ęquū ducite, quibus hoc perdam. Sed patria, quantum in me erit, adiumento carebit. Rurſus quod tu hoc ais adiumentum? Porticus nō habebit per te, neq; balneas. Quid tum? neq; enim calceos habet per cerdonem, neq; arma per fabrum. Satis eſt autem, ſi ſuum quiſq; opus expleat. Quòd ſi ei quempiam alium compares, ciuem fidum, & uerecundū, nihil'ne ei prodes? utiq;: neq; tu igitur inutilis illi eris. Quo igitur ordine in ciuitate ero? Quo poteris: ſeruans ſimul te fidum, & uerecundū. Quòd ſi dum illi prodeſſe uelis, hæc perdas, quem tu illi uſum afferes, qui imprudens infidusq; euaſeris?

Continuatio eorum ſolutionis, quæ philoſophari incipientem impediunt. CAP. XXX.

PRAEPOSITVS tibi eſt quiſpiam in conuiuio, aut in ſalutatione, aut in conſilio. Si hæc bona ſunt, gaudere te oportet: quia his potitus ſit ille: ſi mala, ne ægrè fer: quia tibi nō acciderunt. Memento autem, non poſſe te hæc ſolummodo facientem paria cum cæteris conſequi in ijs quæ in nobis non ſunt. Quomodo ergo paria habere poteſt, alicuius fores non frequentans cū eo qui frequentat, non deducens cum deducente, non laudans cum laudante. Iuſtus igitur eris, atq; inexplebilis

explebilis, ſi ijs nequaquam relictis, quibus illa emuntur, ea gratis uolueris. Sed quanti emuntur lactucæ? obolo, ſi ita contingat. Vt igitur cùm quis obolū præbens accipiat lactucas, tu non præbens, non accipias, haud minus habere te cenſes eo qui accipit. Vt enim ille habet lactucas, ſic tu obolum non dediſti. Eodem modo hic euenit. Non uocaris ad cuiuſquam conuiuium. Non enim quanti conuiuium emitur dediſti. Laude id uendit, miniſterio uendit. Da igitur, ſi tibi conducit, quanti emitur: quòd ſi & illa amittere nō uis, & hæc accipere, inexplebilis es, & ſtolidus. nihil igitur habes pro cœna? nempe habes, quòd nō laudas, quem nō uis: quòd nō ea perfers, quæ ad eius limen perferuntur.

Quæ ſunt cōmunia etiam ex naturæ uoluntate. CAP. XXXI.

VOLVNTAS naturæ perpendi ex his poteſt, in quibus alteri ab alteris nō diſſerimus, uelut cū alienus puer fregerit poculum, in promptu ſtatim eſt, eſſe id ex ijs quæ fiunt. Scito igitur, cùm tuum fuerit fractum, talem te eſſe oportere, qualis fueris, cùm alienum frangeretur. Idem ad maiora quoq; transfer. Alienus obijt filius, aut uxor, nemo eſt qui non dicat humanū id eſſe. Sed cùm ſuus cuiuſq; obijt, ſtatim, hei mihi, &, me miſerum. Oportebat autē meminiſſe, quid nobis accidat, cùm de alijs idem audimus.

Mali naturam in mundo nō eſſe. CAP. XXXII.

QVEMADMODVM non ideo ſagittarij ſignum figitur, ut non attingatur: ſic neq; mali natura in mundo fit.

Quàm putanda ſit animi perturbatio, quid'ue agendum, ne in eam incidamus. CAP. XXXIII.

SI quis tuum corpus imperium habenti traderet, ægrè ferres: quòd autem tu tuam mentem cuiuis tradis, ut cùm tibi cōuitia dicuntur, perturbetur illa, & confundatur, non'ne te pudet? Quicquid igitur aggreſſurus es, eius initium primò, tum quid deinceps ſequatur conſidera, atq; ita rem aggrediare. Id ſi non feceris, nunquam ipſam promptè aggredieris, nihil eorū cogitans, quæ futura ſunt. Poſtmodū uerò cùm quædam apparebunt turpia, pudore afficieris.

Efficax conſiderandi exemplū, quod quaq; in re, quam ſimus aggreſſuri, accidere poſſit. CAP. XXXIIII.

VIS Olympia uincere? & ego per deos. Magnificum enim eſt, ſed conſidera & initia et conſequentia, atq; ita rem aggredere. Oportet bene ſeſe inſtituere, neceſſarijs ueſci, abſtinere condimentis, exerceri ad neceſſitatem, ad præſcriptā horam, in æſtu, in frigore, frigidam non bibere, non uinum. Si ita ferat res, totū te denique præfecto ipſi ceu medico tradere, tum in certamen prodire. Et interdū manum uulnerari, talum diſtorqueri, multam aphen deglutire, interdum uerò & flagellari, poſtq; hæc omnia ſuperari. His animaduerſis, ſi adhuc uis, abi certatū: ſin minus, inſtar puerorum deges, qui nunc palæſtritæ ludunt, nunc gladiatores, nūc tuba canunt, mox tragœdū agunt: ita & tu nunc athleta, nunc gladiator, nūc orator, tunc philoſophus. Toto uerò animo nihil, ſed uelut ſimius, quicquid cernis, imitaris, aliusq; ex alio tibi placet. Non enim cum animaduerſiōe rem aggreſſus es, neque circumſpectans: ſed temerè, & per frigidam cupiditatem. Sic nonnulli cum philoſophum intuentur, aut cum à quopiam audiunt: Bene Socrates dicit, & qui poteſt dicere ut ille? uolunt & ipſi ſtatim philoſophari. Homo conſidera primò quæ'nam, aut qualis ſit ea res, quam aggredieris. Deinde naturam tuā con ſule, utrū id tolerare poſſis. Vis eſſe luctaror, aut pentathlus? aſpice brachia tua, aſpice lumbos, aſpice femora. Aliud enim alijs aptum rebus natura parēs largita eſt. An te cenſes huiuſmodi rebus ſtudentem eodem modo ueſci poſſe, eodem

modo potũ ſumere,eodẽ modo iraſci,eodẽ modo mœrere. Vigilare oportet, laborare, ſedere à proprijs bonis, à pueris contemni,derideri ab omnibus. Vniuerſis in rebus minus autoritatis habere,in honore,in magiſtratu,in iudicio,in cæteris omnibus.Hæc inquam,omnia cõſidera,& utrum pro his indolentiam,libertatem,quietẽ malis animaduerte: quod ni malis,caue ea aggrediaris,ne inſtar puerorum modò philoſophus,modò publicanus,paulo pòſt rhetor, poſtremò Cæſaris procurator fias.Hæc inuicem nequaquam conueniunt.Illud oportet,hominẽ eſſe te uel bonum,uel malum,aut ad inreriora te uertas,neceſſe eſt,aut ad exteriora,uel philoſophi locum teneas,uel idiotæ.

Quòd officia à natura dicuntur, quodꝗ ut ſeſe quiſꝗ aduerſus quempiã habeat,conſiderantur,tum de officijs erga homines. CAP. XXXV.

OFFICIA habitibus penſantur. Pater appellatur, curandus eſt, cedendũ ei in omnibus,ferendus cùm aut obiurgat aut uerberat. Sed malus pater eſt. At natura te nõ bono patri,ſed patri conciliauit. Frater iniurius eſt,uide quo tu loco ſis,non quid ille faciat. Propoſitũ tibi eſt,ut ſecundũ naturam tu facias. Nemo enim te lædit,niſi uolentem: Tum læſus eris, cùm te lædi opinaberis. Sic ergo à ciue ad ciuem,à uicino ad uicinum,ad imperatotem ab imperatore officiũ inuenies, ſi conſiderare habitus aſſueſces.

Officia aduerſus deos. CAP. XXXVI.

PIETATIS erga deos id maximum eſſe ſcito, ut de ipſis bene ſentias, putesꝗ & eos eſſe,beneꝗ ac rectè gubernare. Tum ut ita te cõpares, parêre eis,atꝗ omnibus cedere,quæ fiant,neꝗ inuitum ſequi, quaſi omnia ex optimo conſilio efficiantur. Hoc enĩ pacto neꝗ deos unꝗ culpabis ,neꝗ incuſabis, quaſi neglectus. Id uerò aliter efficere non potes,niſi ab his te auoces,quæ in nobis non ſunt: inꝗ ijs tantùm quæ ſunt in nobis,bonum ac malum ponas. Quòd ſi eorũ aliquid bonum eſſe,aut malum opineris,neceſſe eſt,ut cùm ea non conſequaris , quæ uelis, aut in ea incidas,quæ nolis,cõquераris aut oderis eius rei cauſam . Omne ad hoc animal natum eſt,ut quæ noxia uidentur,eorumꝗ cauſas fugiant,atꝗ ab his auertantur. Vtilia uerò,& eorum cauſas quærant atꝗ admirentur. Non poteſt igitur, qui ſe lædi putat,eo quod lædere uidetur, gaudere, unde & ipſa læſione gaudere impoſſibile eſt. Vnde & patri filius conuitiatur,cùm his quæ bona uidentur,filiũ non impartit. Et Polynicem atꝗ Eteoclem hoc inter ſe diſcordare cõpulit, quòd tyrannidem bonum eſſe putabãt, propter hoc agricola conuitiatur dijs , propter hoc nauta,propter hoc mercator,propter hoc ipſum, quib. aut uxores, aut liberi interiere. Vbi enim utilitas, ibi pietas . Quamobrem qui ea curat appetere atque euitare quæ oportet,is eo tempore etiam pietatem curat. Libare autem & ſacrificare ſecundũ patrios mores,unumquemꝗ decet purè abſꝗ laſciuia , abſꝗ negligentia,non parcè, non ſupra facultatem.

Qualem ſe ad diuinationẽ adhibere,de quibus uatem conſulere,quomodo diuinationibus uti oporteat . In quo ſimul & officiũ erga deos & erga nos ipſos exiſtit. CAP. XXXVII.

CVM ad diuinationem accedis,memento ignorare te,quid ſit euenturum,atꝗ ideo uatem adire,ut ex eo id audias. Quale aũt,quicquid ſit,ſi philoſophus es,nõ ignoras. Si enim ex ijs eſt, quæ in nobis non ſunt,neceſſarium profectò eſt, neꝗ bonum id eſſe,neꝗ malum. Tolle igitur abs te cum uatem adis, appetitum ac declinationem. Aliter enim tremens uatem adibis. Sed cùm noris, quicquid euenturum ſit, ſusꝗ deꝗ eſſe, & nihil ad te , licebit quodcũꝗ id ſit,eo bene uti,neꝗ te quiſquã prohibebit . Fidens igitur deos tanquã conſultos adi. Mox ubi quid tibi

conſulue-

conſuluerint, memento quos in conſilium acceperis, quibusq́ ſit obaudire, niſi parueris. De his autem (ut & Socrates dictitabat) conſulendus eſt uates, quorum omnis conſideratio relationem ad exitũ habet. Cuius cognoſcendi occaſio, neq; ex ratione nobis, neq; ex arte aliqua ſit pręb ita. Quamobrem cum tantùm periclitandũ tibi fuerit, cum amico, aut cum patria, ne conſule an periclitaturus ſis. Nam ſi tibi uates dixerit aduerſa apparuiſſe exta, manifeſtũ eſt, aut mortem ſignificari, aut corporis impedimẽtum, aut exilium. Sed dictitabit ratio, teq; confirmabit, ut cum amico et patria pericliteris. Maximo igitur uati, hoc eſt, ipſi Pythio intende, qui eum de templo expulit, qui amico opem non tulerit.

Officia erga nos ipſos, ac de ijs primò, quæ ad morum conſtantiam faciunt, quæ'ue eam impediunt, & de ſermone in primis, ac ſilentio. CAP. XXXVIII.

STATVE tibi ipſi formulam quandam, ac regulam, quam deinceps ſerues, & cùm tecũ ipſe es, & cùm in homines incidis. Silentiũ ſit plurimum. Loquere neceſſaria & paucis & rarò, aut quandoq; cùm te ad aliquid dicendum tempus uocat, dic quidem, ſed non de quauis re: non de gladiatorum pugna, non de curſu equorũ, non de athletis, non de epulis uel poculis ſingulatim: maximè uerò omnium non de hominibus uituperans, aut laudans, aut cum cæteris iudicans. Si igitur poſſis, demuta eorum ſermones, qui tecũ ſint, in id quod deceat. Quòd ſi inter extraneos te deprehenſum uideas, tace.

De riſu. CAP. XXXIX.

RISVS neq; multus ſit, neq; ob multa, neq; ſolutus.

De iureiurando. CAP. XL.

IVSIVRANDVM refuge, ſi poſſis: ſin minus, cum licet.

Aduerſus cupiditatem, ac primò de conuiuijs. CAP. XLI.

CONVIVIA cum extraneis ac uulgaribus reſpue. Quòd ſi quando tẽpus incidat, intentum habe animum, ne in uulgarem ſtatum defluas. Scias enim neceſſarium eſſe, qui cum inquinato conflictetur, & ipſum inquinari.

De eorum quæ ad corpus pertineant uſu. CAP. XLII.

QVOD ad corpus attinet, ad purum uſq; uſum ſume, uelut cibum, potum, ueſtem, domum. Quod aũt ad gulam aut delicias pertinet, penitus circumſcribe.

De re uenerea. CAP. XLIII.

CIRCA rem ueneream, quantum in nobis ſit, ante nuptias purè agendum eſt. Quòd ſi cogimur, quæ tamẽ ſunt legitima aſſumenda. Ne ſis tamẽ moleſtus utentibus, neq; redargutor, ne'ue ſæpius obijce te non uti.

Aduerſus iracundiam, & quales nos erga detractores præbeamus. CAP. XLIIII.

SI quis ad te deferat, ille de te malè dicit: ne excuſa quæ dicantur, ſed reſpõde: Ignorat ille & alia, quæ mihi adſunt mala. Alioqui non ſola hæc diceret.

De ſpectaculorum cupiditate. CAP. XLV.

AD theatra ſæpe accedere neceſſarium non eſt. Quòd ſi quando tempus incidat, caue ne cuiquã magis ſtudere uidearis, q̃ tibi. uelis quę fiunt, ita fieri, ut fiunt: eum tantummodo uincere, qui uictor fuit. Status autẽ ne ſit grauis, ſed conſtans cum quadam lætitia. Egreſſus ſpectaculo, multa de ijs quæ facta ſint, ne diſputa: quando ad te corrigendũ non faciũt, neq; de omnibus ſermonibus qui dicti ſint.

De auſcultationum cupiditate. CAP. XLVI.

AD recitantes ne accede, neq; his uel rarò interſis: quòd ſi interſis, grauitatem conſtantiamq́ ita ſerua, ut moleſtia uaces.

De congreſſu cum potentioribus. CAP. XLVII.

CONGRESSVRVS cum aliquo, & eorum præſertim, qui potentiores uident, præpone tibi, quid in hoc feciſſet Socrates, aut Zeno, neq; dubitabis, quo te pacto gerere oporteat.

Quomodo præparare nos debeamus, potentiorem aditurі. CAP. XLVIII.

CVM aditurus quempiam eorum es, qui magna poſſunt, præpone tibi ipſi, fore ut non admittaris intrò ad eum, ut excludaris, ut tibi fores non pateant, ut te ille negligat. Tum cogita, an cum ijs eum audire expediat: ubi adieris, fer quæ fiunt. Neq; tu tecum dicas unquam, Talia non merebar. Vulgare enim eſt, quæ extrinſecus ſunt calumniari.

De congreſſibus cum plurimis. CAP. XLIX.

IN congreſſibus abſit, ut de tuis aut operibus, aut periculis nimium atq; immodicè memineris. Non enim quemadmodum tibi de tuis periculis meminiſſe, ita & alijs, quæ tibi acciderint, audire eſt iucūdum. Abſit etiam, ut riſum moueas: eſt enim res uulgaris, & neſcio quo modo ducit ad uilitatem, & hæc una uenerationem, qua te proſequantur qui adſint, remittere poteſt. Nonnunquam uerò & in ſermonis obſcœnitatem trahit: quòd ſi quando incidat, tum ſi res & tempus fert, obſcœnitate utentem increpa: ſin minus, at ſaltem taciturnitate & rubore oſtēde, eum te ſermonem ferre iniquo animo.

Quomodo reſiſtendum uoluptati. CAP. L.

CVM uoluptatis cuiuſpiam imaginationem capis, quemadmodū in cęteris ſerua teipſum, ne ab ea corripiaris: ſed excipiat te res ipſa, atq; aliquod tute ſpacium cape. Tum utrūq; tempus animo uoluta, & qua uoluptate potieris, & qua iam potius pœnitentia afficieris: teq; ipſum tute increpa. eis uerò oppone, quantopere ſi abſtinueris, gaudebis: teq; ipſum tute laudabis. Quòd ſi res poſtulare uidetur, ut rem aggrediaris, caue ne ſuis te blandimentis atq; illecebris ſuperet. Tum oppone, q̄ melius ſit, huius certaminis uictoriam tibi ipſi conſcire.

Agendum bonum propter ſeipſum reliquis neglectis, ac primò de iuſtitia. CAP. LI.

CVM iudicaris faciendam tibi rem, idq; facias, ne da operam, quo minus te facientem alij uideāt, etiam ſi aliud quippiam ea de re multi ſint opinaturi. Si enim non rectè facis, ipſum opus fugiendum eſt: ſi rectè, ne metue increpaturos non rectè. Vt enim hoc, aut dies, aut nox eſt, aduerſus diſiunctum magnam habet dignitatem, aduerſus autem coniugatum indignitatē: ſic & maiorē partem eligere magnam erga corpus dignitatem habet. Ad ſeruandam autem quam in cōuiuio cōmunionem oportet, indignitatem habet. Si quando igitur cum aliquo conuiuaris, memēto ne ad eorum quæ appoſita ſunt, dignitatem aduerſus corpus aſpicias. Sed aduerſus quoq; animum, qualem decet conuiuam, te ſerua.

Quod non bonum ſimpliciter, ſed quòd nobis faciat eligendum. CAP. LII.

SI perſonam induiſti ſupra tuas uires, neq; eam ſuſtines, & quod implere potueras, omiſiſti.

Quomodo animum uel ab irrationalib. affectibus, uel à ſuo peruerſo iudicio ſeruemus. CAP. LIII.

INTER deambulandum, quemadmodum caues, ne clauum calces, aut pedem diſtorqueas: ita caue, ne quod in teipſo dominatur, offendas, & hoc ſi in quauis re ſeruemus, tutius illam aggrediemur.

De

De eorum quæ ad corpus pertinent, poſſeſſione. CAP. LIIII.

MODVS poſſeſſionis unicuiq; corpus eſt, uelut pes calcei. Si in hoc ergo conſiſtas, modum ſeruabis: ſi excedas, in præceps feraris neceſſe eſt: uelut in calceo, ſi ſupra pedē extendas, fit aureus calceus, deinde purpureus, deinde punctabundus. Nullus enim terminus eſt, ubi modum ſemel exceſſeris.

De officio & cura uxorum. CAP. LV.

MVLIERES ſtatim à decimoquarto anno dominæ uocanť. His enim uiri ob concubitum blandiuntur. Virorum ergo culpa ſibi deinceps nimis placent. Monendæ igitur ſunt, fore ut apud nos in honore ſint, nihil ob aliud, niſi ſi modeſtæ ſint, & uirum reuereantur.

Degeneris ſignum, deq; nimio corporis cultu. CAP. LVI.

DEGENERIS ſignum eſt, inſiſtere ijs quæ corporis ſunt, ut plurimo exercitio, plurimo corporis cultui. Sed & conſenſus cuiuſdā ſuperuacanei ſignū eſt. Quibus enim gaudemus, cum ijſdem conſentimus. Oportet igitur nimiam corporis curam uelut ab re eſſe arbitrari. Maximè uerò curam eius habere, quod ipſo utitur corpore.

Præceptum ad patientiam ac manſuetudinem. CAP. LVII.

CVM quiſquam tibi malè facit, aut dicit, memento illum ſuum ſe officium facere arbitranrem, aut dicere. Eſſe igitur non poteſt, ut is, quod tibi uidetur, ſequatur, ſed quod ſibi ipſi. Quòd ſi malè ſibi uidetur, ipſe læditur, qui & deceptus eſt. Verum enim cōiugatum, ſi quiſquam falſum arbitretur, non coniugatum ipſum læditur, ſed qui decipitur. Si ab his igitur mouearis, mitem te aduerſus conuitiantem præbebis. Loquere igitur ſic in quauis re, ipſi eſt uiſum.

Quòd res omnes partim alteræ alteris conſentiunt, partim diſſident. CAP. LVIII.

OMNIS res duas habet anſas: alteram quæ ferri poſſit, alteram quæ nō poſſit. Frater ſi iniurius ſit, ne eum inde capias, quòd ſcilicet eſt iniurius. Hæc enim eius anſa eſt, quæ ferri non poſſit. Sed inde magis, quòd frater eſt, quòd tecum educatus: atq; ita inde eum capias, unde ferri poſſit.

De ſermonum congruentia. CAP. LIX.

HI ſermones nōn conueniunt: Ego ſum ditior te, ego igitur melior ſum. Ego ſapientior te, ego igitur melior te. Hi autem magis cōgruunt: Ego te ditior ſum, mea igitur poſſeſſio q̄ tua melior eſt. Ego te ſapientior, mea igiť oratio quàm tua melior: tu uerò neq; poſſeſſio es, neq; oratio.

De iudicio rerum exacto. CAP. LX.

LAVATVR quis citò, ne dicas malè eum lauari, ſed citò. Bibit quis multū uini, ne dicas malè, ſed multum. Niſi enim eius conſilium ſcias, unde ſcis an malè? Sic enim accidet, ut aliorum apprehenſiuas imaginationes accipiamus, alijs autem aſſentiamus.

Aduerſus gloriam atq; oſtentationem: & primò circa ſcientiam. CAP. LXI.

NVLLO modo teipſum dixeris philoſophum, neq; multum loquere inter eruditos de ſpeculationibus, ſed fac aliquid ex ipſis ſpeculationibus. Veluti in conuiuio ne dic, quo pacto oporteat comeſſe: ſed comede, ut oportet. Memento eñ & Socratem undecunq; abſtuliſſe oſtentationem. Quòd ſi de aliqua ſpeculatiōe ſermo inter eruditos incidat, tace ut plurimū. Magnum enim periculum eſt, euomere quæ nō concoxeris. Et cùm quis dixerit te nihil ſcire, idq; te nō remordeat. Tu ſcito initium eſſe operis. Nam & oues non herbam euomentes, paſtoribus

oſtendunt quantum comederint,ſed cibum intus concoquentes,uellera extrà ſe runtur, & lac. Et tu igitur, ne ſpeculationes ineruditis oſtenta: ſed ex his concoctis opera.

Aduerſus ſobrietatis tolerantiæq; oſtentationem. CAP. LXII.

CVM attenuato ſis corpuſculo, ne tibi ob id place. Neq; ſi aquā bibas ex quauis occaſione, dic aquam bibo: ſed cogita, quàm ſint medici abſtinētiores nobis, quamq; tolerantiores. Tum q alia non habeamus bona, quæ alij habent. Quòd ſi exerceri uelis ad laborem ac patientiam, tecum ipſe hoc fac, neq; ab externis uideri uelis, ut qui uim patientes à potētioribus, quo populum conuocent, ſtatuas incendunt, & ſe uim pati clamant. Oſtētator enim totus extrà uergit, & patiētiæ atq; abſtinentiæ bona deſtruit, cum eorū finem ſtatuit eſſe multorum opinionem.

Deſcriptio triplicis habitus inerudit, philoſophi, & proficientis. CAP. LXIII.

INERVDITI ſtatus & formula eſt, nunquam à ſe ipſo expectare utilitatē, aut nocumētum, ſed ab externis. Philoſophi ſtatus eſt, & formula, omnem utilitatem ac nocumentum à ſeipſo expectare. Signum proficientis hoc eſt, neminem uituperat, neminem laudat, de nemine queritur, neminem accuſat, nihil de ſeipſo dicit, ceu ſi ſit aliquis, aut aliquid ſciat. Cùm in re quapiam aut impeditur, aut prohibetur, ſeipſum accuſat. Et ſi quis ipſum laudet, uidet laudantē ipſe ſecum: et ſi uitu peret, non ſe expurgat. Degit autem inſtar ualetudinarij, cauens aliquid eorum quæ ſunt in ſe, cōmouere, priuſquàm ad ſoliditatem perueniat. Appetitum omnē à ſeipſo ſuſtulit. Declinationem uerò in ea tantum quæ ſunt contra naturam, eorum uidelicet, quæ ſunt in nobis, tranſtulit. Conatu ad omnia remiſſe utitur. An ſtultus, an rudis dicatur, minimè curat: utq; uno explicem uerbo, quaſi aduerſarium ſeipſum obſeruat, & quaſi inſidiatorem.

Quòd uerba propter opera. CAP. LXIIII.

CVM quis ideo gloriatur, quòd Chryſippi ſentētias interpretatur, dicat ipſe ſecum: Niſi operte Chryſippus ſcripſiſſet, nequaquā haberem unde gloriarer. Sed ſcripſit Chryſippus, nō ut quis eum interpretaretur, ſed ut ſecundum ſe operaretur. Si ergo ſcriptis utar, tum eorum bonum fuero conſecutus: ſi autem interpretantem admirer, aut etiam ipſe interpretari poſſim, grammaticum nō philoſophū admirer, aut agam. Quid autem prodeſt, medicamenta quædam inueniſſe deſcripta, eaq; intelligere, atq; alijs tradere, ipſummet ægrotantem minimè eis uti?

Quòd in his perſeuerandum. CAP. LXV.

IN propoſito perſeuerandum uelut in lege eſt. Perſta igitur, uelut ſi hæc tranſcendas, impius ſis futurus. Quòd ſi quis de te dixerit, ne cura. id enim tuū nō eſt.

Quòd ſuperſedendum non eſt, ſed q primùm ad hæc incumbendum. CAP. LXVI.

QVO' te uſq; differs, ut iam te aliquando dignum his quæ optima ſunt, putes, neq; uſquam tranſgredi hæc ſtatuas? quòd ſi diem de die termino adijcias, non proficis, ſed deficis. Iam nunc igitur aſſueſce, ut tanquam perfectus uiuas, omnibusq; quæ accidant, rectè utaris. Et quacunq; in re arbitrare propoſitum tibi certamen, neq; ullum diem negligas: quo enim die non proficis, deficis. Hoc igitur pacto Socrates uirorum omnium ſapientiſſimus euaſit: quòd ſi ipſe nondum es Socrates, at uiuere debes, ut qui Socrates eſſe uelis.

Tres loci in philoſophia, eorumq; inter ſe ordo. CAP. LXVII.

PRIMVS ac maximè neceſſarius locus eſt in philoſophia, qui ad uſum ſpeculationū pertinet, uelut eſt nō mentiri. Secundus qui ad demonſtratiões, uelut eſt, cùm

cùm mentiri non oporteat. Tertius, qui ad eas cõfirmandas & proſpiciendas ſpectat. Hoc eſt, quo pacto, et unde demonſtrare id poſſimus uerum eſſe, aut falſum. Igitur tertius quidem locus neceſſarius eſt ob ſecundum. Secundus' ob primũ maximè omniũ neceſſarius, & in quo quieſcere oporteat, primus eſt. Nos uerò contrà facimus. Tertio eñ loco immoramur, inq; eo omne noſtrũ ſtudiũ cõterimus.

Tres antiquorum ſententiæ in promptu habendę, quarum prima Cleantis, Euripidis ſecunda, tertia Platonis eſt. CAP. LXVIII.

SEMPER hæc in promptu habenda: Primum: Si renitar, malus ero, gemensq; ac plorans ſequar. Secundum: Neceſſitas omnia ſurſum uerſus ad diuinam cauſam ducit uolẽtia, & inuita. Eam qui lætus ſequitur, is uerè eſt ſapiens. Sed & tertium, ò Criton (ſi ita dijs placet) ita fiat. Me uerò Anytus, & Melitus interimere quidem poſſunt, lædere autem non poſſunt.

ANGELI POLITIANI PRO EPICTETO STOICO AD BARTHOLOMAEVM Scalam epiſtola.

ANGELVS POLITIANVS BARTHOLOMAEO SCALAE SALVTEM.

TV quidem, mi Scala, non contentus & ſtrenui militis, & fortiſſimi Imperatoris officio defungi, etiam tyrũculos tuos (quæ tua in omni re diligentia eſt) ocio ſituq; langueſcere non ſinis: ſed uel de tabernaculi umbraculis, ad campi puluerẽ, ad ſudorem, ad palum uocas: quippe qui omneis militareis numeros ad te unũ pertinere iure intelligas. Putabã equidẽ factũ à me ſatis, q Epictetũ eſſem de græco interpretatus: tu me ad eum quoq; tuendũ, quaſi tuba nunc, claſſicoq; excitas. Igitur quod Horatius inquit, libẽter hoc & omne militabitur bellum in tuæ ſpem gratiæ. Arcem tu quidem ipſam, uet eq; totius urbis caput oppugnas, qui primũ Epicteti caput quaſi totius circuli, aut globi potius, quæ perfectiſſima figura ſit, punctum aboleas. Tria autem ſunt, quæ obijcis, ſed quæ uel maximè à præcipiendi ratione abhorreant, quòd obſcura, quòd ſupra hominis uires, quòd falſa pręceperit. Obſcura, ut cùm negas explicatum ab eo, quæ nam tandem noſtra ſint opera. Supra hominis uires, ut cũ nos naturæ imperio gemere aſſeueras. Id quod plus poſſe pollereq; affirmas, quàm ullam hominis facultatem. Falſa, ut cùm corpus contra Epicteti ſententiam, in nobis eſſe contendis, quando ex animo, ut ais, conſtemus, & corpore. Ea mihi nunc, quando id tibi placet, refellenda, dicendaq; nonnulla: nõ quidẽ ut te doceam: id enim eſſet, quod græcè dicitur, ſus Mineruam: neq; ut me legitimum Epicteti propugnatorẽ contra te putem. Non enim uel ego tanto me dignor honore, uel Epicteto tam faueo, quàm te illi fauere certò ſcio, ſed ut impoſitam à te nobis perſonam, quantũ in nobis ſit, ſuſtineamus. Proferam tamẽ in primis nonnulla in mediũ, & quaſi ſemina faciã, è quibus quemadmodũ fabulæ terrigenas uiros Thebis aũt Colchis ſatu dentium enatos dicũt: ita omnes Epicteti noſtri pugnaciſſimæ inſtructiſſimæq; copiæ exoriantur. Sed ut Homerus irruẽti in Græcorum caſtra Hectori Salaminiũ Aiacem, ita nos tibi Atheniẽſem Platonem obijciemus. Is igitur Plato in eo libro qui de hominis natura inſcribitur, Socratem cum Alcibiade illo, cui Pulchro cognomen fuerit, diſputantem inducit, quo in libro nihil eſſe aliud hominem quem dicimus, probat, niſi rationis participem animum. Nam ut cerdo, inquit, ſubula: ita homo ad agendum manu utitur.

Hoc

Hoc ſumpto, & ſecũdum aſſumit. Aliud autem eſt, inquit, quod re utitur quapiã, atq; ea res qua utitur. Nam illa inſtrumentum eſt. Tum inducit, homo uero is eſt, qui ſuopte corpore quaſi inſtrumento utitur. Corpore autẽ ipſo quaſi inſtrumento, uel in artificijs, uel in actionibus reliquis, nihil omnino aliud utirur, quàm rationis particeps animus. Mox & aliud ſibi ex his uindicat, quod corpore utatur, idẽ & corpori dominari. Tum diuidit ad hunc modum: Neceſſe eſt hominem aut animum eſſe, aut corpus, aut utrunq; ſimul. Si uerò homo quidem corpori, ſibi uerò ipſi corpus nõ dominetur, minimè ipſum corpus homo eſt. At neq; utrũq; ſimul. Si enim qui corpori dominetˀ homo eſt, corpusq; ipſum minimè dominatˀ, haud profectò utrunq; ſimul eſt, quod dominatur. Præter hæc, ſi ſuapte corpus natura immobile eſt, animus uero is eſt qui moueat: nos autẽ re ipſa in artibus uidemus, artificem eſſe qui moueat, inſtrumenta quę moueantur: nihil eſt dubiũ, quin corpus inſtrumenti uicem aduerſus animum habeat. Ipſe igitur homo eſt, quiq; hominis curę ſtudet, animum curat: qui uerò aut pecuniam, aut eiuſmodi alia curat, is non modò hominem non curat, ſed ne hominis quidem inſtrumentum. Iam ergo uel Platonis autoritate, quæ tanta quidem eſt, ut quaſi illa Vergilij fama caput inter nubila condat, uel ferreis illis ſuis atq; adamantinis rationibus, cõſtare nimirum arbitror, non eſſe in nobis corpus. Vt iam mendacij crimine, ſi uidetur, Epictetum abſoluas. Sed pergamus. Triplex apud Platonem uirtutũ eſt gradus. Sũt enim ſupremæ omnium, quas uocant exemplares, qualis in ſapiente requirimus, in Deo ſtatuimus. quæ ſequuntur, purgati animi dicuntur: qualis in eo eſſe philoſopho uolumus, qui ſe ab omni corporis labe contagioneq; auocarit. Vnde & in Protagora Plato idem, cuius mihi dulciſſimum in ore uerſatur nomen, emoriendum ei eſſe dicit, qui ſit philoſophus euaſurus. Tertium eſt uirtutum genus, quas purgatorias uocant: qualis in cõtinente eſſe ſtatuimus, negamus in temperante. Has ſibi uirtutes is iure uindicet, qui rationis participem animum uerè hominem eſſe ſibi perſuaſerit, quiq; neq; corpus animę eſſe partem iudicet, neq; ad hominẽ perficiendum concurrere ipſum arbitretur, ſed eo quaſi inſtrumenio utendũ animum induxerit. Nam qui aut paria, aut ſuperiora corpori tribuat, eum non magis eſſe hominem putandum eſt, quàm bruta illa, quæ uocemus animãtia, quæ natura, ut egregiè Saluſtius inquit, prona ac uentri obedientia finxit. Animi ergo (ut idem inquit) imperio, corporis ſeruitio magis utimur: ut quo uno à beluis differamus, quoq; uno ſubſtantia hominis conſtet, id nobis liberum ſeruemus. Corpore autem ipſo nõ quidẽ ut parte aliqua animo adiuncta, ſed ut inſtrumento utamur. Hunc Epictetus hominem inſtituendum accepit. Neq; enim ille ſapiens his pręceptis indigebat, qui ſe iam pridem in libertatem uindicauit,

Quiq; metus omneis, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, ſtrepitumq; Acherontis auari.

Neq; cum eo ſibi eſſe negotium putat, qui à ſua tantopere natura degenerauit, ut ſit in brutorum numerum referendus. Hunc ſi hominem accipias, iam, ut arbitror, quæ ſint hominis opera non ignores. Qui autem dixerat conatum, quam & appetitionẽ dicere poſſis, cum græcè ſit horme: item appetitũ opinionẽ ac declinationẽ in nobis eſſe: is proculdubio cũ ſtatim ſubijciat, & quæcũq; noſtra opera ſunt, ea noſtra eſſe definit, quæ ex ijs quæ ſint in nobis, deducantur. Vtrum uerò corporis animi ne ſint, qui à noſtris affectus, ſeu perturbationes, pathe à Græcis uocentur: maior profectò eſt quæſtio, quàm quæ hoc tempore explicanda ſit. Pertinere tamen ad animum eos omneis affectus, nemo ferè eſt, quin fateatur: ſed ita pertinere, quemadmodum proſpera aduerſaq; ualetudo ad corpus. Neq; enim

minus hi animo quàm illa corpori uel proſint, uel officiant. Quicquid igitur hi
peccant affectus, quicquid agunt, noſtrum eſt opus. Vt igitur in corpore tempe-
ramentum illud habitudinis, quam ſymmetriam uocant, bonam corpori ualetu-
dinem præſtat: exceſſus uerò defectusq́ auferunt: item profectò & in affectibus
accidit. Effrenati enim illi, & uiolenti, miſerum hominem: moderati uerò, & com
poſiti felicem conſtituunt. Sed cum ſit animus id quod & Plato idem diuinè ſcri-
bit, uelut auriga quidã, & rector: is ſi & ſtimulis parcat, & loris fortius utaẽ, facilè
ad calcẽ ſecũdo curſu perueniat. Si uerò aut lora nimis remittat, aut acrius q̃ par
eſt, ſtimulis citet: is ceu Phaeton, aut Bellerophon aliquis præceps feraẽ neceſſe
eſt. Hac igitur ratione miſeri, felices'ne euadamus, in nobis eſt. Quæ uerò noſtra
ſint opera, facilè colligas, cũ quæ ad nos pertineant ratiocineris: Quicquid ergo
toto præcipit libro, in nobis eſt: ſtultè enim quod nõ foret præcepiſſet. Obſcurus
igiẽ, aut perplexus noſter Epictetus? quo neq́ planius quicq̃, neq́ enucleatius,
neq́ etiã lucidius, ne optare quidẽ auſis. Vt in eum nedũ tui iſti lyncei oculi, ſed
uel hebetiſſimi quiq́ inſpicere poſſint. At ſunt, inquis, ardua nimis, ſupraq́ homi
nis uires, quæ præcepit. Quid'nam id tandẽ? ſi filiũ, ſi uxorẽ amas, dic te hominẽ
amare: mortuo enim nõ perturbaberis. Vtrũ ne igiẽ quod præcipit, an quod pol
licetur, ut difficile factu reprehẽdis? Si quod præcipit, iam tu quæ in cõmuni uita
quotidie, quæ in foro, quæ in triuijs iactenẽ, factu difficilia putes. Quis enim non
aliquando, quæ ſint euentura cogitat? At Terẽtianus ille ſeruulus: O' inquit, De-
mea iſthuc eſt ſapere, nõ quod ante pedes modò eſt uidere, ſed etiã illa quę futura
ſint proſpicere. Et ut ſcenæ immoremur, audi ſenem apud eundẽ: Incertũ eſt quid
agã, quia pręter ſpem, atq́ incredibile hoc mihi obtigit: ita ſum irritatus, animũ ut
nequeam ad cogitandũ inſtituere. Quamobrẽ omnes cùm ſecundæ res ſunt ma-
ximè, tum maximè meditari ſecũ oportet, quo pacto aduerſam ęrumnã ferant, pe
ricula, damna, exilia. peregrè ueniẽs, ſemper cogites, aut filij peccatũ, aut uxoris
mortẽ, aut morbũ filiæ, cõmunia eſſe hæc, fieri poſſe, ut nequid animo ſit nouum.
Quicquid præter ſpem eueniat, omne id deputare eſſe in lucro. Quàm uerò &
illud Vergilianum graue eſt:

Neſcia mens hominum fati, ſortisq́ futuræ:
Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.

Vides ut hæc non ſunt obruta, ut
paſſim expoſita: uides q̃ uterq́ poeta hanc euentorũ anticipationẽ ad cœlũ tol-
lat, quod ei cõtrarium ſit, ad manes deprimat. Sed ne in re manifeſta minimè ne-
ceſſarijs argumentis ambitioſius utar, pergam quò tendis: neq́ enim tam quod
pręceperit, reprehendi à te intelligo, q̃ quod ille deinde nimis magnificè polli-
ceatur: nõ uidelicet perturbatũ iri nos (ſi hæc præmeditata nobis fuerint) libero-
rum aut uxoris morte: huic tu præcepto naturę auguſtũ nomen, quod maximum
(ut Phyſici dicunt) ad omneis affectus momentũ habeat, quaſi Aiacis illũ clypeũ
obiectas: naturæ enim inquis imperio gemimus. An uerò hic noſter lacrymas ar
cet? qui etiã præcipiat, ut uel in alienis luctibus, ſi opus ſit, cõferamus gemitus, pa
riterq́ fleamus. Neq́ tñ ſibi Iuuenalis (cuius id dictũ eſt) cõcedi à nobis poſtulet.
Cogi nos in liberorũ funere ad lacrymas, naturę imperio. Naturæ enim nemo re-
ſiſtit, cui qui aduerſareẽ, is gigantũ more, quod dicitur, cum dijs bellũ gerat. Mul
tos autẽ legimus in chariſſimorũ ſibi pignorũ obitu, lacrymis fletuq́ abſtinuiſſe,
ut Athenienſem illum Solonem, ut Cenſorium Catonem, qui ambo ſapientes &
fuerint, & ſint habiti. Non ſunt quidẽ hæc factu facilia, nõ ſupra hominis tñ ſunt
uires. Si das in uno hoc, aut altero, dabis ꝓfectò & in multis, utarq́ eo demonſtra
tionis genere, quam inductionẽ Dialectici uocent, qua plurima apud Platonem
philoſo-

philoſophorum principem Socrates utitur: ut neceſſe ſit, cum quidem in uno aut altero homine actu id extitiſſe conceſſeris, idem in uniuerſa quoq; ſpecie, uirtute ſaltem facultateq; ineſſe nō diffiteare. Vides igitur ut Stoico huic noſtro ſua ratiō cōſtet: uides ut dilucidè, ut expreſſe loquatur: uel quòd per uniuerſum librū, quæ ſint noſtra opera, diſſeminat: ex ijs enim ſolis præcepta ducit: uel quòd affectus illos animi enumerarit, à quib. quaſi fontibus noſtra omnia opera deducantur: tum quantopere ad eius ueſtigandum ſenſum Platonis illa ſagaciter comprehenſa diſputatio faciat. Vides ut non eſt in nobis corpus. Quanto uerò, dij boni, propugnatore, quibus ſe rationibus tuetur? ut ſi falſa locutum peruicacius contenderimus, ipſam in nos Platonicam maieſtatem, omnemq; academiam concitemus. Tantum uerò abeſt, ut magis ardua ſint eius præcepta, quàm quæ natura hominis efficere poſſit, ut etiam indulgentiſſimus uideatur Epictetus noſter, qui ne ea quidem ſibi præcipienda permiſerit, quorū non modò uirtus, aut facultas, ſed actus quoq; exemplaq; paſſim extiterint. Cętera quæ in tua epiſtola ſis machinatus, nullo negotio ſi hæc dederis demoliemur. Cur enim ut aridam ſuccoq; carentem diuiſionem illam uexes, qua ille pauciſſimis uerbis ſcienter circumſpecteq; omnia quæ ſunt, ſuas in partes diſtribuit, nō intelligo. Nam & quod tute nō is infitias, nihil eorum quæ ſunt, eam diuiſionem effugiat, & ſecūda diuiſione minimè indiget, cùm utraq; pars uniformis ſuperſit, ut iam ſi diuidere iterum tentes, cōminuas potius, aut dilaceres, quàm diſtribuas. Non ergo aridū hoc eſt, ſed uerè corpus ſolidum, & ſucci plenum: neq; enim quicquam ei diuiſioni ſupereſt, neq; deeſt, nulla ineſt nugacitas, uerbis utitur proprijs cōprehenſione aptiſſima, nihil ut excogitari circunſpectius poſſit. At dixerit fortaſſe hic aliquis, cur autem non à principio Epictetus iſte oſtendit, qualiſnam is homo foret, quem inſtituendum acciperet? Oſtendit ille id quidem, ſed paucis. Quid enim non ille hoc oſtenderit, qui uel corpus ipſum, aliaq; id genus negarit eſſe in nobis? At id planius oportuit, & pluribus: at non in abdito hoc erat, ſed in promptuario ad manum uolēti id ſumere, ac præſtò erat. Quid enim Platone ipſo illuſtrius? Potuit tamen (inquis) Platonis illa argumenta in pauca conferre. Potuit, ſed non tam decuit: pręcepta enim hoc libello tradit, & quaſi leges promulgat, non contentionibus pugnat. Suus cuiq; profeſſioni finitus eſt terminus: ultrà ſi progrediare, ex iure manu conſertum in iudiciū ſis uocandus. Vides, ut Mathematici demonſtrationum ſuarū principia nō probent, ſed earum patrocinium ei, quem primū philoſophū dicimus, cōmendent. Ad eum enim illa pertinent, quæ uniuerſalia nuncupantur. Punctū, inquit Euclides, id eſt, cuius pars nulla eſt. negato id, obmuteſcet Mathematicus, ſed adeſt periclitanti philoſophus. quid ille tandem? Quod rem, inquit, quampiā finit, id eo quod à ſe finitur, uno interuallo minus eſt. Extorſerit id, iam perget. Tria corpus interualla habet. Id à ſuperficie clauditur, cui duo tantùm adſint, longitudo & latitudo: profunditatem enim minimè illa quidem nacta eſt, ea uidelicet una à corpore deficit. Superficies aūt, quæ duo interualla habeat, linea terminatur, cui unū tantùm interuallū adſit, quæ longitudo ſit: linea poſtremò à puncto finitur: quod omni proculdubio carebit interuallo: quoniam id ueriſſimum eſt, quod dictum ſit, omnem terminū uno interuallo ab eo quod terminetur deficere. Ergo & Epictetus hunc ita libellum orditur, ut quód à Platone probatum ſit, pro conceſſo accipiat, eq; eo omnem præceptorum ſeriem intertexat. Igitur ut apud Homerum Aiacis ſe clypeo Teucer defendit, ita & Stoicus hic noſter ſub Platonis rationibus, quaſi ſub clypeo audacter pugnat. Nō ergo limites, quibus ſe circumſcripſerat, tranſgredi decreuit, ne (quod aiunt) extra chorum

ſaltare cogeretur. Hæc quæ pro Epicteto dicerem in pręſentia ſuccurrerunt, eaqꝫ plura nimium fuiſſe intelligo, quàm epiſtolæ ratio poſtularet. Non plura tamen, neqꝫ pluribus (ut arbitror) explicata, quàm oportuerit. Quæ ſi accipis, mi Scala, coeant iam in fœdera dextræ: ſin reſpuis, agè iam, qualem oppugnatorē prębueris, talem te Epicteto propugnatorē præſta. Atqui eum quidem & fuiſſe magnū uirum omnes tradunt, & mihi centies repetitus perpetuò placet. Verendum tamen eſt, ne meus mihi labor, tanquam ſcitus filiolus ſubblādiatur, idqꝫ uel autori ipſi apud me gratiam conciliet: tibi uerò, quòd me ad hanc ueluti pugnam prouocaris, gratiam habeo: pertinet enim, id quod & Ariſtoteles ait, ad ingenij profectum, contentioſa diſceptatio. Vt iam diuinè Homerus pugnā ipſam, quòd homines reddat illuſtreis, κυδιάνειραν uocet, nec minus egregiè noſter ignobile otiū dixerit. Quare ut me ſæpe uel irrites, etiam atqꝫ etiam te rogo. Eſt enim, mi Scala, reluctandum his temporum turbinibus, literarum & philoſophiæ ſtudijs, ut iam nos ipſos nobis, quantum liceat, aſſeramus. Tua uerò opera, quam tu quidem liberaliſſimè, ut ſoles, pollicere, non minus fidenter, cùm uſus uenerit, utar, atqꝫ ad hanc diem ſum uſus. Vale. Calendis Sextilibus, M.CCCCLXXIX. Feſulis.

ALEXANDRI APHRODISEI SVPER NONNVLLIS PHYSICIS DVBITATIONIBVS, SOLVTIONUM liber, ab Angelo Politiano in Latinum conuerſus.

PROBLEMATVM alia ſuapte natura credibilia ſunt, & nota, omniſqꝫ ambiguitatis & quæſtionis expertia. Quis enim, quęſo, mentis compos dubitet, cur uolatilib. pennas natura ſit elargita? Quiuis enim prudens dixerit fomenti gratia, quaſi ueſtimentis primò circundata, tum ob ſpeciem, quemadmodū greſſilibus quoqꝫ animantibus dati ſunt uilli, ſerpentibus cortices, ſquammæ aquatilibus, aut teſtæ, uelut ijs, quæ teſtacea nuncupant̄. Cur præterea alijs quidem cornua, alijs autem aculeos, alijs acutos ungueis, aut roſtra, aut eiuſcemodi quippiam tribuerit? hæc enim omnia uelut agnatis quibuſdam haſtilibus, quò ſeſe ipſa ab iniuria tuerentur, armauit. Cumqꝫ omnes natura fructus, omniaqꝫ ſemina, tum ad generandū, tum ad genus excipiendum fabricata foret, corticibus ea, aut corporibus quibuſdam mollibus, aut lignum, aut cutem imitantibus cōmuniuit, & quaſi intra ſcriniolum occuluit, ut rigoris, aut caloris, aut animantium quorundam iniuriam deuitarēt. In pleriſqꝫ autem, ne ipſum quidem inuolucrum reliquit inutile, ſed idoneum cibatui parauit. Plantas uerò ipſas frōdibus, cortice, cæteriſqꝫ ſimilibus, pinnarum uillorumqꝫ uicem conueſtiuit, ut quas præuiderat immodico frigore, aut æſtu offendi poſſe, & labefactari: quin & earū quaſdam, etiam ſpinis quaſi ſpiculis armauit, quibus animantiū iniuriam propulſarent: florumqꝫ uarietate, partim ad ſpeciem atqꝫ ornatum coronauit, partim uti uice pręconum inſtantem fructuum paritudinem præmōſtrarent. Igitur qui nota hæc dilucidaqꝫ ſibi poſtulant explicari, ſunt proculdubio mente capti: qui autem ambigunt, an ſit igni inſitus calor, ij tangendi non habent ſenſum: qui dubitant, utrum natura ac prouida ratio conſulat ijs rebus quæ oriuntur & occidunt, quiqꝫ ordinem, motum, poſitum, ductum, coloreſ cæteraqꝫ his ſimilia non credunt, ſupplicio digni ſunt. Hæc itaque ſuapte natura nota ſunt. Alia rurſus inexplicabilia, penitus ſoli cognita deo, ſcilicet illorū eſſentię autori. Nam & artifex, qui ſit opus

aliquod ſolertius machinatus, omneis illius actuũ tenet cauſas. Qui uerò eius operis ſit imperitus, cauſas quoq; ipſas penitus ignorat. Inexplicabiles aũt quæſtiões huiuſcemodi ſunt: Cur quibus alæ, aut plantæ, aut latera titillanť, rident? Cur'ue nonnullis, cùm marmora atterunť aut ſecantur, cùm ſtridet ferrũ, aut limatur, ipſo confeſtim auditu dentes obtorpeſcunt? Cur dentiũ ſtuporẽ, qui è frigidis pomis proueniat, portulaca tamen, quæ & ipſa frigida eſt, ſanat? Neq; ſunt contrariorũ contraria medicamenta, ſed ſimilia. Aut cur magnetis lapis ferrũ tantùm attrahit, deq; eius ſcobe uiuificatur: ſuccinum uerò tantũ folia arida, ac feſtucas aggregat, eiſq; agglutinatur? Et leo ſolũ gallinaceũ pauet. Villaris aũt gallina edito ouo, ſe ſtucis undequaq; corpus purificat. Coturnices Veratro, quod toxicũ homini, ueſcuntur. Sturni cicuta. Aſcamonia flauam bilem trahit: Colocyntha uerò, & Agaricum, & albũ Veratrũ, Epholbionq;, & Coccus Cnidius pituitam. Nigrũ autem Veratrũ, & Epithymũ nigram bilem. Quibuſdã uerò ſedatur uenter ijs quæ perpurgant, cõtrà uerò ijs quæ ſedant perpurgatur. Tum alio alius cibatu magis delectatur, eumq; facilius concoquit. Quis aũt ignorat, marinã torpedinẽ, uel per ipſam lineam torporẽ in corpus adigere? Mulũ aũt ſi manu contineatur, cõtra torpedinẽ ualere? Infinita deniq; huiuſcemodi enumerare poſſim, quæ ſola experientia cognoſcuntur. Quapropter & à medicis proprietates arcanæ appellantur. Quod enim de horũ proprietate affertur, arcanũ propemodũ eſt ad cauſam afferendam. Praue enim quidã ſolutiones horũ proponunt ꝙ plurimas, quæ inutiles penitus, improbabileſq; ſunt. Dicunt enim purgatoria, quæ calidiſſima ſunt, humores trahere, quod proculdubio falſum eſt. Oporteret enim, quodcũq; eſſet calidum, idem & purgatoriũ eſſe. Nunc aũt piper, cùm ſit calidũ, non trahit, ſed concoquit, ſolidatq;. Eodemq; modo & maſtiche & aloe. Dicimus itaq; non reciprocari ſermonẽ. Nam ſi quocunq; aluus ducatur, id habitũ quidem calidũ, uim autẽ uacuefaciendi habet: nõ continuò tamen, quicquid eſt calidũ, uim quoq; habet ducendæ alui. Dicũt aũt & ſtruthocamelũ ferrũ concoquere, nõ proprietate quidem aliqua, ſed caliditate, quod profectò abſurdũ. Leo namq;, qui hoc animanti calidior eſt, ferrũ tamen nõ concoquit. Neq; uerò apud medicos tantũ proprietates quædã ſunt: ſed apud philoſophos itẽ, ac grammaticos: ut ea quæ pathe, hoc eſt, affectus appellanť, uſibus adnotata: quocirca de ijs duntaxat quærendũ, quæ mediũ quendã locũ obtinent, neq; ad cognoſcendũ ancipitia ſunt, & ſub explicationem cadere poſſunt. Quæ enim falſa dicunť, ea ſunt omnibus nota: quæ ueritatem præ ſe ferunt, horũ nota ſunt alia, & conſpicua, alia obſcura, & inexplicabilia, partim uerò medię cuiuſdã ſunt naturę, quorũ nunc expoſitionẽ aggredimur. Omne aũt problema, aut ex habitu ipſo ſoluendũ, aut ex coagmentatione, aut ex actione, aut è conſenſu erga aliquod ſimile, aut è colore, aut per ſenſus deceptionem, aut per nominis anticipatũ, aut quà eius rei uires magis minus'ue agant, aut quà durius quidq; rarius'ue ſit, aut maius, aut minus, aut à tẽpore, & ætate, & conſuetudine, aut eſſentiæ ratione, aut ex accidenti, aut ſimiliũ rerũ conditione, qualia, quę in problematis dicunť. Inuenies igitur, ſi has tibi pręponas formulas, quacunq; de re ambigatur, uocare in diſputationẽ poſſis. Quoniã uerò haud ijs tantummodo acquieſcendũ eſt, quæ ad uniuerſum ferunť, ſed tanꝙ manu ducẽdus, qui egreditur: agè, iam ſolutiones ipſas aggrediamur. I

Cur Homerus homines à canitie temporum πολιοκροτάφους appellauit? Quoniam plurimùm inde cani incipiunt, quia priora capitis humiditatis, pituitatiſq; plus habent, ꝙ poſteriora. II

Cur tantùm priora capitis calueſcunt? Quia mollia, laxa'que ſunt. Cùm igitur

igitur capillus ob naturalem ſiccitatem careat alimento, facile ijs partibus defluit: haud enim facile hæret, uelut in occipitio, quippe quod & ſiccius ſit, & con ſpiſſatius. III

Caluitium autem à ſiccitate ortum habet: hinc fit, ut qui criſpo ſunt capillo, quo ſicciùs caput habeant, citius calueſcant, ſerius caneſcant, ſiccitate cōſumente excrementa pituitatis. Sunt & uigiles præter cæteros. Somnus enim ex humiditate oritur. Argumento ſunt infantes humidi, pariter ſomniculoſi atque excrementoſi. Et humidi affectus, & ebrioſi, qui crebrius lauantur. Minus quoque excernunt per meatus: ut per nares, per os, per oculos. Qui uerò molliore ſunt capillo, ut quibus eſt humidum caput, eis contrà euenit: rarius enim, aut nunquam calueſcunt. Sed & uitio generis, caluitiū accidit, ut & podagra, & alij quidam affectus cognatiōe generis excipiuntur. Citius autem caneſcunt, ſomnolentique ſunt, atque excrementoſi: cani autem alibi: imitantur enim pituitæ colorē, unde ipſi ortū habent. Sunt interdū propemodū aureoli, cùm uitellina bilis pituitæ ſit immixta. IIII

Cur ſenes excrementoſi, & uigiles? Excrementoſi quidem ſunt, quoniā ætate frigidiores imbecilliores que cum ſint, minus concoquunt, multaque per meatus excrementa contrahunt. Cùm uerò ſolidis ipſis corporibus ſicci ſint, uigiles quoque ob idipſum ſunt. Infantes enim & foraminum contextu, & ſolidis ipſis corporibus humidi ſunt. V

Cur pueri, & qui humidi natura ſunt, & excremētoſi, canos tamē minimè producunt? Quoniam humidi calidique ſunt. Pituita aūt humida eſt, ac ſincipur quoque habent quaſi cuteum, & rarum, quo ſuperflua excernantur. Id ætate dureſcit, fitque oſſeum, ac denſeſcit. Vnde & ſuturas ei natura poſtmodum tribuit, per quas ſuperuacui uapores efflarentur. Solutio ex habitu & coagmentatione corporis. VI

Cur fœminæ ac ſpadones ocyus caneſcunt? Fœminæ quidem, quòd & natura ſunt frigidæ, & minus exercentur, pluraque ob id excrementa contrahunt, ac tum præcipuè, cum earum iam menſes quieuerint. Spadones uerò, quòd ſemen iam non edunt, ſed excrementū, quo ſemen gigni debuit, per uniuerſum corpus unà cum ſanguine diffundunt. Id autem pituitatis naturā habet. VII

Sed cur pilis carent? Fœminæ quidem, quia frigidæ ſunt, denſosque habēt corporis meatus. Frigus enim condenſat, hinc fit, ut qua pili erumpant, uia nulla ſit. Spadones autem, quia & humidi ſunt, & ſupra modum excrementoſi: hac enim ratione fit, ne locis humidioribus herbæ pullulent: neque item ſiccis & lapidoſis, ut quæ caluitium imitentur. VIII

Cur ſpadonibus ut plurimū pedes diſtorquentur? Quoniam ob eam, de qua diximus, ſuperuacaneam humiditatē partes corporis uuidas mollesque habent, atque ob id imbecilles: quapropter cùm totius corporis onus crura nō ferant, torquentur, ut ſi pondus harundini injcias, flectatur. Nam quod durū ſiccumque eſt, idem & ualidum eſt, & actioni renititur: quod autem humidum ac molle, id actioni reſiſtere nequit: eſt enim imbecillum. Argumento ſunt & ligna, & coria, & uimina, atque item homines. Balneis enim & poculis debilitantur, uictus norma modicè deſiccantur, ualidiores que ad agendum euadūt. Quo efficitur, ut ſpadones muliebres quodammodo ſint, atque imbecilli, ſimiliterque uinolenti, ut quibus pituitatis plurimùm inſit. Nam cùm frigidi ſint, contrarium inducere affectant. Vinum autem ſuapte natura calidū eſt. Aethiopes uerò utpote naturæ ſiccioris capillo ſunt criſpo, macilenti, muſculoſi, ualidi ad opus. IX

Sed cur uoce acuta ſunt? Rurſus enim humiditatis copia implens aſperam ar-

teriam, eam coarctat, hinc ſpiritus per anguſtum means, uocis acuitatem efficit per latum, ut in uiris granditatem. Argumento eſſe poſſunt, foramina tibiarum. Abundare autem illos humiditate manifeſtum eſt, quòd leues ſunt, quodq; ijs in muliebrem modum mammæ increſcunt, palpebrasq; habent turgidiores, ſuntq; tenui capillo, & incano. X

Cur nonnulli ſpadones rem ueneream modo aliquo affectant, atq; interdum amant? Quia multis circa pubertatem execti teſtes, confracti' ue fuerãt, ſuntq; ue lut imperfecti ſpadones, quidam uerò calidiori ſunt iecore, ac ſeminalia uaſa magna habent. Imaginantur itaq; uſum, quod uerò cupiunt, minimè peragunt. Verenda enim ipſa marcent. Nam qui ea inflat ſpiritus, perpetuò defecit. Is à ſemine omnis per ſeminales meatus, ijs de partibus ferebatur, quæ circa lumbos ſunt. At in pueris ſeminales meatus occæcati. XI

Quare cùm tres humores ſimplices, uniformesq; ſint, non tamen tres uniformes ægritudines, ſimplices' que progenerant, ſed plures? Duplices enim in unoquoq; accidunt, perpetuæ ſcilicet, & interciſæ. quia non ex ipſis tantum humoribus morborum differentiæ proueniunt, ſed & à locis. Calidus enim & tenuis humor, acutam, breuem, atq; ardentem gignit febrim: frigidus autem, & craſſus obtuſam & longam Sic & lignorum quæ quidem ſunt calida & aridiſſima, ueluti tędæ, & lauri ingentem excitant flammam, citiuſq; exuruntur: uiridia uerò, & humida, humilem & fumidum ignem edunt, ſeriuſq; exuruntur. Rurſus ſi locus quidẽ ipſe ſpatioſus ſit, atq; amplus, citius ac maximè accendit humorem: quoniã cùm ſimul ſit coaceruatus, unà omnis penitus putrefactus accenditur. Si uerò tenuis ſit, & anguſtus, cùm uniuerſum minimè capiat humorem, ſed particulatim: quia non ſimul omnis ſit, putreſcat, febrim quidem exilem excitabit, ſed quæ diutius ardeat. Admiſce igitur humoris naturam, ac locum, omnemq; earũ febrium differentiam inuenies, quæ ex humorum putrefactiõe proueniant. Si enim in magnis conceptaculis, ut in uenis puta, & in arterijs flaua bilis putreſcat, cùm calida ſit, ardẽtiſſimam, acutam, & breuem accendet febrim, qualis eſt, qui ardor appellatur. At ſi in paruis uenis & arterijs, quę circa cutem ſunt, putreſcat pituita frigida, languidam & diuturnam efficiet febrim, ut quam quotidianam dicunt. Præterea extrema quoq; ipſa permutantur. Quòd ſi in paruis conceptaculis flaua putruerit bilis, febrim faciet, minorem breuemq;, ſed longiorem tamẽ aliquanto, quàm eſt ardor, aut tertianam, aut ſimpliciter acutam. At ſi in magnis conceptaculis pituita putruerit, breuiorem aliquanto faciet, quàm eſt quotidiana: ſimiliter & nigra bilis, ſi in magnis putreſcat uenis, quoniam uno tempore uniuerſa quodammodo exuritur, breuem faciet febrim per quartos: ſi autem in paruis, diuturniorem quartanam. Concurrunt enim frigidus humor, & craſſus, & alterationi minimè idoneus atque anguſtus locus, qui uniuerſam ſimul bilem exuri conſumi' que non ſinit. XII

Cur nonnullis, ubi pudore afficiuntur, ſudant alæ? Quia maximè raris ſunt meatibus. Natura autem auocans ab eo ſeſe, quod ſit honore aut reuerentia dignum, modicè unà cum ſanguine maximas in uenas arteriasq; fugit, eæq; replete deſtillant. At gaudentibus id euenit, quoniam remittitur, rareſcitq; corpus, maximè uerò alæ. XIII

Cur timentes pallent? Quoniam natura noſtra, ea' que uis, cui corpus eſt curę, nihil ab externis pati uult. Atque ut nos intra domos confugimus, ita & ipſa ſecuritatis ſatagens, in corporis intima, quoad eius fieri poteſt, ſe conijcit. Atqui & ſanguinem, quem pro cibo uehiculo' que habet, eum ſcilicet, qui optimus ſit, ſecum

ſit, ſecum trahit. Is autem eſt ſanguis, qui roſeo cutem purpureo'que colore inficit.

XIIII

Sed cur ijdem tremunt? Quoniam animalis uirtus cõſenſu naturæ neruos deſtituit, quos prius ſeruabat: ij uerò corporis partes tremoris expertes ferunt: hinc fit, ut & uenter ijs ſoluatur, & mingant deimprouiſo. Nam qui muſculi excrementorũ meatus obſtruunt, nũc imbecilles facti, ſuperuacanea remittunt.

XV

Cur quos pudet, rubent? Quia natura ſua ſponte conſcientia quadã quod honore ſit dignũ reuerita, quaſi nobilis puella, modicè ſeſe in corporis intima contrahit. Mouetur autem unà ſecum ſanguis, ac funditur: unde etiam cutis ſanguinis colore inficitur. Alij ſanguinẽ à natura obtendi, quaſi uelamen dicũt. Quemadmodum & nos à natura uelut admoniti, manũ faciei prætendimus.

XVI

Cur nonnulli metu extincti? Quoniam fugiens ſupra modũ naturalis uirtus, ſeq; in corpus intimum unà cum ſanguine recipiẽs, inſitum uiuificumq; calorem eum qui propter cor gignitur, confeſtim ſuffocat atq; extinguit, quare & corruptionem inducit: hac enim ipſa ratione & oleum, cùm plurimũ ac ſubitò in lucernæ flammam inditur, eam extinguit: habet autem ſanguis, qui eſt in corde, proportionem ad lucernæ flammam. Quoſdam & immodicus dolor ratione eadem exanimauit. Reſoluitur enim inſiti caloris internus motus, ut operculo obtectus ignis extinguitur.

XVII

Cur multi uinolentia exanimati? Quia rurſum uini copia naturalẽ uiuificamq; uirtutẽ caliditate ſuffocat. Præcipuè uerò hoc ijs accidit, qui inſitum calorẽ exiguum atq; imbecillum poſſident. Quod enim & plurimum eſt, & ualidum, reniti magis poteſt, ſpatioq; temporis copiam coquit: quemadmodũ & flammæ copia maiorem quoq; olei infuſionem tolerat.

XVIII

Cur ſenes tremunt? Quia rurſum naturalium uirtutum nerui, ac particularum muſculi, cùm ſufficientẽ motiuam uirtutem minimè capiant, haudquaquam pariter ad tolerandum corporis onus annituntur. Fit autem tremor, quoniam corporis põdus particulam deorſum trahit. Animalis autem uirtus ſurſum: hoc cùm & fiat ſucceſſione, & continenter tremorem ciet: hinc etiam cernui ingrediũtur, atq; ad humum uergunt, quorſum eos natura detrudit: hinc & bacillorum adminiculo pro tigillis ſuſtentantur, obq; hanc ipſam uirtutum imbecillitatem ſtercus deimprouiſo, urinamq; deijciunt.

XIX

Cur piper & ſinapi, integra ſi deuores, uentrẽ minimè excalfaciunt: ſi trita, excalfaciunt? Quia quæ uirtute tantum, non autem & actu ſuas habent qualitates, aliquo extrinſecus indigent adiumento, ut uirtutem in actum producant. Ipſa igitur tritura attenuata, atq; in intimũ corpus per meatus penetrantia, tum à ſua inſita caliditate commota, agunt hoc pacto. Eademq; ratio eſt & cæterarum qualitatum. Sunt autem ex ijs, quæ per qualitatem agunt, nonnulla quæ actu ipſo qualitatem habẽt, ut aqua potabilis, ptiſana, lac: humida enim, & frigida ſunt, neq; ullo extrinſecus indigent miniſterio ad refrigerandum atq; humectandum: ſed ſtatim proprieq; agunt. Similiter & ſal, & terra, & eiuſmodi: ſiccæ enim ſunt naturæ, & uirtute, & aſpectu, & actu. Mare em̃, & ſalſugo, & uiua aqua humida ſunt & imaginatione, & aſpectu: ſicca autẽ & uirtute, & actu: lini uerò ſemen, & panis, ſicca imaginatione & aſpectu, humida uerò ſunt uirtute & actu.

XX

Cur nonnulli noctu nihil uident, die uident? Quoniam uidendi ſpiritũ craſſiorem habẽt: neq; qui aera pertranſire uſq; ad uiſibile poſſit: noctu uerò craſſeſcit, quoniam ſolis abſentia refrigeratur, uel (ut alij dicunt) quoniam interdiu à tenui calidoq; aere attenuatur, noctu uerò denſatur. In fele autem, & hyæna, & noctua

contrà accidit. Interdiu enim nihil cernunt, noctu exactè cernunt: habẽt enim uidendi uirtutem tenuiſſimã, maximeq; perſpicuam: quæ cùm noctu modicè craſſeſcat, ſuſcipiendo obiectui idonea fit: interdiu autem, atq; in claro lumine uehementer attenuata reſoluitur atque diſpergitur: unde & leones, qui eiuſmodi ferè ſunt, per ſolem ingredi nequeunt. Et ignem interdiu cernentes fugiũt. Eſt & eorum uidere pupulam uehemẽter ſplendidam, habentq; humida oculorum maximè perſpicua. XXI

Cur repentinum uehemensq; gaudium nonnunquam exanimat? Quia uitalis uirtus, & inſitus calor, cùm immodicè extrinſecus fertur, egeritur atq; reſoluitur, unde & ſudant, & rubent, quoniã ſanguis adeſt. Inſitus enim calor, atq; ipſe ignis tum caliditate, tum quòd loco ſuo demigrat, ſurſum uerſus mouetur. Rurſum uerò pabuli appetitu deorſum: utrolibet autem horum motuum pereunte, ipſe cor rumpitur. XXII

Cur dolentes, & amantes, & iraſcentes ſuſpirant admodum, & frequenter? Quoniam dolentium anima ad ipſam doloris cauſam conuerſa eſt, cupientiũ ad id quod cupiunt, iraſcentium ad id quod iram ijs concitat. Igitur intẽta anima ad id quod mouet, negligit, & quodammodo obliuiſcitur, motiuã pectoris muſculis uirtutẽ præbere. Cor itaque ipſum, neq; pectoris dilatatione aerem accipiens, ideoq; neq; per flatum atq; refrigeratum, neq; item contractione excernens ſingultifica excrementa, quæ de ſanguinis exuſtione gignũtur, dum ſuffocationem metuit, animam cogit, atq; admonet, ut quàm plurimùm muſculis motum præbeat, maioremq; inſpirationem atq; expirationem efficiat, ut maiorẽ quoq; uim frigidi aeris accipiat, maioremq; uim excrementorũ effutiat, ut quod exiguæ crebræq; reſpirationes facturæ fuerant, idem maior una efficiat. Vnde & Græcũ nomen ſuſpirio ex anguſtia pectoris priſci dederunt. Suſpirant autem diutius, & frequenter, quoniam in id ſemper quo mouetur, conuerſa eſt. Natura autem cogit eam, ut aliquãdo plus motiuæ uirtutis muſculis pectoris per cor immittat: q̃d autem in pectore reſpiratio, idem in corpore perſpiratio eſt, quæ per arterias fit. Similis autem eſt inſpirationi dilatatio. Expirationi autem cõtractio: ſub pulſus uerò nomine dilatatio contractioq; comprenditur. XXIII

Cur iſicium difficile concoquitur? Quoniam leuitate ſua humido pabulo intra aluũ innatat, idq; per mediam, neq; ſeſe ad eius corpus applicat, qua applicatione concoctio fit. Tum circa gulam redundat, cuius officium appetitus eſt, non coctio: extra uerò corpus, ſi in aquã indatur, innatat: neq; demergitur: quia dum carnes interuntur, leuem cõcipit ſpiritum, corpus in altum expuit, humidisq; innare cogit, hinc & lentus eſt, quoniam ſpiritus eſt particeps. XXIIII

Cur antequàm balneum ingrediamur, calidum mingimus, cùm diutius in balneo ſuperſedimus, frigidum? Fit hoc: nimirum quaſi ad alterius cuiuſpiam comparationem. Emiſſa enim urina tepidæ qualitatis eſt, ac modicè calida. Extra igitũ balneum, quoniam frigidum eſt corpus noſtrũ, quę urina emiſſa eſt, uelut ad corporis comparationem, calida eſt. In calido autem, quoniam multo magis corpus q̃ urina calefit, frigida urina uidetur, quamuis aliquo modo calida ſit, uerumq; id eſſe, uel ex eo apparet. Ei enim qui balneum ingreditur, ut calfiat, ſi calidum ſoliũ ingreditur, quę calida eſt aqua, admodũ feruida uidetur: ſi aũt iam excalfactus ingrediatur, non itidem ei feruida uidetur. XXV

Cur loca maritima fodientes, dulcem aquam inuenimus? Nimirum quoniam in mari, quæ tenuior ſit aqua, dulcis eſt, quæ craſſior ſalſa, tenuis igitur aqua per terræ meatus influens, in ipſa occulitur terra, quam deinde fodientes inuenimus.

Dulcis

Dulcis eſt autem, quoniam per brumam in aera attollitur. Craſſa uerò aqua exiccata emundataq́ fit ſal. At in littoribus, quæ meatus laxioreis habeant, ſalſa inuenitur aqua. Excolatẽ enim eò etiam craſſior maris aqua. XXVI

Cur putealis aqua per brumam calida, per æſtatem frigida eſt? Quoniã quidq́ ſemper contrarium ut inimicum fugit. Frigidum uerò, & contrariũ calido eſſe, & ipſum corrumpere manifeſtò apparet. Igitur quoniam calor per æſtatem aera occuparit, fugit frigus in intimam terram, atq́ ob id aquam frigeſacit. Per brumã uerò, quoniam frigus in aere plus pollet, rurſus calor in intimum deſugit, aquamq́ excalfacit. Contraria enim eodem in loco ac tẽpore ſimul manere, contra naturæ legem eſt. XXVII

Cur breui ſtatura homines proceris ut plurimùm ſunt prudentiores? Quoniã conſtipata atq́ cõpacta illis eſt anima in uniuerſo corpore. Proceris uerò, in longitudinẽ diſtenta reſoluitur: quapropter Homerus Vlyſſem breuem ac prudentem, Aiacem uerò procerũ ac ſtolidiorem deſcribit. XXVIII

Cur minus prudentes, cũ ingrediuntur, ſeſe ueluti ſuſpendunt? Quia ut inualidus gubernator haud in rectũ nauim agit, ita marcidior anima corpus. XXIX

Cur ſtolidorum q̃ plurimi, prudentes gignunt liberos, ac robuſtos? Quia ſtolidiores in coitu uoluptati magnopere ſuccũbentes, animam habent corpori magnopere immerſam. Quo efficitur, ut eorũ ſemen quàmplurimæ uirtutis, tum rationalis, tum naturalis particeps, prudentiores, qui naſcantur, efficiat. Prudentioribus autem, atq́ ijs præſertim, qui ſint eruditi, ſecus omnino accidit. Prudentiæ enim uis aliquid eorum ſemper, uel in re ipſa uenerea reputans quę ſint extrinſecus neceſſaria, ideoq́ ſuſpenſior, efficit ut quod ſemen defluit, quàm plurima careat naturali uirtute. Hinc ſoluendum, cur ſtolidi atq́ ineruditi liberos gignant corpore robuſtos, eruditi contrà imbecillos. XXX

Cur ferarum ſtercus haud ita malè olet? Quia ſicciori, minimeq́ ſuperuacaneo utuntur nutrimento, maximeq́ exercentur: quin & dorcadum, & aliorum quorundam animalium ſtercus, uelut aromatum quodammodo imitatur odorem. Hominis igitur ſtercus peſſimè omnium olet, quòd ij & uario & humido ueſcuntur nutrimento. Idq́ etiam ſupra ſatiem, & intempeſtiuè, & cùm minimè indigẽt, tum minus exercentur, minusq́ q̃ cætera animantia caloris habent: quare cùm neq́ planè concoquatur, neq́ ob copiam perfletur, ſed ueluti commarceat, mali eſt odoris. XXXI

Cur ſinapi, cæteraq́ id genus acria cuti impoſita ulcerant, deglutita uerò, aluũ iam non ulcerant? Quia prius demutanẽ ea, & concoquuntur, quàm agant. Præterea reſoluitur acredo nimia corporis humiditate. Item cùm ſupra cutẽ ponuntur, temporis ad agendum plus habent, quoniam ea conſpiſſatior eſt. Eſtq́ præterea imbecilla. At quod intimum eſt, & laxioreis meatus habeat, & ualidius eſt. XXXII

Cur qui dolent, quiq́ gaudent ridentes lacrymant? Qui quidem dolent, meatuum qui ſunt in oculis, ſpiſſitudine eorũ exprimunt humiditatẽ: qui aũt gaudẽt, raritate meatuũ humidum effundũt. Quibuſdam uerò in oculis, ijs qui anguſtioreis meatus habent, in neutro lacryma exprimitur. XXXIII

Cur hordácea farina, cùm ſit frigida, reſoluit pituitates? Siquidem omne frigidum condenſat, ac reſolutionem impedit. Equidem puto, non quia refrigeret, ideo reſoluere, ſed quia eijciat, uim eijciendi, atque humores diuidendi poſſidet. Sunt que plurimæ eiuſmodi ſpecies ſibijpſis contraria agentes, non illæ quidem prima ratione, & ſeſe ipſis, ac præcipuè, ſed ſecunda, & ex accidenti: ut apium,

quod quidem eſt calidum,febrim diminuit. Non quà id quidem calidum eſt: ſi-
mile enim ſimilia auget, ſed quà ex uenis eĳcit morbiferos humores, uimq́ pro-
uocandæ urinæ. Itemq́ iris & hyſſopus lateris morbo, quæ pleuritis dicitur, con-
ferunt: quamuis enim calida ſint, tamen eos humores incidũt, qui pituitatem in-
tra eam membranulam gignunt, qua coſtæ ſubcinguntur. Et aqua calida circum-
fuſa rigorem ſoluit, qui tetanus dicitur, quiq́ ex lentis frigidisq́ humoribus gene
ratur. Soluit autem non propriè, ſed ex accidẽti per medium aliquod, hoc eſt, per
inſidentem caliditatem. Si igitur ſua ſponte nullius medĳ interuentu agant, pro-
priè dicuntur, primaq́ ratione agere: ſin medĳ agant interuentu, non autem ſeſe
ipſis, ex accidenti tum agere, perq́ ſecundam rationẽ dicuntur. XXXIIII

Cur mingentibus accidit, ut & flatum edant? Quoniam cùm ueſica urinæ ple
na eſt, turget, premitq́ & coarctat directũ inteſtinum. Dum itaq́ exinanitur, in-
cluſo inteſtinis ſpiritui, exeundi occaſionẽ præbet, quidã uerò conſenſum quen-
dam harũ inter ſe particularũ eſſe ad deiectionẽ arbitrantur. XXXV

Cur qui oſcitantem uideant, & ipſi oſcitant? Quia natura animantium, maxi-
mè que ratione carentium, ſimilitudinum quendam ſenſum, itemq́ue affectuum
habet. Atque ita fit, ut meiente aſello, cæteri item meiant, cùm ſint urina re-
pleti. XXXVI

Cur lippus ſanum lippitudine afficit: ſanus uerò lippum haudquaquam ſani-
tate afficit? Quia oculi humecti ſunt, & molles, atq́ affectibus expoſiti. Tũ quia
ſanitas, ex habitudine modica, uitium ex immodica accidit. Quod igitur modicũ
eſt, facilius ab immodico mutatur, ac uertitur, quàm contrà. Ergo & lippitudo,
quæ immodica quædam habitudo eſt, facilè ſanitatem, utpote modicam, demu-
tat. Fit aũt mutatio naturali corporũ inter ſe conſenſu. XXXVII

Cur numiſma, & pomum in aqua maiora quàm ſint, uideri ſolent? Quia affuſa
ĳs aqua, concolor fit, aſpectumq́ decipit, quaſi maiora ſint. Tali enim ratione &
ſol & luna, & quæ erraticæ ſtellæ dicunt̃, cùm iuxta ortus aut occaſus limitẽ ſpe-
ctantur, ampliori corpore uidentur: Sua enim qualitate circumfuſum ſibi aerem
afficiunt. XXXVIII

Cur triangula procul cernentibus, rotũda putantur? Quia cùm aſpectus pro-
cul angulos uidere nequeat, utpote acutos, eos ignorat, quibus ob aſpectus dece
ptionem ſubductis, rotunda putantur. Idem in remo accidit, qui ſub aqua perfra-
ctus apparet. XXXIX

Cur ligno procul uapulante, ictum continuò uidemus, ſonum ſerius exaudi-
mus, quamuis unà cum ictu & ſonus fiat? Quoniam uiſum ſubtiliorem auditu, a-
cutioremq́ habemus. Ictum igitur uiſus, utpote acutior, anticipat: auditus autem
ut qui craſſior eſt, ſonum tardius conſequitur. Hac ipſa ratiõe ſoluendũ eſt, quod
in nubium inter ſe cõflictu brumæ tempore, ubi ictus oritur eius, quem tonitruũ
dicimus, eiuſq́ ignitio, quam fulgetrã uocamus, ut in ĳs quæ pyrecbola, hoc eſt,
igniuoma dicuntur, prius fulgetram cernimus, atq́ ita poſtmodũ tonitrus exau-
dimus, licet conflictu ipſo prior tonitrus, poſterior fulgetra, aut unà ſaltem ambo
oriantur. Et hic igitur uiſus, utpote ſubtilior, auditum præuertitur, atq́ ita fulge-
tram prius uidemus. Tum & auditus tonitrũ ſentit, ut qui craſſior, atq́ ad conſe-
quendum tardior eſt. XL

Cur fit, ut cùm nuda facie, reliquo amicto corpore ſimus, in maximo tamen fri
gore reliquũ quidem corporis rigeamus, faciem minimè? Conſuetudine: aſſue-
uit enim facies aeri tolerando, maximè uerò nos cõſuetudo aduerſus omneis af-
fectus communit. XLI

Cur

Cur flaua bilis, quæ per uniuerſum uitæ tempus ea tunica, quæ bilis ueſica dicitur, continetur, cuiuſq; corpus maximè affectibus expoſitum eſt, minimè ipſam corrodit: at ſi uel ad exiguū temporis in dentem, cuius eſt corpus ad patiendū minimè aptum, ingruerit, ſtatim eum exeſum reddit? Quoniam ita eſt à natura inſtitutum, ut eo tantùm in corpore inhabitet, ideoq; minimè ipſum lædit. Magnum enim remedium contra dolorē naturæ nomen eſt. Milleq; alia poſſim tibi exēpla afferre. Decem in matrice menſes infans permanet, nullū ponderis ſenſum prægnanti præbens. Spiritus autem leuis in eam incidens, dolorem continuò acutū citat, qui & tenſionem, & intolerabile efficit pondus. Aſpera arteria unius eſt ſpiritus receptaculum. In eam ſi mica, aut potiuncula deerret, ſuffocationem, aut uehementem efficit tuſſim. Id niſi natura ipſa præfiniſſet, haudquaquam fieri uel ad minimùm poſſet. XLII

Cur nonnulli cùm balneum ſitientes intrant, abſq; ſiti exeunt: nonnullis uerò contrà accidit? Sicciores quidem balneo uiueſcunt, ſitimq; ſedant: ſitis enim ſiccitate prouenit, præſertim ſi non penitus à ſiccitate reſoluantur. At qui uuidiores ſunt, minimeq; ſitibundi, ſi diutius immorentur, ſub calido præſertim aere, atque intra aridam contignationem, reſoluta per ſudores humiditate, ſitibundi efficiuntur. XLIII

Cur radicula comeſa, alij fœtidū eructant, alij minimè? Quorū quidem aluus ac ſtomachus ſuperuacaneis maliſq; humoribus, ijſq; ad pituitatem uergētibus, minimè exuberat, eorum purus eſt ructus: at quibus exuberat, fœtidus. Radicula enim calida eſt, humorumq; craſſitudinē incidit, atq; attenuat. Ex humoribus autem ſpiritus excitat, eoſq; per ructū effutit. Sic & cœnū quieſcens, nihil olet, motum uerò, & conturbatum, grauem halitum efflat. Qui uerò radiculam ipſam grauis naturæ, ac fœtidæ qualitatis eſſe autumant, quoniam ea cùm extrà corpus ſit, diutiusq; ſeruetur, grauiter oleat, proculdubio falluntur: omnes enim qui ea ueſcerentur, grauem ructū edere oporteret. XLIIII

Cur in maximis rigoribus digiti ac ſumma corporis nigreſcunt & decidunt? Quoniam extremū frigus abigit, atq; retrudit inſitum calorem ſub intimum corpus, atq; ita ſumma corporis liueſcunt quidē primò, tum nigreſcunt, & quodammodo cadauerantur. Decidunt autem, quoniam natura reliquo intenta corpori agglutinat ſibi quod ſanum ineſt, quod uerò iam perijt, dimittit à ſeſe, atq; extrudit. Summa autem præcipuè afficiuntur, quòd neq; admodum carnoſa & minus calida ſunt. Nam & ſtirpium eæ præcipuè foliorum defluuium bruma patiuntur, quæ minus calida natura ſunt, atq; ob id imbecilliores atq; rariores. Qui uerò dicunt, ſtatim à principio inſitū calorem, à frigore, quaſi ab aduerſario fugientem, in intimū corpus peruadere, tum ſeſe colligentem, & quaſi inſtaurantem, ceu reſumptis uiribus, in eas rurſus particulas, magna repentè copia, auxilio accurrere, atq; ita, uel quia repentè, uel quia maxima caloris ui eôdē remigrarit, ſumma corporis exurere, quia in ijs reſidens magis congregetur, ij proculdubio falſum autumant. XLV

Cur qui ſumma corporis rigentia, igni admouent ut calfaciant, uehemēter dolent? Repentina uidelicet qualitatis mutatione. Plurimum enim frigus, in plurimum calorem demutant: quicquid enim immodicè repenteq; fit, mala uidelicet habitudine, id naturæ cruciatum affert: quicquid autem bona habitudine, & modo, & ſecundum naturā repentè immutatur, id naturā magnopere delectat: conſiſtit autem maximè in habitudinis modo humanū corpus, multoq; magis quàm cæterorum animantium. XLVI

Cur

Cur qui piper aut magnum panem comederunt, ſingultiunt? Eſt uerò proportio, & cum iis quæ extrinſecus aut ingrauant, aut dolorem incutiunt. Piper enim, flauaq; bilis proportionem cum ſpinis habens: pituita autem, & panis, cum grauiſſimo lapide. Qui aluũ minimè excrementoſam, ſenſibilem, calidamq; ſunt nacti, ii ocyſſimè piperis acrimonia mordicantur, ſtomachũ excitant, ad id quò dolent, excernendum ac perſequendum, atq; ita quem ſingultum dicimus effutiũt: qui uerò frigidiorem nacti ſunt ſtomachũ, maioremq; in eo pituitatis uim habẽt, minusq; ſentiunt, ii tardius ſingultiunt. Idemq; iis accidit, qui magnũ repentè panem deuorarint. Panis enim copia ac magnitudine degrauantur. Neq; enim ſuas parteis ceſſare natura patitur, ubi quidquã adſit, quod ſe lædat. Piper igitur qualitate acri id efficit ſecundum proportionẽ pungentis intrinſecus bilis. Panis autem quantitate ponderis, uelut & pituitæ copia, intrinſecus degrauans, ſingultũ efficit.

XLVII

Cur qui in unguibus affectus exiſtunt, uehementer cruciant? Quoniam nerui qui per digitos tenduntur, peculiaribus excrementis, ungues gignunt: quemadmodum & dentes in gingiuis fiunt. Cùm itaque ſenſibilis neruorum uirtus in extrema progreditur, inq; iis collecta, ueluti in conuallem profluens aqua congregatur, atq; etiam copioſior exiſtit, proculdubio quò magis affectum ſentit, magis etiam cruciatur.

XLVIII

Cur deuorato repentè magno pane, ſingultientibus, retentio ſpiritus, ſingultũ reſoluit? Quoniã ſtomachus adiacet aſperæ arteriæ. Ea uerò ſtomachũ premens, atq; in anguſtũ adurgens, id agit, ut & qui in eo cibus conſtipatus ſit, exprimatur in uentrem, atq; ita exoneratus, ſingultum ſiſtat.

XLIX

Cur deuorato pane ſingultiẽtes, ubi quid triſte audiunt, nõ ſingultiunt? Quoniam in id animam intendunt, quod triſtitiam afferat: quo efficitur, ut mouendo pectori, minus ſit intenta. Rurſum igitur, cùm non erumpat ſpiritus, uerũ copioſior cogat, ſingultũ ſiſtit, ut & antè didicimus.

L

Cur imagines propè quidem, planos colores, procul autem ſtantibus, partim concauos, partim deuexos oſtendunt? Quoniam uidendi uis in longo interuallo extenditur atq; reſoluitur: quo fit, ut intima colorũ exactè planeq; non cernat: ſed candidos quidem colores deuexos, nigros autem concauos uideat. Candidũ enim, cùm ſeſe ſplendido admouit, extrinſecus ſplendeſcit. Nigrum uerò utpote tenebroſum, intrinſecus. Artium uerò aliæ materiã transformant: ut cùm ſtatuarius æneum equũ, aut bouem, aut aliud eiuſmodi animal fundens, aut cudens hominem fingit, aut aliud quippiam, mutata ſcilicet de ſpecie in ſpeciẽ materia æris: Aliæ additione agũt, ut ceræ, aut luti fictor: aliæ demptione, ut qui ſculpẽdo animal fabricantur: aliæ coagmentatione, & inſertione, & glutinatione, ut in domo, ut in nauigio ædificando, in tela, in fabrili opere: aliæ habitudinis alteratiõe fiunt, & per profundum quodammodo: quemadmodũ natura è ſemine animãtia procreat: aliæ habitudinis ſimul alteratione & adiectione corporis, quemadmodum natura particulas enutriendo auget: aliæ uerò mixtione colorum, & corporum adiectione, ut pictura.

LI

Cur ſi frigida aqua neruis inimica, calida amica non eſt, imò uerò & ipſa inimica? Si enim tale quippiam noxium, contrariũ porrò utile eſt. Contraria enim in idipſum eodem modo agere nequeunt. Prima igitur ratione, ac per ſe calidũ, qua eſt calidũ, infeſtum neruis ſimpliciter non eſt, ſed qua calidum & humidũ eſt: qui autem neruos habent læſos, eorum nerui, quia plurimùm ſenſus habent, multæ intenſionis, multæque adſtrictionis indigent. Sunt enim ſuapte natura ſicci.

Humiditas

Humiditas autem, utpote contraria, emollit, remittitq; ipſos, ac putrefacit. Calidũ uerò ipſum ſuapte natura minimè noxium eſſe patet. Calidi enim olei utilis hauſtus, quia aſtrictionis uim continet. LII

Cur, ſi poma nocent, quoniam frigida ſunt, atq; humida, aqua tamen quæ eiuſdem ſit habitudinis, minimè nocet? Quia ſubtilior eſt aqua pomis, citius'que excernitur: quo fit, ut non adeò lædat: imò uerò, corporis particulas modicè intendit. LIII

Cur quæ difficilem habent concoctionẽ, craſſoq; ſunt humore, multo facilius concoquuntur, ut bubulæ carnes, quàm quæ & faciliori ſunt coctione, & minus craſſo humore, ut ſaxatiles piſces? Quidam id conſuetudini tribuunt: nõnulli habitum quendam naturalem atq; arcanum, neq; explicabilem in cauſa eſſe putant. Quidam uerò immodica alui caliditate, quæ cõcoctibiliora ſint, q̃ par eſt, utpote mutabiliora, ſumma incendij ui concremari dicunt, atq; corrumpi. Quæ autem concoctioni minimè idonea ſint, utpote difficiliora mutatu, cùm non admodum mutentur, concoqui tantũ. Sic enim & paleæ, ut quæ ſuſcipiẽdis affectibus aptiores ſunt, plurimo igni in cinerem abeunt. At quernis lignis non item accidit, ut quæ ritè comburantur. LIIII

Cur dolentium ſuperficies palleſcit? Quia natura (ut diximus) ad intimũ corpus unà cum ſanguine penetrat. Sanguis autem is eſt, qui ipſam calfacere ſuperficiem, ac rarefacere ſit ſolitus. LV

Cur in Aegypto, quæ calidiſſima eſt regio, frigidũ uinũ gignitur? Eadẽ ratiõe. Rurſus enim ad uitiũ radices defugit frigus, easq; frigefacit: ſunt enim uites multo q̃ cæteræ ſtirpes ſuſcipiendis affectibus aptiores. LVI

Cur calida aqua puteo indita, frigidiſſimã reddit aquam? Quoniã quod in puteo frigus eſt, calidæ repugnat: cumq; eam frigoris abundantia ſuperet, calorẽ ipſum omni copia perſequitur. Atq; ita multa cũ frigiditate percalfacientẽ aquam influit, eamq; hoc pacto admodum refrigerat. LVII

Cur ubi exiguũ animal in oculos inuolat, ſtatim altero clauſo oculo extrudit? Quia uidendi ſpiritus iam per occluſum oculum exire non poteſt, ut iam didicimus, ſed collectus in ſeſe, magnaq; in apertum oculum copia intendens, implet ipſum, & tumefacit, & quaſi extrinſecus promit, atque ita pellitur extruditur'que inſectum. LVIII

Cur colaphis icti ignẽ cernunt? Quia uidendi ſpiritus ictu attenuatus magnopere igneſcit, atq; in aera egreſſus talis cernitur, qualis iam euaſit. Idem euenit, cũ duos ſimul lapides, aut cùm ferrũ ferro atteras. Interceptus enim aer magnopere attenuatur, atq; ignis fit. Idem quoq; in nubibus accidit. LIX

Cur non omnium attritu lapidum ignis excuditur? Quia pleriq; cedentes nimium ſunt, nimiũq; leues, & laxis meatibus. Neq; enim pariter percuſſus aer attenuatur: quippe qui neq; uehementer ob leuitatem percutitur, & fugit, receditq; intra meatus. Nõ ergo pariter totus percutitur atq; igneſcit. Idem & lignorũ euenit attritu. At uerò à ſole atq; aqua ignis creatur: quoniam infracti ad uitrum ſolis radij uelut etiam in ſpeculis euenit, magis igneſcunt, rurſum'que ad ſupera reflectuntur. LX

Cur prurientes feruida gaudent? Quoniam pituita, cuius craſſitudine ac frigiditate pruritus oritur, cutis ſenſum obtundit. LXI

Cur ijdem balneis gaudent? Quia calor pituitam fundit, eam'que ungues reſoluunt. LXII

Cur magis humeri pruriunt? Quoniam anticis partibus frigidiores ſunt.

ideoq;

ideoq; plus habent pituitæ: quo fit, ut ſenes qui frigidiores ſunt, pruritu magis afficiantur. LXIII

Cur facilior ſcalarum deſcenſus, quàm aſcenſus eſt? Quoniam in deſcēſu, corporis pondus deorſum uerſus ſuapte ui fertur, & quodammodo deſcendentem adiuuat: in aſcenſu uerò laborat uis, corporis pondus ſurſum uerſus attollēs. Sic enim & lapis facilius deorſum quàm ſurſum fertur. Quod enim graue eſt, deorſum fertur. LXIIII

Cur infantes, ut primùm eduntur, flent? Quia ſenſus eorum atq; natura ueluti peregrinatur. Nam è calido molliq; ipſius matricis corpore in aera frigidū exeūt. Fortaſſe tamen & à lumine exterrentur. Non (ut quidam aiunt) quòd anima cœleſtium regionum extorris, terrenum corpus inhabitet, atque ideo flere infantes cogantur. LXV

Cur apes, & formicæ, & muſcæ, omniaq; inſecta oleo pereūt? Quia reſpiracula anguſta habent. Oleum uerò utpote lentū, eorum reſpiracula obſtruit, atq; ob id pereunt. Idem & ſerpentib. ex ijs cōtingit, quæ mali odoris ſunt. LXVI

Cur flantes calida refrigeramus, frigida calfacimus? Quoniam reſpiratio calida fit, exiens autem ſpiritus eorum qualitatem reſoluit: calida uerò refrigeramus, quòd eorū calidam qualitatē mouemus ac reſoluimus. LXVII

Cur, quæ carnes noctu ſub plenilunio fuerint, putreſcunt? Quoniam tunc aer calidus ab eo atq; humidus fit, quæ habitudo ad putrefaciendū maximè facit, unde efficitur, ut ſi modicus ſit calor, atq; humor, concoctio fiat: ſi immodicus, extinctio: ſi calor præualuerit, exuſtio. Luna quoq; quatuor nacta habitus uidetur: media enim humida & calida quodammodo eſt: plena calida quodammodo, & ſicca: quo tempore deſinit, ſicca & frigida. Cùm luminis omnino eſt expers, frigida eſt, & ſicca: eſt enim & ſolis expers radiorum qui tunc calidi ſunt. LXVIII

Cur dolore affecti pallent? Quia rurſum natura eius, quod ſeſe angit reminiſcens, paulatim ad intima defugit, unà cum ſanguine eo, qui cutem depingat: minus tamen in ijs, q; in metuentibus euenit. LXIX

Cur gaudentes rubent? Quia natura ſpōte ſua delectanti ſeſe occurrit, qui extrinſecus ſit, ut nos amico liberiſq; ſolemus. Eam uerò & ſanguis aſſectat: is qui (ut ſuprà diximus) cutē ſuo colore roſeā reddit. Pallor aūt à cōtrario accidit. LXX

Cur in ſopore nocturno, cùm ſubitò oculos aperimus, lucem uidemus? Quia uidendi ſpiritus collectus inter dormiendū, atq; adauctus, repentinus plurimuſq; per tenebras erumpit: cumq; ipſe ſit lucidus, inſtar luminis cernit. LXXI

Cur uerentes oculos dejiciunt? Quia animi ſpeculum ſunt oculi. Nam & animi affectus per oculos cernimus, ut dolorem, iram, pudorem. Quoniam uerò nō ſuſtinet animus contra id, quod ſit honore dignum, intueri conſcientia quadam, ideo aliquandiu oculorum muſculos demitti cogit, id'que uelut ſeſe operiens efficit. LXXII

Cur auris omne humidum tolerat, excepta aqua? Quoniam cùm frigida ſit, ad audiendi neruū continuò fertur. Frigidū uerò omne neruis infenſum. LXXIII

Cur anteq; uehemens excitetur uentus, quædam ueluti ſtellæ excurrētes eum præmonſtrant, aut quaſi fulgetræ, maximeq; per ſudum? Nimirum quia cœperat quidem prius moueri: nobis autem, qui & craſſa, & duri ſenſus corpora nacti ſumus, nondū manifeſtus apparet. Supernum igitur aera, utpote magis tenuem, magiſq; ætherium perflans, in ignem conuertit, atq; ita eius parteis ſcintillanteis uidemus. uehementior autem deinceps uirtus craſſiorem hūnc aera, qui ſit circa terram, mouet, atq; ita ſentitur. LXXIIII

Cur

Cur qui uentus anguſta loca inflat uehementior eſt, quàm qui laxa? Quia colligens ſeſe unum in locum intenditur in ſeipſo, fitq; maior, increſcitq;, & uehementior euadit. In locis autem latioribus explicatur atq; diſpergit, fitq; languidior, imbecilliorq;: hoc idem in calore accidit, in qualitatibus & in aquis. LXXV

Cur aliqui longinqua, quamlibet magna minimè uidentes: propinqua tamē, quamlibet minutiſſima cernunt, quos & myopas, hoc eſt, luſcinos uocant, quia conniuentes uideant? Equidem arbitror, uidendi ſpiritum tenuem his eſſe, ac purum: qui cùm procul abeat, reſoluatur, neq; obiecta attingere poſſit: uix autem propinqua cernit propter tenuitatem ac puritatem. Sunt & qui minutiſſima procul cernunt, ut ſenes quidam. Hi igitur contrà, qui uidendi ſpiritum craſſum, cundemq; multum nacti ſunt, neceſſe habent, ut is per longiuſculam quodammodo uiam moueatur, eoq; pacto attenuetur, atq; ad uiſibilia ſuſcipienda idoneus fiat. Sic ergo duo inter ſe oppoſita ſoluuntur. LXXVI

Cur præter omnia animantia, ſoli canes poſt coitum uinciuntur? Quia anguſtos habet meatus collum matricis: coles autem in re uenerea inflatur, neq; ſtatim exit. Tum quia ſemen glutinoſum eſt: utraq; enim ijs, nimia ſiccitate accidūt. Siccum enim cogit, coartatq; particulas, atq; humida condenſat. LXXVII

Cur ſoli canes per æſtatem rabie laborant? Propter ſiccæ habitudinis præceptionem. natura enim ſicci ſunt, magis in æſtibus: Excalfactæ igitur eorum humiditates atq; exiccatę inflammantur, tum uniuerſa eorum habitudo, eoq; pacto inſaniūt uelut phrenetici: unde & eorum ſaliua ueneni eſt inſtar, atq; ſicciſſima. Inflammari autē conſtat, uel frequenti anhelitu, uel igneis oculis, uel oris hiatu, quē ad protrahendum aera apertum ſemper habent, uel quòd eorum cauda ob ſiccitatem incuruatˀ atq; macreſcit, rabidi uerò fiunt præcipuè qui ſicciſſimi ſunt. Sunt & qui caniculæ ſidus influxu quodam ſuo rabiem ijs afferre dicant. LXXVIII

Cur qui repentè atq; inuiti execantur, minus cruciantur, quàm qui per electionem execantur? Quoniam qui de improuiſo, ij aliò conuerſum habent animum, ſenſusq; omnes inæqualiter ſuſcipientem. At qui per electionem, ij cùm ſciant, quid paſſuri ſint, animū ſemper in ipſum, quod inciditur corpus, intentū habent: quare cùm ſenſum æqualiter ſuſcipiant, magis in ipſa ſectione cruciantur. Solutio quæſtionis à conſenſu qua magis. LXXIX

Cur qui onera baiulant, cantantes ambulant, eodemq;, qui trahunt? Quia modulatione rationalis anima oblectatur: quo fit, ut in eam conuerſa, minus ipſum ſenſum ſuſcipiat: unde efficitur, ut non tantopere onus ipſum ſentiat. Hac ratiõe ſolue, cur in funeribus tibiæ ac tympana adhibentur, cur ad dolenteis, aut lugenteis, aut ægrotanteis mos obtinuit, ut hominum conueniat multitudo, diuerſosq; inferant ſermones: uergens enim ad uerba animus calamitates minus ſentit, quapropter & ſcenica oblectamēta, uariaq; eius genera ab antiquis excogitata ſunt, ut animi diſtraherentur. LXXX

Cur Aethiopes febricitantes ut plurimùm extinguuntur, & lippientes ulcerantur? Calidiſſimi ſunt, atq; ſicciſſimi, & quaſi elementorum quædam ijs reſolutio accidit, & quod humidi exiguū ijs ineſt, conſumptum atq; corruptū efficit, ut & cætera elementa reſoluantur. Fugit enim calor cibi penuria. Exurgit frigus caloris abſentia. Regnat & ſiccitas humiditatis interitu. Atq; ob idipſum cadauera frigida ſiccaq; ſunt: unde & diuinus Homerus haud ignarus duo quidem elementa effugere, utpote tenuia & leuiſſima, duo uerò in extinctis corporibus permanere ait:

Sed uos ó cuncti tellus fiatis, & unda.

Siccitatem ille nimirum,ac frigiditatem intelligit. Vlcerantur autem in lippitudi
nibus eorũ oculi,quoniã ſanguis ex inflammatione fit bilioſus, multaq; acredine
oculos per fluctum corrodit. LXXXI

Cur in conuiuijs contra rationẽ poculis utantur.Incipientes enim exiguis, ex-
pleti magnis poculis bibunt. Videtur id proculdubio ridiculum, ſed neq; præter
rationem tamen fit. Vt enim frequentius ad menſam poſſint perpetuoq; bibere,
incipiunt quidem à paruis poculis,deſinunt autem in maioribus.Parua enim po-
cula non tam queunt exatiare, q̃ abundantior potus. Si igitur à maioribus inci-
piant,frequenter id facere, ut in ijs delicijs aſſolet, non poſſunt. Natura præterea
ipſa immenſis illis capaciſſimisq; poculis, ueluti re quapiam peregrina turbatur,
ſeq; ab ijs auertit. Paruis autẽ paulatim aſſueſcens, copiam quoq; ipſam poſtmo-
dum feret. LXXXII

Cur, qui aqua intercute laborant,cùm pleni aqua ſint, ſitiunt ſemper? Quoniã
& ipſum eis humidũ, ſalſum fit, quippe quod minimè permeet,ſed putreſcat, atq;
os alui exſiccet. Quin & febriculas tenues habent. Præter hæc autẽ,quanto uen-
ter tumidior fit,tanto reliquum corpus, cùm minimè ſua ratiõe nutriatur, ſiccius
euadit,unde etiam macreſcit.Plurimum enim nutrimentũ in aquam abit,ipſumq;
adauget morbum. LXXXIII

Cur in conuiuijs priuſquàm cibum capiamus,ac repleamur,anguſtè accumbi-
mus: poſt repletionem uerò, atq; ante cõuiuij finem laxamur,neq; iam urgemur?
Quoniam cùm à principio uehementem ciborum appetitum accumbentes ha-
beant,in ea quæ intus,hoc eſt,in menſa ſunt,cõcurrunt ſimul uniuerſi, atq; repen
tè: poſt cibi uerò ſatietatem,alius deorſum uergit,alius in obliquũ, alius item mo
do quouis alio ſedet,neq; ſupra modũ in ea quæ intus ſunt,uergunt: atq; hoc pa-
cto,ubi expleti cibo ſumus,relaxamur. Præter hoc autem & quia omnes à princi
pio,cùm comedunt,in pectus atq; in latitudinẽ corporis cubant,euenit,ut angu-
ſtè accumbamus. LXXXIIII

Cur quocunq; loco pilos habemus,cani gignuntur præterq; in axillis? Quia is
locus calidus eſt, arterijs enim ſcatet, & uenis. Tum rarus, atq; ob id pituitatis ex-
crementa perpetuò excernens: hinc fit,ut perpetuò ſudet. LXXXV

Cur ſi pituita frigida eſt, & craſſa, & lẽta, ſimiliterq; nigra bilis, frigida & craſſa,
ſed multò q̃ pituita minor, quartana tamen diuturnior eſt, q̃ cotidiana? Quia pi-
tuita tametſi frigida, copioſior eſt, humida tamen eſt: humidum uerò facilimè al-
teratur atq; immutatur.Nigra uerò bilis, frigida & ſicca, quò efficitur, ut diffici-
limè alteretur aut immutetur. Decipiũt itaq; ipſa ſimilitudine frigiditatis & bilis
redundantia,reliquam uerò cõtrariam qualitatem occultant. Præter hæc pituita
magis naturæ conſentanea eſt, q̃ nigra. Vnde & cùm quis ſanus fame extinguit,
natura pituitam ipſam in nutrimẽtum uertit.In febri igitur quotidiana, quicquid
utilis pituitæ offendit,id omne in nutrimentum conſumit. Quod autẽ inutile eſt,
putreſcens febrim accendit. LXXXVI

Quare cùm quatuor ſint humores, qui interdũ putreſcunt,tres tantùm febres,
non autem quatuor exiſtunt? Quia ſanguis ſecundum naturam eſt, & nutrimen-
tum corporis. Is exuberans repletionem tantùm facit: corruptus autem, nõ iam
ſanguis remanet.Mutatᷣ enim excalfactus in flauam bilem. Reliqui igitur humo-
res exundantes quidem morbos pariunt,maximeq; circa cutem, ut ſerpentia ul-
cera, & cancros,duplexq; genus uitiliginis, alphos uidelicet, & leucas: putrefa-
cti autem,febres. LXXXVII

Cur ſi in duobus aduerſis parietibus geminæ ſint è regiõe feneſtræ,quas uehe-
mentior

mentior perflet uentus, altera tantùm clauſa, iam per alteram nō intrat uehemēs ille, & plurimus uētus, qui ſpiret, uelut utraq; aperta accidebat? Quia aer qui mouetur, hoc eſt uentus, corpus eſt: altera igiť clauſa, qui per alteram intrarat aer, locum domus replet: Cumq; corpus ſit, non iam reliquum aera, qui corpus quoq; ſit, ingredi ſinit. At ſi feneſtra reſeretur, qui locum occuparat, exitum nactus, locū ingrediendi & alteri dat: idemq; rurſus per obiectam feneſtram erumpens, alium altera ingredi ſinit. Idq; continenter fit: clauſa uerò aduerſa feneſtra, non iam id amplius accidit.

LXXXVIII

Cur amantium extremæ partes, modò frigidæ ſunt, modò calidæ? Quoniam ubi dolore affecti ſunt erga amicam, eaq; ſe deſperant potituros, inſitus calor unà cum natura in intima penetrat: quo fit, ut extremę partes frigeſcant, obq; idipſum & pallent, & triſtes euadunt. Cōtrà uerò cùm aut bona ſpe ab amica ſunt affecti, aut cùm uehementer iraſcuntur, tum innatus calor ad cutem uergit unà cum natura, fiuntq; calidiores & rubicundiores. Obq; hanc ipſam cauſam pictores amorem nunc triſtem pingunt & quieſcentem, nunc uolantem & ridentem. Puerum uerò mutabilē: quia cupido uehemens quidem eſt, non tñ diuturna & perpetua. Diſpoſitio enim perpetua eſt, ut in legitimis amicis, aut in patre erga filiū, aut in uxore erga uirum: amor autem non perpetuus eſt, ut plurimùm enim circa ignotos accidit. Diſpoſitio quoq; modica ſtabiliſq; eſt: amor autem uehemens, & inſanienti ſimilis. Facem uerò habere fingunt, atq; eſſe pinnatum: quia amantiū animi ſuſpenſi tollūtur, ſuntq; mutabiles, ceu uolucres. Tum cordi inſitus calor ſemper ijs exardeſcit, inceſſabili uidelicet uehementiq; cura erga id, quod cupiunt. Tenet autem dextra gladium, ſiniſtra autem pharetram, & quàm plurimas ſagittas, quoniam à principio quidem ex uno oculorum radio amor oritur, unà enim & uidit & cupijt: ut uerò primū cupijt, perpetuos emittit amās radios in id quod à ſe cupitur. Is autem radius ſagittæ ſimilitudinem habet, quòd eum amans in corpus iaculatur. Sunt uerò intra pharetram ſagittæ: quoniam occultos emittant radios, qui amant: ut autem uentus ignem, ſic conſuetudo amorem accendit. Non enim propriè ex ipſa amor oritur: ſi enim hoc eſſet, ꝓculdubio oporteret ex conſuetudine ſemper amorē gigni: Amoris autē ortus repentinus eſt. Eſt uerò nudus, quia abſq; medio deſiderium id, manifeſtoq; euenit. Neq; enim per alterum quippiam amat quiſquam, ſed neq; clàm, neq; quam ignorat. Quapropter & ſtatuarij honoris gratia nudos interdum deos, regeſq; effingunt, ut qui indicare uelint, adapertum illud uirtutis eorum, ac mentis extra omne clancularium ūitium exiſtere. Nō eſt autem unus amor, ſed plures: ſeu quia diuerſi rerum ſunt amores: aliter enim atq; aliter amant, quemadmodum & diuinus Plato ait, amorem multorum capitū belluam eſſe, quia ſub multos (ut idem ait) amores idem cadit: matrem uerò habet Venerem, hoc eſt, cupiditatem: Veneris enim ſimulacro cupiditatem effingunt. Fertur item amor Erynnin furiam amaſſe, uidelicet quia multi iniquè amarunt, im pijſq; ſunt cupiditatibus affecti, quemadmodum & à me ipſo in ſecundo Allegoriarum libro oſtenſum eſt, quem in confictas de dijs hiſtorias compoſui.

LXXXIX

Cur in peſtilentia alij pereunt, alij minimè? Hoc nimirum ex habitudinis conuenientia accidit. Nam ſi quis malis humoribus plenū corpus ſit nactus, ei profectò inſpirans is aer, qui ſit putredinis effector, & quod exiguū utilis humoris inſit, facilè corrumpit: quo fit, ut corrupto ijs humore uniuerſo, & inſanabiles affectus, & quàm plurimi exoriantur, eoq; pacto occidant: quòd ſi neq; multa quis habeat excremēta, & bonis abūdet humoribus, is aut nihil, aut parum omnino à

peſtilenti aere offenditur. Attrahi uerò ab ea quã diximus conuenientia, id quod agendi ſit cauſa, uel externæ materies oſtendunt: quercus enim haudquaquã affectibus idoneæ, neq; eiuſmodi ſunt, quæ facilè ignem comprehẽdant: multo autem magis idoneę arundines ſunt, magiſq; igni excipiẽdo expoſitæ, ſed & ſtuppa multò ijs magis. At ſi quis madidam capiat ſtuppam, uirideſq; arundines, quercũ uerò aridiſſimã eligat, uel eam ſulphure ſpargat, quod minimè idoneũ erat comprehendẽdis ignibus, id maximè idoneũ reddiderit, ſi igni admoueat. Hoc item exemplo, & quæſtionẽ aliam ſoluere potes, qua ratione eueniat, ut laſſitudo diurnam potius febrim gignat, ꝙ aut eam, quæ ex putredine fit, aut eam quæ habitualis dicitur. Dicimus enim euenire id ex diſpoſitionis pręceptione. Habebat enim naturales ſpiritus, humoreſq; minimè ſuperuacuos. Solida uerò omnia ſiccissima ſunt, & cauſa in ea incurrit. Et cur ſolis ardor alijs ſomnum excitat, alijs nõ item? Quoniam cui multa in capite pituita inerat, ea effuſa caput humeſcit, atq; inde ſopitur. Qui autem ſicco ſit capite, cùm magis id, magiſq; exſiccetur, peruigilio afficitur. XC

Cur ſol nigrum quidem hominem, linum uerò candidũ reddit, ceramq; emollit, limum durat? Propter diſpoſitionem rurſus patientis materiæ. Humores enim omnes excepta pituita, cùm ſunt præter modũ excalfacti circa ipſam cutem nigri apparent: linum uerò aut nitro, aut ſalſugine infectum, cùm ſol eius ſordes abſumat, albeſcit. Rurſum uerò, cùm ex eadem cera humiditatem eliciat, quæ in eius intimo ſit, euenit, ut emolliat. At uerò in limo, omnem ſol humiditatẽ, quæ & plurima ſit, & in ipſa ſuperficie redundet, depaſcitur, atq; ita eum deſiccat, durumq; efficit. Si ergo circa id quod patitur, & agens uertitur, magno nobis uſui eſſe poteſt. Si enim pietate animũ armemus, corpus ciborum modeſtia exornemus: uita autẽ non poſſidente, ſed ijs contenta, quę ſint uictui opportuna, noſmetipſos ſtabiliamus, tum omnes uitæ moleſtias, quoad fieri poſſit, euitabimus. Neq; nos agenti malo idoneos prębebimus, ut id quod patitur, agat quicquam, ſi quis uidelicet eſt aut dæmon, aut ſtella, aut alia quæpiam extrinſecus cauſa. XCI

Cur icterici difficilè deijciunt, & deiectio ijs alba eſt? Quia flaua bilis toto eorum corpore diffuſa eſt, quod et oculi indicãt, & cutis color, neq; ad inteſtina iam confluit, ut prima naturæ lex exigit, atq; ita ſtercus non colorat: neq; ſua acredine deiectiuam inteſtinorũ uirtutem irritat ad euacuandũ ſtercus: propterq; id ipſum medicina, quæ ut artes cæterę naturam imitatur, ubi in ægritudinis periculo corpus uerſatur, ægrotanti uirtuti auxiliatrix adeſt. Nam quia ſtercus deijcitur, bile irritante, adq; eius expulſionẽ inteſtina prouocante & muſculos, ipſum uerò ſtercus molle lubricumq; eſt, ob lentos illos humores, qui in inteſtinis ſunt, eiq; adiacent: meritò etiam clyſter pro bile mel habet, quod eijciendi uim habet: item nitrum, quod & uim habet eijciẽdi, & inteſtina ac muſculos ad expulſionem citat: hydrelęum uerò, hoc eſt, oleum aqua dilutum, ad humectandum emolliendũq; ſtercus, quòd ſit à febri deſiccatum. Scire autem oportet, nunc ſua ſponte naturã ac ſine medici ope agere, ut in ægritudinum iudicijs, ut in concoctionibus. Eſt enim tunc medicus uelut ſpectator quidam, & arbiter, & iudex duorum aduerſariorum, morbi, & naturæ. Nunc uerò per ſolum agit medicum, ut in articulorum fractionibus, inq; articulorum iniectione. Nunc uerò per medicum ſimul agitur et naturã, ut in ſordidis concauiſq; ulceribus. Medicus enim ſordibus ulcus perpurgat, ijs quæ ad eiuſcemodi purgationem pertinent: tum cæcis illis meatibus relaxationem præbet: reſecat enim quicquid ijs eſt pro operculo, ut ſic dixerim, eoſq; obſtruit, ut purum ſanguinem acquirant. Natura uerò per ulceris meatus

purum

purum ſanguinem ſuggerit, qui à nutrimentis ſit creatus, eumq́ ad carnis generationem transfert. Is rurſum à deſiccantibus uenenis condenſatus, idonea caro fit. XCII

Cur ij qui febri continua laborarunt, poſt iudicij tempus, quam criſin uocant, nigerrimam aliquandiu cutem habuerunt? Quoniam ex flaua bili continua accidit, quæ in ipſo ægritudinis rigore peruſta in nigram demutata eſt. Atq; ita in ea quam diximus criſi, à natura ipſa ad cutem repulſa tinxit ipſam: quemadmodum etiam in uitiliginibus alba quoq; eſt cutis. Eius autem humoris craſſitudine difficilè eiuſmodi color reſoluitur. XCIII

Cur nigra bilis ad mammam, aut ad crus accedẽs corroſionem operatur: in his uerò qui melancholici uocantur, cùm in ipſum confluat cerebrum, id tamen non agit? Quia in mamma quidem multæ magnæq́ inſunt uenæ, propter lactis generationem, atq; ob id bilis copia eò confluit. Similiter & in crus multa bilis deducitur, quippe quæ ad inferna feratur. At uerò in cerebrum, tum quia ſupernè eſt, tum quia minutas habet uenulas, exigua quędam bilis aſcendit, quęq́ pungendi tantùm, non autem corrodendi uim habeat. Frigidum præterea; atq; humidum eſt, quo efficitur, ut modo aliquo nigrę bilis habitudini aduerſetur, ipſamq́ emolliat: quæ igitur propriè nigra bilis eſt, ea corrodẽtem in mamma cancrum gignit: in crure uerò chironiam ulcus, & quod nomades à depaſcendo uocant: in cerebro autem ferinam melancholiam. Quæ uerò non propriè nigra bilis ſit, ſed melancholicus humor, & feculentus, fluctionem tantùm, & tumorem, qui cancrum imitetur, ſed minimè corrodat, placidamq́ melancholiam gignit. XCIIII

Cur in ijs qui inteſtinorum difficultatibus laborant, papyrum cõglobant, eaq́ in anum iniecta proſunt? Quia concurrentibus muſculis ſedis, humectata papyrus muſculos ſua relaxatiõe excitat. Idemq́ in hypophoris agit, quæ in ulceribus concurrunt. Relaxatis igitur muſculis, ſtercus uelut deſtitutũ deijcitur. XCV

Cur quæ uaſa à Gręcis baucalia dicuntur, cùm aqua replentur, ſonum quendã ſibi proprium edunt, à quo & nomen uaſis eſt factũ, uelut alia ſunt apud Græcos nomina ſonorum factitia: ut in aqua phlœsbos, & in aluo borborygmos, & cætera? Quia cũ uas eiuſmodi inane eſt aquæ, aere impletur, corpore uidelicet tenuiſſimo. Cùm ergo inditur repẽtè in ipſum aqua, ſua grauitate aerem perſequitur, utpote tenuem, atq; excludit: ſimul enim manere in baucalio, quoadusq; repleatur, nequeunt. Eſt enim à philoſophis demonſtratum, non poſſe duo corpora eundem locum tenere eodem tempore. Cùm ergo aer repentè ſurſum per anguſtias extruditur, ſonus neceſſariò exoritur, neq; is unus, ſed plures. Quædam enim ueluti pugna inter ambos incidit. Aqua eñ deorſum aerẽ premit, aer uerò ſurſum aquã: hoc cùm ſucceſſiõe fiat, accidit, ut frequẽter ſonus fiat. XCVI

Cur in uaſis, quæ à Græcis harpagia, quaſi raptoria dicuntur, digitus eorũ ori iniectus non ſinit aquam fundo effluere, eleuatus autem ſinit? Quia cùm ex ore digitus eleuatur, aer ingrediens trudit aquam deorſum, quò ſuapte natura fertur, atq; ita per foramina fundi exit: propter hoc ipſum omnia mechanica inſtrumẽta per aerem & aquam conficiuntur, ut oronomia, clepſydræ, uocumq́ imagines, quæ de ſtatuis reſultant, atq; alia ijs ſimilia. XCVII

Cur & uinum & aqua alieno tempore febricitantibus data, phreniten efficiũt, hoc eſt, duo inter ſe contraria: frigida enim eſt aqua, calidum uerò uinum? Dico igitur uinum ipſum cùm ſuapte natura ſurſum feratur, exurere cerebrũ, unà cum febri perturbatur: itaq; uehemẽter à principio animæ inſtrumentũ ætherius quodammodo ſpiritus eſt, uimq́ ipſam prudentiæ idem agere compellit. Inde uerò

hoc patet, multi quippe etiam ſani plurimo perpetuoq́ meri potu utentes, mentis impotes fiunt: aqua uerò ipſa uelut obſtruēs corporis meatus, per quos uidelicet reſoluuntur ij ſpiritus, qui à putrefactis humoribus oriuntur, eoſq́ craſſiores reddens, id agit, ut plus ob idipſum putredinis febriſq́ reſultet: ſæpe uerò & aqua ab immodica febri deuicta, eius pabulū fit. Quemadmodum in furnis uſu uenire uidemus: qui enim ignem accendere uolunt, exigua quadam aquula ignem irrorant. XCVIII

Cur mulieres acuta ſunt uoce, itemq́ & ſpadones, & pueri? Quia humiditatis abundantia, arteria eis in amplū minimè protendit. Caliditatis enim officium eſt, meatus in amplum relaxare: ut ergo anguſta tibia acutum edit ſonum, ſic & aſpera arteria. Dicunt autem nonnulli, mulieres acuta eſſe uoce, quia cōferat in paritudine clamare ad pariendi facultatē, quod proculdubio falſum eſt. XCIX

Cur infantes æſtate ſiderantur? Quòd uulgus æſtu laborare eos dicit. Febricitant enim tenui quadam profundaq́ febricula, ijſq́ oculi excauantur, fiuntq́ uigiles, & imbecilles. Nonnulli uerò & fluxu uentris laborant. Quia infantes paſſibiles ſunt, magnamq́ uim pituitæ in capite habent, ut dictum eſt. Igitur in æſtibus pituita ſupra modum excalfacta ac putrefacta febrim accēdit, unde & cartilagines cerebri igneſcunt, atq́ ob id uigiles ſunt. Ignitio autem per arterias ad cor deſcendens, & uiuificum ſpiritum reddens ignitū, febrim ſine putredine accendit. Cùm uerò ex febri multa bilis procreetur, euenit ea ratione, quam ſuperius explicauimus, ut bile aluum, atq́ inteſtina mordicante uentris reſultet fluxus. Eſſe aūt eius cauſam, radicemq́ affectus in cerebro patet, quoniam capiti refrigerantia admouentur, eaq́ utpote ignitionem extinguentia proſunt. Laborant tamen hoc ipſo etiam adulti, quibus ſcilicet in capite pituita, aut exiguum flauæ bilis coaceruatū ſit, & putreſcat: per ipſam igitur inſpirationem, perq́ ignitum quodammodo aerem ſpiritus igneſcunt. C

Cur rotunda ulcera difficilè curantur? Quia ex bile acri, quæq́ uim corrodēdi habeat, oriūtur. Nam quia guttatim confluat, & corrodat, rotundum ulcus facit, propterq́ idipſum exurendo, deſiccandoq́ idonea reddunt medicamenta. Atq́ hoc quidem pacto medici. Naturales autem & philoſophi euenire id dicūt, quia nullum ſit principium, unde uomica incipiat. In circulo enim neq́ principiū, neq́ finem accipere eſt, atq́ ob id dicunt, cùm eius figuræ ulcera, ferro à medicis incidantur, in figuram aliam demutari. CI

Cur aliquem ad locum uel neceſſariò proficiſcentes, cùm tamen eò peruenerimus, ulterius aliquando progrediamur? Quia animū ſæpe in rem quampiam habemus intentum, eoq́ inclinatum, & conuerſum, neq́ penitus ſenſibus imminentem, ut quæ ijs propria ſint, cognoſcat. Velut igiť locū uidentes, non uident: neq́ præſtò is eſt, qui ſenſibilia iudicet. CII

Cur mel omnibus dulce, ictericis tamen guſtantibus amarum uidetur? Quia bilem amaram habent, quæ per totum corpus, per'que ipſam linguam redundet. Mel igitur cùm comedunt, fit ut quieſcens humor commoueatur. Guſtus deinde ipſe, cùm iam bilis amaritudinem ſenſit, imaginationem parit, ut mel amarum putetur. CIII

Cur uehementer iraſcentibus oculi ignei fiunt? Quia ita feruor eſt eius ſanguinis, qui ſit circa cor, calidiq́ ſpiritus: hic igiť utpote ſubtilior ſupernè fertur, perq́ oculos, qui perſpicui ſunt, tranſparet, habentq́ uapores ſanguineos aſcendēteis. Vnde & facies rubra ijs apparet: huius rei non ignarus Homerus inquit:

Inſtar erant ardentis lumina flammæ. CIIII

Cur

Cur infuſa ſerpentib. aqua eos expellit? Quia natura frigidi ſunt, & ſicci, & neruoſi, & exigui ſanguinis, fugiuntq́ immodicam frigiditatem. Eſſe autem illos huiuſcemodi habitudine, uel hinc colligitur. Latebras enim hyeme quærũt, terræq́ intima utpote calidiora. Occidente autem ſole, ut plurimum: rurſus aerem ut frigidum fugiunt: rurſumq́ æſtate, quoniam terræ intima frigida ſunt, inde fugiunt, inq́ locos calidos demigrant. CV

Cur ouũ ſi aſſetur, rumpitur, ſi in aqua bulliat minimè? Quia cùm igni eius humiditas appropinquat immodicè calfit, & exuritur, pluresq́ ob id ſpiritus gignit qui cùm ob loci anguſtiam exitũ quærant, rupto putamine diffugiunt. Ide quoq́ agunt in dolijs, & in fictilibus, cùm muſtum efferuet. Multa præterea flamma oui putamẽ aſſatiõe diſrumpit. Id quod & fictilibus uaſis ſupra modũ aduſtis accidit. Vndè naturaliter uulgò ouũ cùm aſſandũ eſt, aqua pręmadidant: aqua eñi calida ſuapte mollitie humiditates paulatim effundit, ac per raritudines reſoluit. CVI

Cur in coitus uoluptatè homines quodammodo òculis cõniuent, atq́ huic aliquid ſimile & in cæteris ſenſibus patiuntur? Quia deuicti ab affectu uoluptatis, magis eam quodammodo conniuentibus oculis comprehendunt. Nõ enim eleuantur, ipſumq́ extrinſecus animum unà cum ſenſibus ad aera protrahunt, quò efficiatur, ut corporeos illos affectus minus ſentiat. CVII

Cur nonnulla licet uniformia medicamẽta, uim tamen contrariã habẽt, quemadmodum experientia ipſa indicat: maſtiche enim eijcit, reſoluit & intendit: acetum autẽ & calfacit & refrigerat? Quia inſunt ijs indiuidua, minimaq́ corpuſcula per interpoſitionem, non confuſionem, ut arena humectata cõglobatur, unũq́ corpus effici uidetur. Re uera autem multa ſunt minutiſſima in arena corpuſcula. Quòd ſi hoc uerum eſt, haud eſt abſurdum in alijs, alijsq́ maſtiches particulis contrarias uirtutes & qualitates occultari, neq́ inter ſe confundi, quia natura eis tantum corporibus legem illam inſeruerit. CVIII

Cur cùm pedis digitũ offendimus, inguen tumeſcit? Quia ſemper natura quæ ad corpus pertineant, prouidẽs, ſolet accurrere uelut auxilio ijs partibus, quę dolore laborent: quoniam uerò utiliſſimũ omnium humorũ, & nutrientem, & cognatum, ipſum uidelicet ſanguinem pro uehiculo habet, neceſſarium eſt, ut cùm ea ad pedis digitum unà cum ſanguine deſcendat, impleantur eæ uenæ, quæ maximè in inguine ſunt, eæq́ partes quæ circum uaſa ipſa ſint, atq́ adenes à Græcis appellentur, quippe quæ rotunda ſint corpora. Immodica igitur conſtipatio, inflammationem eleuationemq́ efficit, appellaturq́ id inguen, ex ipſo loco denominationem mutuatum. CIX

Cur natura auibus, neq́ ueſicam urinæ receptaculum, neq́ renes elargita eſt? Quia multa indigebant humiditate, ut oriri pinnę, atq́ increſcere poſſent. Eamq́ ipſa uolandi exercitatione conſumunt. Neq́ omnino quidẽ mingunt. Cùm uerò bibunt, ſtercus immodicè humidum deijciunt. CX

Cur pueris in urinæ ueſica calculi gignũtur, ſenibus uerò intra renes? Quia anguſtos in renibus meatus pueri habent: terrenus uerò humor, & craſſus uiolẽtia anguſtiarum ab urina extruditur, tum è renibus ipſis, tum ex conceptaculis, quæ lunæ formã habent, in ipſam urinæ ueſicam. Ea cùm latos habeat meatus, exeundi locum urinæ præbet: humori uerò ipſi, unde calculi gignuntur, inſidẽdi, ſuoq́ more cõſpiſſandi. At uerò in ſenibus contrà euenit: laxos enim renũ meatus habent: quo fit ut in urina exire, & terrenus humor inſidere congelariq́ poſſit. Color autem calculi humorem quoq́ oſtendit, à quo ortum habeat: ſolutio ex compoſitione, ſituq́ membrorum. CXI

Cur ſi caliditate calculus congelaſcit: calidi enim ſunt pueri, ſimiliq́; ratione ſit in ſenibus: neq; enim tanta concedenda frigiditas, quanta in glacie niueq́; ſit: extremo enim frigore renes demorerentur: non contrarijs tamen ad frigiditatis ſolutionẽ, uerùm ſimilibus utimur, hoc eſt calidis, ut petroſelino, ſeniculo, & eiuſce modi? Dico igitur accidere, ut exuſtione torrefactioneq́; nimia calculus in arenulas exteratur, quemadmodũ in teſtis, in fictilibusq́; uaſis, cùm ſupra modum torrefacta fuerint, arenæ proueniũt. Fitq́; hoc pacto, ut exigui lapilli unà cum arenulis facilè inter meiendum effluant. Euenit quoq; nonnunq́;, ut frigida epota, facilè calculus extrudatur, renibus uidelicet protentis ipſum fluxu nimio per excernendi uirtutem deijcientibus. Euenitq́; præter hoc, ut immodicus renum ardor, cuius cauſa calculi congelaſcunt, à frigida extinguatur. CXII

Cur in renibus, inq́; urinæ ueſica ulcerum difficilis curatio? Quia urina cùm ſit acris, exulcerat cicatricem, quam oppòrtuna medicamenta obducunt. Magis autem in ueſica inſanabilia ſunt, quòd intra eam permanet urina. In renibus autem defluit. CXIII

Cur in ſolijs calida aqua commota, calidior nobis, noſtrumq́; ferè adurẽs corpus uidetur? Quia deſcendentibus nobis appellens aqua & ipſa patitur, hoc eſt, cùm noſtrum ipſa excalfaciat corpus, & ipſa à nobis quodammodo refrigeratur. Didicimus enim, quæcunq; in generatione corruptioneq́; agant, ea quoque ipſa proculdubio pati. Quoniam igitur aliquo refrigerata pacto, nõ iam ſimiliter excalfacit, manifeſtum eſt, aſſueſſe iam nos, neq; ipſam iam caliditatẽ ſentire, quemadmodum à principio: quoniam immodica eius caliditas à nobis diminuatur: ſi ergo calidam mouentes, eamq́; quæ cuti adhæſerat tranſmittamus, aliaq́; calida aqua ſincerior accedat, nõdũm uidelicet aut agens, aut à cute ipſa patiẽs, ſuamq́; caliditatem immodicam ſeruãs, meritò nobis calida exurensq́; uidetur, quatenus & ipſa agens patiatur, ſuamq́; remittat caliditatem, quemadmodũ illa prior. Atq; hoc per ſucceſſionem fieri poteſt: quàm diu enim calidã mouemus, tam diu ſemper ad nos accedẽs, re uera ipſa calida uidetur: propterq́; id uulgus naturali motu cùm uult in ſolio corpus magis excalfieri, mouet continenter aquam, quoad uult. CXIIII

Qua ratiõe, ſi quicquid mouetur, ſeſe ipſo calidius fit, maximeq́; in calido aere, & loco: aer tamen cùm uerberatur, atq; mouetur, frigidior nobis tactu uidetur, idq́; uult maximè per æſtatem, quo tempore ſolis calor multo ardentior eſt? Hoc uidetur contrarium ſuperiori eſſe. Calida enim aqua calidior nobis ſolicitata uidebatur. Hoc autem loco frigidior calidus uidetur aer, cùm & mouetur, & ſolicitatur. Dico igitur uſu hoc euenire, ut quod in re quapiã plus eſt, aut qualitate, aut uirtute, uincat quidem id, & uertat, quod minus eſt. Modicè uerò & ipſum, quod fortius eſt, contrà patiaẽ. Calida igitur aqua, cùm calida uehementer eſt, caleſcẽti adhærens corpori, & ipſa contrà refrigeratur, neq; iam eandem qualitatem ſeruat. Qui nos igitur circundat aer, æſtate modica, cùm ſit calidus ad aquæ calidæ ſimilitudinem, ingruens in corpora, à nobis ardentibus, ob calidum anni tempus calfit quodammodo, atque ipſe nos contrà calfacit. Quod & lineæ agunt ueſtes: quę cùm frigidę prius eſſent, mox à nobis calfactę, nos ipſos poſtmodo calfaciũt. Cùm igitur aerem ſolicitamus, tranſmittitur è corpore, qui à nobis præcalfactus aer fuerat, alter autem nondum excalfactus accedit, qui nobis frigidus uidetur: idq́; per ſucceſſionem fit. CXV

Cur, quæ in pupula oculi ulcera fiunt, cùm exoleuere, alba uidentur: quæ uerò extra pupulã in nigro oculi, nõ item? Quia per ſolam pupulã uidẽdi ſpiritus exit,

qui &

quį & perſpicuus eſt, & lucidus. In albedinibus igitur ijs, quæ leucomata dicunt, cùm cicatrix meatus conſpiſſet, eius tunicę, quæ cornea ſpecie eſt, non iam uidendi ſpiritus exit: quo fit, ut magna deinceps copia contractus cicatricem illuſtret, eámq; calidam oſtendat: quoniam uerò ex uiſus condenſatione ſpiritus nõ exit, euenit ut non uideant. CXVI.

Cur paleę & calidam aquam, & frigidam niuem, hoc eſt, aduerſas inter ſe qualitates conſeruant? Quia palearũ natura manifeſta qualitate caret, unde & à nonnullis ἄποια apœa, hoc eſt, qualitatis expertes appellañ. Cùm igitur facilè ſuapte natura confundi commiſcerìq; poſſint, ocyſſimè quibus adhæſerint, conſerunt, eorumq; ipſæ confuſionem ſuſcipiunt. Collato enim ſibi calido calfiunt, idq; ipſe contrà recalfaciunt, atq; conſeruant, ſimiliterq; frigefactæ à niue, eamq; ipſæ refrigerantes, frigiditatem eius conſeruant, quemadmodum & cera, & oleum, quæ facilè confundi poſſunt: ſuntq; item qualitatis expertia, cõferunt eorum qualitati, quæ cũ ipſis admiſceañ, quippe quæ & eorũ fuſionẽ accipiant. CXVII

Cur bruma per ſudum clariora uidentur ſidera? Quia & à uentis, & ab imbribus, uel qui nos circũdet aer, uel qui altior ſit, motu ipſo extenuatus, & quodammodo expurgatus puriorum ſidereorum corporum conceptionem, multò' que faciliorem, ulterioremq; progreſſum uiſui præbet: quod & in puris perſpicuisq; fluuiorum aquis manifeſtò apparet. Multò enim puriora clariora' que uidentur, quæ in ijs corpora inſunt. At in craſſis & cœnoſis, aut nullo modo, aut confuſa tranſparent. CXVIII

Cur ſæpe inter meiendum horremus? Quia acris bilis defluens, atq; urinæ ueſicam mordicans uniuerſum quoque irritat corpus, atq; excitat ad eius particulæ conſenſum, ut deijciendi uim modicè offerat, atq; ita qui horror dicitur, effici ſolet, hoc uerò pueris maximè accidit. Multò enim plura ob nimiam ſaturitatẽ excrementa ſunt nacti. CXIX

Cur noctu dolores magis intenduntur? Quia anima ſecum ipſa otioſa nõ iam aut uiſui, aut auditui, aut alijs huiuſmodi ſenſibus intendit, neq; quicquam agit, neq; ad externas actiones prouocatur: quò efficitur, ut multo plus corporearum perturbationum, tangendi ſenſu ſuſcipiant: paucæ etenim per noctem animales operationes exiſtunt, quales ſunt reſpiratio & cogitatio. Animũ uerò cùm ad externa per ſuas operationes protrahatur, corporeas perturbatiões minus experiri manifeſtò apparet, quando in luctibus, in aduerſis ualetudinibus, ínq; cæteris huiuſcemodi accidentibus, amicorum congreſſiones, ac narratiunculæ eorum qui ſint affecti, perturbationes alleuant atq; ſolantur. Animaduerte autem, naturam quidem in ſuis operationibus minus interdiu agere, ut in ciborum concoctionibus, in humorum permutationibus, in ſanguinis euocatione, in pullulandi, nutriendi, concreſcendi ſimilitudinis, aliorumq; his ſimilium operatione. Animam uerò magis agere in ſuis actionibus, ut in quinq; ſenſibus, in motibus particularũ corporis, in imaginatione, in cogitatione & memoria: contrà uerò noctũ: magis enim agit natura, minus anima. CXX

Cur uitrum per brumam, cùm quid uehementius calidum inijcitur, diſrumpi ſolet? Quia plurima frigiditate ex circumeunte aere, toto ſuo corpore affectũ eſt. Cùm igitur repentè calidam, non præcalfacto uitro indimus, tum caliditas contrariam ſibi frigiditatẽ proculdubio perſequitur, illa autem unà cum ſpiritu ipſo repentè fugiens, confractionẽ eorum corporũ efficit, quæ intra uitrum ſunt. Dandum enim eſt, ineſſe & in uitro exiguos meatus, qui ſubtiliorem aera contineant, quos tametſi oculis ſenſuq; nõ aſſequimur, natura tamẽ ipſa, req; uera ineſſe non

diffiteamur.

diffiteamur. Alij uerò dicũt, quod uehementer ſit frigidum, id areſacere atq; exaſperare uitri corpus, unde efficiatur, ut quæ ſubtilior in eo pars ſit, ſiue is humor, ſiue aer ſit, extrudatur, & uelut igneſcat, unde etiam confractioni corruptioniq; idoneum euadat, quemadmodum & aridiſſima ligna. Sic enim & Hippocrates aiebat, uenas à frigido rumpi. Quod igitur uehementer eſt calidũ, id eiuſmodi uitri corpus inueniens, multo id magis areſaciẽs, ruptionẽq; eius efficit perfractionẽ. Si ergo præmollitum fuerit, tum modicè præcalfactum, nequaq; lædetur: quemadmodũ & athletæ, cùm ſunt luctaturi, oleo à magiſtris, quos pædotribas uocãt, præmolliuntur. Et qui uocem exercent, ut reſpirationis partes emolliant, pęaniſſant. Etenim cùm frigiditas in patenteis illos meatus incidit, facilè unà cum ſpiritu profugit, & uitri mollitudo caliditati cedens, haud facilè perfractionem ſubit. Eſſe autem in uitro meatus, uel è uaſis teſtaceis patet. In quæ ſi aquam indas, atq; os picè linas, exudet tamen humor. Videre eſt autem & fumum de uitri corpore per brumam erumpentem, cùm in ipſum aquam infuderis. Et ultrum confractum, extrinſecus'que applicitum ei liquori, qui ſit intus, qualitatem ſuam præbere. CXXI

Cur pueri, maximeq; infantes, haud ita facilè luxantur ut uiri? Quia ex mollitudine corporis ſolo terræ cedentes, reſoluunt eius tentionem ac duritiem, ut ulterius agere non poſſit: uiri igitur cum duro ſint corpore, quòd aut terrę duritati, aut lapidi reſiſtunt, intentionem percuſſionis adaugent, lapidemq; ipſum cogũt in ſeſe, utpote durioreis, agere. Hac eadem ratione & ſpongia cedens nõ frangitur, ultrum uerò, aut teſta, aut quod aliud eiuſcemodi durum corpus caſu confringitur. Hinc progrediens è ſimilitudine, dicere poſſis: Cur uenti motus uehementior, quercum quidem deijcit, arundinem non deijcit? Quoniam quercus, utpote dura robuſtaq;, & ingens uento reſiſtens, eius uim intendit: arundo uerò, ut quæ mollis leniſq; ſit, & exigua, cùm uenti flatibus huc atq; illuc cedat, eius uim reſoluit. Eodemq; pacto luctator aduerſario renitens, uim eius adauget. Cedens uerò aliquando, cum'que eo ſe unà circumagens huc atque illuc citius eius tentionem ſoluit. CXXII

Cur infantes nutricis canticũ audientes uagitum ſiſtunt, mox uerò etiam dormiunt? Quia ſubſtantia muſicæ, quemadmodum & ſcientiæ, arteſq; cæteræ animo ſit inſita, quemadmodum & igni calor eſt inſitus: quomodo & Plato ait, Reminiſci animũ noſtrũ ſcientias, non diſcere. Audiens igitur animus huiuſcemodi canticum, quà quidem reminiſcitur, quieſcere infantes cogit, quà uerò oblectatur, in ſomnum allicit. Nam cùm labe corporis minimè ſit infectus, ſciẽtias quaſi perſpicuas habet: coinquinatus uerò in corpore, in illarum immodicam obliuionem delabitur. CXXIII

Cur nutrices cùm ſomnũ infantibus alliciunt, eos mouent? Vt humores motu fuſi, cerebrũ moueant. Idem tolerare tamen nõ poſſunt adulti. CXXIIII

Cur nonnulli ebrij gemina uident? Quia oculorum muſculi plus minus'ue repleti, atq; eo ipſo languidi, oculos alterũ ſurſum, alterũ deorſum torquent: quo fit ut oculorũ radij eodẽ pariter non tendant, ſed in diuerſa loca atq; corpora. Atq; ita alteruter oculorũ priuato cernendi utens officio, duplicẽ efficiat uiſum. Id eſſe uerũ uel inde apparet: qui enim digito alterũ oculum terunt, ſenſimq; ſurſum trudunt, gemina uidere coguntur. CXXV

Cur qui natura ſtrabones ſunt, gemina non cernunt? Quia oculorũ peruerſionem non illi quidem ſurſum deorſum'ue, ſed dextrorſum ſiniſtrorſumq; habent: qui cùm eum poſitum ſortiti ſint, qui in rectam lineam moueatur, duos radios in

idem

idem corpus concurrentes habẽt: qui & unum colorem qualitatemq; ad oculos referunt, quam & ei ſuſcipiant. CXXVI

Cur pubeſcentes pueri hirquiunt circa annũ quartumdecimũ? Quia tunc, quę per humana corpora natura meat, plurimã ac repenninã ætatis mutationẽ efficit. Cuius rei fidem operatio facit. Videre eſt enim fœminarũ quidẽ augeri mammas propter lactis collectionẽ, tum ea loca quæ circa coxã ſunt, intra quæ permanere fœtus poſſit. Virorũ uerò pectus, atq; humeros, quib. impoſita grauia corpora ſuſtineantur, teſticulos præterea, intra quos & gigni, & permanere ſemen poſſit. Membrũ quoq; genitale, ut exire ſemen facilius poſſit. Vniuerſum præterea dilatatur corpus. Quod & morborũ mutatiões indicant, & quæ ſolutiões circa annũ quartumdecimũ fiunt, et uocis aſperitas, quę branchus, hoc eſt, raucitas appellatẽ, ſumpta uidelicet tralatione ex hircorũ uoce in eum modũ clamantiũ. Nam cùm aſpera arteria à principio dilatetur, accidit, ut quà magis, quà minus dilatetẽ, ſitq; intus eius corporis ſuperficies, uelut inęqualis uſq; ad ipſum guttur. Spiritus itaq; per parteis illas exiens, ac ueluti offendens propter uiæ inæqualitatẽ, uocẽ quoq; inæqualẽ efficit, & aſperã, & quodammodo raucam. Idem et ijs accidit, quibus in aſperam arteriam deſtillationes defluunt. Fit enim, defluente humiditate, ut leuis intrinſecus membrana inæqualitate repleta, inæqualẽ ſpiritus exitũ efficiat. Talem uerò ſcito eſſe hircorũ aſperam arteriã, ac guttur, humiditatis uidelicet abundantia. Itemq; eorũ qui plurimo olei potu utantur. Arqui illi quidẽ frequentibus, intẽſisq; clamoribus, atq; arteriæ aſperitate, uocẽ quoq; inæqualẽ habere putantẽ. Gruibus uerò, atq; ijs omnibus uolucribus quibus aſpera uox ſit, arterię à natura totæ aſperæ datæ ſunt. Poſt uerò pubertatis annum hirquire pucri deſinunt, quia aſpera arteria tota, planeq; dilatatur, ac naturalẽ æqualitatẽ accipit. CXXVII

Cur epotũ oleum ciet uomitũ, maximeq; flauæ bilis? Quia cùm leue ſit, quodq; ad ſupera feratur, nutrimenta ad ſtomachum prouocat, eaq; eleuat atq; ſuſpendit. Atq; ita ingrauatus ſtomachus ciectiuã uirtutẽ ad uomitũ citat. Atq; in primis flauam bilem, quippe & leuis, & ſubtiliũ ſit parrium, atq; ita facilius ſurſum feratur. Ferri uerò oleũ ſutſum, re ipſa patet. Cùm enim humido cuipiam admiſcetur, ſuperiorem in locum excurrit. CXXVIII

Cur ſolũ oleum minimè humidis admiſcetur? Quia cùm lentũ ſit, atq; in ſemet ipſo conſtipatũ, ſecari in parteis indiuiduas, atq; eo pacto reliquis humidis admiſceri nõ poteſt: quamobrẽ neq; cùm in humũ funditur, citò eam ſubit. CXXIX

Cur oleum quidẽ, atq; aqua frigore conſtringitur: uinũ uerò, acetũ, & garus minimè? Quia cùm oleum qualitatis ſit expers, confuſioniq; idoneũ, citò friget, atq; ita uehementer, ut extrema quoq; frigiditate frigeat. Aqua uerò ſua ſponte frigida, facilè cùm ſemetipſa frigidior fit, congelaſcit. Garus autem utpote ſubtilium partium, & calidus haud citò friget. Eodemq; modo & uinũ. At acetum utpote ſubtiliſſimarũ partium congclationem non tolerat. CXXX

Cur contraria qualitatibus idem efficiunt? à frigido enim pariter atq; à calido humidum conſtringitur: nix enim & ius frigiditate congelaſcunt: cataplaſmata uerò, & ueſicæ calculi caliditate. Fit quidem id, ſed diuerſa actione: calidũ enim depaſcitur, conſumitq; humiditatis copiam. Frigidum uerò denſitate nimia obturans, ſordidam humiditatẽ exprimit, quemadmodũ & ſpongia manu preſſa, quã intra meatus aquam habet, abijcit. CXXXI

Cur ſæpe horror ceſſauit, cùm quid formidoloſum incidit, ut fragor quem is audierit qui laborat, ut cùm repentina aqua deijcitur? Quoniam ſępenumero humoribus tẽpore digeſtis atq; attenuatis, naturalis omnis calor uehementer ſimul

ac repentè

ac repente à cute in corporis intima fugiens, morbificum humorem conſumens reſoluit. Idem & theriaca facit, eorũq; quàm plurima, quæ calida ſiccaq; ſunt ſpecie, cùm poſt concoctionem ſumuntur. CXXXII

Cur qui ſe circũagunt, neq; id agere tamen conſuerunt, ut plurimũ decidere ſolent? Quia animalem ſpiritum qui ſit in cerebro cõturbari cogunt, eumq; humiditatibus unà cõuolui. Is deinde cùm minus idoneus ad animalem uim ſuſcipiendam, ſenſitiuam uidelicet, atq; motiuam efficiatur, non ſinit actionem in muſculos neruosq; permeare. Quo fit ut corporis pondus, ut quod neq; uehatur, neq; ſuſtentetur ab anima, feratur ad terram ad quam uergit, propterq; id ipſum, & tenebras uident: quoniam uidendi ſpiritus conturbatus ſit, neq; pariter atq; ſenſus reliqui operetur. At his, qui ſenſim circumagi conſuerunt, rarò id accidit. Facit enim conſuetudo, ne quaſi peregrinę inter ſe ſint anima, atq; natura, ſed tempore quodammodo concilientur: quod enim paulatim continenterq; fit, ſenſum latet, atq; ubi plurimùm euaſit, iam non ut peregrinum in ea incidit, quę eum ſuſcipere conſuerunt. CXXXIII

Cur uitrea ſpecula ualde ſplendẽt? Quoniam albo plumbo intrinſecus linuntur, cuius natura lucida eſt, quę cum uitro, quod & ipſum ſplendidũ eſt, admiſcea tur, multo magis lucet, ſuosq; radios per uitri meatus tranſmittẽs, duplicat quod in ſuperficie atq; extra uitri corpus eſt, atq; inde magnopere fit lucidũ. CXXXIIII

Cur in ſpeculis, inq; perſpicuis aquis, nos ipſos uidemus? Quoniam qualitas aſpectus ad ſplendida corpora migrans ex reflexiõe rurſus per oculorum radios, ad ſui ipſius ſpectaculum remigrat. Migrare autem qualitates à facie, neq; eſſe id abſurdum, & ij oſtendunt, qui iuxta arbores manẽt, quòd uiridi aſpectu eſſe con ſueuerunt. Viridis enim qualitas uiridium foliorum ad ipſam faciem demigrat. Similiter & in aquam fluentem migrans, eam quoq; uiridem oſtendit. CXXXV

Cur puræ ſpeluncæ, & altiſſima loca, atq; pura, uocis imaginem gignunt ac remittunt? Quia & hæc quoq; loca ex reflexione ictum remittentia, ſoni imaginẽ edunt. Verberat enim uox aerem, aer uerò locum, qui quò magis uerberatur, eò magis uerberat, eoq; uehementiorem uocis efficit ſonum: humida uerò loca, & ueluti molliora, ictui cedentia, eumq; reſoluentia, imaginem minimè edunt: pro qualitate autem, & quantitate ictus, ac uocis, redditur qualitas, quantitasq; eius imaginis, quæ Echo appellatur: hanc prauè nonnulli deam quandam eſſe fabulantur, alij Pana dicũt eius amore captum, quod proculdubio falſum eſt. Vir enĩ quidam ſapiens fuit, qui primus & cupijt & perueſtigauit eius cauſam uocis intelligere: atq; ut qui amant, neq; potiuntur, iniquo animo ferunt: eodem & ille pacto, dum eius ſolutionem cauſæ inuenit, ægre habebat. Quemadmodum & Endymion, qui primus lunæ curſum inuenit, uigilans noctes, eiusq; curſum animad uertens, & motum inquirens, interdiu dormiebat. Fabulãtur igitur amatum eſſe à luna, eamq; ad ipſum dormientem acceſſiſſe, quia ſui ipſius cauſæ ſolutionẽ philoſopho quaſi tradidit: quin & paſtorem fuiſſe tradũt, quòd in deſertis puris atq; altis locis eius motum ſuſpiciebat. Et ei compactam fiſtulam tribuunt, quòd loca edita ut plurimùm perflantur, uel quòd figurarum conſonantiam inquirebat. Similiterq; Prometheus, cùm ſapiens eſſet, ſidereæq; aquilæ cauſam perueſtigaret, naturamq; eius, ac ſitum: cumq; diſcendi cupiditate ueluti exederetur, tum demũ quieuit, cùm ei Hercules dubitationẽ omnem ſua ſapientia ſoluit. CXXXVI

Cur aqua ſtans, quæ in ſuperficie, non autem in profundo terræ ſit, lapide per eam iacto, multos circulos efficit? Quia iactus eius intenſiõe à quauis ſui corporis parte procul aquam lapis perſequitur, atq; ita circulus fit, quouſque uidelicet

pertinet

pertinet iactus deſcenſio. Quòd ſi immodica ſit intenſio, & circulus maior ſit: deſcendens autem uſque ad terram lapis, ipſamque deinceps aquam corpore trahens, multos meritò circulos efficit. Primò enim ſuperficiẽ aquæ mouens diducit: tum per ipſam perpetuò deſcendens ad profundum, rurſus diuidens aquam, & alium efficit circulum: atque hoc per ſucceſſionem fit, donec lapis conſtiterit, ac requierit. Quoniam uerò lapidis intenſio eo deſcendente paulatim remittitur, neceſſe eſt poſteriorem quemque circulum priori contractiorem eſſe: quoniam & à lapide ſimiliter ictu ipſo aqua diuiditur. CXXXVII

Cur riſum multi è liene oriri putant, aſſerentes nõ ſimiliter riſu uideri affectos, quibus lien uitiatus, ut quibus integer ſit, imò uerò illos magnopere triſtes eſſe? Equidem ex accidenti arbitror, non propriè riſus cauſam in liene conſiſtere: nam ſi ualeat, trahit ex iecore ſecoſum omnem & melancholicum humorem: quo fit, ut cùm purus defecatusque ſanguis cùm per uniuerſum corpus, tũ in cerebrũ permeet, naturã ſimul, animamque oblectet, atque inſtar uini eas exhilaret, & in tranquillitatem ducat, atque ita riſus ab ea moueatur. CXXXVIII

Cur mulæ non pariunt? Quia è diuerſa animantium ſpecie conſtant. tum differentium qualitate & natura ſeminum immixtio, aliud quiddam gignens, præter id quod eſt prius, & eorum quæ genuerit, naturam abolet. Quemadmodũ & candidi nigrique admixtio extremorũ colorem abolens, colorem alium, qui eſt fuſcus generat, qui nihil extremorũ omnino eſt. Generatrix igitur qualitas abolita eſt, & formarum aptitudo. CXXXIX

Cur qui natura ſurdi, iidem & muti? Quoniam quæ non audierunt, dicere exprimereque non poſſunt. Quidam uerò medicorum dicunt, unam eſſe neruorum coniugationem, quæ ad linguam, quæque ad aureis pertineat: quo fit, ut affectuum quoque conſenſus iis accidat: qui autem ex accidenti ſunt muti, ſurdi omnino non ſunt: localis enim oritur neruorum paſſio. CXL

Cur qui ieiuni diutius fuere, ſumpto mox cibo rigent? Quia cibi ſumendi interuallo, bile redũdant, atque ita acidum humorem coaceruant. Poſt cibum igitur particulæ illæ corporis refotæ, bilem ab ſe in cutem abigunt, atque ita rigor oritur, bile uidelicet particulas ipſas mordicãte, atque ad ſe perſequendũ excitãte. CXLI

Cur ſues ſurſum ſpectantes ſilent, cùm baiulantur? Quia ſupra cætera bruta ad humum ſemper uergunt: fœtore enim delectantur, eumque requirunt. Ergo in repentina illa aſpectus mutatione, ueluti peregrinæ ſunt, atque hoſpites, plurimoque lumine attonitæ ſilentium perferunt. Quidam dicunt aſperã arteriam quæ anguſto meatu ſit, reſupina ipſa figura coire. CXLII

Cur ſues fimo delectantur? Medicorum quidem ſententia, eo naturaliter delectantur: habent enim maximum iecur, in quo & cupiditas ineſt. Ariſtoteles autẽ roſtri amplitudinem in cauſa eſſe putat: habet enim reſoluentem ſeſe olfactum, & cum fœtore ueluti confligentem. CXLIII

Cur conualeſcentibus ulceribus, & pituitate ceſſante, pruritus oriuntur? Quia ſanata & conſolidata pars, reliquias perſequitur humoris, qui contra naturam ineſt, quique ulcus effecerat: atque ita per cutem exiens, ſeſeque reſoluens, pruritum efficit. CXLIIII

Cur qui affectus alterum tantum oculum infeſtant, grauiores diuturnioresque ſunt? Duabus cauſis: Quoniam fluctio ad unum tantum oculum coaceruatur: quicquid enim in plura diducitur, fit ſeipſo imbecillius, minusque agit, quoque id magis fit, eò inefficacius euadit. Vel quia cùm ſeſe ſanus oculus in ſuis actionibus mouet, & ægrotum oculum toties moueri cogit. Scimus autem, maximum cu-

iuſuis ægrotæ partis medicamentum in quiete ipſa conſiſtere. CXLV

Cur homo magis frequentiusq; & uehemẽtius quàm bruta ſternuit? Quia co pioſiori,magisq; uario alimento potuq;,idq; ultra ſariẽ utitur: quod cùm minimè concoquat,ut par eſt,multum congregat ſpiritum ob multam humiditatem:is er go utpote ſubtilis ad cerebrum aſcendens, cogit frequenter ad excretionem ex citari,ſternutamentumq; efficit. Sonus igitur fit, quia per narium anguſtias uehe mens ſpiritus meat: ut per ſedem uentris crepitus, per ſtomachũ ructus, per gut tur uox,per aures ſonitus,ſimiliterq; per inteſtina immurmuratio illa,quę borbo rygmos appellatur. CXLVI

Cur mortuorum capilli unguesq; ad tempus aliquod augentur? Quia marcen te carne,quæ partes circa eorum radices occuluntur,nunc apparent, atque deci piunt,imaginationemq; afferunt,quaſi creuerint. Alij re uera dicunt augeri, quia hæc ab excrementis ortum habere ſoleant. Cadauera autem in excremẽta quàm plurima à principio propter accedentem putredinem reſoluuntur,hæc autem & per meatus,et per corporis extrema,unà cum corpore ipſo exeuntia ſupradicto rum ortum adaugent. CXLVII

Cur in digitis manuũ potius q̃ in pedibus uitiliginũ ſpecies eæ,quas leucas uo cant,oriuntur,puerisq; magis quàm perfectis? Quia ortum ex pituitæ excremen to habent. Pituita autem pueri utpote edaces ac pigriores, magis abundant. Pe dum uerò ungues, motu deambulationeq; magis exercentur, excrementaq; re ſoluunt. CXLVIII

Cur pili in pedibus haud citò caneſcunt? Eadem ratione: pedes enim frequẽti intenſaq; ambulatione, quod in ſe decurrerit pituitatis excrementum reſoluunt: id autem canos gignit. Pubes autem & ipſa ſerò caneſcit, quia calida natura eſt, atq; in coitu pituitam reſoluit. CXLIX

Cur quàm plurima animantia caudas motant,cùm notos agnoſcunt: leo uerò etiam latus uerberat,cùm iraſcitur,eodemq; modo taurus? Quia tergi medullam ad caudam uſq; pertinentem habent, quæ in ſe motiuam animalemq; uim conti net. Anima igitur quod ſibi notum eſt agnoſcens, ueluti manu aliqua,ut in homi nibus euenit,caudam motare cogit,quæ manifeſtò oſtendat eius intra ſe uim oc cultam ineſſe,quæ quod oportet,agnoſcat. In leonum uerò, ac taurorum excan deſcentia conſentit natura animæ,eamq; uehemẽtius moueri cogit: quemadmo dum & homines manus ipſi ſuas, aliam'ue corporis partem ſæpe irati uerberant. Cùm enim nequeat anima quod ſe lædat ulciſci, ſtatim alio ſibi modo ſolatiũ ex cogitat,ſuumq; affectum ictu percuſſioneq; curat. CL

Cur ſi exuſta & ſicca hordea ulceribus equorum imponantur, non iam albus cicatricibus pilus, ſed reliquo concolor innaſcitur? Quia eijciendi uim habent, abſterguntq;, & reſoluunt inſidens pituitatis excrementũ, atq; inutilem omnem operationem,quæ propter ulceris cruditatem, propterq; eius partis imbecillita tem coacta fuerit. CLI

Cur in hominũ ulcerib. pilus haudquaq; innaſcitur? Quia hominũ cutis ſpiſſa eſt, argumentũ pilorũ tenuitas ac mollities. Cũ uerò cicatrix cute ipſa ſit cõſpiſ ſatior,meatus occæcat. Equis autem,quod ad cõparationem pertineat,rarior eſt, argumentũ craſſior pilus. Quapropter minimè ijs meatus totus in cicatricem oc cluditur. Subſidentia uerò,& congregata excremẽta, cùm per tenues illos mea tus,qui ſuperſunt,erumpant,concreſcunt, & pilum gignunt. CLII

Cur quos dipſas momorderit, ſitiq; ſint intolerabili affecti, eis epota theriaca, quæ ſicca calidaq; eſt, ſitim ſedat, non autem magis incendit? Dico igitur, non qualitatis

qualitatis ratione ſitim ſedare, ſed mutuo quodam cõſenſu, ac ratione naturali. Id eſt huiuſmodi antidotus, quæ plurimis ex herbis componitur, quæ cõſenſum aliquem cũ ſingulis corporis partibus habeant: uelut dictamũ proprietatem quandam aduerſus cor habet, ipſumq́; confirmat, & ſeruat: eupatoriũ uerò cum iecore, ſcolopendrium cum liene, petroſelinum cum uentris orificio, hyſſopus uerò cum ſepto, & cum pulmone, heleniũ uerò cum renibus, ruta cum collo, gentiana cum cerebro, ſeſeli autem cum ueſica urinæ. Vnumquodq; igitur horum mellis dulcedine allectum trahit, quod ſibi proprium ad tutelam eſt. Inter quæ omnia ſunt & uiperarum immixtæ carnes, quæ naturalem quendam mutuum affectum habent, quã antipathian dicunt, aduerſus quoduis uenenoſum animal, corruptibilemq́; uirtutem. In ſingulas igitur parteis diſtributa, affectum illũ, qui corruptionem minetur, agere non ſinunt. Repugnant enim ceu legitimi quidam milites, qui pro ſua ipſorum patria arma ceperint.

PETRVS CRINITVS IOANNI FRANCISCO PICO MIRANDVLANO PRINCIPI S. D.

HActenus in eo fui, Mirãdule princeps, ut Politiani Problemata ex Alexandro Aphrodiſeo putauerim ſupprimenda potius, quàm in uulgus emittenda. Neq; id adeò, quòd opinatus ſim unquam haud ita parum in illis Politiano elaboratum. Sciebam quidem, qualiſcunq; ſit his demum genius, ob id Latinis tradita, ut legi: compoſita, ut probari poſſent: quanq; enim legent hæc quidem, ut litigent, multi magis ut improbent. Quibus & plerunq; conſentiunt improbi, probi non idem. Verùm cùm id opus à Theodoro Gaza primũ, quod tum in Pontificis bibliotheca, tũ alibi uiſitur: deinde à Georgio Valla diu pòſt ſit interpretatum, ueritus ſum, ut dignum ſatis operæpretiũ uideri poſſet, ſi tuis quaſi auſpicijs in lucem conſpectumq́; promeretur. Sed uentũ ad id eſt, ut omnem in hoc ego lapidem, ueluti in cauſa mos olim coniecturali, amoueam, id & ueterũ adeò exemplis, & Ioannis Maynardi ſuaſu. Hic enim, qua eſt in philoſophię ſacris, uel autoritate, uel religione, fecit, ut bonis me iuuenibus conſultum iri putem, ſi labor hic quoq; Politiani uelut ex aſſe rependatur: quin & ſtudioſorum ingenia ex collatione multiplici, uariaq; interpretatione certius in his quiddam, &, ut dicebat Hieronymus, excultius aſſequentur. Iam uerò in expedito, & ad manum ſit, hoc æquè ab antiquioribus factitatũ cognoſſe. Siquidem Arati Phænomena M. olim Cicero ciuibus ſuis latina exhibuit: ſecuti mox eum, ut alios mittã, Germanicus princeps, ac Sextus ipſe Ruffus, quib. hic idem labor excubuit, & in gratiam Latini ſermonis exſudauit. Sed & Platonis quoq; libri aliquot, tam à Lucio dicũtur Apuleio, qui Mileſiam luſit fabulã, quàm à Boetio mox Seuerino in latinũ conuerſi, pari fermè labore & conatu, diſſimili tamen ſtylo & oratiõe. Eſſent & aliorum permulta exempla, ſed ita contemno in his autoritatis ambitum, ut uideri quandoq; malim à cauſa deſtitutus. Multò futurũ potius, princeps optime, ut ad quæſtiones accedamus. Theodorus igitur Gaza, uir (ut doctis uiſum) doctiſſimus, & ut homo Græcus, iudicio ſummo, nullo pacto credebat Problemata ipſa Alexandro illi Aphrodiſeo adſcribenda, qui Ariſtotelis opinionum mirificus fuerit ſpeculator. Quippe & ſtylus ipſe non idem, ac ſenſus quoq;, cùm de animis præcipuè agitur, haud ita conſonant. Nos uerò ut id ſcimus receptum pleriſq; hactenus pro Alexandri opere, ita poſthac id ipſum liberum uolumus opinaturis. Cęterùm quod ad Politiani pertinet interpretationem, tantùm pro tẽpore illud admonuerim, Politianũ ipſum, ſi paulo plus in humanis

egiſſet, multa fuiſſe uel his additurum, uel inducturum: omnino pleniora eſſent
hæc omnia, decoctioraq́;. Iam nec illud humaniſſime princeps omiſerim, quòd
oracula quoque ex Hippocrate, cum Claudij Galeni commentarijs (ita enim τοὺς
ἀφορισμοὺς appellabat) Latini homines legerent. Nam & pars adhuc aliqua extat,
ac plurimùm in ea re laboris, & uigiliarum, quod is olim mihi referebat, exhauſit.
Sed hunc laborem quidam è chartis ſupplerunt. Parum moror, ſi & illud in calce
Plutarchi Cheronenſis amatorias adiecimus narratiões ad Pandulfum Collenu-
cium, qui adeò Politianum ſuſpexit, adeò eruditionem eius obſeruauit, ut noſtrũ
quoq; ſtudium (quid hoc enim negem?) propemodum, ut alumnũ ſe agnoſcere
profiteatur. Vale, Cal. Aprilis, M. CCCCXCVII. Florentiæ.

ANGELVS POLITIANVS PANDVLFO COLLENVCIO PISAV-
RENSI IVRECONSVLTO S. D. P.

MEmini te, cùm Alexãdri Aphrodiſei problemata, quæ nos è græco nu-
perrimè ſumus interpretati, lectitares, eius nouitate fabulæ delectatũ,
quæ Erinnyn furiam à Cupidine amatam confingeret: quoniam per-
uerſe quidam nimiũ (ut ipſe inquit) impieq; amarint. Quare cùm quæ-
dam Plutarchi amatoriæ narratiũculæ in manus incidiſſent, quæ id ipſum perſpi-
cuè declararent, eas tuo nomine ſubciſiuis horis latinas feci. Quî enim tibi nega-
rem, quod tam amanter, tam ingenuè peteres, ut tibi aliquid è græco breue egre-
giumq́; transferrem, quod amoris noſtri monumentũ ac pignus extaret? Quare
(ut Catullus ait) habe tibi hoc, quicquid eſt libelli, atq; hoc nũc quidem, alia cùm
licebit. Tu uale, & principis tui uirtute benignitateq́; fruere, nos conceſſo nobis à
Laurentio Medice Feſulano otio, uel his temporibus fruimur: neq; enim uir ille
aureus paſſus eſt, ut muſis noſtris, quę in ſuo gremio creuerint, aut ueſtra iſta claſ-
ſica, aut peſtilẽtiæ fragor obſtreperet. Feſulis Nonis Sextil. M. CCCCLXXVIII.

PLVTARCHI CHERONEI AMATORIAE NARRATIONES, ANGELO POLITIANO interprete.

IN ALIARTO Bœotiæ urbe puella quædã fuit forma præcellẽs,
Ariſtoclea nomine, Theophanis cuiuſdam filia. Hanc duo ama-
bant iuuenes, Strato Orchomenius, & Calliſthenes Aliartius.
Ditior erat Strato, multoq; magis puellæ amore incẽſus. Namq;
eam fortè fortuna in Lebadia uiderat, cũ ſeſe illa in Herryna fon
te cõmodùm perlueret: erat enim Ioui regi ſacram ciſtam latura.
Incertus quid ageret Theophanes (metuebat enim Stratonem, ut qui & opibus
& genere omnibus fermè Bœotijs anteiret) eius optionis Trophonium conſu-
lere cogitabat. At Strato, cùm à uirginis domeſticis, magis ad ſeſe illam quàm ad
ad Calliſthenem uergere perſuaderetur, operam enixè dabat, ut puellæ ipſi con-
iugis optio daretur: ut uerò Theophanes palam omnes natam interrogauit, eaq;
Calliſthenem maluit, continuò apparuit iniquiſſimo Stratonem animo tuliſſe.
Poſt biduũ igitur Theophanem Calliſthenemq́; adijt, affirmans uelle ſe amicitiã
aduerſus eos initã ſeruare, tametſi nuptias deus ſibi aliquis inuiderit: laudant illi,
eumq́; ad nuptiarũ epulas uocant. Magnam uerò is ſociorum ac miniſtrorum in-
ſtruit manum, eoſque omneis inter ipſam turbam alium alibi diſperſos, ac ueluti
latentes

latentes eſſe iubet, donec puella de more ad fontem, qui Cniſoeſſa uocatᷣ, deſcenderet, ut uidelicet nympharum ſacris, quæ Protelea uocent, operaretur. Tum facto impetu, qui in inſidijs erant diſpoſiti puellã corripiunt. Ibi eam Strato ad ſe trahere, Calliſthenes contrà (ut decuit) retrahere ad ſe: idem & utriuſq; ſocij, pro ſe quiſq; obnixè agere, donec puella inter repugnantiũ manus dilacerata exanimataq; eſt. Calliſthenes igitur continuò ex omnium ſeſe oculis abſtulit. Neq; poſtea compertũ cuiquam, interemerit' ne ſe, an profugus Bœotiã exularit. Strato aũt in omnium conſpectu ſupra ipſam uirginem ferro ſe iugulauit.

Cùm Phidon quidam Peloponneſiorũ principatui inſidiaretur, Argiuamq; urbem, quæ ſua patria eſſet, reliquis omnibus imperitare uellet, dolũ primò Corinthijs intendit: miſit enim qui ab eis mille adoleſcẽtes, cùm ætatis uigore, tum fortitudine præſtantes peterent. Mittuntur igitur, Dexandro duce. Cùm itaq; in animo haberet Phidôn, inſidiari ijs, ut Corinthum imbecilliorem efficeret, eaq; ſuo arbitrio uteretur (id enim unum totius Peloponneſi ueluti propugnaculum eſſe intelligebat) rem omnem cum ſocijs quibuſdam cõmunicat. Inter eos & Abron quidam fuit Dexandri hoſpes, is ei inſidias aperit: quo effectum eſt, ut ante inſidiarum tẽpus Corinthũ omneis incolumes diſceſſerint. Veſtigabat Phidon eius arcani proditorem, omniq; in id conatu incumbebat. Metuens uerò Abron, unà cum coniuge ac domeſticis Corinthũ migrauit, atq; in Meliſſo, qui uicus eſt agri Corinthij, habitauit. Ibi & filiũ ſuſcepit, cui à loco nomen Meliſſo fuit. Huius autem Meliſſi filius fuit Actæon, forma pariter atq; modeſtia inter æqualeis excellens. Eum quàm plurimi amarunt, ſed omniũ ardẽtiſſimè Archias ex Heraclidarum genere, qui cùm diuitijs, tum potentia Corinthijs omnibus anteibat. Is cùm perſuadere adoleſcẽti fruſtra tentaſſet, ad uim animũ adiecit. Profectus igitur comeſſabundus ad Meliſſi ædes, amicorũ ac domeſticorũ magna ſtipatus caterua, puerũ abducere tentabat. Renitentè igitur patre, unaq; ſecum & uicinis qui concurrerant, miſerũ illũ ad ſe retrahentibus, in repugnantiũ manibus Actęon diſcerptus eſt. Ita domũ quiſq; digreſſi. At Meliſſus pueri cadauer in forũ illatum, miſerabiliter oſtentare. Simul ſuppliciũ de ſceleris autoribus efflagitare. Miſerabãtur quidem omnes ſenem, præterea tamen agebant nihil. Cùm itaque re infecta domum redijſſet, obſeruato celebritatis Iſthmiacæ tempore, cõſcenſo Neptuni templo, Bacchiadas implorabat, patriſq; ſui Abronis beneficia cõmemorabat, inuocatiſq; dijs, præcipitẽ ſeſe de templo iecit. Haud multo pòſt, æſtus quidem ingẽs, ac peſtilentia urbem inuadit. Conſultũ igitur de ciuitatis ſalute oraculũ reſpõdit, Neptuni illam eſſe iram, non quieturam donec Actæonis mortem uindicarint. His Archias auditis (namq; is oraculo intererat) Corinthum quidem minimè redijt, ſed in Siciliam naui peruectus, Syracuſas cõdidit, cumq; ibi duas filias ſuſcepiſſet, à Telephô, cuius florem ætatis decerpſerat, quiq; in Siciliam ſecum nauigarat, per inſidias eſt interemptus.

Vir pauper, Scedaſus nomine, habitabat in Leuctris, qui eſt Theſpienſis agri exiguus pagus: huic filiæ duæ fuerunt, Hippo & Miletia, ſiue (ut quidam aiunt) Theano & Euexippa. Erat autẽ Scedaſus uir probus, atq; aduerſus hoſpites perhumanus, tametſi ille haudquaq; multa poſſidebat. Cùm ad eum igitᷣ duo Spartani adoleſcentes acceſſiſſent, perlibenter accepti ſunt. Exarſerunt illi uirginum amore, quoq; minus quid auderẽt, Scedaſi probitate prohibebantur. Perrexerũt igitur in Pythonẽ, quò uidelicet iter inſtituerant, conſultoq; (ut res tulit) deo, domum regrediebantur, factoq; per Bœotiam itinere, in Scedaſi rurſus domũ ſe recipiunt. Is fortè fortuna peregrè aberat, ſed eius filiæ eos de more accipiunt: qui

cùm puellas incuſtoditas offendiſſent, uim in eas faciunt: quas cùm ſupra modũ excepta contumelia ſeſe miſerè afflictanteis uiderẽt, ambas interficiunt, iactisq; in puteum cadaueribus, abeunt. Reuerſus Scedaſus, puellas quidem nuſquam uidet, omnia uerò, quæ relicta à ſe forent, ſalua offendit, incertusq; diutius rerũ omnium perſtitit, donec admurmurante catella, & nunc ad ſe curſitante, nunc ad puteum frequentius redeunte, coniecit id quod erat, atq; ita filiarũ corpora extraxit. Cùm uerò ei uicini dicerent, uidiſſe ſe, qui eius domum pridie eius diei ingrederentur, Lacedæmonios illos, qui & ſuperioribus diebus apud eum ipſum diuertiſſent, tranſactũ ab iiſdem facinus proculdubio intellexit. Nam & ſuperioribus diebus ſæpe ipſas puellas laudabãt, quiq; eas deſpõſaturi eſſent, beatiſſimos prędicabant. Lacedæmonẽ itaq; proficiſci ſtatuit, remq; omnẽ ad Ephoros deferre. Sed cùm ad Argiuorũ perueniſſet agrũ, noctu præuẽtus in diuerſorio reſiſtit. Ibi & ſenem aliũ offendit Orei ciuem, quod in Eſtięatide agro oppidũ eſt. Quẽ cùm & gementẽ, & Lacedæmonios diris agentem uideret, interrogauit: Ecquo'nam is malo à Lacedæmoniis eſſet affectus. Narrauit ille ſubditũ ſe eſſe Spartanorum ditioni, miſſum uerò Oreum, qui magiſtratu fungerẽt Ariſtodemũ, omni prorſus crudelitate atq; iniquitate uſum eſſe. Nam cùm (inquit) filiũ meum amaret, neq; precando quicquam pollicitandoq; efficeret, ad uim conuerſus, eum de palæſtra rapere aggreſſus eſt: probibente uerò id palæſtræ magiſtro, ac nonnullis adoleſcentibus opem ferentibus, ſtatim quidem Ariſtodemus digreſſus eſt: poſtridie aũt inſtructa triremi adoleſcentẽ rapit, atq; in ulterius littus trauectũ uiolare nititur, fortiusq; reluctantem gladio iugulat. Tum in Oreũ regreſſus conuiuiũ celebrat. Ego uerò interim facinus indignũ audio, natiq; corpus humi mando. Tum Spartam contendo, remq; omnem ad Ephoros defero, cuius illi rationẽ prorſus nullam habuerunt. His Scedaſus auditis, uehementer perturbatur. Nam et ſui rationem nullam habitũ iri exiſtimabat: ita uiciſſim hoſpiti ſuam calamitatem narrat. Cohortatur ille, ne ad Ephoros accedat, ſed in Bœotiam redeat, liberisq; ſuis tumulũ condat. Minimè id tamen Scedaſo perſuadet. Pergit igitur Spartam, atq; Ephoros cõuenit. neglectus ab his, reges adit. Mox populares ſingulos ambiẽs, ſuam calamitatẽ conquerit. Quę cùm omnia fruſtra cecidiſſent, tũ uerò Scedaſus mediã per urbẽ currere, manus ad ſolẽ tendere, tum ferire humũ, furias inuocare, poſtq; hæc omnia ſibi mortem conſciuit. Haud multo igitur pòſt pœnas Lacedęmonii dederunt. Nam cùm uniuerſæ Græciæ imperitarent, omneisq; urbes præſidiis firmaſſent: Thebanus Epaminundas, quotquot ſuæ urbis pręſidiũ tenerẽt, ad unũ trucidauit. Inſurgentibus uerò in bellũ Lacedęmoniis, occurrũt Thebani ad Leuctra, loci uidelicet auſpiciũ captantes. Nam & antea ipſo loco libertatem recuperarant, quo uidelicet tempore Amphictyon à Stheneleo in exiliũ pulſus, in Thebanorũ urbẽ confugit: qui cùm Chalcidẽſes uectigales feciſſet, tributi immunes Thebanos reddidit: quippe qui Chalcodontẽ Eubœenſiũ regẽ interfecerit. Fuſi igitur, cæſiq; ad unũ Lacedæmonii omnes ad ipſum natarũ Scedaſi monumentũ. Ferunt aũt priuſquàm in pugnã prodiretur, Pelopidæ uni ex Thebani exercitus militibus, ſignis quibuſdam, quę aduerſa putarent, exterrito Scedaſum in ſomniis uiſum, qui bono eſſe animo iuberet: uenire enim Leuctra Lacedæmonios, ſuppliciũ ſibi ſuisq; natabus perſoluturos: ſimulq; iuberet, ne antè in pugnã prodirent, quàm equi candidũ pullũ, qui paratus afforet, ad uirginũ ſepulchrũ immolarent. Pelopidam uerò, militantibus adhuc in Tegea Lacedæmoniis, miſiſſe in Leuctra dicunt, qui de eo ſepulchro inquirerẽt, req; omni ab indigenis comperta, optima imbutũ ſpe, eduxiſſe exercitum, atq; ita uictoriam reportaſſe.

Phocus

Phocus Bœotius quidem genere erat, utpote è Gliſante: unicam hic filiam habuit, forma atq; modeſtia præcellentē. Triginta illam Bœotiorū primarij adoleſcentes uxorē ſibi quiſq; poſtulabant. Phocus uerò alias ex alijs nuptiarū moras nectebat, metuens uidelicet, ne qua uis inferretur: poſtremò rogantibus illis, Pythium dixit eius ſe optionis conſulturū. Id auditū ægerrimè tulerunt, Phocumq; ipſum facto impetu interemerunt. In ipſo aūt tumultu fugitans puella, per agros errabat, ſequebanť uerò adoleſcentes. Sed cùm ea in agricolas incidiſſet, qui triticum in area coaceruarent, ſalutē per eos conſecuta eſt: occuluerunt enim ipſam agricolæ in tritico, atq; ita à perſequentibus tranſmiſſa eſt. Quæ cùm euaſiſſet, celebritate, quæ Bœotijs omnibus cōmunis foret, obſeruata, Coroneam profecta, ad Itoniæ Mineruæ aram ſupplex conſedit. Ibi procorū iniquitatē narrans, nomē ſimul cuiuſq; ac patriā edocebat. Miſerabanť itaq; Bœotij puellā, atq; adoleſcentibus ſuccenſebať. Ei uerò, cùm hæc audiſſent, in Orchomenū confugiūt, à quibus repulſi, ad Hippotas abierunt, qui uicus prope Heliconē inter Thebas & Coroneam ſitus erat. Ab his igitur ſuſcepti ſunt. Poſt hæc mittunt Thebani, qui Phoci interfectores ſibi dedi poſtulent. Quod ubi minimè impetrant, bellū eis Thebani unà cum cæteris Bœotijs inferūt. Eius belli imperator Phœdus fuit, qui tum princeps Thebanorū erat. Expugnato igitur uico munitiſſimo, quiq; intra ipſum erant, ad extremā ſitim redactis, cōprehenſos Phoci interfectores cōburunt, indigenas uerò ipſos in ſeruitutē abducunt, dirutisq; mœnibus, ac domibus, agrum Thebani inter ſe, Coroneiq; diuiſerunt. Fertur uerò nocte ipſa, quę Hippotarum captiuitatē præceſſerit, uocem ſæpius ex Helicone auditam, quæ diceret, adſum: procos aūt triginta uocem illam, ut quæ Phoci eſſet, agnouiſſe. Qua uerò die ad bellū prodierunt, monumentū ſenis, quod in Gliſante foret, croco fluxiſſe tradiť. Phœdo aūt Thebanorū principi atq; imperatori à pugna redeunti nuntiatum, filiam ſibi natam, quam ille, accepto auſpicio, Nicoſtratam appellauerit.

Alcippus genere quidē Lacedæmonius erat, ducta uerò Damocrita uxore, binos ex ea fœminei ſexus liberos ſuſcepit. Is cùm & optimè ciuitati conſuleret, & ea ageret, quæ eſſe è repub. intelligeret, inuidiam in ſe eorum concitauit, qui aduerſas ei parteis in repub. fouerēt, à quibus falſis ſermonib. perſuaſi Ephori, uelle Alcippum leges diſſoluere, exilio uirū mulctarunt. Exiuit ille quidē Sparta. Damocrita uerò uxor, quæ ſe uiro comitem unà cum filiabus præbere uellet, prohibita eſt: Quin & eius bona publicarunt, ne dos uirginibus ſupereſſet. Sed cùm nonnulli puellas ſibi ob paternam uirtutē uxores poſtularent, ſenatuſcōſulto ab inimicis prohibiti ſunt uxores illas accipere, quippe qui de ipſarum matre uotum dicerent auditum, ut ſibi q̃ ocyſſimè liberi ex natabus orirentur, qui patrem uindicarent. Cùm igitur undecunq; Damocrita impugnareť, communem quandam totius populi celebritatem obſeruauit, ad quam mos erat, ut unà cum uirginibus, domeſticisq; omnibus atq; infantibus mulieres conuenirent: quæ uerò ex nobilitate eſſent, ſeorſum ipſæ à cæteris, in magno quodā androne pernoctabāt. Ibi illa gladio ſub ueſtē accincta, comites ſecum filias educit, noctuq; in templum proficiſcitur, obſeruatoq; tempore, quo omnes myſterio interforēt, cùm occluſæ fores eſſent, magnam lignorum uim ad eas conſtipauit, quippe quæ ad manum, præſtoq; forent, ad ſacrorum uſum conuecta. Tum ignem immiſit: accurrētibus autem auxilio uiris, filias ipſa ſuas, tum ſeſe ipſam Damocrita gladio interfecit: quapropter cùm minimè haberent, in quos iram effunderent, extra fines Damocritæ natarumq; corpora proijciunt. Quamobrem irato deo ingens ille traditur Lacedæmone terræ motus extitiſſe.

MAGNI ATHANASII IN PSALMOS OPVSCVLVM, ANGELO POLITIANO interprete.

OMNIS quidē ſcriptura diuina magiſtra eſt uirtutis, & ueræ fidei: ſed liber Pſalmorum habet etiam quodammodo imaginem ſtatus animarū. Vt enim qui adit regem, prius ipſe habitū uerbaq; cōponit, ne fortè imperitus habeat: ſic diuinus hic liber currentes ad uirtutē, & eos qui uitam ſaluatoris in corpore cognoſcere geſtiunt, admonet prius per lectionem motionū omniū, quibus anima afficitur, deinde de uarijs format inſtruitq; ſermonibus. Poteſt igitur unuſquiſq; in Pſalmis motū ſtatumq; animæ ſuæ deprehendere, atq; ita figuram quiſq; diſciplinamq; ſuam quibusq; uerbis placere deo poſſit. Et quibus uerbis ſeſe corrigere ualeat, & deo agere gratias, ne ſi præterq; fas eſt dicat, incidat in impietatē. nō ſolū eñ de operibus, ſed de omni otioſo uerbo reddēda apud iudicē ratio eſt.

Si igitur beatū aliquem dicere uelis, habes quomodo, & quamobrē, & quem dicas, in Pſalmis. I. Beatus uir qui non abijt. XXXI. Beati quorum remiſſæ ſunt. XL. Beatus qui intelligit ſuper egenum. III. Beatus uir qui timet dominum. & CXXVII. Beati omnes qui timent dominum.

Si conqueri Iudæorum contra ſaluatorem inſidias, habes II. Quare fremuerunt gentes.

Si te tui perſequuntur, & multi inſurgunt aduerſum te, III. pſalmum dicas: Domine quid multiplicati ſunt.

Si autem ad hunc modum tribulatus inuocaſti dominum, & quoniam exaudiuit, agere uis gratias, canito IIII. Cùm inuocarem. & CXIIII. Dilexi, quoniam exaudiet dominus.

Si uides inſidias tibi à malignantibus fieri, & auribus percipi cupis orationem tuam, canito pſal. V. Verba mea auribus percipe.

Si minas Dei ſentis, & inde territum te uides; dicere potes pſalmum VI. Domine ne in furore tuo. & XXXVII. Domine, ne in furore, &c. Quoniam ſagittæ tuæ, &c.

Si autem conſiliū ineunt aliqui contra te, quemadmodū Achitophel contra Dauid, & hoc aliquis tibi nuntiet, cane VII. Domine deus meus in te ſperaui. Et confide in eo qui te liberabit.

Cernens aūt gratiam ſaluatoris circumquaq; diffuſam, & reſtitutū ſaluti genus humanum, ſi alloqui dominū uis, cane VIII. Domine dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum.

Si rurſus canere uis pro torcularibus, deo gratias agens, habes VIII. Domine dominus noſter, & LXXX. Exultate deo ſalutari noſtro.

Si coerceri inimicū uis, & creaturam ſaluari non confidens in teipſo, ſed in dei filio, dic IX. pſal. Confitebor tibi domine in toto corde meo.

Si quis te metu afficere uelit, tu confidens in domino cane X. In domino confido, quomodo, &c.

Si multorū ſuperbiam & malitiam uides abūdare, ita ut nihil ſit inter homines ſanctū, confuge tu ad dominū, & dic XI. pſalmū: Saluum me fac domine.

Si diutius perſeuerant aduerſariorum inſidiæ, ne teipſum negligas, quaſi tui dominus ſit oblitus, ſed inuoca dominum canens XXVI pſalmum: Dominus illuminatio mea, &c.

Si quos

Si quos audis blaſphemantes contra prouidentiam, ne ſis tu quidem particeps eorum impietatis, ſed ad deum cõfugiens, dic XIII. Dixit inſipiens in corde ſuo; non eſt deus. Corrupti ſunt. & LII. Dixit inſipiens, &c.

Si ſcire uis qualis eſt regni cœlorum ciuis, cane XIIII. Domine quis habitat in tabernaculo tuo.

Si tibi oratione opus eſt, propter reſiſtentes tibi, & circundantes animã tuam, cane XVI. Exaudi domine iuſtitiam meam. & LXXXV. Inclina domine aurem tuam. & LXXXVIII. Miſericordias domini in æternum cantabo. & CX. Domine clamaui ad te, exaudi me.

Si ſcire uis quo pacto Moyſes orabat, habes LXXXIX. Domine refugium factus es nobis.

Si euaſiſti ab inimicis, & liberatus es à perſequentibus te, cane tu quoq; XVII. Diligam te domine fortitudo mea, &c.

Si miraris ordinem rerum creatarũ, & diuinę prouidentiæ gratiã, cane XVIII. Cœli enarrant gloriam dei, &c. Et XXVII. Ad te domine clamabo, &c.

Si tribulatos uides, conſolare eos, & pro eis orans dic uerba pſalmi XIX. Exaudiat te dominus in die tribulationis, &c.

Si te cuſtodiri à domino uides, & proſperè agere gaudens cane pſalmũ XXII Dominus regit me, &c.

Si cõtra te irruunt inimici, eleua animam ad deũ, & dic XXIIII. Ad te domine leuaui animam meam, &c. & fruſtra eos iniquè agentes uidebis.

Si perſeuerauerint inimici, & ſanguinolẽtis manibus abſtrahere, uel occidere te quærũt, ne des homini iudicium. Suſpecta enim ſunt humana omnia. Sed deũ iudicem poſtulans: ipſe enim ſolus iudex eſt: dic XXV. Iudica me domine, quoniã ego, &c. XXXIIIII. Iudica domine nocẽtes me. & CXLII. Iudica me deus, & diſcerne cauſam meam.

Si autem ſæuius inſtent, & multitudo inſtar caſtrorum ſint inimici, deſpiciẽtes quaſi ne unctus quidem ſis, nihil formidans cane XXVI. Omnes gentes plaudite manibus, &c.

Si rurſus impudentes ſint, qui inſidiant, minimè illos curans, cane ad dominũ, quæ ſunt in pſal. XXVII. Magnus dominus, & laudabilis nimis.

Si ſcire uis quomodo gratias acturus accedere ad deũ debes, intelligibiliter intelliges, cane XXVIII. Audite hæc omnes gentes, &c.

Deinde renouans domũ tuam, & animam, quæ dominũ ſuſcepit, & ſenſibilem domũ, in qua corporaliter habitas, age gratias, & dic XXIX. Deus deorũ dominus locutus eſt. & CXXVI. Niſi dominus ædificauerit, &c.

Si te odio haberi propter ueritatem ab amicis & propinquis uides, ne remitte ſtudiũ, neue aduerſantes extimeſce, ſed futura cogitãs, cane XXX. In te domine ſperaui, non confundar in æternum.

Si baptizatos uides à corruptibili generatione liberatos, diuinam benignitatẽ admirans, cane XXXI. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.

Si canere uis inter multos iuſtos uiros, & rectè uiuẽtes colligẽs, cane XXXII. Exultate iuſti in domino, rectos decet collaudatio.

Si incidiſti in hoſtes, & eos prudenter euitaſti, atq; inſidias effugiſti, & ob id agere uis gratias, conuoca mites homines, & cum eis cane pſal. XXXIII. Benedicam dominum in omni tempore.

Si uides iniquos in malum certare, ne putes ſecundũ naturam eſſe in illis peccatum, quemadmodum hæretici quidam, ſed dic XXXV. pſal. Dixit iniuſtus, ut delin-

ut delinquat in ſemetipſo,nō eſt timor dei ante oculos eius,& uidebis quòd ipſimet peccandi cauſa ſunt.

Si malos iniqua agentes cernis,& contra paruos ſuperbiētes, & admonere uis aliquos,ne iſtos attendant,aut æmulentur, quoniam citò extinguētur, dic & tibi & alijs XXXVI.Noli æmulari in malignantibus,&c.

Si ſtatuiſti habere tui curam,& uides inſidiantē aduerſariū: maximè enim contra tales excitatur, ac uis temet in eum parare, cane XXXVIII.pſal. Dixi cuſtodiam uias meas,&c.

Si multos uides pauperes & mēdicos,ac miſereri uis,potes & eos qui iam ſunt miſerti,probare, & alios ut idem agant hortari, dicēs XL. Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem,&c.

Si deſideriū habes erga deū,inimicos audis exprobrantes,ne perturberis, ſed intelligens immortalem fructum,qui ex hoc deſiderio naſcitur,conſolare animā tuam ſpe erga deum,& hac releuans mitigansq́ uitæ dolores,dic XLI.pſalmum: Quemadmodum deſiderat ceruus ad,&c.

Si recordari frequēter uis beneficia dei,quæ patribus fecit,& in exitu de Aegypto,& in deſerto,& quomodo deus quidem bonus,ipſi aūt ingrati,habes XLIII Deus auribus noſtris audiuimus. item LXXVII. Attendite popule meus, &c. LXXXVIII.Miſericordias domini in æternum cantabo,&c. CI. Domine exaudi orationem meam,& clamor,&c. CV. Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum,&c. CVI.Confitemini domino quoniam bonus,&c. Dicāt qui CXIII.In exitu Iſrael de Aegypto,&c.

Si confugiens ad deum euaſiſti,quæ aduerſus te dicta ſunt, & gratias agere uis deo, & narrare eius erga te benignitatem, habes XLV. Deus noſter refugium & uirtus.

Si peccaſti,& conuerſus pœnitētia afficeris,& uis miſericordiā cōſequi,habes confeſſionis uerba in pſalmo L. Miſerere mei deus ſecundū magnam miſericordiam tuam,&c.

Si calumniam paſſus es apud malū regem,& diabolū uides glorīantem,ſecede & dic quæ ſunt in LI. Quid gloriaris in malitia,qui potens es iniquitate.

Si qui te perſequuntur & calumniantur,prodere uolētes, ſicut Phariſæi Ieſum, & alienigenæ Dauid, ne tædio marceſcas, ſed confidens in domino, cane LIII. Deus in nomine tuo ſaluum me fac. & LV. Miſerere mei deus, quoniam conculcauit me homo.

Si autem concurrat perſecutio, & non cognoſcens in ſpeluncam ingrediatur, in qua tu abſconderis,ne metue:habes enim in hac neceſſitate utilia,cùm ad conſolandum,tum ad memoriam rei colendam uerba in LVI.pſalmo: Miſerere mei deus,miſerere mei,quoniā in te confidit anima mea.& CXLI pſalmo: Voce mea ad dominum clamaui.

Si obſeruari domum qui inſidiatur iuſſerit, ut effugeris, age gratias deo, & in tabulis animæ tuæ rem incidens, dic LVIII. Eripe me de inimicis meis deus meus.

Si exprobrent inimici, qui tribulant te, & loquacius detrahant, qui amici eſſe uidentur,& in exercitatione tua labores aliquantulum, potes inuocare tu quoq; deum, dicens quæ ſunt in IIII. pſalmo: Cùm inuocarem, exaudiſti me deus iuſtitiæ meæ.

Contra hypocritas,& in facie gloriantes,dic ad eorum conuerſionem LVII. pſalmū: Si uerè utiq; iuſtitiam loquimini,rectè iudicate filij hominum.

Si aſperè

Si aſperè irruant in te, & capere animam tuam uelint, oppone illis ſubiectionem tuam ad deum, & bono animo ſis: quò enim magis inſæuiunt illi, eò magis domino ſubijcientur: dic autem pſalmum L X I. Non ne deo ſubiecta erat anima mea? &c.

Si perſecutionem fugiẽs in deſertum conceſſeris, ne metuas quaſi ſolus ibi ſis, ſed habens deum, & ad ipſum diluculo ſurgens, cane L X I I. Deus deus meus ad te de luce uigilo.

Si perterrefaciant inimici, nec ſtruere inſidias deſinant, et omnia inquirant aduerſum te, etiam ſi plurimi ſint, ne ceſſeris. Sagittæ enim paruulorum erunt horum plagæ, ſi cecineris L X I I I. Exaudi deus orationem meam, cùm deprecor. & L X V I I. Exurgat deus, & diſſipẽtur inimici eius, & fugiant, qui odiũt eum à facie eius. L X I X. Deus in adiutorium meum intende, domine, &c. Et L X X. In te domine ſperaui, non confundar in æternum.

Si canere deum uis, habes L X I I I I. Te decet deus hymnus in Sion, &c.

Si quos imbuas reſurrectionis myſterio, habes L X X I X. Qui regis Iſrael, intende, &c.

Si miſericordiã à deo petis, cane pſalmũ L X V I. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis.

Si uideas impios in pace proſperari, ne ſcandalizeris, ut commouearis, dic tu quoq; L X X I I. Quàm bonus Iſrael deus, his qui recto ſunt corde.

Si iraſcitur populo deus, habes uerba quibus hunc conſoleris, in L X X I I I. Vt quid deus retuliſti, &c.

Si confeſſione tibi eſt opus, cane L X X. In te domine ſperaui, &c. L X X I I I I. Confitebuntur tibi deus, &c. X C I. Bonum eſt confiteri domino, & pſallere nomini tuo, &c. C I I I I. Confitemini domino, & inuocate nomen eius. C V. Confitemini domino quoniam bonus, &c. C V I I. Paratũ cor meum deus, &c. C X. Confitebor tibi domine in toto corde meo. C X I I. Confitemini domino quoniam bonus. C X X X V. Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius. & C X X X V I I. Confitebor tibi domine in toto corde meo, quoniam audiſti uerba oris mei.

Si uituperare gentilem uis, & hęreticos, ut apud quos dei cognitio non eſt, potes intelligendo canere, & dicere quæ ſunt in pſal. L X X X V. Inclina domine aurem tuam, & exaudi me, quoniam inops & pauper ſum ego.

Si occupauerint inimici effugia tua, & magnopere tribuleris, quanquam perturberis, ne deſpera, ſed ora, & ſi clamans exauditus fueris, age Deo gratias, dicens quæ ſunt in pſalmo L X X V I. Voce mea ad dominum clamaui, uoce mea ad deum, &c.

Si perſeuerantes inimici irruerint, & polluerint domum dei, ac ſanctos occiderint, & eorum corpora uolatilibus cœli proiecerint, ne metuas illorum crudelitatem, ſed cõpatiens patienbus, dic pſal. L X X V I I I. Deus uenerunt gentes in hęreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum.

Si canere uis domino in celebritate conuocatis dei ſeruis, cane L X X X. Exultate deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob. & X C I I I I. Venite exultemus domino, iubilemus deo ſalutari noſtro.

Si rurſus inimici congregentur undiq;, & minentur domui Dei, conſpiratiões contra pietatem, ne te multitudo & potentia illorum perturbet, habes uelut anchorã ſpei uerba quæ ſunt in L X X X I I. Deus quis ſimilis erit tibi? ne taceas, neq; compeſcaris deus.

Si uides

Si uides domum dei & æterna eius tabernacula, & deſiderium habes ad illa ſicut habebat apoſtolus, dic & tu LXXXIII. Quàm dilecta tabernacula tua, &c.

Si ceſſauerit ira, & ſoluta captiuitas fuerit, habes quibus gratiás deo agas LXXXIIII. Benedixiſti dómine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob. & CXV Credidi propter quod locutus ſum, &c.

Si diſcordiam catholicæ eccleſiæ aduerſus ſchiſmata cognoſcere uis, & illos conuertere, potes dicere quæ ſunt in pſal. LXXXVI. Fundamenta eius in montibus ſanctis.

Si exhortari teipſum uis, & alios ad religionem, ac perſuadere, quòd ſpes in deum non confundit, ſed intrepidam reddit animam, lauda deũ, dicens quæ ſunt in pſal. XC. Qui habitat in adiutorio altiſſimi, &c.

Si canere uis ſabbato, habes XCI. Bonum eſt confiteri domino, & pſallere nomini tuo altiſſime.

Si gratias agere uis dominico die, habes XIII. Dixit inſipiens in corde ſuo, nõ eſt deus, &c.

Si canere uis in ſecunda ſabbati, habes quę ſunt in XCIIII. Venite exultemus domino, &c.

Si canere uis paraſceue, habes laudationem in XCII. Dominus regnauit decorem indutus eſt, &c. Tunc enim domus ædificata eſt, quamuis circumire conati ſunt hoſtes. Atq; ideo triumphale carmen canendum eſt ipſi deo.

Si captiuitas fuerit, ac uaſtata domus, rurſusq; ædificata, cane quę ſunt in XCV Cantate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra.

Si uexata terra fuerit ab hoſtibus, & deinde quieſcat, regnante domino, habes quem canas XCVI. Dominus regnauit, exultet terra.

Si uis quarta ſabbati canere, habes XCIII. Deus ultionum dominus, deus ultionum liberè egit. Tunc enim traditus ulciſci mortem cœpit, & de ea triumphare: cùm igitur Euangelium legens uideris Iudæos conſilium ineuntes aduerſus dominum, & ipſum audacter ſtare pro nobis aduerſus diabolum, cane quæ ſunt in XCIII. ut dictum eſt.

Si uides prouidentiam domini in omnia, & dominiũ ipſius, & uis imbuere aliquos ipſius fide & obedientia, cùm perſuaſeris prius, ut confiteanť, cane XCVIII Iubilate deo omnis terra.

Si poteſtatem iudicandi in eo cognoſcis, & quod miſericordiæ iudicium admiſcens iudicat deus, atq; accedere ad ipſum uis, habes ad hoc uerba C. pſal. Miſericordiam & iudicium cantabo tibi domine.

Si propter imbecillitatem naturæ noſtræ aſſiduis uitæ malis aliquãdo, ceu medicus, tædio afficeris, & conſolari te uis, habes pſal. CI. Domine exaudi orationẽ meam, & clamor meus ad te ueniat.

Et quoniã conuenit ſemper & in omnibus agere deo gratiam, quando ipſi benedicere uis, habes quo tuam animam adhorteris CII. Benedic anima mea domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius, &c. & CIII. Benedic anima mea dominũ, domine deus meus magnificatus es uehementer.

Si laudare uis deum, & ſcire quomodo ob aliquod oportet laudare, & quę uerba dicere laudans debet, habes CXII. Laudate pueri dominum, laudate nomen domini, &c. CXVI. Laudate dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. CXLV. Lauda anima mea dominũ, laudabo dominum in uita mea, pſallam deo meo ꝙ diu fuero. CXXXII. Ecce ꝙ bonum, &c. CXLVI. Laudate dominũ, quoniam bonus eſt pſal. CXLVII. Lauda Hieruſalem dominum, lauda deum tuum

tuum Sion. CXLVIII.Laudate dominum de cœlis,&c. CXLIX.Cantate domino canticum nouum,laus eius in eccleſia ſanctorum. CL. Laudate dominũ in ſanctis eius, laudate eum in firmamento uirtutis eius.

Si habes fidem,quemadmodũ dominus dixit,& credis in his quæ orans loqueris,dic CXV.Credidi propter quod locutus ſum.

Si te aſcendentem ſentis actionibus ſicut dicas his obliuiſcor autem qui præcedunt contendo, habes in unoquoque proceſſu,quæ dicas quindecim graduũ Cantica.

Si captiuatus es alienis cogitationibus,& ſenſiſti te abduci,& pœnituit,deſine deinceps,& manens ubi te peccantẽ deprehendiſti ſede,ac luge tu quoq;,quemadmodum fecit populus, dicens quæ ſunt in CXXXVI. Super flumina Babylonis illic ſedimus,&c.

Si tentatiões putas eſſe tui probationẽ,age poſt tentationes gratias deo, dicẽs CXXXVIII.Domine probaſti me,& cognouiſti me.

Si teneris rurſus ab inimicis,& liberari uis,dic CXXXIX.Eripe me domine ab homine malo,à uiro iniquo eripe me.

Si orare uis,& deprecari,dic V.Verba mea auribus percipe. CXL.Domine clamaui ad te,exaudi me. CXLI.Voce mea ad dominũ clamaui, uoce mea dominũ deprecatus ſum. CXLII.Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam. CXLV.Lauda anima mea dominum,&c.

Si inimicus tyrãnus inſurrexit aduerſus populũ,tu quoq; ſicut Dauid Goliath, ne timeas,ſed unà cum Dauid crede, & canens dic CXLIII. Benedictus dominus deus meus qui docet manus meas ad prælium.

Si bonitatem dei & in te,& in omnes recolis,& benedicere deo uis, dic uerba quæ Dauid dixit in LXXXIIII.Benedixiſti domine terram tuam,&c.

Si cantare uis domino,habes quid dicas XCV.Cantate domino canticũ nouũ, &c. XCVII.Cantate domino canticum nouum, quia mirabilia fecit.

Si paruus forte in aliquo uſu fratribus anteponeris, ne extollaris contra ipſos, ſed dans gloriam deo,pſalle tu quoq; CLI. Quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate,qui proprius dei es. alias CL.Laudate dominum in ſanctis eius, laudate eum in firmamento uirtutis eius.

Si canere uis obedientiam habentem alleluia, habes CIIII. Cõfitemini domino,& inuocate nomen eius. CV. Cõfitemini domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.Quis loquetur potentiã domini. CVI.Confitemini domino quoniam bonus, &c. Dicant nunc qui, & CX.Confitebor tibi domine in toto corde meo. CXI.Beatus uir qui timet dominũ,in mandatis eius uolet nimis. CXII.Laudate pueri dominum,&c.CXIII.In exitu Iſrael de Aegypto,&c. CXIIII.Dilexi quoniam exaudiet dominus. CXV.Credidi,propter quod locutus ſum. CXVI. Laudate dominum omnes gentes. CXVII. Confitemini domino quoniã bonus,&c. Dicat nũc Iſrael. CXVIII.Beati immaculati.CXXXIIII. Laudate nomen Domini. CXLV.Lauda anima mea dominũ, &c. CXLVI.Laudate dominũ, quoniam bonus eſt pſalmus. CXLVII. Lauda Hieruſalem dominum. CXLVIII.Laudate dominum de cœlis. CXLIX. Cantate domino canticum nouum, laus eius in eccleſia ſanctorum. & CL. Laudate dominum in ſanctis eius,&c.

Si ſeorſum uis canere de ſaluatore,habes de eo in quouis pſalmo. Præcipue uerò habes XLIIII. Ad te domine leuaui animam meam. CIX.Dixit dominus domino meo,ſede à dextris meis, &c. indicantes ipſius ex patre legitimam genera-

tionem, & corporalem eius præſentiam. X.autem,ſcilicet,In domino confido.& LXVIII.ſcilicet,Saluũ me fac deus. prædicentes de diuina cruce, & quantũ pro nobis inſidiarũ ſuſcepit,& ꝙ multa paſſus eſt. & II. Quare fremuerunt gentes.& CVIII.Beati immaculati: ſignificantes Iudæorũ inſidias, & malignitatem,& Iudæ Scharioti proditionem. Item XX.Domine in uirtute tua. XLIX.Deus deorum dominus locutus eſt. & LXXI.oſtendentes regnum eius, & iudicandi poteſtatem,& eius præſentiam in carne. X.autem,Conſerua me domine,quoniã ſperaui in te,&c.indicat eius in carne reſurrectionẽ glorioſam. XXIIII.Domini eſt terra & plenitudo eius. & LXVI.Omnes gentes plaudite manibus, &c.nũtiant eius in cœlum aſcenſum. XCII.Dominus regnauit. XCV.Cantate domino canticum nouum,cantate,&c. XCVII.Cantate domino canticum nouũ,quia mirabilia fecit. XCVIII.Dominus regnauit,iraſcantur populi: ſi leges, ſpeculari poteris,quæ dominus nobis beneficia per paſſionem contulit.

Talis eſt ſtylus & character Pſalmorũ,ad hominum utilitatem.

ANGELI POLITIANI AD MAGNANIMVM LAVRENTIVM MEDICEM, PETRI F. IN Platonis Charmidem, è Græcó à ſe in Latinum conuerſum, Præfatio.

CVM ſæpe mecum animo reputarem,magnanime Laurenti Medices, & tanq; ex alta quadam ſpecula humanæ huius uitæ conditionem intuerer,illud in primis cùm admirabile mihi, tum miſeratione digniſſimũ uiſum eſt, quòd cum omnes homines pari quidẽ ſtudio ad felicitatẽ ipſam tanq; ad portũ aliquem tutiſſimũ uiam affectent, adeò tamẽ pauci tanta præſertim, tam multorum inueſtigatione exiſterent, qui ad eam adipiſcendam recto uirtutis itinere ingrederentur. Sed cùm & natura quidem ipſa ad felicitatis indagationẽ quoſdã quaſi igniculos noſtris mentibus inſeruerit,& (quod in Protagora Plato ait) neminem omnium non inuitum peccare ſapiẽtes arbitrentur, illud mihi profectò maximè extare uiſum eſt, omnem malorum omniũ cauſam, quæ quidem humano generi plurima ſanè atq; acerbiſſima incubuerint,quibuſq; uniuerſa uita noſtra uelut turbulentiſſimis tempeſtatibus hinc atq; illinc perpetuò iactetur,non tam noſtra nobis uoluntate,ꝙ illius inueniendæ difficultate emanaſſe. Hinc itaq; effectum eſt, ut quæ homines ſinguli per ſe ipſi nacti ſint,ea quidem mordicus teneant:alienis uerò,atq; ad ſe minimè pertinentibus, dies noctesq; pro ſe quiſq; anxiè inhient, multoq;, ꝙ quorum ipſi potiti ſint priora ea, ac potiora eſſe arbitrentur. Atq; illi quidem nauibus,ut eſt apud Flaccum,atq; quadrigis bene uiuere petẽtes,& tanquam inter omnis generis margaritas,precioſam unam,de qua diuina ſapiẽtia locuta eſt,in tenebris perueſtigantes,cùm neq; pondere,neq; tactu, neq; item magnitudine eam à cæteris diſcernere ualeant,concurſant temerè, & rixantur inter ſe,atq; inſidis quibuſdã imaginibus allecti,dum id quod indagatur, habere ſe ambigunt,neq; omittere quas legerint, neq; à quærendi labore, obſtinatis iam animis deſiſtere audent. Nempe uerò hoc illud eſt, quod Homerus ille noſter diuinæ ſapientiæ quaſi quidam Oceanus,herbam quam moly uocat,quaq; Vlyſſes à Ioue per Mercuriũ accepta,quaſi quodam antidoto contra Circes ueneficia uſus ſit,nigra quidẽ radice ipſam, flore aũt lacti ꝙ ſimilimo, uiriſq; mortalibus inuẽtu difficilimam eſſe dicit. Quapropter cùm tantis ſimus ignorantiæ tenebris præpediti

diti, tantiſq; idcirco laboribus ac periculis exerceamur, non minus profectò nobis, quàm Homerico illi Diomedi & uulnere & ſudore in conſerta hoſtiũ acie laboranti, ſapientiſſimæ Palladis, hoc eſt, ſanctiſſimæ philoſophiæ auxiliũ implorandum eſt, quæ & ipſa nobis omnẽ illam, quæ noſtris nunc oculis obducta mortales hebetat uiſus, atq; humida circum caligat, nubem eripiat, ut (quod diuinè idẽ Homerus cecinit) ſit nobis lumine promptũ Purgata iam in luce hominem ſpectare, deumq;. Niſi enim philoſophiã ipſam totius uitæ ducẽ, & uirtutis, ut ille inquit, indagatricẽ atq; expultricẽ uitiorũ aſſequamur, quæ immortalis dei munere è cœlo in terras ad regendũ gubernandumq; hominẽ demiſſa eſt, nunq; profectò nobis uel pura in luce refulgere, uel precioſam illam margaritam noſtro (ut aiũt) marte eruere, uel ab humanæ huius uitæ illecebris, quæ nos Circæi poculi inſtar in feras beſtiaſq; conuertunt, ullo pacto euadere licebit. Verumenimuero ut nõ ex omni ligno, ueteri prouerbio, Mercurius fingitur: ita profectò nõ cuiuſuis naturæ eſt intima philoſophię adyta penetrare. Qui enim animo anguſto ſordidoq; eſſent, rerumq; humiliũ cupiditatibus mancipato, eos Plato in eo quem de Rep. inſcripſit libro, à ſacroſanctæ philoſophiæ limine, ceu profanos quoſdam, atq; ad eam capeſſendã minimè idoneos, nõ iniuria ablegauit. Haud enim quaquã fieri poſſe arbitratus eſt, ut quem animũ ſordida illa rerũ ignobiliũ cura occupauerit, eo ipſo humanarũ diuinarumq; rerũ ſcientia cõprehenderetur. Eſt etiam Platonis eiuſdẽ in Phœdone uera illa, & tibi Laurenti certè non inaudita uox, par omnino eſſe, ut qui ad ſapientię ſtudiũ ſe conferant, prius quidẽ emoriantur, animumq; ipſum ab omni corporis ſenſu contagioneq; auertant, & quaſi in ſuũ ius, ſuamq; libertatẽ uindicent. Quod cùm ita habeat, nihil profectò minus ſapientię ſtudioſo cõſentaneũ eſſe poteſt, quàm cibi potioniſq;, ac fœdioris etiã corporis uoluptatis, ueſtis præterea, & calceorũ, aliorumq; huiuſcemodi nimia appetitio, & cura, quæ ipſius tantũ corporis cultui, uſuiq; nulla animi participatione ſubminiſtrẽt. Quamobrem cùm ad philoſophiã ingredientibus prima nobis cenſorio quaſi ſupercilio temperantia occurrat, eademq; diligenti examine multũ ac diu penſitatos ad recondita uſq; ſapientiæ arcana comitet, nemini profectò obſcurũ uideri poteſt, ingens omnino quiddã, atq; eximiũ, maiuſq; multo, quàm quantũ facilè pręſtare homines poſſint, ſuſcipere, ac profiteri eos qui ſe philoſophi nomine, maximeq; Platonici cenſere nõ erubeſcant. Itaq; cùm cõplures id temporis garrulos, nugaces, putidulos, ineptos, eoſdem leues, puſillos, inuidos, glorioſos, auaritiæ, luxuriæq; iuxtà addictos, animaduerterẽ, qui hoc ſanctiſſimũ philoſophi nomen illotis (ut ita dicã) manibus harpyiarũ more attrectare et cõtaminare nefas nõ putẽt, atq; in ipſum academiæ ſacrariũ refractis iam pudoris ac reuerẽtiæ clauſtris, quaſi canes in templũ temerè impudenterq; irrumpant, operępreciũ facturũ me exiſtimaui, ſi quem ego uel ab ipſis inferis tantæ temeritatis uindicem excitarẽ, qui aut interdicto cum leuiculis hiſce abiectiſſimiſq; homunculis cõtenderet, aut ex iure manu conſertũ uocaret, quòd in alienas (ut inquit Cicero) poſſeſſiones tam temerè irruiſſent. Atq; ego quidẽ cùm ad eum qui hoc prouinciæ ſuſciperet perquirendũ toto animo & cogitatione conuerterer, in ipſum peropportunè incidi Platonẽ, philoſophorũ omniũ ſine controuerſia parentẽ ac deum, totiuſq; ſapientiæ quaſi quoddã (ut aiunt) terreſtre oraculũ. Qui cũ perdiu ſanè (ut uidebat) latinè ſciẽdi auidiſſimus fuiſſet, libenter equidẽ ego hanc ab eo gratiã, quam uidebam uelle, iniui, eumq; pauculis admodũ diebus, quos apud me ſit diuerſatus, latinũ ſermonem edocui. Quem quidẽ ille (quæ ſua eſt docilitas) ita ſanè auidè celeriterq; arripuit, ut ad litem iam ipſam philoſophorũ ſimiis intendẽdam omni ſtudio accingi uidere-

uideretur. Quapropter cùm te unũ, magnanime Laurenti Medices, id quod uidere aliquando ille perq; impẽſe cupiebat, ex uniuerſa hominũ multitudine exiſtere intelligat, qui & remp. ſapiẽter geras, & philoſophiã omniũ bonarum artiũ parentem longo iam tempore exulantẽ, quaſi poſtliminio in patriam reuoces, nihil profectò antiquius habuit, q̃ ut eueſtigio incredibili quodã animi ardore, maximaq; alacritate uiſum te, ſalutatumq;, tuæq; uirtuti, quoad eius fieri poſſet, gratulatũ accurreret. Te unũ ſibi tam iuſta in cauſa iudicẽ, præcipue nuncuparet. Tecum ut cum optimo academiæ patrono, acceptas identidẽ à ſimiolis iſtis iniurias cõtumeliasq; liberius expoſtularet. Tecũ de hac ipſa, quam ſæpe dicimus, temperantia acutiſſimè diſputaret, & quid de ea ipſe ſentiret, ſubtiliter proſequeretur. Quã quidẽ ille ab ipſo ſtatim diſputationis exordio, quaſi quandã in delubri ueſtibulo æditimã collocat. Haud enim omnino quenquã penitiſſimis illis philoſophiæ myſterijs initiandũ cenſet, qui non ipſam prius temperantiã ſit conſecutus. Neq; uerò id iniuria. Vt enim agricola, cùm iam ſtirpibus ſentibuſq; agrum bene omnem purgarit, tum demũ ſementẽ ipſam aggreditˉ: ita profectò homines debent, cùm iam omnem rerũ ſordidarũ cupiditatem atq; intemperantiã ex animis porrò eiecerint, cęteroſq; huiuſcemodi affectus ferro atq; igni, uariaq; diſciplinarum machinatione perſecuti fuerint, tum demũ purgatis iam animis, ueræ ſapientiæ ſemina excipere oportet, ut nulla pullulantiũ cupiditatũ quaſi ſpinarũ cõmixtione ſuffocata, ad ipſam beatitudinis frugẽ maturè perueniant. Atq; hoc eſt ſcilicet, cur priſci illi theologi, Homerus, Orpheus, Heſiodus, Pythagoras itẽ, & hic ipſe de quo agimus, Plato, alijq; q̃ plurimi muſarũ, ueræq; ſapiẽtiæ antiſtites, multiplicem illã totius philoſophiæ cognitionẽ per quædam fabularũ atq; ænigmatum inuolucra, integmentaq; tradiderint, & quaſi ſepibus quibuſdam cancelliſq; obſtruxerint, ne religioſa quodammodo Eleuſiniarũ dearũ myſteria profanarentur, & quaſi ſuibus (quod dici ſolet) margaritæ obijcerentur. Veriſſimũ enim eſt, quod Pythagoricus Lyſis in epiſtola ad Hipparchũ ſcribit. Qui corruptis obſcœniſq; moribus, ſpeculationes ſermoneſq; diuinos immiſceat, nihil omnino ſecus agere, q̃ ſi cœnoſo puteo puriſſimã infundat aquam, quæ & cœnũ conturbet, & ſuam ipſius contaminet puritatẽ. Quod cum ita ſit, magnanime Laurẽti, dignum profectò te, tuaq; uirtute ac ſapiẽtia feceris, ſi diuinũ hunc philoſophũ animi uirtutiſq; magiſtrũ, tecũ, id eſt, cum homine temperatiſſimo de temperantia diſputaturum, præſtanti illa tui uultus hilaritate, atq; eximia quadã, qua tu inſigniter excellis, humanitate comiter benigneq; excipies. Et quicquid tibi uel familiæ cura, uel amicorũ negotia, uel reſpub. tribuet otij, id omne ad illius præcepta celebranda, tecumq; recolenda potiſſimùm conferes. Si enim cœleſtis huius muſæ cantibus, aures mentemq; adhibueris, nunq̃ profectò inſidioſæ illæ noſtri Homeri Sirenulæ (quas tamẽ ipſe ab ineunte iam ætate à tua nõ modò familiaritate, ſed etiã congreſſu in hunc uſq; diem cana iam tum prudentia, adultaq; uirtute prohibuiſti) nunq̃ illæ te blandiſſimis noxiorũ carminum irritamentis, illecebriſq; ſeducent. Sed ut Platonẽ tandem ipſum latinè tecũ de temperantia diſputantem, atq; hunc rabularũ leuiſſimum gregem, qui ſacroſanctũ Platonici philoſophi nomẽ tam profanè ſibi, tamq; impudẽter arrogãt pollutæ religionis reum agentẽ, eoſq; tua quidem potiſſimùm ſententia, omnibus uerò deinceps ſuffragijs damnatos pronuntiantem audias: age iam, patrone mi dulciſſime, uacuas philoſopho aures, intentumq; animũ, quantũ in te eſt, pauliſper accõmoda: cuius tamen ſingula uerba Angelũ Politianũ tuum ſemel tibi, iterumq; commendant. Εὐτύχ(ει) μεγαλοπρεπέστατε.

PLATONIS

PLATONIS CHARMIDES DE TEMPERANTIA, AB ANGELO POLITIANO IN LAtinum è Græco conuerſus.

SOCRATES.

VENI equidē nudiuſtertius ex Potidæa ab exercitu, tum (ut qui peregrè diutius abfuiſſem) libenter me ad cōſuetos amicorum conuentus contuli, atq; in Taurei palæſtram, eam quæ ex aduerſum templo Baſilicę ſita ſit ingreſſus, magnum ibi hominum numerum offendi, quorū ego alios ne noram quidem, plurimi autem ipſorum noti mihi aderant: ut uerò me deimprouiſo ingredientem conſpexerunt, ſtatim omnes eminus aliunde alius me ſalutare. Chærephon uerò inſanienti ſimilis è medijs exiliens currere ad me, apprehenſa'que manu, O' mi, inquit, Socrates, & quomodo nobis è pugna ſaluus aduenis? (Haud enim ita prius ꝙ nos illinc proficiſceremur, bellum in Potidæa geſtum erat, cuius belli rumor apud eos quidem, qui illic adeſſent, ꝙ nuperrimè increbuerat.) Hic ego ut tute, inquam, cernis. Atqui huc, inquit, nuntiatum eſt, cùm ipſum omnino bellum atrociſſimum fuiſſe, tum in eo illuſtrium ꝙ plurimos cecidiſſe. Et uerò, inquam, ritè ad uos perlata ſunt. Tum ille: An tu, inquit, pugnæ interfuiſti? Interfui. Huc ergo agedū, ait, ſedensq; nobis ſingula enarrato. Neq; enim dum omnia liquidò intelleximus. Et cum dictò ſeſſum me àdducens, ſecus Critiam Calęſchri filium conſtituit. Vt uerò conſedi, tum ipſum Critiam, tum alios ſalutaui, ſimulq; ijs enarraui, quæ me de exercitu, diuerſi pro ſe quiſq; diuerſa interrogarent. Vt autem ſuper ijs ſatis cuiq; factum uiſum eſt, ego item ex eis uiciſſim percunctari occœpi, tum quo nunc pacto philoſophiæ ſtudia in ciuitate uigerent, tum uerò ex adoleſcentibus eſſent'ne aliqui aut ſapientiæ, aut pulchritudinis, aut utriuſq; pariter gloria excellentes. Hoc loco ad oſtium Critias intuens, cùm gregem adoleſcentulorum intrò ad nos euntium, interq; ſe altercantium, ſimulq; aliam turbā à tergo ſubſequentem conſpicaretur, de formoſis quidem, ô Socrates, confeſtim (ut opinor) certior fies, inquit. Qui enim huc ad nos pergunt, tū præuij ſunt eius, tum amantes, qui unus omnium (ut nunc quidem eſt) adoleſcentium, habeatur pulcherrimus. Atqui & ipſum quoq; aſpicio, iam proximè ad nos accedentem. Quis uerò, inquam ego, aut cuius tandem eſt? Noſti ſanè & tu, inquit (tametſi ille nondū adoleſcentiam inierat, cùm tu à nobis profectus es) Charmidem Glauconis auunculi noſtri filiū, meumq; ſobrinum. Noui equidem, per Iouem inquā. Neq; enim malus uel tunc erat, cùm adhuc puer eſſet. Nunc uerò (ut arbitror) facilè iam in adoleſcentiam peruenerit. Statim, inquit, ſcies, & quantus ille, & qualis euaſerit. Hæc dum loquitur, cōmodùm Charmides ingreditur: Et mihi quidē, ô ſocie, nihil penſi. Quod enim ad formoſos attinet, facilè equidem alba ſum regula carpentarij. Omnes enim ferè, qui ea ætate ſint, formoſi mihi uidētur. Enimuero cùm ille mihi tūc uel corporis amplitudine, uel forma admirabilis eſt uiſus, tum cęteri unà omnes eius amore correpti uidebantur, adeò exterriti tumultuanteſq; fuere, ut primùm ille in palæſtram conceſſerat. Complures præterea, & alij amantes à tergo ſubſequebātur. Quod uerò ad uiros attineret, minimè equidem admiratione dignum ducebam. Ego autem uel ipſos quidem ad pueros animum aduerti, ut nemo ex ijs unus alium quempiam intueret, ne is omnino quidem, qui inter eos eſſet minimus: ſed illū omnes unū tanꝙ dei ſtatuam contemplabantur.

Tum me cõpellans Chærephon: Quid tibi uerò, inquit, uidetur adoleſcens, ô Socrates, num nã uultu honeſtò? Nihil inquã ſupra. At uerò (inquit) ſi ſeſe nũc exuere uelit, ne ille ſanè tibi uel deformi eſſe uultu uidebitur, ita omni proſus reliqua corporis facie pulcherrimus eſt. Atqui ijs quidem ipſis, quæ à Chærephõte dicta eſſent, & reliqua conſentiebant. Et ego, ô Hercules inquam, ut mihi uirũ inexpugnabilem deſcribitis, ſi modò unũ ad hęc acceſſerit, idq; paululũ quiddam. Quidnam? inquit Critias. Si animũ ad uirtutem haud ineptũ habeat. Sanè uerò par eſt ô Critia, eiuſmodi eſſe ipſum, quandoquidem ueſtra ex familia duxit originẽ. At uerò, inquit ille, & hoc quoq; ipſo ꝙ pulcherrimus, quamq; optimus eſt. Cur uerò inquã, nõ hoc ipſum primò eum exuimus, idemq; prius ꝙ corporis ſpeciẽ contemplamur. Omnino enim (quæ ſua ætas eſt) diſputationis iam ſatagit. Et ualde, inquit Critias, ſiquidẽ ille, & philoſophus ſanè eſt, & ut alijs, ipſiq; ſibi uidetur, adeò poeticus. Hoc uerò inquã boni, ô amice Critia, ex alto uobis principio ab ipſa iam Solonis cognatione emanauit. Sed cur non tandem mihi indicas adoleſcentem, atq; huc ad nos accerſi iubes? Neq; enim arbitror, ꝗ iunior ſit, turpe illi erit nobiſcum diſſerere, cùm tute hic adſis, quem ille tutorem cõſobrinumq; ſit nactus. At pulchrè, inquit, dicis. Eum iam accerſamus: & cum dicto ad ſeruum, qui ſubſequebatur: Eia, inquit, puer Charmidem accerſe, eiq; nuntia, uelle me ipſum medico inſpectandũ præbere, qui eum de imbecillitate cõſulam, qui mihi manè aiebat laborare ſeſe. Et ad me cõuerſus Critias: Hodie, inquit, cùm bene manè exurgeret, capitis grauedine nonnihil afflictari queſtus eſt. Sed quid te tandem prohibet, quo minus aſſimulare poſſis, aliquod capitis habere pharmacũ? Nihil ſanè inquam. Veniat modò. Atqui iam, inquit, aderit, id quod eſt factũ. Venit enim, riſumq; mirificũ concitauit. Vnus enim quiſq; noſtrũ, qui inibi conſideremus, dum adoleſcenti locũ cedit, proximũ detrudere obnixè, quo ille apud ſe potiſſimũ ſederet, uſquedum eorũ qui in extremo acquieſſent, alterũ quidem in pedes cõſurgere perpulimus: alterũ uerò obliquum deturbauimus. Ille uerò cùm ad nos perrexiſſet, inter me & Critiam medius cõſedit. Hic uerò iam, ô amice, hæſitare ego, & mea omnis illa audacia exciſa eſſe prorſus, quam ego præ me à principio tuleram, quaſi cũ illo eſſem perq; facilè diſputaturus. Vt uerò Critias, eum me ipſum inquit eſſe, qui id tenerem pharmacũ, atq; ille inſpexit me oculis quiddam præ illis ferens, ô ꝙ ineuitabile, ſimulq; ſe ad me interrogandum parauit, omneſq; qui in palæſtra adeſſent, eodem confluentes corona nos undiq; circumuenerunt, tũc ego iam ô generoſe, & quæ ſub ueſtimento eſſent inſpexi, & urebar, & iam non amplius mei ipſius eram, & ſapiẽtem Cydiam in amatorijs iudicabam, qui de formoſo puero alij præcipiens cùm loquitur: Caue, inquit, ne cùm aduerſus leonẽ inulus uenerit, partem illi eripiat carniũ. Ipſe enim mihi uidebatur ab huiuſmodi pecude expugnatus eſſe. Quęrenti uerò illi, an ipſum capitis pharmacũ tenerem, uix id quodammodo reſpondi tenere me. Quid igitur, inquit, eſt? Et ego folium quoddam, & cantatio ſupra pharmacum, quam qui canat, eoq; utatur, incolumis porrò euadat neceſſe eſt. Cantationem uerò

Reliquum ſumma diligentia quæſitum, habere nequiuimus.

ANGELI POLITIANI PRAELECTIO IN PRIORA ARISTOTELIS ANALYTICA.

LAMIA.

FABVLARI paulìſper lubet, ſed ex re, ut Flaccus ait. Nam fabellæ, etiam quæ aniles putantur, non rudimentum modò, ſed & inſtrumentũ quandoqꝫ philoſophiæ ſunt. Audiſtis ne unquam Lamiæ nomen? Mihi quidẽ etiam puerulo auia narrabat, eſſe aliquas in ſolitudinibus Lamias, quæ plorantes glutirent pueros. Maxima tunc mihi formido Lamia erat, maximũ terriculum. Vicinus quoqꝫ adhuc Feſulano ruſculo meo lucẽs fonticulus eſt: ita enim nomen habet, ſecreta in umbra deliteſcens, ubi ſedem eſſe nunc quoqꝫ Lamiarũ narrant mulierculæ, quæcũqꝫ aquatum uentitant. Lamiam igitur hanc Plutarchus ille Cheroneus, neſcio doctior, an grauior, habere ait oculos exempnles, hoc eſt, quos ſibi eximat, detrahatqꝫ cũ libuit, rurſusqꝫ cùm libuit, reſumat, atqꝫ affigat: quemadmodũ ſenes ocularia ſpecilla ſolent, quibus hebeſcenti per ætatem uiſui opitulãtur. Nam & cùm quid inſpectare auent, inſertant quaſi forfici naſum. Et cùm ſatis inſpectarunt, recondũt in theca. Quidam uerò etiam dentibus utuntur æquè exemptilibus, quos nocte non aliter reponunt, quàm togam; ſicuti uxorculæ quoque ueſtræ comam ſuam illam dependulam & cincinnos. Sed enim Lamia hæc, quoties domo egreditur, oculos ſibi ſuos affigit, uagaturqꝫ per fora, per plateas, per quadriuia, per angiportus, per delubra, per thermas, per ganeas, per conciliabula omnia: circũſpectatqꝫ ſingula, ſcrutatur, indagat, nihil tam bene obtexeris, ut eam lateat. Miluinos eſſe credas oculos ei, aut etiam emiſſicios, ſicuti Plautinæ aniculæ: nulla eos præterit, quamlibet indiuidua minuties: nulla eos euadit, quamlibet remotiſſima latebra. Domũ uerò ut reuenit, in ipſo ſtatim limine demit illos ſibi oculos, abijcitqꝫ in loculos. Ita ſemper domi cæca, ſemper foris oculata. Quæras forſitã, domi quid agitet. Seſſitat, lanã faciens, atqꝫ interim cantillat. Vidiſtis'ne, obſecro, unqꝫ Lamias iſtas uiri Florẽtini, quæ ſe & ſua neſciũt, alios & aliena ſpeculãtur? Negatis? Atqui tamẽ ſunt in urbibus frequẽteis, etiamqꝫ in ueſtra: uerũ perſonatæ incedũt, homines credas, Lamiæ ſunt. Harũ igitur aliquot prætereuntẽ fortè conſpicatæ me, ſubſtiterũt, & quaſi noſcitarẽt, inſpexere curioſius, ueluti emptores ſolẽt, mox ita inter ſe detortis nutibus cõſuſurrarũt: Politianus eſt, ipſiſſimus eſt, nugator ille ſcilicet, qui ſic repẽtè philoſophus prodijt. Et cũ dicto auolarũt, quaſi ueſpæ dimiſſo aculeo. Sed ꝙ repentè me dixerũt prodijſſe philoſophũ, neſcio equidẽ, utrum'ne illis hoc totũ diſpliceat, philoſophum eſſe, quod ego profectò non ſum: an quòd ego uideri uelim philoſophus, cùm longè abſim tamen à philoſopho. Videamus ergo primùm, quod'nam hoc ſit animal, quod homines philoſophũ uocant, tum ſpero facilè intelligetis, non eſſe me philoſophũ: neqꝫ hoc dico tamen, ꝙ id uos credã credere, ſed ne quis fortaſſe aliquãdo credat: nõ quia me nominis iſtius pudeat, ſi modò ei poſſim re ipſa ſatisfacere, ſed ꝙ alienis titulis libẽter abſtineo:

Ne ſi fortè ſuas repetitum uenerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula riſum.

De hoc igitur primũ, mox etiã de eo agemus, utrum'ne eſſe philoſophũ turpe ac malum ſit: quod ubi docuerimus non eſſe, tum de nobis ipſis nonnihil, deqꝫ noſtra hac profeſſione loquemur. Audiui equidẽ Samiũ fuiſſe olim quendã iuuen-

tutis magiſtrum, candidatum ſemper, & capillatum, femore etiam aureo conſpicuum, natum ſæpius, ac renatum. Nomen illi erat, Ipſe. Sic diſcipuli certè uocabant ſui. Sed eos diſcipulos, ut ad ſe quemqꝫ receperat, ſtatim prorſus elinguabat. Præcepta uerò ipſius ſi audieritis, riſu, ſcio, diffluetis. Dicam tamen nihilo ſecius. Ignem, aiebat, gladio ne ſodicato, ſtateram ne trāſilito, cerebrū ne comedito, cor etiam ne comedito, ſupra ſextarium ne ſedeto, maluam transferto, ſed eam ne comedito: aduerſus ſolem ne loquitor, uiam regiam ne declinato, per ſemitas ingreditor: cùm lecto ſurges, ſtragula complicato, ueſtigiumqꝫ corporis confundito, anulum ne geſtato, ollæ quoqꝫ ueſtigium turbato in cinere, hirundines intra domum ne admittito, contra ſolem ne meijto, ſpeculum ne ſpectato ad lucernā, dextrum pedem priorem calciato, ſiniſtrum priorem lauato, unguiū criniumqꝫ tuorum præſegmina ne cōmmingito, ſed in ea deſpuito. Hic idem faba quoqꝫ ſic ſemper abſtinuit, ut Iudæus porco. Si quem autem aliquando gallum gallinaceū candidula pluma et pinnis inueniſſet, cum uerò protinus in germani fratris diligebat loco. Ni cachinnos metuam, qui iam clanculum puto ebulliūt, habeo aliud quoque quod narrem: ſed narrabo tamen: uos, ut libet, ridetote. Beſtias docebat, tam feras, ꝗ cicures. Et ſanè urſa Daunia quędam fuiſſe memoratur magnitudine horribili, feritate formidabili, peſtis acerba boum atqꝫ hominum. Hanc ad ſe hic uir, ſi modò ipſe erat uir, blandè uocauit, manu permulſit, domi habuit aliquādiu, pane aluit, & pomis, mox dimiſit, adiurās, ne quod animal poſt id attingeret. Illa uerò in montes ſuos, & ſyluas abijt mitis, nec animantium deinde obfuit cuiquam. Vultis'ne etiam de boue audire? Bouem Tarenti in agro quodam paſcuo fortè cōſpicatus uiridem adhuc fabaciam ſegetem morſu truncantem: rogauit bubulcum, moneret bouem ſuum, ne illam depaſceretur. Huic bubulcus illudens: Atqui, inquit, bouatim loqui neſcio, tute ſi ſcis, potius moneto. Non cunctatus ipſe, acceſſit propius, et in aurem boui illi diutulè locutus, impetrauit, non modò ut in præſens, ſed ut etiam in perpetuū pabulo fabacio abſtineret. Itaqꝫ bos ille Tarenti deinde molliter conſenuit, in Iunonis fano ſacer habitus, cibisqꝫ hominū ueſci ſolitus, quos illi obuia turba offerebat. Hic igitur ipſe, tam portentoſæ ſapiētiæ profeſſor ac uenditator, interrogatus olim à Leōte Phliaſiorum tyranno quid hominis eſſet, philoſophum ſe eſſe reſpondit. Iterū rogatus, quid ſibi illud uellet inauditum antea nomen: etenim ſibi ipſe tunc extempore confinxerat: Vitam ait hominum perinde eſſe ut mercatum, qui maximo ludorum apparatu totius Græcię celebritate habeatur. Multos enim eò cōfluere mortaleis, alios alia cauſa. Quoſdam enim ut mercimonia ſua uenditent, & friuola, qui tētoriola etiam paſſim, & umbracula quaſi laqueos & retia tendunt pecuniolæ: quoſdam rurſus ut ſeſe oſtentent, ac ſuas exhibeant dotes. Ibi ergo pariter uiſuntur, & qui diſcum procul expellit, & qui pondus robuſtè attollit, & qui ſpacij plurimùm tranſilit, & qui lucta plurimos deijcit, & qui curſu longiſſimè præuolat. Ibi & funerepus periclitatur, & petauriſta iactatur, & ſaccularius præſtigiatur, & uenenarius inflatur, & diuinaculus hallucinatur, & aretalogus nugatur, & circulator illudit, & gladiator eludit, & orator blanditur, & poeta mētitur. Poſtremò alios liberalius inſtitutos, coire ad ludos eos aiebat, ut loca uiſerēt, ut ignotos homines, arteſqꝫ & ingenia, & nobiliſſimorum opera artificum contemplarentur. Ita igitur & in hanc uitam diuerſis homines ſtudijs conuenire: quorum alios pecuniæ deſiderio, deliciarūqꝫ teneri: alios principatus & imperij cupidine ſollicitari, alios gloriæ ſtimulis agitari, alios uoluptatum blandicijs titillari. Sed inter omneis præcellere tamen eos, & eſſe quàm honeſtiſſimos, qui rerum pulcherrimarū ſpeculatione cōtenti ſint:

cœlumqꝫ

cœlumq́ hoc ſpectent, ſolemq́ & lunã, & ſiderũ choros: ſolem, qui ſit ipſe fons luminis: lunam, quę inde lucem hauriat, tam uaria, tam inconſtans: ſidera, quorũ uagent̃ alia, hæreant alia in ueſtigio ſemper, omniaq́ nihilominus rapiantur: qui tamen ordo pulchritudinẽ habeat ex illius participatu, quod intellegibile primũ ſit, quodq́ ipſe numerorũ rationumq́ naturam interpretabatur: quæ per uniuerſum decurrens et cõmeans arcano quodã uel ornatu, uel ordine cuncta deuinciret. Quotcunq; igitur pulchra, diuina, ſinceraq́ primò, hoc eſt, in fonte ipſo ſint, eundemq́ tenorem peragentia, horũ eſſe ſciẽtiam quandã, quæ ſophia nominatur, id nomen latinè ſapientia eſt, eiusq́ ſophiæ ſtudioſum, uocatũ modò eſſe à ſe philoſophũ. Olim autẽ apud ſeculum priſcũ, ſapientes appellari conſueuerant, etiam qui ſellularias quaſdã callebant artes. Vnde uates Homerus fabrum quoq; lignarium ſapientem uocat. Sed extitit Athenienſis quidam ſenex, altis eminens humeris (ut aiunt) quem etiam putant homines Apolline ſatum. Hic ſapiẽtis eſſe negauit eas arteis, quæ plerunq; uitæ inſeruiant, ſiue illæ neceſſariæ, ſiue utiles, ſiue elegantes, ſiue ludicræ, ſiue auxiliares ſint. Propriã autẽ philoſophi eſſe ſupellectilem dixit, numerorum ſcientiã, quos, inquit, à natura hominis ſi remoueris, etiam ratio perpetuò perierit. Numeros autẽ ille nõ corporeos accipiebat, ſed or tum ipſum, poteſtatemq́ paris & imparis, quatenus rerum naturæ conſentiant.

Poſt hoc etiã deorum atq; animantium geniture, quæ Theogonia Zoogoniaq́ uocentur, & item ſiderum cognitioni uacaturum dicebat, lunæq́ circuitum, quo menſes includãtur, quo plenilunia fiant, ac ſolis anfractus indagaturum, brumas & ſolſtitia peragentes, uiciſſitudinesq́ dierum & noctium, cõmutationesq́ temporum quadripartitas: ad hæc ſtellarum quinq; uagantium errores, minimè unq́ errantes, earumq́ curſus, prægreſſiones, ſtationes, tum fixa certis locis aſtra, quæ mira quadam tamen celeritate, cum cœlo ipſo in aduerſum rotentur & rapiant̃. Huic accedere aiebat oportere eam, quæ ridiculo nomine Geometria uocetur, in qua numerorum ſimilitudo conſpicitur, à planis ad ſolida progrediens, ubi ratæ cernuntur rationes, ex quibus tota ſonorum ſcientia conflatur. Illam tamen in primis neceſſariã eſſe artem, qua uerum à falſo dignoſcitur, qua mendacium refu tatur, ſicuti è diuerſo eſſe occupatiſſimã uanitatem, quæ artificium hoc nõ ſequitur, ſed ſimulat, uerumq́ colorem fuco mentitur. Vt autem peruenire ad intellectum naturæ eius tandẽ philoſophus poſſit, quæ ſemper eſt, quæq́ ſub corruptione generationeq́ nõ fluitat, hanc ei quam diximus, terendam eſſe aiebat uiam, diſciplinasq́ has difficiles an faciles omnino perdiſcendas, aut certè deum fortunamq́ inuocandam. Sed enim talem hunc philoſophum naſci etiam affirmabat oportere idem ſenex è matrimonio ſacro, hoc eſt, ex optimis parẽtibus. Non enĩ ex omni ligno (ſicuti dicit̃) Mercurius fit. Vt autẽ rami & ſurculi praui, tortuoſiq́ natura, minimè unq́ redigi ad rigorẽ ſuum queunt, quamuis manu tractentur, & emolliant̃, ſed ad naturalẽ illã ſtatim prauitatẽ recurrunt: ſic ij, qui parum nati ho neſtè, parum educati ingenuè ſunt, continuò ad humum ſpectant: hoc eſt, uiliſſima quædã miniſteria adamant, nec in ſublime animos attollunt, nec recti unquã, nec liberi ſunt. Si autẽ Elei Piſei ue, apud quos Olympia celebrari ſolita, neminẽ ſe nudare ad certamen illud patiebantur, niſi qui parentes, & ſtirpem generis do cere poſſet labe omni carere: nec tamen ibi animorum, ſed corporum certamen agebat̃, nec præmium aliud petebatur, q̃ corona ex oleaſtro: cur nõ idem quoq; (aiebat hic ſenex) in uirtutis certamine obſeruetur? Porrò hunc & ipſum ueritatis indagandæ ſtudioſum eſſe, & habere quàm plurimos eiuſdẽ ſtudij ſocios, adiutoresq́ uelle, ſcilicet qui norit, euenire idem in philoſophia, quod in uenatu.

Si quis enim feram ſolus ueſtiget, is eam uel nunquã, uel ægrè deprehendet. Qui uenatores aduocet alios, facilè ad ipſum cubile perueniet. Et in hac igitur ueritatis quaſi uenatione loca abrupta confragoſaq; ſunt plurima, arboribus clauſa circùm, atq; horrentibus umbris, quæ luſtrare ſolus nequeas. Sed quemadmodum gentilitiæ quædam familiarũ notæ feruntur, ut Seleucidarum ancora, Pelopidarum eboreus humerus, Aenobarbarũ rutila barba: ſic philoſophi omnes habere hoc in primis, uelut inſigne debent: ut ſint mendacij oſores, ueritatis amatores: quanq; aliquod mendaciũ quoq; philoſopho congruit: ut cùm ſe ipſe, & ſua extenuat. Quali Socrates ironia fertur eleganti uſus aduerſus inflatos ſophiſtas: ut qui ab homine refellerentur, imperitum agente, facilius intelligerent, q omnino nihil ipſi ſcirent. At uerò ſiqui etiam ſibi illa impudenter affingunt, unde abſunt longiſſimè, moleſti ubiq; ſunt, ſed in his præcipuè ſtudijs. Enimuero pecuniarum quoq; abeſſe amor debet: nec ultrà quærẽdum, q quatenus otium ſuppeditetur philoſophiæ. Non enim uir bonus mihi erit unquam, qui uelut oculos honeſti ad auri ſplendorẽ ſummiſerit, quiq; depactione turpi fidem ſuam prodiderit, et integritatem. Nam ſicuti aurum igni, ita auro etiam homines explorantur. Sed nec arcana cuiuſq; curioſius, & ſcrupuloſius, ut illæ, quas diximus, lamię, rimabitur: nec ſcire uolet ſecreta domus, atq; inde timeri. Etenim ſapientem iudicabit Aeſopũ, qui unumquemq; hominũ duas geſtare ait manticas, ſeu uocare peras malumus, anticam ſcilicet, & poſticam, hoc eſt, alteram in pectus, alteram in tergũ propendulam, plenamq; utramq; uitijs: ſed anticam alienis, poſticam cuiuſq; ſuis. Inde homines uidelicet ſua uitia non cernere, aliena cernere. Atq; utinam obuerterentur aliquando hæ manticæ, ut ſua quiſq; intueri uitia poſſet, aliena non poſſet. Talem nobis igitur ueri ac legitimi philoſophi adumbrauit imaginẽ ſenex ille Athenienſis, qui toto uertice, ac toto etiã pectore ſupra cęteros fuit, eumq; ſemper quandiu uiueret, mortem cõmentari aiebat: ſolumq; tamen in hac quoq; uita felicem eſſe, & beatũ. Cæterùm inueniri omnino tales, q pauciſſimos, & penè albis eſſe coruis rariores. Nũc ſi me talem uel dicam, uel etiam opiner eſſe, qualem modò philoſophũ deſcripſi, ſtultior Corœbo ſim. Nã & diſciplinas illas uix attigi, quæ philoſopho cõpetunt: & ab ijs, quos dixi, moribus ac uirtutibus abſum longiſſimè. Sed fingite eſſe me talem, num ob id quæſo culpandus? an uana, an mala ars philoſophia? Ita certè uiſam ſcio nonnullis olim, præſertimq; potentioribus. Agrippina illa Auguſta Neronem filiũ dicitur ob id à philoſophiæ ſtudio reuocaſſe; q inutilis eſſet imperantibus. Domitianus urbe philoſophos, atq; Italia pepulit: nullum ob crimen, niſi quòd philoſophi erant. Athenienſes cicuta Socratẽ, parentem propè ipſum philoſophiæ ſuſtulerũt. Fortunatiſſima olim ciuitas Antiochia maledictis inſectata & cauillis eſt Romanũ principem Iulianũ, nihil ob aliud, niſi q erat philoſophus, ac barbam (qui mos erat ueterum philoſophantiũ) nutriebat. Quid quòd & libros omneis comburere philoſophorũ tyrannus olim Barbarus deſtinauerat? Et feciſſet, niſi eum Algazeles pio quodam cõmento, ſed parum tamen ſpecioſo reuocaſſet ab incœpto. Verùm de his non miror. Sceleſti enim moribus, & facinoroſi, luxuriaq; & delicijs corrupti, ſupercíliũ ferre nõ poterant philoſophię. Magis illud miror, toties eam à doctis quoq;, & alioqui bonis fuiſſe exagitatam: & quidẽ, quod indignemur, ſecundo populo, hoc eſt, magno ſucceſſu, magna exagitantiũ laude. Nam & Romanus Hortenſius homo eloquẽtiſſimus, atq; idẽ nobiliſſimus, cùm philoſophiã uituperaſſet, meruit, ut eius nomine librũ Cicero inſcriberet, & illuſtriorẽ eũ traderet poſteritati. Et Dion ille Pruſieus, qui prior tulit oris aurei cognomentũ, nulla in oratiõe, cùm quidẽ plurimas ediderit,

eloquen-

eloquentior habetur, quàm in ea, quæ contra philoſophos eſt. Et Ariſtophanes antiquæ author comœdię, nulla in fabula tantum ueneris aut uirium creditur exeruiſſe, quantum in illa, cui titulum fecit Nubes, in qua lepidiſſimè philoſophum Socratem deſcripſit, ſaltum pulicis metientem. Sed & Ariſtides ex ea oratione, quam aduerſus Platonem pro quatuor Athenienſium proceribus ſcripſit, multo illuſtrior mihi, & celebrior uidetur factus, quàm è cæteris omnibus quas compo ſuit plurimas: cũ tamen ſit illa expers artificij, nec ulli rhetorices formæ ſatis con gruat. Veruntamen arcana quadam pulchritudine floret, & gratia, nominibusq; ipſis, & uerbis, mirum, quantum delectat. Quid ille autem Phliaſius Timon, qui Sillos amarulentum compoſuit opus: Non'ne magnum ſibi & ipſe nomen ex irriſu philoſophorum comparauit? Cæterum non continuò malum uideri debet, quod eſt à quibuſdam reprehenſum. Nam & dulcis ſapor omnium creditur præſtantiſſimus, qui tamen aliquibus, etiam'que bene ualentibus parum gratus. Sermunculi iſti hominum uidelicet, ac rumuſculi, ſimiles umbræ ſunt. Vt autem creſcente umbra, uel decreſcente, corpus tamen ipſum, cuius illa eſt umbra, neq; creſcit, neq; decreſcit: ita nec melior fit quiſquã, dum uulgò laudatur, nec itẽ peior, dum uituperatũ. Quòd ſi philoſophandũ non eſt, ſecundũ animi uirtutẽ uiuendum non eſt. At ſicut animo uiuimus, ita animi uirtute bene uiuimus. Quemadmodum ſicuti oculis uidemus, ita oculorũ uirtute bene uidemus. Qui bene uiuere non uult, is ne philoſophetur. Qui turpiter uiuere uult, is philoſophiã ne ſectetur. Veniunt ecce in mentem Pythagorei Architæ dicta quædam prorſus aurea, de libro eius, qui de Sapientia inſcribitur, ſelecta: quæ niſi moleſtum eſt, Latinè ad uerbum referam. Sic inquit: Sapientia in rebus omnibus humanis excellit, ut in ſenſibus uiſus, in anima mens, in ſideribus ſol: uiſus enim longiſſimè tẽdit, plurimasq; rerũ formas amplectitur: & mens quaſi regina, quodcunq; opus eſt, ratione excogitationeq; perficit, ac uiſus quidam, uiſq; eſt rerum pręclariſſimarũ: & ſol ipſe oculus eſt, atq; animus naturæ totius, per quem ſcilicet omnia cernuntur, gignuntur, nutriuntur, augẽtur, fouentur. Homo uerò animantium omnium longe ſapiẽtiſſimus, uim quippe habet illam, qua ſpeculari omnia poſſit, ac ſcientiam prudẽtiamq; ex omnibus elicere, ut in quo deus ille maximus rationẽ quaſi uniuerſam impreſſerit, ac ſignauerit, ubi rerum ſpecies omnium diſtinguerentur, ſignificationes'que nominum forẽt, & uerborum, ſic ut loca etiam certa uocum ſonis aſſignata ſint. Hactenus Architas. Mihi autem uidetur & illud, qui philoſophari nolit, etiam felix eſſe nolle: Nam ſi tunc felices ſumus, cùm bona adſunt nobis plurima, ſed adſunt ita, ut & proſint: nec proſint autem, niſi utamur: bene autem ut utamur, ſcientia una facit, ſcientiam autem philoſophia uel affectat, uel poſſidet: profectò ut felices efficiamur, philoſophandum eſt. An quæſo noſtra curabimus, hoc eſt, corpus, & opes: nos ipſos, hoc eſt animum, poſthabebimus? Vt autem medicina corpus, ita animum curat philoſophia. Sed cùm tres animi noſtri ſeu partes, ſeu uires, ratio, ira, cupiditas ſint, prior illa diuina, poſteriores quaſi brutæ: num quæſo ipſam quidem cupiditatem, id eſt, belluam multorum capitum, prætereà'que iram, ceu furentem leonem, molliter educabimus, quaſiq; corroborabimus: rationem autem, quæ propriè homo eſt, fame confici, & eſſe imbecillam ſemimortuam'que patiemur? Vt ſcilicet huc atque illuc à monſtris geminis, uelut ille in fabulis Hippolytus raptetur, & membratim quaſi diſcerpatur, ac dilanietur? Quòd ſi uitam refugimus ſolitariam, ciuilem uerò ſequimur, & urbanam, non'ne intelligimus, artes eſſe in ciuitate, quæ uitæ commoda ſuppeditent? Eſſe alias item, quæ illarum utantur opera?

rurſus

ruríus alias quæ famulentur, alias quæ imperitent? ínq; his utpote nobilioribus,
etiam bonum ipſum, præcipuè reperiri? Sed quæ ſola iudiciũ teneat rectũ, quæq;
ratione ipſa utatur, atq; uniuerſum bonum contempletur, ea certè uel uti, uel im-
perare omnibus ſuapte natura poteſt. Talis autem, præter philoſophiã, nulla om-
nino eſt. Cur igitur pudeat philoſophari? At, inquies, difficilis nimium philoſo-
phiæ cognitio eſt. Imò uerò, ſi ueſtigijs indagetur, nulla penè ars ingenua cogni-
tu facilior. Semper enim quæ priora ſunt, notiora poſterioribus. Et quorũ natura
melior, eorum quoq; facilior intellectus, q; quorum deterior. Sit huius argumen
tum facilitatis & illud, quòd ad maximum incrementum breui peruenit philoſo
phia, nulla etiam propoſita mercede. Et quotuſquiſq; eſt ingenioſorum, cui non
otium ſit in uotis, ut philoſophari liceat? Hoc autem profectò non fieret, ſi philo
ſophari labor, ac non potius uoluptas eſſet. Quid quòd exercere id ſtudium ſem
per, meditariq; poſſumus, ut quod nullis extrinſecus indigeat inſtrumẽtis, ut cui
nullus incongruens ſit locus: ubi enim fueris, præſtò erit ueritas. Sed ut non diffi
cilima perceptu philoſophia eſt, ita nec obuia cuiq; tamen, & expoſita. Vigilan-
tibus enim ſe, non dormientibus ingerit. Nos autẽ ita ridiculi ſumus, ut uiliſſimæ
æruginis gratiâ, etiam trans Herculis columnas, etiam ad Indos nauigemus. Phi-
loſophiam uerò ut adipiſcamur, ne per hyemem quidem uigilias ſaltẽ pauculas
toleramus. Sed quòd uoluptatem diximus eſſe in philoſophia maximam, quò fa
cilius intelligere poſſitis, fingite aliquem uobis cũctis affluentem delicijs, qui ni-
hil omnino ſapiat, qui prudẽtia penitus uacet, an quiſquam uiuere huius uitã uo-
let? Equidem non puto: ſicuti nec ſemper ebrius, nec ſemper eſſe puer, nec dor-
mire ſemper, ad morem Endymionis, eligat quiſpiam. Quanquam enim aliqua
etiam in ſomnis gaudia ſunt, falſa illa tamen, adumbrata, imaginaria, non uera, nõ
ſolida, non expreſſa ſunt gaudia. Cur autem & mortem propè omnes expaueſci-
mus? Quoniam puto cuiq; terribile, quod ignoratur, ut quod obſcurũ, quod te-
nebricoſum eſt: ſicuti contrà amabile, quod intelligit, ut quod apertũ, quod illu-
ſtre eſt. Inde etiam arbitror fit, ut parentes noſtros potiſſimùm ueneremur, quo-
rum uidelicet beneficio factum ſit, ut hunc ſolem, & ſtellas, atq; hanc publicam lu
cem intueamur. Quin rebus etiam delectamur potiſſimùm, quas conſuetas habe
mus, eoſq; maximè diligimus, quibus cum diutius uerſati ſumus, ac uulgò amicos
etiam notos appellamus. Si igitur quæ nota ſunt, delectãt, cur etiam noſſe ipſum
ac ſapere delectet? At id maximè propriũ philoſophiæ eſt: aut igitur nihil agen-
dum in hac uita, nihil expetendum eſt, aut in ſola philoſophia, tanquam in portu
requieſcendum. Subijciamus quæſo, oculis hominum uitam. Quid ea eſt omnis,
præter inanem umbram: uel, ut ſignificantius ait Pindarus, umbræ ſomnium? Ho
mo bulla eſt, antiquũ inquit prouerbium. Nam quantum uiribus ab elephanto,
quantum celeritate uincimur à lepuſculo? Gloria hæc autem faſtoſa, quæ nos ple
runq; agit præcipites, ut nihil aliud eſt, q; meræ nugæ? Vt nihil aliud q; nebula?
Procul enim ſi ſpectes, magnum quiddam eſſe putes: ubi propinques, euaneſcit.
Forma porrò & dignitas corporis pulchra ob id nobis, & honeſta, quòd hebed
ſumus obtutu. Nam ſi lyncei eſſemus, ac penetrare oculis in corpora, & introſpi-
cere poſſemus, etiam formoſiſſimum quemq; nauſeabũdi aſpiceremus, adeò no-
bis multa uiſu tetra, & fœda, prorſuſque deformia occurrerent. Quid obſcœnas
commemorem uoluptates, quibus pœnitentia ſemper comes. Age uerò quid in
rebus noſtris omnibus uel ſolidum, uel diuturnum? Nam ut ſtare aliquid, aut du
rare nonnunquam putemus, imbecillitas noſtra facit, atq; æui breuitas, ita quod
ueteres opinati quidam ſunt, animas noſtras in corpora, tanquam in carcerem

coniectas

confectas, magnorum ſcelerum pœnas luere, quanquam non omnino uerum, tamen etiam nec abſurdum plane uideri poteſt. Nam cum ſit anima iuncta agglutinataque corpori, ac per omneis artus, omneiſque ſenſuũ quaſi meatus extenta, & explicata, non alio mihi uidetur ſupplicio affecta, quàm quo Mezentius ille Vergilianus miſeros ciues ſuos afficiebat. Ita enim de eo canit poeta noſter:

Mortua quinetiam iungebat corpora uiuis,
Componens manibuſque manus, atque oribus ora,
Tormenti genus, & ſanie, taboque fluenti,
Complexu in miſero, longa ſic morte necabat.

Nihil igitur in rebus humanis ſtudio curaque dignũ, prȩter illam, quam pulchrè uocat Horatius diuinæ particulã auræ, quæ facit ut in hoc cȩco rerum turbine, tamen uita hominũ tutò gubernetur. Deus enim eſt animus nobis, deus profectò, ſiue hoc Euripides primus dicere auſus, ſiue Hermotimus, ſiue Anaxagoras. At nulla, inquis, propoſita eſt merces philoſophantibus: ego uerò ne deſidero quidem mercedem, quoties ipſum quod agitur, ſibi eſt merces. Ergo ſi comœdia in theatro agetur, aut tragœdia, ſi gladiatores in foro cõmittentur, omnis eò ſtatim populus cõfluemus ſpectatũ, nulla illecti mercede: naturam uerò ipſam rerũ pulcherrimam ſpectare gratis non poterimus? At nihil agit philoſophia, tantũ contemplationi uacat. Eſto, modum tamen cuiuſque præſcribit officio: ſic autem & uiſus in corpore, quanquam ipſe opus nullũ peragit, dum tamẽ aut indicat unũquodque, aut iudicat, ita opifices adiuuat, ut non plus manibus debere illi ſe, quàm oculis ſuis ſentiant. At eſt philoſophus homo rudis & ſecors, & qui ne uiam quidẽ ſciat ipſam, qua itur in forũ, neſciat ubi aut Senatus habeatur, aut populus coeat, aut lites dirimantur: leges, decreta, edicta ciuitatis ignoret: ſtudia candidatorũ, conciliabula, conuiuia, comeſſationes, ne ſomniet quidem, quid alicubi agatur, quid cui bene ceſſerit, aut male, cui ſint uxoriȩ, cui paternȩ maculæ, cui ſuȩ, magis profectò ignoret, quàm quantus numerus Libyſſæ arenæ Laſerpiciferis iacet Cyrenis. Adde quòd nec uicinum quidem ſuum cognoſcit, nec ſcit utrũ ſit albus, an ater, utrũ ſit homo an belua. Sed nec illa ipſa cernit interdũ, quæ ſunt ante pedes. Itaque irriſus ab ancilla Threſſa Mileſius Thales dicitur, quòd nocturnis intẽtus ſideribus, in puteum deciderat: Stulte enim (inquit illa) ò Thales cœlũ uidere ſtudes, qui nõ uideris quod erat ante pedes. Ergo ſi hominem hunc adducas in curiam, aut ad prætorem, aut item in concionem, iubeaſque de ijs dicere, quæ tractentur, quæque ante oculos interque manus ſint, hæſitet, titubet, ſtupeat, caliget, quaſi uolucris ſit implicita uiſco, quaſi ad ſolem ueſpertilio, riſumque de ſe præbeat non uni Threſſæ ancillulæ, ſed laſciuis ipſis pueris abacum cõſcribellantibus, ita ut ab eis uix barbam quoque illam ſuam defendat baculo. Quòd ſi quis eundem cõuitio feriat, tacet, mutus eſt, nihil habet omnino quod reſpõdeat. Etenim aliorum neſcit errata, nec in cuiuſquam uitia inquiſiuit. Tum ſi quis laudat ſeſe prȩmodũ, atque effert, auſcultante ipſo: ſi quis regem, tyrannum'ue aliquem beatũ prædicat: ſi quis generis claritudinẽ repetit à tritauo, deſipere hos omneis putat, & effuſius ridet, neſcio utrum quia nimis inſolẽs, an quia delirus. Talis profectò eſt, inquies, præclarus iſte tuus philoſophus, nõ minus credo à te ſine cauſa, quàm ſine fine laudatus. Quid ad hæc dicam? Quid reſpondebo? Equidem cuncta eſſe fateor ueriora ueris. Neſcit forũ philoſophus, neſcit lites, neſcit curiam, neſcit hominũ conuenticula, neſcit flagitia: partim aliena putat hæc à ſe, partim minuta nimis, & puſilla: quocirca deſpicit, ac turbæ hominũ ſordidæ relinquit, ut quib. idoneus eſſe poſſit etiã quilibet è populo. Themiſtocles ille dux magnus, cùm cæſas à ſe in littore

Heus tu, nugas antehac uidiſti, res ipſas nunc uides. Prætetea ſi res ei oſtendens ipſas, interroget, quid unaquæq; illarum ſit: non'ne hunc tu putas hęſitabundum diu, & ancipitem, ueriora fuiſſe illa tamen pertinaciter crediturum, quæ prius cernebat, ꝙ quæ nunc oſtendantur? Quid ſi quis eundem cogat egredi aliquando ad puram lucem, non'ne oculos ei credimus dolituros? Non'ne auerſurũ radios coniecturumq; ſe in pedes, quantum queat, ut ad ſimulacra illa ſua reuertatur ꝙ primùm, quis dubitet? Age, ſi quis per ardua illum & àcliuia ui protrahat ad lumen, non'ne indignabit̃ homo, & reluctabitur? Moxq; ſub auras planè euectus, torquebit aciem prorſus, ut ille Herculis Cerberus: nec ferre diem, nec illa intueri, quæ dicant̃ bona poterit, niſi paulatim quidẽ aſſueuerit. Ergo umbras primũ cernet, dein ſolis in aqua ſimulacrũ, tum corpora ipſa fulgoris immunia, poſt hæc autem etiam in cœlum tollet oculos, ac noctu primùm ſuſpiciet lunam & ſtellas, mox etiam interdiu ad ipſum ſolem dirigere audebit obtutum: cogitabitq; ſecũ, ſcilicet hunc eſſe, qui tempora diſtinguat, quiq; anni uices peragat. Hunc eorum quoque eſſe autorem, quæ ipſe antea in antro illo tetro ſpectare erat ſolitus.

Cedo quid hic uolutabit animo? quid faciet? quoties carcerem cæcum, quoties uincula, quòties uerè umbratilem ſapientiam recordabitur? Equidem puto gratias dijs aget magnas, ingentes, quòd inde ſe emerſerit tandem: dolebitq; uicem ſociorum, quos in tantis reliquerit malis. Quòd ſi etiam in ſpelunca laudari, præmijsq; affici, & honoribus conſueuiſſent, quicunq; ſimulacra illa acutius uiderẽt, aut qui facilius meminiſſent, quæ priora ex his, quæ poſteriora, quæ'ue ſimul excurriſſent, aut item qui quaſi addiuinarent, quæ proximè ſubitura his forent, an euenturum putamus unquã, ut honores illos, ut laudes, ut præmia noſter iſte concupiſceret, aut his deniq; inuideret, qui conſecuti illa fuiſſent? Non puto, quin potius credo, ultra Sauromatas fugere ei liberet, & glacialem Oceanum, ꝙ uel regnare inter iſtos. Verùm redeat iam hic idẽ, quaſi poſtliminio ad illam ipſam ſedem, inamœnã, & cæcam, non'ne ipſe iam cæcutiet, à ſole profectus in tenebras? non'ne ſi certamen fortè ibi ponatur, quis omniũ acutiſſimè umbras eaſdem cernat, ſuperabitur hic noſter, & erit omnibus deridiculo? Sic ut uno ore uincti illi clamẽt cæcum reuertiſſe in ſpeluncam ſocium, periculoſumq; eſſe iter foras: tum ſi qui ſoluere iterum aliquem ex ipſis tẽtent, atq; ad lucem producere, reſiſtat ille ſcilicet quiſquis fuerit, manibus ac pedibus, & trahentium ſeſe, etiam ſi poſſit, in oculos inuolet unguibus. Interpretarer ſanè imaginis huius ſenſum, niſi apud uos loquerer, Florentini, magno homines ingenio, magna ſolertia. Nunc illud tantum admonebo: uinctos in tenebris homines, nullos eſſe alios, quàm uulgus, & ineruditos: liberũ autem illum, clara in luce, & exemptum uinculis, hunc eſſe ipſum philoſophum, de quo iamdiu loquimur. Atq; utinam is ego eſſem. Nõ enim tam metuo inuidiã, crimenq; nominis huius, ut eſſe philoſophus nolim, ſi liceat. Sed audire iterum uideor Lamias illas, ita mihi ad hęc tam multa, tamq; altè repetita, breuiter & aculeatè reſpondentes: Fruſtra, Politiane, laboras, ut auditoribus his probes ac declares, philoſophum te non eſſe. Nihil eſt quod metuas, nemo tam ſtultus, ut hoc de te credat: nec autem ipſæ, cùm te repentè prodijſſe philoſophum dicebamus (quod te, ut uidemus, uerbum nimis urit) hoc uidelicet ſentiebamus, eſſe re philoſophum: nec ita imperitæ aut præpoſteræ ſumus, ut philoſophiam tibi obiectaremus pro crimine: ſed illud indignabamur, facere te, ne grauiore utamur uerbo, ſubarrogãter, qui triennio iam philoſophũ te profitearis, ac nunq; ſcilicet ante id tempus operam philoſophiæ dederis. Ob id enim nugatorem quoq; te diximus, quòd illa diu iam doceas, quæ neſcias, quæ non didiceris.

Audio equidem nũc uerò, & intelligo, quid dicatis, quid ſentiatis, bonæ Lamiæ. Sed uiciſſim uos quoq; audite me parũper, ſi uacat. Ego me Ariſtotelis profiteor interpretem: q̃ idoneum, non attinet dicere: ſed certe interpretem profiteor, philoſophum non profiteor. Nec enim ſi regis quoq; eſſem interpres, regem me eſſe ob id putarẽ, nec apud nos Donatus puta, & Seruius, apud Græcos Ariſtarchus, & Zenodotus continuò ſe poetas profitentur, quoniam quidẽ poetas interpretentur. An non Philoponus ille Ammonij diſcipulus, Simplicijq; condiſcipulus, idoneus Ariſtotelis eſt interpres? At eum nemo philoſophũ uocat, omnes grammaticum. Quid? non grammaticus etiam Cous ille Xenocritus, & Rhodij duo, Ariſtocles atq; Ariſteas, & Alexandrini itẽ duo, Antigonus ac Didymus, & omnium celeberrimus idem ille Ariſtarchus? Qui tamẽ omnes (ut Erotianus eſt autor) Hippocratis interpretati ſunt libros: ſicuti alij quoq;, quos Galenus enumerat: nec eos tamen quiſquam medicos eſſe ob id putat. Grammaticorũ enim ſunt hæ partes, ut omne ſcriptorum genus poetas, hiſtoricos, oratores, philoſophos, medicos, iureconſultos excutiant atq; enarrent. Noſtra ætas parum perita rerum ueterum, nimis breui gyro grammaticũm ſepſit: at apud antiquos olim tantũ autoritatis hic ordo habuit, ut cenſores eſſent, & iudices ſcriptorũ omniũ ſoli grammatici, quos ob id etiam Criticos uocabãt: ſicut non uerſus modò (ita eñ Quintilianus ait) cenſoria quadam uirgula notare, ſed libros etiam, qui falſò uiderẽtur inſcripti, tanq̃ ſubdititi os ſubmouere familia permiſerint ſibi. Quin autores etiã, quos uellent, aut in ordinem redigerent, aut omnino eximerent numero. Nec enim aliud grammaticus græcè, q̃ latinè literatus. Nos autem nomen hoc in ludũ triuialem detruſimus, tanq̃ in piſtrinum. Itaq; iure cõqueri nunc literati poſſent, & animo angi, quo nomine Antigenides ille tibicen angebatur. Ferebat Antigenides parum æquo animo, quod monumentarij ceraulæ, tibicines dicerentur: indignari literati poſſunt, quòd grammatici nunc appellentur etiam, qui prima doceant elementa. Cæterùm apud Græcos hoc genus, nõ grammatici, ſed grammatiſtæ: non literati apud Latinos, ſed literatores uocabantur. Verùm aliàs de grammaticis. Nunc ad me redeo: non ſcilicet philoſophi nomen occupo, ut caducum: non arrogo, ut alienum, propterea quòd philoſophos enarro. Rogo uos, adeon' eſſe me inſolentem putatis, aut ſtolidum, ut ſi quis iuriſconſultum me ſalutet, aut medicum, non me ab eo derideri prorſus credam? Cõmentarios tamen iamdiu (quod ſine arrogãtia dictum uideri uelim) ſimul in ius ipſum ciuile, ſimul in medicinæ autores parturio, & quidem multis uigilijs, nec aliud inde mihi nomẽ poſtulo, q̃ grammatici. Hanc mihi rogo appellationem nemo inuideat, quam ſemidocti quoq; aſpernantur, ceu uilem nimis, & ſordidam. Euge, inquiunt Lamiæ, concedimus ut uocere grammaticus, non tamen ut & philoſophus. Quomodo enim tu philoſophus? qui nec magiſtros habueris, nec id genus unq̃ libros attigeris, niſi ſi fungino eſſe genere philoſophos credis, ut una eos pluuia ſtatim procreet, aut terrigenis illis ſimiles, quos poetæ de glebis protinus & ſulcis cum clypeo producunt, & galea. Num fortè illud dices, te tibi ipſum fuiſſe magiſtrum? ſicuti de ſe aiebat Epicurus: aut noctu inſpiratã tibi diuinitus philoſophiã, ſicuti Aeſopo fertur? Vrgent me nimis eæ Lamiæ, itaq; non iam cum illis agam: ſed uobiſcum, quos mihi fore arbitror æquioreis. Nec autem allegabo nũc uobis familiaritates, quæ mihi ſemper cum doctiſſimis fuere philoſophis: non etiam extructa mihi ad tectum uſq; loculamenta ueterum cõmentariorum, præſertimq; græcorum, qui omnium mihi doctores præſtantiſſimi uideri ſolẽt. Sed ita uobiſcum paciſcar: Si nullus in noſtris aut ſcriptis aut ſermonib. odor eſt philoſophię, nemo audiſſe

audiſſe me philoſophos, aut eorum attigiſſe libros arbitretur: ſin plurima ſint in eis quæ ſectam redoleant aliquam: tunc me, ſi non peperiſſe ipſum talia, ſaltē didiciſſe credite à doctoribus. Quòd ſi uituperantur ij qui multa ſpondeant, anteꝙ pręſtent, cur ego uiciſſim non lauder, qui prius hoc præſtiterim, quantulumcūq; eſt, ꝙ omnino unꝙ ſpoponderim? Oues, inquit Stoicus Epictetus, in paſcua dimiſſæ, minimè apud paſtorem ſuum gloriantur ueſpere, multo ſe paſtas gramine, ſed lac ei affatim, uelluſq; præbent. Ita nec quiſquā prædicare ipſe debet, quantū didicerit, ſed quod didicerit afferre in mediū. Quod ego proculdubio & feciſſe hactenus, & facturus deinceps uideor, approbātibus Muſis, quarū ſacra fero ingenti percul ſus amore. Quare quoniam libros Ariſtotelis de Moribus iamprídē proximè aūt Porphyrij quinq; uoces, & Ariſtotelis eiuſdem Prædicamenta, cum ſex illis Gilberti Poretani principijs: libellumq; qui dicitur Perihermenias: tum uelut ęxtra ordinem ſophiſticos elenchos intactum ab alijs opus, & penè inenodabile, ſum publicè interpretatus: uocant ecce me nunc eundem ad ſe reſolutoria duo uolumina, quę Priora uocantur. In quibus omnis rectè ratiocinandi regula continetur. Qui quanquā libri ſpinoſiores alicubi ſunt, & multis rerum uerborumq; difficultatibus inuoluti, tamē ob id eos etiā libētius, alacrius, animoſius aggredior, quòd ferè in omnibus gymnaſiis à noſtrę ætatis philoſophis. nō quia parum utiles, ſed quia nimis ſcrupuloſi, prætereuntur. Quis mihi igitur iure ſuccenſeat, ſi laborem hunc interpretandi difficilima quęq; ſumpſero, nomen uerò alijs reliquero? Me enim uel grammaticum uocatote, uel ſi hoc magis placet, philoſophaſtrum, uel ne hoc ipſum quidem. Cæterùm uolo ut hic iam noſter ſermo ſimplex, ut uidetis, & humi repens, quemadmodum à fabella cœpit, ita deſinat in fabellam. Siquidem, ut Ariſtoteles ait, etiam philoſophus natura philomythos, id eſt, fabulæ ſtudioſus eſt. Fabula enim admiratione cōſtat, admiratio philoſophos peperit. Sed audite iam fabellam: Aues olim propè uniuerſæ noctuam adierunt, rogaruntq; eam, ne poſthac in ædium cauis nidificaret, ſed in arborum potius ramis, atq; inter frondes: ibi enim uernari ſuauius. Quin eidem quercū modò enatam puſillā, tenellamq; oſtendebant, in qua ſcilicet molliter (ut aiebant) & ſiderę ipſa aliquando noctua, & ſuum ſibi conſtruere nidum poſſet. At illa facturam ſe negauit. Quin inuicem conſilium dedit ijs, ne arbuſculæ illi ſe crederent: laturam enim quandoq; eſſe uiſcum, peſtem ſcilicet auium. Cōtempſere illæ (ut ſunt leue genus, & uolaticum) ſapientis unius noctuę conſilium. Iam quercus adoleuerat, iam patula, iam frondoſa erat: Ecce tibi aues illæ omnes gregatim ramis inuolitant, laſciuiunt, ſubſultant, colludunt, cantillant. Interea quercus ea uiſcum protulerat, atq; id homines animaduerterant. Implicitę ergo repentè ibi omnes pariter miſellę, ac fruſtra eas ſera pœnitentia ſubijt, quòd ſalubre illud conſilium ſpreuiſſent. Atq; hoc eſſe aiunt, cur nūc aues omnes, ubiubi noctuā uiderint, frequētes eam quaſi ſalutant, deducūt, ſectantur, circunſidunt, circumuolitant. Etenim conſilij illius memores, admirantur eam nunc ut ſapientem: ſtipantq; denſa caterua, ut uidelicet ab ea ſapere aliquādo diſcant. Sed opinor fruſtra, imò uerò etiam interdū cum magno ipſarū malo. Nam ueteres illæ noctuæ re uera ſapientes erant, nunc multæ noctuæ ſunt, quæ noctuarū quidē plumas habent, & oculos, & roſtrum, ſapientiam uerò non habent. Dixi.

ANGELI POLITIANI PRAELECTIO, CVI TITVLVS PANEPISTEMON.

QVI libros aliquos enarrare Ariſtotelis ingrediuntur, conſueuere à principio ſtatim philoſophiam ipſam uelut in membra partiri, quod & Themiſtium facere uidemus, & Simplicium, & Ammoniũ, & alios itẽ Peripateticos ueteres. Mihi uerò nunc Ariſtotelis eiuſdem libros de Moribus interpretanti cõſilium eſt, ita diuiſionẽ iſtiuſmodi aggredi, ut quoad eius fieri poſſit, non diſciplinæ modò, & artes uel liberales, quæ dicunt̃ uel machinales, ſed etiam ſordidæ illæ, ac ſellulariæ, quibus tamen uita indiget, intra huius ambitum diſtributionis colligant̃. Imitabor igitur ſectiones illas medicorũ, quas Anatomas uocant. Imitabor & tabulariorũ calculos. Nam & diuidam ſingula propè minutatim, & in ſummam ſummarum redigã, quò poſſit unumquodq; uel facilius percipi, uel fidelius retineri. Nec autẽ me fallit, ꝙ ſit operis ardui, ꝙ nec ab ullo tentatum hactenus, ꝙ deniq; obtrectatoribus opportunũ, quod polliceor. Sed ita homo ſum. Sordent uſitata iſta, & exculcata nimis, nec alienis demùm ueſtigijs inſiſtere didici, quoniam in magnis etiam uoluntas ipſa laude ſua nõ caret, & uiliſſimos hominum Plato exiſtimat imitatores, meritoq; ob id à uate Horatio ſeruũ pecus appellati ſunt. Obtrectatorum uerò nulla prorſus habenda ratio: qui ſi nunc deſit occaſio, facilè tamen inueniẽt alteram. Illud obſecro, ne quenquam perturbet, quod ipſis artium uocabulis, etiamq; græcis utar interdum, ſiquidem pleraq; ſic expoſita reperiuntur, ut latinè nondum loqui didicerint: ſed & multa diuerſis artibus, diſciplinisq; cõmunia ſemel explicata, mox quaſi digito notari, tutuq; ſignificari ſat erit. Nũc adeſte animis, quæſo, & auribus omnes, ac fauete dicenti: magnam (ni fallor) & ex perſpicua breuiq; rerum tantarum diſtinctiõe utilitatem, & ex erudita quadã, nouaq; uocum diuerſarum uarietate uoluptatẽ percepturi. Nec pompam tamen hic orationis, aut uerborum phaleras expectetis, & pictæ tectoria linguæ. Nam quod eleganter Manilius inquit aſtronomus,

Ornari res ipſa negat contenta doceri.

Tria ſunt igitur inter homines genera doctrinarum: Inſpiratum, inuentũ, mixtum. In primo genere Theologia noſtra, in ſecundo mater artium Philoſophia, in tertio Diuinatio ſita eſt.

Theologia deũ ſpeculatur, ut in eo cũcta ſunt, ut ab eo proficiſcunt̃, ut ad eundem redeunt, ut in eodem cõquieſcunt. Huius inſtrumentũ duplex eſt, uetus atq; nouum. Quod utrunq; in legales, hiſtoricos, morales, propheticosq; libros diuiditur, quos Canonicos appellamus.

Philoſophia ſpectatiua eſt, actualis, rationalis. Sed ſpectatiua pars, aut res conſiderat materiæ prorſus implicitas, aut à materia penitus abiunctas, aut medias quaſdam re coniunctas, intellectione diſtractas, eaſq; uel ſubſtantias, uel accidentia: rurſus hæc, aut qua multitudo ſunt, aut qua magnitudo. Multitudo, ut abſoluta, ut relata. Magnitudo, ut amẽs, ut mobilis. Ex hoc igit̃ ſpectatiui generis quaſi ſtemmate naturalis, & prima philoſophia, tum quę de anima pertractat, & mathematicæ quatuor, ſeu doctrinales, Arithmetica, Muſica, Geometria, & Sphærica cum ſuis illis quaſi pediſſequis, Calculatoria, Geodeſia, Canonica, Aſtrologia, Optica & Mechanica naſcuntur.

Actualis pars mores expendit, ſed aut ſingulorum, aut familiæ, aut ciuitatis.

Vnde

Vnde quaſi trigeminus partus moralem, diſpenſatiuam, ciuilem'que protulit.

Rationalis,aut indicat,aut narrat,aut demõſtrat,aut ſuadet,aut oblectat. Vnde Grammatica,Hiſtoria,Dialectica, Rhetorica, & Poetica emerſerunt.

Naturalis aut circa ea uerſatur,quæ cõmuniter inſunt rebus,aut circa ea quæ uidentur ineſſe,nec inſunt.Ineſſe uidentur nec inſunt,inane & infinitum.Inſunt autem uel principia,uel quæ principijs adnexa,uel quæ de principijs exorta. Principia ſunt aut cauſæ,aut concauſæ. Cauſæ aut efficientes,aut finales. Concauſæ uel formales,uel materiales. Cauſis tamen exemplariam Plato, concauſis officialem adiunxit.Principijs adnexa,motus,locus,tempus, & continuum. De principijs orta,ſimplicia & cõpoſita. Simplicia, uel ſempiterna, ut cœlũ: uel corruptilia, ut elementa.Compoſita uel imperfecta,uel perfecta. Imperfecta, quæ gignuntur in ſublimi.Rurſus perfecta,uel inanima,ut metalla: uel animata, quæ aut uegetabilia,aut ſenſibilia,aut horum media. Vegetabilia,ut plantæ,quæ aut herbæ,aut frutices,aut arbores. Senſibilia,ut animalia,quæ uel rationalia,ut homo: uel ratione carentia,ut bruta.Media ſunt,quæ Græci zoophyta uocant.

Naturalis aũt philoſophiæ quaſi alumna medicina eſt,quam Theophilus græcus autor in theoricen practicenꝗ diuidit:theoricenꝗ rurſus in naturę cauſarum ſignorumꝗ rationes,hoc eſt,phyſiologicon,ætiologicon,ſimioticon. Item phyſiologicon in elemẽta,humores,cõplexus,particulas,poteſtates, officia. Sic ætiologicon in cauſas præuertentes,præuias,continentes,quæ procatarctica,proegumena,ſynectica uocat. Simioticon rurſus in pręſentiũ diſcerniculũ,futurorũ pręſagium,præteritorũ memoriam.Practicen denuò ſalubriũ dicit eſſe, & eorũ quæ curam deſiderẽt,alterumꝗ hygijnon,alterũ therapeuticon appellat. Quod quoniam in uictu,medicamentis,manuꝗ fit,nũc diætericon, nunc pharmaceuticon, nunc chirurgicon.Quod aũt uictu curat,id aut ſenectutẽ gubernat,& gerocomicon,aut defectos reficit,& analepticon,aut noxam præcauet,& prophylacticon appellatur. Medicos autẽ ueterinarij ſequuntur,quos hippiatros Græci uocant, hiſdem quibus medici ueſtigijs ingredientes,quamuis alij quidã morbi ſint in iumentis.Etenim coriginoſi farciminoſiꝗ fiunt equi.Malleo,pulmunculo,exungulatione, cæteriſꝗ ſimilibus laborant: quod genus hominem rarenter attingit.

Prima philoſophia deũ,menteſꝗ corpore ſeiunctas, ac multiplicia doctrinarũ omniũ principia,quæ uocamus axiomata, ſed naturæ ueſtigijs indagat.

Animæ uis triplex,quæ uegetat,quæ ſentit,quæ ratione utitur.Prima in alẽdo, agendo,gignendo continetur. Altera in ſenſibus quinꝗ,ſenſu cõmuni, phantaſia,memoria. Tertia in intellectu: qui actu dicitur,appellaturꝗ mẽs, & eo qui poteſtate. Cuius partes opinio,& dianœa, quæ neſcio an rectè cogitationis uocabulo exprimatur. Expetitio uerò in ratione uoluntas, in ſenſibus aut iracundia eſt, aut libido. Nemeſius autẽ ſic in lib. de Homine: Vis,inquit,animæ triplex eſt:animalis,uitalis,naturalis. Primi generis mens, phantaſia,ratiocinatio,memoria,cogitatio. Tum opinio,ſenſuſꝗ particulares,& quicunꝗ motus ab electione proficiſcuntur. Secundũ genus in reſpiratione cõtinetur,& pulſibus. Tertium uerò in gignendo,nutriendo,augendo,cõtinendo,tranſmutando,excernendo. Fit & illa diuiſio de partibus corporis,ut in cerebro ratio,ira in corde,cupiditas collocetur in iecore,quod uirtutibus eſt,& uitijs cõmune ſeminarium.

Arithmetica numerum tractat,aut ſeorſum quemꝗ ſpectans,aut ad alium referens. Qui ſeorſum ſpectatur,par eſt, & impar. Par aut pariter par, aut pariter impar,aut impariter par. Itemꝗ aut ſuperfluus,aut deminutus, aut perfectus. Impar aut primus, & compoſitus: aut ſecundus, & compoſitus: aut per ſe ſecundus,

& compoſitus ad alium. Primus & incompoſitus, ad aliũ relatus aut æqualis, aut inęqualis. Hic aut maior, aut minor. Et maior aut ſimplex, aut cõpoſitus. Simplex aut multiplex, aut ſuperparticularis, aut ſuperpariens. Compoſitus aut multiplex ſuperparticularis, aut multiplex ſuperpatiens. Minor maiori ſubiugalis æquè diuiditur: illiusq́ numeri prologi dicũtur, huius hypologi, quaſi duces & comites: De multiplicibus, duplæ triplæ. He ſuperparticularibus, ſeſquialterę, ſeſquitertię: De ſuperpartientibus, ſuperbipartientes, ſupertripartientes, & deinceps oriuntur: ac rara eadem ratio in cõpoſitis. Rurſum qui per ſe cernitur continens numerus, linearis, planus, ſolidus, pyramis etiamq́ curta, quadrantalia, aſſeres, laterculi, cunei, parallepipedi, gradati, altera parte longiores & orbiculares.

Muſica naturalis eſt, & artificialis. Naturalis, humana & mũdana. Humana tribus animi partibus, intellectu, ſenſibus, habitu. Tres efficit & rationes, diapaſon, diapente, diateſſaron. Prima enim (ut Ptolemæus inquit) ſeptẽ continet illa, mentem, imaginationem, memoriam, cogitationem, opinionem, rationem, ſciẽtiam: quo numero conſonantia conſtat, quæ uocatur ex omnibus. Secunda quatuor: uiſum, auditum, olſactum, tactum (nam in eo guſtatus eſt) æquas numero partes quinariæ partibus. Tertia rurſum tres: auctum, faſtigium, decrementum, cui quaternaria reſpondet. Item ſi partes animæ feceris rationis, iræ, cupiditatisq́ ſedes. In prima ſeptem ſunt, acumen, ingenium, ſolertia, conſilium, ſapiẽtia, prudentia, experientia. In altera quatuor, æquanimitas, impauiditas, fortitudo, tolerantia: In tertia tres, temperantia, continentia, uerecundia: quibus triplex eadem ſymphonia conflatur. Omnium autẽ inter ſe concordia, iuſtitia nominatur. Item trinis generibus ſpectatiuæ partis, & actiuæ, tria illa congruunt: enharmoniũ naturali moraliq́, diatonicum diuino & ciuili, chromaticum Mathematico & œconomico. Productionum uerò mutationes uitæ morumq́ conuerſionibus reſpondent.

Mundana muſica cernitur in eo quòd cœleſtiũ motus, ſicuti phthongus. Diaſtemate conſtat, circularesq́ ambitus harmonicorum ſyſtematum referunt apocataſtaſis, quas, autore Materno, interpretari redintegrationes poſſumus, tũ ſiderum aſpectus, qui Trigono, Tetragono, Dodecatemorio. Dimenſione fiunt Diateſſaron, Diapente. Tonum Diapaſon faciunt. Motusq́ ad Orientẽ uel Occidentem grauiſſimis: in cœli uerò meditullio comparatur acutiſſimis. Altitudines Chromaticen gignunt, Enharmonion, Diatonion. Latitudines Tropos. Lunæ facies Tetrachordorum referunt iugationes. Quæ omnia diligentiſſimè proſequitur Ptolemæus.

Artificialis, aut Harmonica, aut Rhythmica, aut Metrica eſt. Harmonicæ partes ſeptem: ſoni, ſpatia, ſyſtemata, genera, toni, mutationes, modulatio. Sonorum poteſtates infinitæ, ſed & quæ traditæ ſunt omittentur: quoniam uitamus inſolentiam peregrinarum uocum. Sunt autem ſoni aut ſtatarij, aut uagi. Statarij aut grauiter crebri, aut mediocriter, aut acutè, aut non crebri. Vagi aut quaſi ſubprincipales, aut quaſi extenti. Rurſus aut Symphoni, aut Diaphoni, aut Homophoni. Quorum differentiæ quinque. Prima in acumine & grauitate, ſecunda in ſpatio, tertia in ſyſtemate, quarta in uocis regione, quinta in indole illa, uel ſenſu, quod grecè uocatur ἦθος. Spatiorũ minimũ apotome, dein Diaſchiſma, tum Schiſma, ſupra Dieſis modulandi principiũ, mox hemitonium, tonus, ditonum. Sunt autem ſpatia maiora, minora, ſymphona, diaphona, enharmonia, colorata, diatonica, effata, ineffabilia. Rurſus incõpoſita, ut dieſis, quæ diu ex uſu receſſit. Cõpoſita, ut diateſſaron: & compoſita & incompoſita, ut hemitonium, tonus. Item paria, imparia, rara, denſa.

Syſtemata

Syſtemata, quæ ueteres indolis initia uocitabant, partim differentias habent eaſdem, quas & ſpacia, partim diuerſas. Nam ſunt continua, tranſcendentia, ſimplicia, non ſimplicia, coniuncta, diſiuncta, communia, tetrachorda, pentachorda, octachorda.

Genera tria ſunt: Harmonia, Chroma, Diatonon.

Toni apud Ariſtoxenum xiij. Hypodorius, & Hypophrygij duo, & Hypolydij duo, Dorius, Phrygij duo, Lydij duo, Mixolydij duo, Hypermixolydius unus, his iuniores duos Hyperæolium adijciunt, & Hyperlydium.

Cõmutationes quatuor fiunt modis: Genere, Syſtemate, Tono, Modulatiõe. Modulatio triplex: aſſumptio, mixtio, uſus. Cuius tres illæ partes, petia, phoce, agoge. Quæ & ipſa triplex, recta, reuertens, circulans.

Modulationis tropi tres genere, Dithyrambicus, Tragicus, Nomicus. Specie plures, ut amatorij, quorum proprij ſunt Epithalami, Comici, Encomiaſtici. Differentiæ modulationis genere, Tono, Tropo, Indole: quæ triplex, cõtracta, laxa, media.

Rhythmus, qui latinè dicitur numerus, Arſin habet, & Theſin, hoc eſt, leuationem, ac poſitionem, quibus uidelicet plauditur, oriturq; de numeris connumeratis, dinumeratis, cõplicatis, ac ſeſquatis. Diſcernitur uiſu, ut in ſaltatione: auditu, ut in cantu: tactu, ut in uenis. Etenim medicorũ doctiſſimus Herophilus motus omnes illos, & pulſus humani corporis in muſicos digeſſiſſe numeros narratur. Sunt uerò numeri omnes aut iudiciales, aut progreſſores, aut occurſores, aut recordabiles, aut ſonantes, uel ſi mauis corporales, ut illi etiam ſignentur, qui ſunt in ſaltatione, & in certo motu uiſibiles: partes autem Rhythmicæ huius de qua nunc agitur, quinque ſunt, tempora prima, pedum genera, agoge, mutationes, Rhythmopœia.

Metrica ab elemẽtis & ſyllabis ad pedes pergit. Etenim pedes ſyllabis cõſtant, hoc eſt, articulatis quibuſdam ſonorum motibus. Syllabæ temporibus tendũtur. Pedum uerò diſſyllabi quatuor, triſyllabi octo, tetraſyllabi ſedecim, qui complicati aduſq; ſenas ſyllabas coniugationes faciunt metricas. Metra primigenia, quę minimè nũc à uerſibus diſtinguimus, nouem ferunt: Dactylicũ, Anapęſticũ, Iambicũ, Trochaicum, Coriambicum, Antipaſticũ. Ionica duo, & Pęonicum. Inq; his Acatalecta, Catalectica, Brachycatalecta, Hypercatalecta, Dimetra, Trimetra, Tetrametra, Pentametra, Hexametra: paribus alia pedum temporibus, alia ſuperantibus, alia integris, alia deminutis, alia ſynecphonetica. Compoſita metra, aut ſimilib. duplatis conſtant, aut diſſimilibus, quæ dicuntur Aſynarteta: ſunt & quæ uocãt Apemphænonta. Poema, aut uerſib. unius generis, aut diuerſorũ cõplexu cõſtant, duorum, ſcilicet, trium, plurium: qui liber, aut obnoxius, isq; bifarius, aut trifarius, ut ſunt Epodica omnia. Sed ut in Rhythmis libera perpetuitate coniunctio porrigitur: ſic in metris ab aliquo certo fine reuocatur: at in uerſibus in duo membra quadam lege ſibimet congruentia tribuitur.

Geometria à puncto, quæ nota impartibilis eſt, lineas peruidet rectas, circũferentes, flexuoſas, iacentes, perpendiculares, alternas, diſterminas, anguloſq; iuſtos, anguſtos, latos, ſummitates, circulos, ſemicirculos, & qui limites faſciati uocãtur. Trilateras, quadrilateras, multilaterasq; figuras. Inq; his æquilateras, æquicrurias gradatas, rectangulas, acutiangulas, obtuſiangulas: & quæ parte altera lõgiores ſunt, & Rhombos, & Rhomboidis, & Menſulas. In ſolidis Pyramidas, Priſmata, Conos, Cylindros, Cubos, Sphæras, etiamq; illa quę uocant Octaedra, Dodecaedra, Icoſaedra.

Aſtrono-

Aſtronomia, quæ dicitur & ſphærica, cœli conuerſionem ſuſpicit, ortus, obitus, motusq; ſiderum, axes, polos, cardines, hemiſphæria, circulos, ſeptentrionalem, ſolſtitialem, æquinoctialem, brumalem, auſtralem, ſigniferum, lacteum, meridianum finitorem, coluros, ſigna'que uel duodecim, uel cum ſuis geſtaminibus quinq; & triginta. Quæ quibus orientibus, aut occidentibus oriantur, occidant, quæ tranſuerſa, quæ recta, quæ uel auſtrina, uel ſeptentrionalia, quæ ſtellæ matutinæ, quæ ueſpertinæ, quæ occiduales, quæ abſconſæ, quæ recurrētes, quæ ſtationariæ, quæ ſit Epicyclorum, quæ latitudinum, quæ'ue altitudinum ratio, quæ cui ſyncentra, uel eccentrica, quæ facies, quæ magnitudines, qui lunæ ad ſolem ſchematiſmi, ut intermenſtrua, edita, noua, corniculans, diuidua, prætumida, plenaq; ſit toties repetita uice: quæ forma terræ, quæ mundi inclinatio, quæ umbrarū uarietas, quæ temporum, quæ dierum ratio, quot climata & zonæ, qui uocentur antœci, qui periœci, quiq; antipodes, unde etiam agricolæ, gubernatores, medici, phyſici, uentos, imbres, æſtus, peſtilentiam, terræmotusq; prænoſcunt.

Calculatoria ſeu logiſtice figuris utitur numerorum nouem, quas Pythagorici excogitarunt: quorum inuentum eſt etiam diagramma, quod menſam Pythagoream etiam uocitabant, unde abaci origo eſt, in qua digiti & articuli cōpoſiti, atq; incompoſiti cum ſuis collocantur limitibus. Hæc ſex generibus continetur, elementorum expoſitione, cōpoſitione, ablatione, multiplicatione, partitione, quadrati lateris inuentione. Ordo autem ſic in numeris eſt, ut poſt ſingulares deceni, centeni, milleni, myriades, decenæ myriades, centenæ myriades, millenæ myriades, myriadū myriades ueniant. Signantur autem manu ſiniſtra ad centenos uſq;, dextra centeni milleniq; uſq; ad myriadas, nec ultrà.

Geodeſia uerò, quę etiam à Pappo geomoria uocatur, et ipſa in ſenſilibus uertitur: continetur q; generibus, recto, plano, ſolido, pedatura ipſa, porrecto, conſtrato, quadrato pede: figurę q; omnes angulares, circularesq; quantum colligant in area ſpacij, quæ circuli circumductio ſit, quæ ſphęræ deprehenditur, quanta etiam Strabi montis ſuperficies. Notatur quæ plana ſummitas, quæ liquis, quæ ſit enormis. Climata etiam cernuntur, ſcopuli, flexus, anguli, rigores, lineæq; omnes rectæ, alternæ, baſis, uertices, crura, diagonij, perpēdiculares. Hypotinuſæ, diametri, & perimetri. Tū menſurę illæ, miliaria, ſtadia, actuſq; uel minimi, uel quadrati, uel duplicati, decempedæ, ſeu perticæ, radij, paſſus, gradus, cubiti, pedes, ſemipedes, palmi, unciæ, digiti, ſemiunciæ ſeu ſtateres, quadrantes, drachmæ, ſcripuli, oboli, ſemioboli, ſiliquæ, ſeu ceratia, puncta, minuta. Mōmēta ſuis quæq; notis gaudentia, uocabula etiam terminis uaria imponebantur, ut excultellatis lateribus, Arcifinium, Spatula curſoria, Gammatus, Centuſiatus, & alia. Sic & limites intercíſiui, Decumani, Subruncini, Scutellati, Vſtrinales, permultiq; ſimiles, et agri ipſi Dextrati, Normales, Feneſtrati, Citrati, Subciſiui, Teſſellati, prætereaq; diuerſi nominantur.

Canonicæ aūt rationes harmoniarum conſiderat apparentes regularū ſegmentis excogitatis, atq; aures (ut ait Plato) præferens intellectui. Rationes enim Symphoniarum nunc monochordo canone deprehendit, nunc tetrachordorum generibus diuiſis, quæ neruorū nominibus undeuiginti cenſent, qualia multa Ptolemæus exponit in his libris, quorū titulus eſt, περὶ τῶν ἁρμονικῶν βιβλίων. Hæc uerò in organis eſt percuſſionalibus, tenſilibus, inflatilibus.

Aſtrologiæ partes gnomonice, quæ ſolariorum diſcriminatis umbris horas ueruto denotat, à Vitruuio diligenter expoſita, tum quę uocatur Meteoroſcopice, ſublimitatū differentias, & interualla ſiderū deprehendens. Præterea Dioptice, quæ ſolis

quæ ſolis & lunæ,& aliorũ ſiderum intercapedines colligit,& ordines.Huc aſtrolabij pertinet inuẽtio,quam Ptolemæo Syneſius tribuit.Cuius partes uagina ipſa tympana continens,in queis æquinoctialis tropiciq; deſcribuntur circi, quiq; alternis horizonti ſunt Anaphorici,tum ſupra tympana,quæ uocatur Aranea, deſignatur,in qua zodiacus, & clara quædam ſidera cernuntur, ut per noctẽ quota ſit hora,quotumq; temporis momentum reperiamus.

Pleriq; tamẽ aſtrologiam uocant ipſam, quæ propriè genethliologia uocatur: cuiusq; profeſſores à ueteribus Chaldæi,Mathematici,Genethliaciq; uocantur: quæ licet utroq; iure,ciuili pontificioq; damnetur,impugnetur ab Auguſtino, rideatur à Baſilio, tamen quia multos habet etiam nunc amatores, iure in cæterarum conſortium reciperetur. Diuidunt igitur zodiacum circulum in ſigna duodecim,ſingulaq; mox in partes tricenas, quas in minuta rurſus ſexagena. Signorumq; alia maſculina faciũt,alia fœminina,quædam bicorpora, quædam tropica, nonnulla item ſolida.Notant & quatuor illa centra,quæ nos cardines, Horoſcopum,Meſuranema,Occaſum,Hypogeũ,quęq; ſingulis pręcedunt Apoclimata, ſuccedunt Epanaphorę.Sic domicilia duodecim faciunt,quorũ torpida tria,reliqua nomen habẽtia boni maliq; genij,dei,deæq; mortis,& utriuſq; fortunæ. Poſt hæc Arietem capiti,Taurum ceruici,Geminos humeris,cordi Cancrum,pectori leonem,Virginem uentri,Libram renibus, & uertebris,Scorpionẽ genitalibus, Sagittarium femoribus,Capricornum geniculis,Aquariũ tibijs, Piſces pedibus: ſed & alios alijs regionibus,populiſq; præficiũt.Inter errantes autem, ſoli lunæq; dant primatũ,Saturnum ſoli congruere,Iouem,Mercuriũq; dicunt, quos & diurnos appellant.Domos autem ſingulas ſoli lunæq;,binas cæteris aſſignant: aliaſq; præterea denotant,quibus ſinguli triſtentur,& gaudeant: fines decanoſq; peruident,tum qui cui ſint utrinq; ſatellites,Trigonicus'ne, an Tetragonicus, an Hexagonicus, an directus inter quoſq; ſit aſpectus, ſtellarumq; cæterarũ diathema genituræq; dominum,pręſertim qui dicitur Oecodeſpotes,& reliquorũ configurationes, quæ ἀστερισμοὶ uocantur,unde etiam de uita,& morte, de moribus, fortunaq; non ſingulorum modò, ſed ciuitatum gentium'que pronunciant, auſi etiam Chronocratora, quem dicunt, auſi mundi geniturã prodere Apoteleſmatum ueſtigijs.

Optice generis eſt nomen,& partis. Pars ipſa cauſam uiſibilium deprehendit, quæ per interuallum falſa creduntur,ut cùm lineæ alternæ concurrere inter ſe uidentur,& intercipi quadratorũ anguli. Pars altera Catoptice, quæ circa ἀνακλάσεις,hoc eſt,reflexiones uerſatur.Tertia Scenographice,indicans,quo pacto nec abnumera,nec deformia fingamus in imaginibus,quæ cernuntur,interuallorum ſcilicet,& altitudinum cauſa. Sed quæ generis locum tenet, ea lineis utitur uiſus & angulis.Ita radiorum proiectiones inquirit per unum, pluraq; perſpicua ſuper figuras corporum diuerſas: item umbras,& lucis figurationes,& quæ directę uiſioni,quæ reflexæ faciant impoſturam ſpeculis adhibitis, ſpeculorumq; omnium affectiones Planorum,Globoſorum,Columnarium,Turbinalium,Cauorũ,Conuexorum,quæ uiſibus,quæ rebus accidant, etiam cùm per medium perſpicui alterius cernimus,ut ſub aqua,poſt uitrũ. Poſtremò quomodo uis ipſa oculis inſita medij cuiuſdam diuerſitatibus adficiatur,ut in Iride contingit,& omnino triplicẽ uidendi rationem pertractat,directam,reflexam,refractam.

Mechanica ſequitur,cuius(ut Heron,Pappuſq; declarant)altera pars rationalis eſt, quæ numerorum, menſurarum,ſiderum, naturæ'que rationibus perficitur: altera chirurgice, cui uel maximè artes illæ æraria, ædificatoria, materiaria,

picturaq;

picturaq; adminiculantur. Huius autem partes manganaria, per quã pondera im mania minima ui tollũtur in altum: mechanopoetice, quæ facilè aquas antlijs extrahit: organopoetice, quæ bellis accommoda inſtrumenta fabricatur, arietes, teſtudines, turres ambulatorias, helepolis, ſambucas, exoſtras, tollenones, & quæcunq; græco uocabulo poliorcetica uocantur, tormentorumq; uaria genera, quę libris Athenæi, Bitonis, Heronis, Pappi, Philonis, Apollodoriq; continentur, ut Latinos omiſerim. Mox & quæ thaumaturgice. Cuius exempla ſunt hydraulica organa, quæq; per ſe uentorum flatu reſonant, & quod uas dicæometron uocabant, & quod uoces auium uariarum exprimit. Et quod indidem merum, mox dilutum uinum, mox aquam calidam, mox frigidam, copioſam tenuemq; uiciſſim funditat. Et ſiphones extinguendis incendijs, & medicinabiles cucurbitulæ ſine ignis miniſterio cutẽ prehendentes, & pilæ ſponte ſaltantes, & lucerna ſuas ipſa producens ſtuppas, & animal quod à ſtructore dum ſecatur in menſa, bibit interim, crepituq; ſuo quodam & uoce ſitientis repręſentat imaginem. Milleq; alia id genus, quæ breuitatis ſtudio præterimus. Hæc igitur ut in capita quædam conſeratur, aut ponderibus utitur, & ſpiritu, quorum pręponderatio mouet, æquilibriũ ſiſtit, ſicuti etiam Timęus definit, aut neruis & funiculis animatos quaſi tractus ac motus imitatur, ac circa illa quæ ſubnatent aquis, aut item circa aquarum uertitur horologia: quorum quidem generum primum docet in Pneumaticis Heron, alterum idem in automatis & zygijs, quartũ rurſus in hydrijs, tertiũ uerò in Ochumenis Archimedes. Eſt in eadem mechanicæ ſerie, quæ centrobatica pars dicĩ, ex qua reliquæ pendere dicunĩ, & ſcheropœia, qualis illa Archimedea Claudiani laudata uerſibus. Suppeditat eadem architecturæ quoq; ſcanſorias, tractiles, & ſpiritales machinas.

Moralis, pars ciuilitatis eſt, in qua de bonis agitur diuerſis. Quorum numero etiam uirtus eſt ſeu rationalis animæ ſit, ſeu rationi obtẽperantis. Tractantur igitur affectus, & poteſtates, & habitus animi, & in his exceſſus, defectus, mediocritates, arbitrium, electio, appetitus, eiuſq; partes, cupiditas, furor, uoluntas. Hinc & uirtutes, fortitudo, æquanimitas, cõtinentia, temperantia, liberalitas, magnitudo animi, magnificẽtia, honeſtas, grauitas, urbanitas, ueritas, iuſtitia, ſcientia etiã, prudentia, intelligentia, æſtimatio, ſolertia, ſagacitas, comitas, heroica uirtus, uoluptas, proſperitas, amicitia, beneuolentia, cõcordia, amorq; ſui. Parſq; illa tractatur, per quam quiſq; ſibi ſatis eſt, aliaq; deinceps ad felicitatem pertinentia.

Diſpẽſatiua triplex: domini, mariti, patris: ea quęrit, ſeruat, adornat, utitur. Regiaq; eſt ſatrapica, ciuilis, idiotica.

Ciuilis triplex: regnũ, optimates, reſpublica. Cuius exceſſus totidem, tyrannis, oligarchia, democratia. Diuiditur à Platone trifariam, quemadmodum & animam rationi congruere philoſophos, iræ milites, cupiditati uoluit artifices. E philoſophis principes, magiſtratus, ſacerdotes, ſenatores, iudices legũtur, qui leges uel ferant, uel exerceant. Itaq; locus hic eſt, in quo ius ciuile nõ quidem in titulos, quod longum foret nimis, ſed in ſumma genera partiamur. Ius igitur ciuile Romanorum tametſi uoluminibus quoq; alijs continetur, tamen Pandectis ipſis in ſuas partes diſtributis, utpote omnia genera complectẽtibus, plena digeſtio reſultabit. Septem igitur in his articuli ſunt, quorum primus ea continet, quæ græcè τὰ πρῶτα uocantur: ſecundus iudicia, tertius res, quartus hypothecas, quintus teſtamenta, quæq; teſtamentis accedunt. In ſexto tituli continentur bonorũ poſſeſſionis uarij, neq; non operis noui nuntiationes, damniq; infecti, & pro ædificijs dirutis, & eorum inſidijs, & de aqua pluuia arcenda, de publicanis, donatio-

nibus

nibus,manumiſſionibus,liberaliq́ cauſa: tum de dominij,& poſſeſſionis acquiſitione,deq́ ijs, qui iudicati,uel in iure confeſſi ſunt. De bonorum detentionibus, & ne quid in fraudem creditoris fiat: Interdicta,exceptiones,temporum prolixitates,& actiones. Vltimus ſtipulationes,fideiuſſiones,acceptilationes,& titulos illos ad municipales,de decurionibus,& muneribus, de publicis operibus, nundinis, pollicitationibus, cognitionibus; cenſibus; uerborum ſignificatione, iuris'que regulis.

Pontificium ius quaſi ſuccentiuum ciuilis eſt,& ad eius exemplum, quatenus ratio patitur,diuidendum.

Res militaris,uiris & armis conſtat. Viri, dux & milites,& qui militum cauſa. In duce ſcientia,peritia,autoritas,fortuna requiritur.In milite robur & diſciplina. Hi uel equites,uel pedites diuerſis in acie nominibus diſtincti. militū cauſa fabri, tubicines,liticines,lixæ,calones.Arma quib. oppugnamur,aut defendimur, eaq́ de quibus in Mechanica diximus,inter quæ etiā naualia continentur, in quo genere Liburnæ claſſes,& luſoriæ ſunt.Huc aūt tyronū delectus,& exercitatio, poſitio caſtrorum,& munitio,inſtructio aciei,quæ Tactica Græci uocant,qualis eſt Orthia,Epagoge,& Cœlembos, & phalanges uariæ, ac Diphalangiæ, Amphiſtomi,Antiſtomi, Periſtomi, Omœoſtomi, Eteroſtomi,inflexæ,incuruæ,ouatæ, lunatæ,laterculi, roſtra,& alia id genus, oppugnatio, ꝓpugnatio. Poſtremò Stratagemata ipſa, qualia Frontinus exequitur.

Reſtāt artifices uarij,qui ſic inter ſe permixti ſunt,ut ſinguli ſingulis generibus ſubijci nequeant.Itaq́ prius de his artibus breuiter dicemus,quę ſunt à ſcriptoribus celebratæ,quales agricultura,paſtio,uenatio, architectura, graphice, coquinaria,theatricæ nōnullæ,cæteras uelut aceruatim poſtea numeraturi.

Agriculturæ principia,aqua,terra,animal,ſol.Finis,utilitas,& uoluptas.Partes, fundi cognitio,quę in eo ſunt opus,quæ facienda,quo tempore.In primo forma, genus,quantitas,tutela.Forma naturalis,aut artificioſa.Naturalis campeſtris, collina,montana. Artificioſa ad ſpeciem fructumq́. Genus terræ, macrum,pingue, mediocre.Quantitas à iugo ad centuriā,& ſaltum.Tutela naturalis, agreſtis, militaris,fabrilis. Secunda pars homines & inſtrumenta reliqua habet. Homines, ſerui aut liberi.Reliquum inſtrumentum ſemiuocale,& mutum.Tertia pars,quæ præparanda,& ubi quæq́ facienda.Quarta circuitus ſolis annuos,& curſus lunæ menſtruos habet.

Paſtio aut ruralis,aut uillatica.Prior in minore & maiore pecore uertit̄,& quod propter ea parat̄.Minora pecora,ouis,capra,ſus.Maiora,boues,aſini,equi. Tertium genus,muli,canes,paſtores. Poſterior auiaria, leporaria, & piſcinas habet. In auiarijs,aut quæ terra ſunt contentæ,ut pauones,turdi,columbæ, turtures, gallinæ.Aut quæ uocantur amphibia,ut anſeres,anates.In leporarijs duplex genus: In altero apri,capreæ,lepores.In altero apes,cochleæ, glires. Piſcina dulcis aquæ piſces habet,aut marinæ.

Venationis laudes & præcepta Xenophon græcè ſcribit,& Oppianus. Apud hos qualis eſſe uenator,quibus uti retibus,laqueis,telis, armis, inſtrumētis, canibus,quoq́ pacto,quo tempore,contraq́ quas feras debeat,oſtenditur.

Architectura rationem continet & fabricam. Cōſtat aūt ordinatione & diſpoſitione. Cuius partes Chorographia,Orthographia,Scenographia, Eurythmia, Symmetria, decor,diſtributio. Hæc publicorū aut priuatorū ædificiorum,defenſionis,religionis,opportunitatis cauſa.In queis omnibus habēda ratio firmitatis, utilitatis,uenuſtatis.

Graphice pictoribus,ſtatuarijs cęlatoribus,ſcalptoribus,fictoribus,encauſtiſq; cõmunis eſt,ſic artibus conferens,autore Nicomacho, quemadmodum philoſophiæ conferunt mathematicæ.Hæc ſymmetriam dimenſione colligit,& finitiõe. Dimenſio perficitur hexempeda,& normis, hexempeda pedibus, pedes unciolis,unciolæ minutis. Norma aut ſtans, aut baſis. Finitio colligitur organo, cuius partes horizon,radius perpendiculum ſunt. Ex his autem ſingulorum membrorum relationes ad totam corporis proceritatem, atq; alterius ad alterum inter ſe proportiones cernuntur, quales ſint, quo conueniant,quo differant. His adijcit pictura colores,& umbras,quib.oculos,capillũ, uultus, lumina, tractusq; regionum repræſentet,in affectibus exprimendis animiq; ſenſibus laudatior.

Coquinariæ capita Græca referam,qualia ponit Apitius.Ea ſunt epimeles, artoptus, cepurica,pandecter,oſprion, trophetes, polyteles,tetrapus,thalaſſa,halieus,hanc Plato adulatricem medicinæ appellat.

Theatrica ſcenicos,gladiatores,gymnicos,agitatores habet.Scenici ut hypocritę,comœdi,mimi,tragœdi,thymelici,ſaltatores,chironomi.Speciesq; ſaltationis primæ,cordax,ſicinnis, emmelia: in quo genere etiam pyrrhicarij.In thymelicis aũt citharœdi,citharistæ,tibicines.Adijce ſi placet & choragos:& ſi qui ſunt theatrici operarij.

Gladiatores ut retiarij, ſecutoresq;, qui mirmillones,thraces,ſamnites,hoplomachi,numerarij,aridarij,probactones,dimachæri,orbelæ. Tum equeſtres eſſedarij,& ut quidam adijciunt,uelites,laquearij.His etiam adiunge laniſtas ipſos, à quibus erudirentur.Et item ludiarios uenatores,& beſtiarios.

Gymnici ſtadiodromi, dolichodromi, diaulodromi,pugiles,palæſtritæ, acrochiriſtæ, ſciamachi, xuſtici,pancratiaſtæ,qui ſaltu,qui diſco,qui pentathlo, quiq; iaculo nobiles,trans finem ſcammatis expedito,

Agitatores ut ruſſati,albati,praſini,ueneti,quibus aurati, purpurei, luteiq; adiecti. Tum deſultores, & qui Troiam luderent. Et inter aurigas bigarij, trigarij, quadrigarij,ſeiugarij.

Reſtant artes aliæ confertim dicendæ,ſolaq; cõtentæ nomẽclatura: quarũ pars uictui ſeruiunt.In his aucupes ſunt,hamiotę, piſcatoresq; alij,urinatores,aquarij, cetarij,macellarij,cupedinarij,ſalſamẽtarij,lanij,fartores,condimentarij,obſonatores,uinarij,piſtores,piſtrinarij,ſiliginarij,ſitonæ, dardanarij,lupinarij,caupões, tabernarij,hoſpites,ſtabularij,popinarij,popinarũq; inſtitores, biberarij, botularij,cruſtularij.Sed & ſtructores,& lactarij,& pomarij,& herbarij,& ſeplaſiarij,& medicamẽtarij omnes,omniſq; deniq; forẽſis turba. Quod genus & olitores fictoresq; ſunt.Poſt hos & ipſi corporis agẽtes curã, tõſores, balneatores, pilicrepi, alipili,mediaſtini,mangones,aliptę,ſeu pędotribæ,ciniflones, arcularij propolę, pigmentarij,coronarij,coſmetæ,funerarij,libitinarij,deſignatores,præficæ.

In tertio quaſi genere numerentur ἀρχειροβιῶται illi, quales fabri ſunt omnes,tignarij, cementarij,materiarij,ærarij,ferrarij. Tum plauſtrarij carpentarijq;, & uehicularij,ſed & pegmarij,automatarij,tũ aurifices,inauratores,bractearij, monetales,argentarij,uaſcularij,muſiuarij,gemmarij,dolearij,figuli, tectores,imbricarij,carbonarij,calcarij,laterarij,fornacarijq; cæteri,lapidarij,lapicidæ,ſerrarij,tornatores,loricarij,telorumq; artifices,& clauſtrorũ. Poſtremò etiam fribolarij omnes,uitrearij,ſulfuratarij.

His adijce lanarios,ſericarios,linteones,bracarios,fullões,textores,infectores, lanificas,lanipẽdias,carminatores,pannicularios,ſagarios, pelliões,interpollatores,ſarcinatores,patagiarios,flãmearios,uiolarios, manulearios,molochinarios, ſemiſo-

ſemizonarios,limbularios,plumarios,polymitarios,phrygiões,& qui netum aurum intexunt,& netrices,& item funicularios,reticularios, caligarios, cerdones, ſutores'que omnes,calceolarios,crepidarios,ſolearios,ueteramentarios,& item zonarios.

Deniq; his notarios,pragmaticos, ſcriniarios, exceptores, ab actis, à memoria,à libellis, ſubadiuuas, calculatores, commentarienſes, ab epiſtolis ſcribas, librarios,bibliopolas,chartularios,capſarios,nomenclatores.

Præterea nautas,gubernatores, remiges, epibatas, pauſarios, proretas, neulcos,helciarios,uectores,nauicularios,ratiarios.Adhęc ſtratores,tabellarios,curſores,ciſiarios,muliones,agaſones,proxenetas,uictimarios,manſuefactarios,inſtitores omnes.Itē præcones,coactores,uenaliciarios,foricarios. Nam quid ego nummularios cõmemorem,arcarios,mercatores,negotiatoresq; alios? Quid & illos nugatorios artifices,petauriſtas, circulatores, funiambulos, neurobatas, tichobatas,ſaccularios,pilarios. Sed iam uideo de fece haurimus. Itaque mox paulo meliora.

Sequitur grammatice,quæ uel methodice,uel hiſtorice,uel mixta eſt. Methodice in loquendo & ſcribendo eſt.Hiſtorice in legendo & enarrando. Cõmunis in iudicio.Grãmatices infantia, Grammatiſtice à Græcis,à Varrone literatio uocatur.Hic literę ſyllabęq; cum ſuis uel faſtigijs,uel longitudinibus.Hic orationis partes,& proportio,& inæqualitas. Et uitia duo,ruſticitas & ſtribiligo, & ortographia, & item pedes, metaplaſmi, tropi, ſchemata,gloſſemata,nota,ſuſpenſio, diſtinctio,clauſula,uocis elatio,depreſſio,flexus,concitatio,mora, poſituræq; tractantur,& qui legendi,qui reijciendi,quid in quoq; probandum,qui cuiq; pręponendi,quæ ſit in his œconomia,quod'ue decorum. Præterea Rhetorum progymnaſmata quidam grammaticis attribuerunt.

Hiſtoria uel fabularis,uel ad fidem.Fabularis aut uoluptatis, ut in argumentis comicorũ, aut adhortatiõis gratia.Hęc aut argumentũ habet ex ficto,ut in Aeſopeis fabulis: aut ex ueri ſoliditate,quæ aut per turpia contexitur,ut in quibuſdam poeticis figmentis: aut pio tegitur uelamine, quod ſolum genus philoſophi ueteres admiſerũt. Ad fidem hiſtoria de locis eſt,ut Geographia: uel de temporibus, ut Chronice: uel de natura,ut animaliũ, plantarum: uel de geſtis rebus, ut annales,hiſtoriæq; cæteræ. Quarum elementa ſunt perſonæ,cauſæ,locus,tempus, modus,inſtrumentum,materia,res.Stylus in hiſtoria fuſus,& continuus,non periodicus,niſi cùm proſopopœias adſciſcit in concionibus.

Dialecticam primus latinitate donauit M. Varro,quæ ſex normis utitur. Etenim de loquendo,de eloquendo,de proloquendo,de proloquiorum ſumma,de iudicando,de his quæ dicenda ſunt quærit. In loquendo ſunt illa: genus,ſpecies, differentia,proprium,accidens,definitio,totum,pars,diuiſio,partitio: tum nomina illa quæ ſunt æquiuoca,uniuoca, pluriuoca, uerba, quæ ſua, quæ'ue aliena rebus.Ad hæc ſubſtãtia,qualitas,quãtitas,ad aliquid,facere, pati, ſitus, quãdo,ubi, habere.Tum oppoſita quoties dicuntur, quoties illa ſimul, prius, motus. In eloquendo autem illa,quid nomen,quid uerbum,quid ex his iunctum. Quæ ſubiectiua ſententiæ pars, quæ declaratiua, qui modus utriuſq;, quatenus nomē accipiatur,aut uerbum,quatenus perfecta ſententia proloquium ſit.In proloquendo autem,quæ differentiæ proloquiorũ, quantitate,qualitate, quid uniuerſale, quid particulare,quid indefinitũ,quæ ſint aientia,quæ negantia, quã uim habeant ſingula,quemadmodũ inter ſe affectæ ſint,uniuerſales,particulares,dedicatiuæ,abdicatiuæ,deq; ijs congruæ,incõgruæ,ſuppares,alterutræ.In ſumma proloquiorũ,

quid ſumptum,quid illatio,quid ratiocinatio,quid concluſio,quæ prędicatiua ratiocinatio,quæ conditionalis, & quid interſit, quot & quæ formulæ prædicatiui cōditionaliſq; generis,quot in quaq; formula modi ſint,utrū idē ordo ſit, & eiuſdem ordinis quæ ratio.Pòſt in cōditionalibus, quot primi neceſſarijq; ſint modi, quis ordo, quo differāt. In iudicando refellendi regulæ ſunt,quibus cauilla & captiunculæ diſcernuntur.Reliqua pars in locis eſt, qua uel maximè oratores utuntur. Et in diuiſionibus item, & in finitionibus ars ingens.

Rhetoricæ materia duplex: Vbi,& unde fiat oratio.Prior in quęſtionem diuiditur,& cauſam.In ea partes officij cōſiderantur,& orationis.Officij ſunt illæ,inuentio,diſpoſitio,elocutio,memoria,& pronūciatio. Inueniuntur quæſtionis genera,naturæ,cauſarum,& ductus,tum illa quibus fiat fides.Quęſtiones quæ principales,quæ ue incidentes.In principalibus an ſit,quid ſit,quale ſit. Vnde ſtatus fiunt illi rationales,coniectura,finis,qualitas.Mox & legales:è quibus alijq; propagantur,& iudicatio emergit.Cauſarū genera demonſtratiuū,deliberatiuū,iudiciale.Rurſus honeſtū,admirabile,humile,anceps,obſcurū. Natura, ſimplex,multiplex.Ductus ex conſilio naſcens,ſimplex,ſubtilis,figuratus,obliquus,mixtus. Fides conciliando fit,docēdo,permouēdo. Conciliamus in principijs, docemus in narratiōe,permouemus in epilogis.Cōciliamus ex perſona & re. Perſona,uel auditoris,uel rei,uel oratoris, uel aduerſarij. Re uerò honeſta & utili. Docemus argumētis artificialibus,aut inartificialibus.Priora uel inſunt negotio, uel negotium attingunt.Inſunt à toto,parte,nota. Attingunt à cōiugatis,genere,forma,ſimili,differenti, cōtrario, coniunctis, antecedētibus,cōſequentibus,repugnantibus,cauſis,effectis,cōparatione maiorū,minorū,parium.Inartificialibus uerò ſcriptura,autoritate,neceſſitate. Commouemus miſeratiōe,odio,inuidia,metu,ſpe, ira,& ſimilibus.Diſpoſitio naturalis eſt,ordinē tenēs, & artificialis pro ratiōe cauſæ permutans.Elocutio fundamentū habet,& faſtigiū. Fundamentū latinè & placidè dicere.Faſtigiū copioſe & ornatè.Cuius ratio duplex, in ſingulis & copulatis uerbis.Singula propria,& tralata.Tralata,inopiæ decoriſq; gratia. Copulata, conſtructione,cōcluſione,figuris ita coagmentata,perfecta, uenuſta, quæ rurſus uel cōtinuata,& fuſa,qualis in hiſtoria,uel periodica,quę rurſus uel membris cæſiſq; conſtat,& ambitu,uel monocolos eſt.Memoria uerò naturalis & artificialis eſt.Hæc partitione conſtat,& locis,& imaginibus.Pronūciatio autem uoce, uultu,geſtu,cultu,& habitu oris continetur.

Orationis partes,exordiū,narratio,propoſitio,argumentatio,peroratio.Exordium attentum,docilem,beneuolū præſtat auditorem. Narratio aut hiſtoria, aut fabula,aut argumentum, aut iudicialis aſſertio: cuius elementa, perſonæ, cauſa, locus,tempus,materia,res. Eſſe autem dilucida,ueriſimilis,breuiſq; debet.Et eſt aut ipſius cauſæ,aut incidens,aut continua,aut partilis:& narramus augentes,attenuantes,prætereuntes,docentes, monentes, gratiam uel inuidiam comparantes,& item digredientes.Propoſitio aut noſtra eſt,aut aduerſarij, aut communis, aut principaliū,aut incidentium,aut ſimplex,aut coniuncta. Rurſus,aut ſimplex, aut per inductionem.Poſtremò uel nuda,uel rationi ſubiecta, uel ſummatim, uel partibus.Argumentatio aut confirmat, aut reprehendit. Peroratio enumeratiōe conſtat,indignatione, miſeratione.

De poetica breuius dicendū,quòd & ſæpius hoc ipſo loco de ea perorauimus, & in Nutricijs eidē ſatiſfecimus,& multa cum ſuperiorib. diſciplinis habet communia.Prima ſpecies illius eſt quę metro heroico,fabula allegorica,hiſtoria uetuſta,& ſuo quodā dicendi genere utit. Altera eorū,qui uerſificatores appellantur, tum

tum lyrici, tragici, comici, ſatyrici, ſuis & ipſi partibus diſtincti, mox elegiaci, & utriuſque ſatyræ ſcriptores, & iambici, bucolici, aſmatographi, epithalamiographi, monodi, epigrammatum'que autores: tum illa obſcuriora poematum genera, ithyphallicum, mancrus, borimus, lytierſes. Et item qualis centaurus ille Chæremonis, quæ communi uocabulo poemata dicuntur. Triplex autem genus, dramaticon, exegeticon, mixtum. Characteribus autem conſtant, longo, breui, medio, florido. Quippe finitimus oratori poeta eſt (ut Cicero inquit) ſicut numeris adſtrictior, ita uerbis licentior.

Reliqua diuinatio eſt, quæ prophetia quoq; dicitur à noſtris. Hæc (ut ait ſacer Chryſoſtomus) aut ſpiritalis, aut naturalis, aut artificioſa, aut popularis, aut damnata eſt, & profana. Spiritalis ecſtaſi, uoce, parabola, afflatu, uiſione. Viſioq; ipſa triplex: oculis, imaginatione, mente. Naturalis, brutorum, furentium, dormientium. Bruta enim ſicut hirundines, formicæ, grues, alcedones, erinacij, aduentantem pręſentiunt hyemem. Furor eſt autem (ſicuti Plato ait) quadruplex: uatum, poetarum, bacchorum, amantium. Viſa dormientium, aut inſomniū ſunt, aut ſomnium. Inſomnio phantaſma occurrit, quod uiſum Cicero appellat, & Epialtes, qui latinè incubus dicitur. Somnio, uiſio & oraculum, quæ Græcè ὅραμα & χρηματισμὸς dicuntur. Inſomnium diuinatione caret. Ex cura animi, corporis, & fortunæ. Somnia uel theorematica, uel allegorica ſunt. Hæc autē uel propria, uel aliena, uel communia, uel publica, uel mundana: quorum coniectura fit, natura, lege, conſuetudine, arte, nominibus, definitione. Qui uerò ſomnia interpretantur, coniectores dicuntur à noſtris. Extantq; libri adhuc Daldiani Artemidori, Onirocriticon. Artificioſa eſt, qua medici, qua conſiliarij, qua gubernatores utuntur. Nam & medici morborum principia, momenta, fineſq; præſciſcunt: & conſiliarij, quid expediat in poſterum coniectant: & gubernatores uentorū tempeſtatumq; præuident uarietates. Popularis dicitur, quæ uulgò nota, ſicut hyemem, dein uer, cæteraſq; deinceps temporum periodos futuras. Extrema illa eſt, quæ malo adſcribitur dæmoni, quo genere Pythię Dodonideſq; ſunt, & item diuinaculi cæteri: ut homoplatoſcopi, ut etiam qui exta pecudum, qui uolatus, qui cantus auiū, qui monſtra, qui tonitrus, qui fulgura, qui ſidera, qui ſortes, qui ſymbola, omina, auſpicia, qui ſternutamenta, qui muſtellarum, qui murium uel ſtridores, uel occurſus, quiq; aures tintinnantes, oculos ſalientes, foliorum crepitacula, pomorū ſemina in ſublime iactata, bacilla, cortices, nomina, imagines, phialas, ſpecula, & mille id genus alia obſeruabant. Tū illa quoq; pars damnata in primis, quæ uel malos genios conſulit, uel deos euocat manis, cuiq; magicæ nomen fecimus, ut quam Pythones, ut quam profitebantur engaſtrimythoe, ut item necyomantia, ſternomantia, alectromantia, pyromantia, alphitomantia, aleuromantia, crithomātia, æromantia, hydromantia, geomantia, aſtragalomantia, tyromantia, gyromantia. Sed & chiromantia, & item coſcinomantia, multaq; id genus alia uana prorſus, & ridicula, quæ'que iam meritò ſilentij nos admonent. Dixi.

QVOD IRA IN PVERIS OPTIMAE SAEPE INDOLIS EST ARGVMENTVM.

ANGELVS POLITIANVS LAVRENTIO MEDICI SALVTEM.

CVM poeta Accius Tarenti fortè apud Pacuuiũ grandi iam ętate & morbo corporis diurino affectum, multo ipſe iunior diuertiſſet, eiq; tragœdiam ſuam, cui Atreus nomẽ eſt, deſideranti lectitaſſet: dixiſſe Pacuuium ferunt, canorũ quidem illud ſcriptorũ, ac poetici ſpiritus magnificentiam laudare ſe, duriora tamẽ illa, pauloq; acerbiora ſibi uideri: atq; Accium id quidẽ ita ſe habere reſpondiſſe, neq; ſe tamen pœnitere, quippe qui meliora ſe deinceps ſcripturum ſperaret. Ingenia enim humana propè uti poma eſſe, quæ ſi duriuſcula, ac guſtatu acerba gignantur, tempeſtiuè tamen matureſcũt, fiuntq; mitia, & iucunda: ſin uerò ſtatim mollia atq; uuida, præcocibusq; ſimilia enaſcantur, priùs multò q̃ matureſcant, uieta fiant, & putria. Itaq; ingenio tanq̃ pomis relinquendũ eſſe, quòd ipſa die atq; ætate mitificetur. Quorſum nam iſthuc? inquis. Quoniã pleraq; profectò Laurenti Medices, humano ingenio ſimilia exiſtunt: quę cùm ſpeciem uitioſæ deprauatæq; naturæ præ ſe ferant, futuræ tamen uirtutis indicia, optimęq; indolis ſpecimen à ſapientibus iudicentur: quale forſan & hoc ipſum ſit, quòd tuo nuper in filiolo, noſtroq; diſcipulo iram, quæ quidẽ ex increpatione, acceptaq; ignominia proueniret, minimè improbandam eſſe præ me tuleram. Cuius quoniã iudicij noſtri rationem requiſiſti, non alienum certè fuerit, paucis ea de re in præſentia diſputare. Neq; uerò iram hoc tempore laudare propoſitũ ſit nobis: quamuis & illam Peripatetici non inutiliter à natura nobis adhibitam putent, utpote quæ cum quibuſdam (ut aiunt) calcaribus fortitudinem incitet, tum uerò à nonnullis id quod etiam Ariſtoteles inquit, in ipſius fortitudinis partem referatur. Sed cùm ex omni uitiorũ genere, id certè minimũ ſit habendũ, quòd à rationis orbita q̃ minimè aberret: ira autẽ, ſi quidem Ariſtoteli credere oportet, uel ipſam quodammodo audiat rationẽ, eiusq;, quantũ in ipſa eſt, ueſtigijs inſiſtat, omniũ meritò uitiorum minimũ eſſe illam credi par eſt. Quoniam uerò, ut eſt apud Flaccũ, uitijs nemo ſine naſcit͛, atq; optimus ille eſt, qui minimis urgetur, iram profectò in puero haud omnino deteſtabilẽ eſſe, fatendũ eſt. Contrà uerò affectio illa animi, quæ ira omnino uacet, quamq; ἀοργησίαν Græci uocant, haud mihi ſecus in puero, q̃ in equo adoleſcente tarditas, uituperanda uidetur: quippe quæ infirma adhuc, imbecillaq; ætate cùm à ratione proficiſci nequeat, à ſtupore certè, atq; animi hebetudine proficiſcatur neceſſe eſt. Nam in queis permulta & frigida bilis eſt atra (ut Ariſtoteles in Problematis ait) ij ſtolidi ſunt, attoniti, ignaui: in queis permulta & calida ij perciti, ingenioſi, acres, propenſi ad omnem excandeſcentiam. Calorem phyſici longè magis q̃ frigus naturæ conſentaneũ putant. Cuius profectò argumentũ cùm alijs permultis, tum uerò ex anni temporibus perſpicuè intelligitur. Cùm enim ſoluitur acris hyems, grata uice ueris, & fauòni, mox pulcherrima illa mundi, naturæq; ornamenta reuiuiſcunt, ſyluæ frondibus ueſtiuntur, campi floribus omnifariam, herbisq; diſtinguuntur, è quibus & odorum incredibilis ſuauitas afflatur. Hinc auicularũ blandiſſimis concentibus aer iam ſerenior demulcetur, hinc lymphæ riuis obſtrepunt manantibus, omnia oculis arrident, omnia auribus ſubblandiũtur, prata, arua, colles, ſyluæ, cõualles, ferarum & cicurum omne

genus

genus,ipſum præterea cœlum, ipſa (ut ita dicam) rerum natura, ad pulcherrimũ, atq; admirandũ ſui ſpectaculum,aures,oculos,menteſq; cõuocant: omnia pubeſcunt,ac laſciuiunt,omnia deniq; ludus habet:uenit æſtas ut calidior multo,ita & frugum ſeminumq; omnium prouentu uberior. Hanc inſequitur autumnus calcatis ſordidus uuis,qui fortunatum illud Amaltheæ cornu, fructuum, pomorũq; copia ſcaturiens, diuiti manu geſtat. Quæ tandem omnia extinguit mox glacialis hyems, canos hirſuta capillos. Sed redeo unde digreſſus ſum: qui illam inquã affectuum omnium uacationem, & quam Græci ἀπάθειαν uocant, tantopere extollunt, ij mihi non hominis, ſed trunci certè,aut lapidis,quæ nulla omnino ſit, uitam fabricati uidentur. An uerò ego eum mihi amplæ, atq; optimæ ſpei puerũ deligam,qui præcipientem ſomniculoſus obaudiat, cui ſit auris iugiter uellicanda,qui excutiendus manu ſit,cui iurgia, cui uerbera, cui faces ſint admouendæ? Inſpiciendum in primis Laurenti eſt,ut eſt apud poetam:

Et quis cuiq; dolor, uicto quæ gloria palmæ. Qui enim recenti adhuc ætate, ita eſſet affectus, ut neq; is laude,neq; ignominia moueretur,nihil ab eo quicq̃ egregium ſperandum fore Lacedęmonij iudicabant.At uerò Quintilianus magiſtrorum ille excellentiſſimus,eum ſibi puerum dari poſtulat,qui uictus ploret,uictor inſultet: neq; eum in puero luſus offendit,quippe qui non ſecus atq; hæc ipſa, de qua agimus ira,uegeti cuiuſdam animi,erectæq; naturæ ſit argumentũ. Quapropter & apud ueteres illos philoſophãtes,ut eſt apud Plutarchũ, in prouerbij iam locũ conceſſerat,quod dici ſolet, Iram nõ habere, qui mentẽ non habeant. Hinc illud fortaſſe eſt,ꝙ cum ex oris habitu, morũ quoq; aſpectus Ariſtoteles iudicat: Quibus,inquit,frons lata eſt, ſtupidi: quibus rotunda,iracundi ſunt. Manifeſtum uidelicet argumentũ,naturã quoq; ipſam uel ex oris lineamentis nos admonitos uelle,nihil tam maximè à ſtupore differre,q̃ iracundiã. At uerò cùm duo diuerſi inter ſe affectus, ab uno quaſi capite,& fonte emanantes, diuerſa quoq; appellatione cõprehendantur, alter quidẽ qui ut primos impetus remiſſiores habet, ita diuturnior multo, permanentiorq; eſt, radiceſq; altius in animos agit: alter uerò acrior quidẽ primò,& cõcitatior,ſed ſuo ſibi tẽpore placabilior: priorẽ,illũ quem Græci nunc μῆνιν,nunc κότον, noſtri uerò rancorẽ puto,appellent,illiberalis contumaciſq; naturæ ſignũ eſſe ſapientes arbitrãt. Tendit enim ad odiũ,ad ultionẽ, ad iniuriã,ad contumeliã.Neq; uerò is recta ulciſcẽdi uia graſſat̃,ſed dolo ſæpius atq; inſidijs nititur. Vbi maximè deferbuit,tũ maximè eſt implacabilis. Si deprecere,exulcerat̃: ſi ſupplices, recrudeſcit: occaſiões nocendi obſeruat, & tẽpora, ſerpit cottidie latius,augeſcit in dies. Quodq; Homericus ille Achilles inſtar Plutonis portarũ habebat inuiſum, aliud in pectore clauſum, aliud in lingua promptum habet: Altera(ut inquit Plautus)manu fert lapidẽ,panẽ oſtentat altera: hic in mulierculis, hic in uulpecula, hic in ijs qui abiecto ſunt animo, præ cæteris uiget.Hunc diuinè Homerus noſter in rege regum Agamemnone adnotauit.Eiq; deinceps recta quaſi analogia plurimorũ turpiumq; uitiorũ ac facinorũ perpetua ſtigmata inurit.Hoc nihil tetrius,nihil uirtuti & bonitati infenſius, nihil humano ingenio pernicioſius eſt. At uerò ille alter incitatior primo, feruidiorq;, mox tñ placabilior motus animi,qui à Græcis θυμός, à noſtris uerò excandeſcentia appellatur: in ijs plerunq; eminere uidet̃; qui ingenuo ſunt animo, & liberali, ijdẽq; & miſericordes,& placabiles prę cæteris ſunt,qui ad excandeſcentiã propenſiores.

Neque uerò ij uel in medio iraſcendi furore à rationis imperio penitus abhorrent: uidentur enim(quod præclarè Ariſtoteles inquit)audire illam quidem,obaudire tamen,miniſtrorũ præcelerum more, qui antequam totũ quod imperatur

audierint, excurſant præ ſtudio, ac deinceps in agendo aberrant, ſimilesq́ ſunt canibus, qui audito tantùm ſtrepitu, prius q̃ illi an ueniat amicus, conſiderarint, uenientibus omnibus ſine diſcrimine allatrant.

Hic ille eſt impetus, qui (ut Homerus ait) bellatorum animis robur iniicit: hũc tubę, hunc cornua, hunc claſſica, hunc militaris illa inuicẽ adhortatio, & clamor, hunc imperatoriæ excitant conciones, hunc ut cætera nõ acceſſerint unica ueritas & laudat, & præcipit. Iraſcimini, inquit, & nolite peccare: ſol non occidat ſuper iram ueſtram: hinc & illa ab Heſiodo laudata cõtentio orta eſt, quæ & ad uirtutem, & ad decus capeſſendum calcar eximium habet: omnem hæc ipſa ex animo mollitiẽ, languorẽ, hebetudinemq́ omnẽ exterminat. Hęc infirmos ſopitosq́ animos erigit, & maiores ad rem gerendã facit. Quid tu illam in egregiæ indolis puero cõuitijs ignominiaq́ affecto, iram præter gloriæ & uirtutis ſtudiũ interpretare? Non incuſſeras puero uerbera, non minis perterrefeceras, uerbis tñ lacrymas excuſſiſti. Quid plorat Petrulus meus? quid queritur? nempe idipſum fermè, quod & Myrmidones illi generoſiſſimi Achillis cõmilitones, quòd eius quã animo agitabant, bellicæ laudis gloriam non aſſequerentur. Erubuit, inquit Comicus, ſalua res eſt. An tu hanc puerilem iracundiam, non eandem eſſe & pudorem putas? Similima ſunt iſta Laurenti, eoſdem ſi rectè æſtimentur, pariunt effectus. Pediſſequæ ſunt, & comites uirtutis. Talem mihi Homerus Achillem effingit, talem ſe mihi oſtentat pius ille Aeneas, cum immortalitatis ſplendorisq́ ſtimulis accenſus:

Terribilis ſæuam nullo diſcrimine pugnam
Suſcitat, irarumq́ omnes effundit habenas.

Talis & Acheloum Ouidianus Hercules:

—Iamdudum lumine toruo
Spectat, & accenſæ non fortiter imperat iræ.

Talem denique & Vergilianus ille generoſus equuleus futuræ uirtutis indolem præ ſe fert:

— Tum ſi qua ſonum procul arma dedere,
Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus:
Collectumq́ premens uoluit ſub naribus ignem.

Quòd ſi cui fortè naturæ rationis ignaro, nimis hæc iræ laudatio abſurda eſſe uideatur: cætera uolentes conceſſerimus, nunq̃ mihi certè hoc extorquebitur, iram in puero ingenuæ, erectæ, liberaliſq́ naturæ eſſe argumentũ. Accedẽt anni, literæ, diſciplina: omnia fient in dies mitiora, ad maturitatem ſuo tempore anteq̃ marceſcat, natura huiuſcemodi perueniet. At nõ laudas in ætate iam cõſtanti iracundiam. Eſto, ſit etiam flagitioſa, ac deteſtanda. Et gladius certè idem, ſi carnificis manu geſtetur, deteſtabilis uideatur: ſi ad latus militis, aut imperatoris ſit, uirtutis egregijq́ facinoris imaginem præ ſe ferat.

Pullulant ſæpe generoſo in animo, uitia uirtutibus admixta, non ſecus atque uberi ſolo, cui nõdum manus agricolę acceſſerit, rubi innaſcuntur, & ſentes. Neque tamen qui agricolationis ſtudio inſudant, uberem illam fœcundi ſoli ſpeciem probant:

Quamuis ſemihominis ueſano gramine fœtu
Mandragoræ pariat flores, mœſtamq́ cicutam:
Nec manibus mitis ferulas, nec cruribus æquè
Terga rubi ſpiniſq́ ferat paliuron acutis.

Quapropter ut boni agricolæ, nihilominus noxias illas frugibus plantas, herbasq́

baſcq; conuellere atq; extirpare ſolent, quòd fœcundi ſoli ingeniũ ex illis animad
uerterint: ita profectò parẽtes ac magiſtros nihilo magis teneris adhuc uitijs in-
dulgere oportet, quòd ea optimæ ingenuæq; naturæ documẽta præbuerint. Prin
cipijs obſtandum, & quæ eminent, retundenda ſunt. Tarquinijq; inſtar papauerũ
ſumma capita uirga demetenda, ſemperq; ualentioribus reſiſtendum eſt. Neq; ta
men interim à naturæ bene inſtitutæ ratione, alienum eſſe putandum: ſiquidẽ red
dere qui uoces iam ſcit puer, & pede certo ſignat humũ, geſtit paribus colludere,
& iram colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas. Vale.

ANGELI POLITIANI ORATIO
IN EXPOSITIONE HOMERI.

DICTVRVS de Homero uate, doctrinarum omnium, atq; in-
geniorũ autore, & principe, & dicturus in cœtu hominũ, uel
græcè, uel latinè doctiſſimorum: ſentio nullam eloquentiam
nec optari, nec cõcipi poſſe, quæ uel auiditatem animi noſtri
expleat, uel rei magnitudini reſpondeat, uel acerrimo deniq;
iudicio ueſtro, atq; eruditiſſimis auribus ſatisfaciat. Nam &
ego is ſum, qui ab ineunte adoleſcentia, ita huius eminentiſſi
mi poetæ ſtudio, ardoreq; flagrauerim, ut nõ modò eum totũ legendo olfecerim,
peneq; contriuerim, ſed iuuenili quodã, ac propè temerario auſu, uertere etiam in
latinũ tentauerim: & is de quo mihi agendũ hoc tempore eſt, tantis abũdat, tamq;
egregijs laudibus, ut cũ ſit ſemper à laudatiſſimis quibuſq; certatim laudatus, ad-
huc tamen, penè etiã illaudatus uideatur: & uos hi eſtis Fl. V. quorum in ciuitate
græca omnis eruditio, iampridẽ in ipſa Græcia extincta, ſic reuixerit atq; efflorue
rit, ut & ueſtri iam homines græcam publicè literaturã profiteant̃, & primæ nobi
litatis pueri, id quod mille retrò annis in Italia cõtigit nunq;, ita ſincerè Attico ſer
mone, ita facilè expediteq; loquant̃, ut non deletæ iam Athenę, atq; à Barbaris oc
cupatæ, ſed ipſæ ſua ſponte cum proprio auulſæ ſolo, cumq; omni (ut ſic dixerim)
ſua ſupellectile, in Florentinã urbem immigraſſe, eiq; ſe totas, penituſq; infudiſſe
uideant̃. Quæ ego ſingula cõtemplans, quaſiq; oneris cuiuſdã, quod mihi neceſ-
ſariò ſubeundũ ſit, molem uaſtitatemq; oculis præmetiens, ita perturbor animo,
atq; expaueſco, ut neq; mihi ingenium, neq; conſiliũ ſuppetat, & in ipſis penè ſau
cibus, conſtricta metu uox, noſtræq; curſus orationis obſtupeſcat. Et cùm noua
quædam atq; inuſitata eloquendi uis, copiaq; ad hunc celebrandũ poetam requi-
ratur, utpote de quo nihil dici par eſt, quod de alio dici potuiſſe ſcriptore uideat̃,
nobis tamen hoc tempore, etiam illam ipſam quantulamcunq; dicendi facultatẽ
defore ſentimus, quam ſuperioribus annis reliquis exornandis ſcriptoribus adhi
bebamus. Quid nã igitur agemus? Tacebimuſne penitus, quaſiq; oneri ſuccum
bemus? An ueteres potius agricolas imitabimur? atq; ut illi Cereri ſpicã, Baccho
racemũ, ſua cuiq; deo munera offerebant, ita nos quantulamcũq; hanc dicendi fa
cultatem, in parentis eloquentiæ præconiũ, conferemus? Quòd ſi (ut Propertius
inquit) deficient uires, audacia certè laus erit: In magnis & uoluiſſe ſat eſt. Vos au
tem humaniſſimi uiri oratos uelim, ut nouitatẽ quandam inſolẽtiamq; orationis
noſtræ, æqui boniq; cõſulatis, neq; mihi fraudi adſcribatis, ſi aut Græca latinis, ita
exigente ratione, crebrius inſeruero, aut in ijs quæ ſuppetent præ nimia rerum co
pia, non tam dicendo exornandis, quàm percenſendo enumerandis fuero occu-
patus. Primùm igitur de authore, tum de opere ipſo carptim breuiterq; dicemus,

planumq; (ut arbitror) faciemus, neq; ullum unq; extitiſſe ingenium Homerico maius, neq; opus aliquod extare humanũ, quod ſit Homericę poëſi anteferendũ. Conſueuere igitur, qui hominis laudationem cuiuſpiam aggrediuntur, ab ipſa ſtatim origine, hoc eſt, à patria parentibusq; ordiri, inq; ijs exornandis, attollendiſq; liberis ingenij uelut habenis, apertisq; eloquentiæ campis expatiari. Homero autem uati hæc eſt propria, peculiarisq; tribuenda laus; quòd neq; ipſe de patria ſua quicq; prodidit, & pleræq; illum nobiliſſimæ ciuitates, ſuum quæq; fuiſſe alumnum contendunt. Nam & Rhodij, & Theſſali, & Ietæ, & Chij, & Salaminij item, & Colophonij aſſerunt ſibi, & Argiui, Mileſii, Smyrnæi, Cymæiq; contrà uindicant, repetuntq; eundẽ ad ſe quaſi Licinia, & Mutia lege Athenienſes. Ita in medio poſitus literarũ princeps, ceu Atalanta illa, aut Hippodamia à tot, tamq; egregijs ciuitatibus, quaſi à generoſiſſimis procis certatim expetitur. De parentibus quoq; Homeri non admodũ liquet, cùm Herodotus atq; Ephorus diuerſa inter ſe prodiderint: Ariſtoteles autem etiam unum è genijs illis, quos Græci *δαίμονας* uocent, ex eorum ſcilicet numero, qui uerſari inter Muſas putarentur, patrẽ Homero tribuere nõn dubitauerit. Quod etſi minus credibile uideri poteſt, nõ ſine admiratione tamen diuini cœleſtisq; ingenij, uel creditũ ab antiquitate, uel confictũ philoſophus grauiſſimus trãſmittit in poſteros. Similia penè ijs ſunt & quæ in epigrammate hoc ſcribit Antipater:

οἱ μέν σευ κολοφῶνα τιθηνήτειραν ὅμηρε,
  οἱ δὲ καλὰν σμύρναν, οἱ δ᾽ ἐνέπουσι χίον.
οἱ δ᾽ ἴον, οἱ δ᾽ ἐβόασαν ἐύκλαρον σαλαμῖνα,
  οἱ δέ νυ τὰν λαπιθᾶν ματέρα θεσσαλίαν.
ἄλλοι δ᾽ ἄλλο μέλαθρον ἀνίαχον, εἰ δέ με φοίβου
  χρὴ λέξαι πινυτὰν ἀμφαδὰ μαντοσύναν,
πάτρα σοι τελέθει μέγας οὐρανός, ἐκ δὲ γυναικὸς
  οὐ θνατᾶς, ματρὸς δ᾽ ἔπλεο καλλιόπας.

Adeò uidelicet ſeſe ſupra hominis conditionem uates hic eminentiſſimus atque incomparabilis attollit, adeoq; nihil mortale ſonat, ut meritò illi & patria cœlum ipſum, & mater eſſe Calliope uideri poſſit. Atq; hæc ego de Homeri patria parentibusq; eo cõſilio attigi, ut intelligeretis, quanta in illo uiro altitudo animi, rerũq; humanarum deſpicientia fuerit, qui in tot uerſuum millibus nullam de patria unquam, parentibusq; ſuis fecerit mentionem: imò uerò, ne nomen quidem ſuum aut titulo addiderit, aut carminibus inſeruerit: ſed ut fatidici uates, qui Græco nomine prophetæ appellantur, diuina illa ſua quaſi reſponſa, atq; oracula, tanquam ex arcanis quibuſdam, ſacriſq; deorum adytis emugierit, ut planè appareret, nõ eum ſibimet illa, ſed omni generi hominum, omniq; poſteritati elaboraſſe. Admirandus profectò uir (quem tamen etiam ſupra uirum crediderim) quem nulla ſollicitarit ambitio, nulla honoris cupido prouexerit, nullum glorię ſtudium inflammauerit, omnia uirtutis cauſa, honeſtiq; patrauerit, neq; ſeſe extrà quæſiuerit: Ipſa eſt enim uirtus (ut poeta quidam inquit) ſibimet pulcherrima merces. Idem & pecunię poſſeſſionem, diuitiasq; pro nihilo habuit: quarum uehementius ſtudiũ, præcepsq; cupido diuina omnia atq; humana permiſcuit: ita duas capitaleis humani generis peſteis, duo teterrima monſtra, auaritiam atq; ambitionem deuicit penitus, atq; proſtrauit. Quid dicam, quanta quamq; inexplebili diſcendi cupiditate flagrauerit, qui ab ineunte adoleſcentia etiam luminibus captus, rerumq; omnium egenus, ut qui ſibi in diem uictum carminibus queritaret, etiam peregrinationis incommoda ſubijt, ut mores hominum multorum, multarumq; ciuitatum conſuetu-

cõſuetudines perſcrutaret̃,eaq́; multiplici rerũ peritia,doctior lõgè indies,ſapientiorq́; euaderet. Quo effectũ eſt,ut in Homeri poeſi uirtutũ omniũ,uitiorũq́; exẽpla,omniũ ſemina diſciplinarũ, omniũ rerũ humanarũ ſimulacra effigieſq́; intueamur,ipſaq́; illa nobis expreſſa,exprõptaq́; ante oculos cõſtituerit, q̃ ipſemet ꝑfectò nunq́; ſuis oculis uſurpauerat. Neq́; uerò nõ et illud in poeta hoc cœleſtis planè immortaliſq́; naturę lumẽ effulget,ꝙ pulcherrima illa carmina,q̃ iurè ætas omnis mirata eſt,illaborata ipſi,atq́; extẽporanea fluebãt,uiuoq́; (ut ita dixerim) gurgite exundabãt, cũ è diuerſo Mantuanũ poetã pauciſſimos die cõpoſuiſſe uerſus autor ſit Varus. Extãtq́; adhuc nõ pauca canẽte illo excepta poemata,q̃ ꝓut à q̃q́; bene maleq́; acceptus fuerat,cõtinuò in eũ ſubito quodã, repẽtinoq́; inſtinctu, & ferẽte (ut aiũt) flatu,ꝓferebant,ut facilè intelligant,nõ quaſi ſub incudẽ ueniſſe humanæ fabricę,ſed diuino quodã impulſu inſtinctuq́;,uelut è cortina atq́; adyto,ſacris eſſe excuſſa p̃cordijs,ut iam dubitandũ nullo pacto ſit,quin uerè de illo Democritus naturæ rerũ cõſcius prędicauerit: ὅμηρος φύσεως λαχὼν θεαζούσης ἐπέων κόσμον ἐτεκτήνατο παντοίων. Sed iã de opere ipſo, q̃ pars fuit altera noſtrę oratiõis deſtinata, hoc eſt, de Homerica poeſi,ſeruato rerũ quantũ in nobis fuerit ordine,diſſeramus. Duplex eſt Homeri poeſis,Ilias atq́; Odyſſea. Nã Batrachomyomachiã, Margitẽ, Phocaida,minoreq́; Iliada,itẽq́; Cecropas, ἐπικιχλίδας,aliaq́; huiuſcemodi luſus potius q̃ iuſta opera de induſtria omittemus. Porrò in Iliade uirtutẽ corporis,in Odyſſea fortitudinẽ nobis animi rep̃ſentat: utraq́; heroico deſcripta eſt carmine,q̃d eſſe metrorũ omniũ cõſtat abſolutiſſimũ,linguiſq́; ex omnib. quas διαλέκτους Gręci uocãt,cõflata eſt,ſic ut unaquęq́; Græcię gẽs ſua apud illũ idiomata deprehẽdat. Neq́; tñ cõmunia reſpuit uerba,ſed ita callida utit̃, artificioſaq́; iũctura, ut ſublimitatẽ in cõpoſitiõe maieſtatẽq́; retineãt. Nã quid de motibus figuriſq́; loquar,partim ad perſpicuitatẽ,partim ad oratiõis ornatũ accõmodatis,de quib. nihil eſt ſanè à poſteriorib. pręceptũ,q̃d nõ ille in operib. ſuis tãtò antè cõſummauerit: q̃ exequerer diligẽter,niſi tã anguſtis forẽ tẽporis ſpatijs limitibuſq́; coercitus. Agè uerò,cũ ſtyli tria ſint gña,ſublime,tenue & mediũ: quib. in ſingulis Thucydides, Lyſias ac Demoſthenes laudant̃, nõne omniũ apud Homerũ exempla reperias? ut ſublimis quidem illud: ὣς εἰπὼν σύναγεν νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον, χερσὶ τρίαιναν ἑλών, πάσας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας παντοίων ἀνέμων, σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον, ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ. Contrà tenuis: ὣς εἰπὼν, οὗ παιδὸς ὀρέξατο φαίδιμος ἕκτωρ. ἂψ δ' ὁ πάϊς πρὸς κόλπον ἐϋζώνοιο τιθήνης ἐκλίνθη ἰάχων, πατρὸς φίλου ὄψιν ἀτυχθείς. ταρβήσας χαλκόν τε, ἰδὲ λόφον ἱππιοχαίτην.

Medij poſtremò illud: αὐτὰρ ὁ γυμνώθη ῥακέων πολύμητις ὀδυσσεὺς, ἄλτο δ' ἐπὶ μέγαν οὐδὸν ἔχων βιὸν, ἠδὲ φαρέτρην ἰῶν ἐμπλείην. ταχέας δ' ἐκχεύατ' ὀϊστοὺς αὐτοῦ πρόσθε ποδῶν, μετὰ δὲ μνηστῆρσιν ἔειπεν. Neq́; itẽ apud eundẽ,floridũ elocutionis genus deſiderabis,ubi ſcilicet & pulchritudo ſplẽdeat,& gratia,quæ perinde atq́; ipſi flores animo arrideat,quaſiq́; illũ uoluptate permulceat: plena quippe his ornamẽtis tota ſunt Homeri uolumina: & de ſtylo quidẽ hactenus. Eſt apud illũ q̃q́; hiſtorica narratio,ita omnib. abſoluta numeris,ut perſonas,& cauſas,& locũ, & tẽpus,& inſtrumẽta,& factũ ipſum, modũq́; reſpiciat, quorũ exẽpla apponere nimis fortaſſe fuerit operoſum. Narrat ſimpliciter nonnunq́;,nõnunq́; ſimilitudines,cõparatiões,imagineſq́; admiſcet ex omni rerũ natura decerptas. Sæpe itẽ celeri quadã,& cõcitata utit̃ narratiõe,ut illo loco: κεῖται πάτροκλος, νέκυος δὲ δὴ ἀμφιμάχονται γυμνοῦ· ἀτὰρ τά γε τεύχε' ἔχει κορυθαίολος ἕκτωρ. Quid dicã de philoſophia, in qua nulla eſt fermè nobilior poſterorũ ſentẽtia,aut opinio celebrata, cuius nõ in poeta Homero originem agnoſcamus. Nam ut à rerũ naturæ principijs ordiamur, Thales Mileſius omniũ rerũ initiũ aquę attribuit, Homerũ uidelicet ſecutus ita ſcribentem: ὠκεανός θ' ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.

Xenophanes aquam terramq; in principijs recenſuit, & ipſe Homeri exemplo cuius hæc uerba ſunt:

ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

Qui elementa quatuor maluerunt, ſuumq; ſingulis locum aſſignauerunt, & illi poeſin excuſſiſſe Homericam uideri poſſunt: hæc enim ab illo hauſeris, ſiue cum de catena aurea meminit, ſiue cum Ioui ſororem coniugemq; Iunonem dedit, ſiue cum eandem ſuſpenſam à marito fabulatus eſt, ſiue cum apud illũ ita Neptunus loquitur:

τρεῖς γάρ τ' ἐκ Κρόνου εἰμὲν ἀδελφεοί, οὓς τέκε Ῥέα.
Ζεὺς καὶ ἐγώ, τρίτατος δ' Ἀΐδης ἐνέροισιν ἀνάσσων. Et mox:
τριχθὰ δὲ πάντα δέδασται, ἕκαστος δ' ἔμμορε τιμῆς.

Nam quòd Olympi mentionem fecit, puriſsimam cœli naturam intellexit, hoc eſt, eam quæ à nobiliſsimis deinde philoſophis quinta ſiue natura, ſiue (ut Plautino utamur uerbo) eſſentia ſit appellata: Diſcordiam porrò illam, concordiamq; Empedoclis, ita noſter hic uates Iunone loquente inſinuauit:

εἶμι γὰρ ὀψομένη πολυφόρβου πείρατα γαίης,
ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα τηθύν·
τοὺς εἶμ' ὀψομένη καὶ σφ' ἄκριτα νείκεα λύσω.

Mundum eſſe unum duntaxat, eumq; terminis circumſcriptũ ex eo ſignificat Homerus, quòd & numerò ſingulari κόσμον dicit, & γαίης πείρατα (inquit) ſicut alio quoq; loco ἀκροτάτῃ κορυφῇ (ait) πολυδειράδος οὐλύμποιο. Solem ipſum ferri in orbem, ſub terriſq; iter facere, uel ibi demonſtrat:

ὦ φίλοι, οὐ γάρ τ' ἴδμεν, ὅπῃ ζόφος, οὐδ' ὅπῃ ἠώς,
οὐδ' ὅπῃ ἠέλιος φαεσίμβροτος εἶσ' ὑπὸ γαῖαν
οὐδ' ὅπῃ ἀνεῖται.

Formam illius & magnitudinem in his annuit:

λαμπρὸς δ' αὖ ἠέλιος ὥς. Itemq;:
ἦμος δ' ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει. Virtutem autem in his:
ἠέλιος θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις.

Eundem ſuo moueri arbitrio, ut excellentiſsimis philoſophorũ uiſum eſt, tunc maximè ſignificat, cum ad hunc modum inducit minitantem:

δύσομαι εἰς ἀΐδαο, καὶ ἐν νεκύεσσι φαείνω.

Et cum ſic illum Iupiter adhortatur:

ἠέλι' ἤτοι μὲν σὺ μετ' ἀθανάτοισι φάεινε,
καὶ θνητοῖσι βροτοῖσιν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν.

Sed nec ſtellarum inſcius fuerit, qui illa præſertim ſcripſerit:

πληϊάδας θ' ὑάδας τε τό τε σθένος ὠρίωνος.

Quiq; urſam circa polum ſe ait uertere, neq; finitorem circulũ attingere, & qui tardè occidere Bootem dicat: qui cum rectus deferatur unus quatuor ſigna occidens comitetur. Nec terræmotus illum cauſæ latebãt, qui Neptunũ γαιήοχον atq; ἐνοσίχθονα appellauerit. Quoniam uerò incluſis terræ flatibus fiunt illæ conſtratis uentis, quæ græcè νηνεμίαι uocitantur, tum caligo quædam, ſoliſq; uelut obſcuratio contingit, hæc quoq; an cognita Homerus habuerit, conſideremus. quatit Neptunus terram, Achille in prælium exeunte, pridieq; eius diei quis cœli habitus fuerit, ita declarauit:

Ζεὺς δ' ἐπὶ νύκτ' ὀλοὴν τάνυσε κρατερῇ ὑσμίνῃ. Et mox: οὐδέ κε φαίης
οὐδέ ποτ' ἠέλιον σόον ἔμμεναι, οὐδὲ σελήνην.
ἠέρι γὰρ κατέχοντο.

Et Aiax

Et Aiax ad hunc modum precatur:
ζεῦ πάτερ, ἀλλὰ σὺ ῥῦσαι ὑπ' ἠέρος υἷας ἀχαιῶν
ποίησον δ' αἴθρην, δὸς δ' ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι.

Poſt motum uerò terræ uenti ſpirant uehementius, unde inquit Iuno:
αὐτὰρ ἐγὼ ζεφύροιο, καὶ ἀργέσταο νότοιο
εἴσομαι ἐξ ἁλόθεν χαλεπὴν ὀρέγουσα θύελλαν.

Poſtridie autem iris uentos ad Patrocli conuocat rogum:
οἱ δὲ ῥιονδ   πνοιῇ ὑπὸ λιγυρῇ νέφεα κλονέοντες ὄπισθεν.

Scit & deficere ſolemq; interiectu lunæ. Nam cum rediturum Vlyſſem ſuperius dixiſſet:
τοῦ μὲν φθίνοντος μηνός, τοῦ δ' ἱσταμένοιο.

Quod quidem tempus eſt ipſum lunæ coeuntis, dein reuerſo iam illo, ita augur quidam procos alloquitur:
ἆ δειλοί, τί κακὸν τόδε πάσχετε, νυκτὶ μὲν ὑμέων
εἰλύαται κεφαλαί τε, πρόσωπά τε, νέρθε τε γοῦνα,
εἰδώλων δὲ πλέον πρόθυρον, πλείη δὲ καὶ αὐλή.
ἐρχομένων, ἔρεβος δὲ ὑπὸ ζόφον, ἠέλιος δὲ
οὐρανοῦ ἐξαπόλωλε, κακὴ δ' ἐπιδέδρομεν ἀχλύς.

Gnarus idem unde gignantur uenti:
ἀνέμων (inquit) μένος ὑγρὸν ἀέντων.

Ordinem quoq; eorum tenet, qui ita dicat:
σὺν δ' εὖρός τε νότος τ' ἔπεσον, ζέφυρός τε δυσαής,
καὶ βορέας αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων.

Pluuias de humidis fieri uaporibus, in his docet carminibus:
πρὶν δ' ὑψόθεν ἧκεν ἐέρσας,
αἵματι μυδαλέας ἐξ αἰθέρος. Et rurſum:
αἱματοέσσας δὲ ψιάδας κατέχευεν ἔραζε. Prædixerat enim:
τῶν μὲν αἷμα κελαινὸν ἐΰρροον ἀμφὶ σκάμανδρον
ἐσκέδασ' ὀξὺς ἄρης, ψυχαὶ δ' ἄϊδόσδε κατῆλθον.

Tonitruũ, fulgurumq;, & fulminis, ibi potiſſimùm cauſa innuitur:
ἀστράψας δὲ μέγ' ἔκτυπε. Et cum inquit:
ζεὺς δ' ἄμυδις βρόντησε, καὶ ἔμβαλε νηῒ κεραυνόν.

Videamus autem & quid de his ſenſerit. Ac primũ quidem ῥεῖα ζώοντες appellat ipſos, de quibus & illa ſcribit:
οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον
τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

Corpora autem ijs circundat, quòd eorum ſæpe miniſterio poeſis indigebat, haud alia tamen q̃ humana, utpote quæ ſola ſint ſcientiæ rationisq; capacia: formam tamen eis, ſtaturamq; eiuſmodi attribuit, ut ſimulacrorum primus uideatur maieſtatem excogitaſſe. Itaq; Phidiam quoq; ſerunt interrogatum, unde illam Iouis Olympici auguſtam formam, tantoq; nõ imparem numini accepiſſet, ex illis reſpondiſſe Homeri uatis carminibus:
ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε κρονίων
ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

Eſſe tamen rerum omnium autorem unũ, & uera probat perſuadetq; ratio, & ita Homericis uerbis clamat Ariſtoteles:
εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς.

Quapropter & Iupiter ab ipſo Homero πατὴρ uocatur, ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Neq; hinc illa abhorrent:

ὦ πάτερ ἡμέτερε κρονίδη ὕπατε κρειόντων. Similiter & illa:

ὅσσον ἐγὼ περί τ' εἰμὶ θεῶν, περί τ' εἰμ' ἀνθρώπων. Et quæ Minerua effatur:

τὸν νῦν καὶ ὑμεῖς ἴδμεν ὅτι σθένος οὐκ ἐπιεικτόν.

Eſſe uerò intelligibilem deum, ita poetice innuit:

εὗρεν δ' εὐρύοπα κρονίδην ἄτερ ἥμενον ἄλλων. Et rurſum:

ἀλλ' ἤτοι μὲν ἐγὼ μενέω πτυχὶ οὐλύμποιο
ἥμενος ἔνθ' ὁρόων φρένα τέρψομαι.

Scit idem deũ eſſe mentem omniũ ſcientem, omniaq; gubernantẽ, itaq; ait:

ἀλλὰ ζεὺς πρότερος γεγόνει καὶ πλείονα ᾔδει.

Scit eum ſemper intelligere, unde illa: φῦτ' αὖτ' ἄλλ' φρόνεον.

Multa dicunt à philoſophis de prouidentia: ſed omniũ fermè autor Homerus, apud quem ſemper dij pro hominibus excubant, unde illud ex Iouis perſona:

μέλλουσι μοι ὀλλύμενοί περ. Item illud:

πῶς ἂν ἔπειτ' ὀδυσσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην.

Sed quoniam propriũ diuinæ prouidentię eſt, ut quàm iuſtiſſimè inter ſe mortales agant, ideo ille:

οὐ γὰρ σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν,
ἀλλὰ δίκην τίουσι καὶ αἴσιμα ἔργ' ἀνθρώπων.

Ex quo illud Stoicorum naſcitur dogma, mundum hunc ciuitatem eſſe quandam, quæ iuſtè gubernetur, ſitq; dijs hominibusq; cõmunis. Audiamus & quid de fato ſentiat:

μοῖραν δ' οὔ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν
οὐ κακὸν οὐδὲ μὲν ἐσθλόν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται

Neq; omnia tamen fato attribuit, ſed & uoluntati uacuum relinquit locũ, nec illud excludit, quod nos coactum dicere latinè poſſumus, ἠναγκασμένον Græci uocant, id eſt, cum quiſpiam agens quę uult, in ea ipſa inciderit quę non uult, ut cum ſtragem heroum in Iliade, iræ Achillis imputans: ſubdit tamen paulo pòſt, διὸς δ' ἐτελείετο βουλή. & in Odyſſea, ſua ipſorũ culpa ſocios ait Vlyſſis perijſſe. Multa etiã quæ fato impendeant, prouidentia euitari, Homericum dogma eſt:

ἔνθα κε καὶ δύστηνος ὑπὲρ μόρον ὤλετ' ὀδυσσεὺς
εἰ μὴ ἐπὶ φρεσὶ θῆκε θεὰ γλαυκῶπις ἀθήνη
ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἐπεσσύμενος λάβε πέτρης
τῆς ἔχετο στενάχων, ἕως μέγα κῦμα παρῆλθεν.

Animam Pythagoras primus eſſe immortalẽ affirmauit, eiq; Plato etiã alas attribuit, ſed prior hoc uiderat Homerus, qui & ait:

ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη ἄϊδόσδε βεβήκει.

Neq; eſſe aliud hominẽ, niſi ipſam animã arbitratur. Itaq; ait:

ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ θηβαίου τειρεσίαο,
χρύσεον σκῆπτρον ἔχων.

Corpus aũt animæ carcerem, itaq; uiuentis δέμας appellat, ſicut mortui σῶμα. Illa aũt Pythagoræ in alia corpora animarũ immigratio, non aliunde q̃ ab Homero eſt, apud quem & equi loquunt̃, & homines in beſtias demutantur. Porrò animam Stoici ſpiritũ eſſe dicunt congenitũ, & ſenſibilem euaporationem è corporis humiditatibus accenſam, ſecuti haud dubiè poetam noſtrum, qui ita dicat:

εἰσόκ' ἀϋτμὴ ἐν στήθεσσι μένῃ. Atq; alibi:

ψυχὴ δὲ κατὰ χθονὸς ἠΰτε καπνός.

Plato Ariſtotelesq́ animam quidem eſſe ipſam incorpoream dixerunt, cæterum ſemper circa corpus eſſe, eoq́ tanq̃ uehiculo uti: quare etiam cùm à corpore ſeparetur, impreſſam tamẽ corpori formam ſuam, quaſiq́ ueſtigiũ relinquere. Idipſum quoq; ſignificat Homerus, qui nõ aliter q̃ animæ uacuũ corpus, hoc eſt, cadauer ipſum σῶμα appellet. Agamus & de animæ partibus. Sanè Plato rationẽ in capite, iram in pectore, cupiditatẽ ſubter præcordia collocauit. Audi ergo Homerum, hæc ipſa ad unguem declarantem:

ἕως ὁ ταῦθ᾽ ὥρμαινε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν. Item:
τέτλαθι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ᾽ ἔτλης. Et rurſum:
ἀλλά με γαστὴρ ὀτρύνει κακοεργός. Præterea alibi:
γαστέρα δ᾽ ὅπως ἀποκρύψαι μεμαυῖαν.

Affectiones quoq; eas, quæ πάθη dicunt̃ à Græcis, omneis Homerus circa cor ipſum conſtituit, ut iram:

κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει. Dolorem:
τέο μέχρις ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων σὴν ἔδεαι κραδίην. Metum:
κραδίη δέ μοι ἔξω στηθέων ἐκθρώσκει.
τρομέει δ᾽ ὑπὸ φαίδιμα γυῖα. Audaciam poſtremò, ut:
κραδίη ἄλληκτον πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι.

Inde illud eſt, quòd Stoicorum opinio principatũ cordi potiſſimum tribuit. q̃ bene autem Homerus etiam cauſas explicat affectionum, iram quippe ex animi mœrore oriri, efferueſcente circa cor, uel ſanguine, uel ſanguineo certè ſpiritu, ad hunc ſignificat modum:

ἀχνύμενος μένεος δὲ μέγα φρένες ἀμφὶ μέλαιναι
πίμπλαντ᾽, ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην.

Rurſum metuentum cõfundi ſpiritus, atq; refrigeſcere, ex quo humores, tremores, palloresq́ in corporibus exiſtant, ita idem ſignificat:

χλωροί, inquiens, ὑπαὶ δέους, καὶ χλωρὸν δέος ᾕρει.
καὶ τρομέει δ᾽ ὑπὸ φαίδιμα γυῖα. Et rurſum:
ὣς φάτο, σὺν δὲ γέροντι νόος χύτο, δείδιε δ᾽ αἰνῶς,
ὀρθαὶ δὲ τρίχες ἔσταν ἐνὶ γναμπτοῖσι μέλεσσι.

Non improbari affectionem illam, quæ græco nomine uocetur Nemeſis, cum uidelicet ægrè ferimus, ſi quem indignè proſperiore fortuna utentem cernimus: neq; item cõtrariam huic miſericordiã, uel ex hoc liquidò manifeſtat, quòd Ioui utramq; attribuit, ut:

ζεὺς γάρ μοι νεμεσᾷθ᾽ ὅτ᾽ ἀμείνονι φωτὶ μάχωμαι.

Item miſerantem fecit eundẽ, cum ab Achille Hectoris cadauer circa patrios muros raptaretur. Abſolutam porrò uirtutem accedere ad deos, ſicut abſolutum uitium ad belluas, etiam ante Ariſtotelem mõſtrauit Homerus. Qui ſumma præditos uirtute, uocare identidẽ θεοειδεῖς ſolet, ac Διὶ μῆτιν ἀτάλαντον uſurpat dicere: his autem cõtrarios, beſtiis plerũq; & pecoribus cõparat. uacationem ſanè illam ab omni animi perturbatione, cui ſummam Stoici uirtutis autoritatem tribuunt, nõ aliunde, q̃ à noſtro ſumptam uel ex eo patet, quòd perturbatiões ſæpe caſtigat, quaſiq́ tollit, ac radicitus extirpat, ut mœrorem atq; luctum:

τίπτε δεδάκρυσαι Πατρόκλεες ἠΰτε κούρη. Et alibi:
ἀλλὰ χρὴ τὸν μὲν καταθάπτειν ὅς κε θάνῃσι
νηλέα θυμὸν ἔχοντας. Et rurſum:
ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν ἔκ τ᾽ ἀνθρώπων ἀπόλοιτο. Metum porrò ſic:
μήτε φόβον δ᾽ ἀγόρευ᾽, ἐπεὶ οὐδὲ σὲ πεισέμεν οἴω.

Peripatetici à Stoícis diſſidentes, laudant affectionũ potius mediocritatẽ, Homero & ipſi autore, cuius & illa ſunt:
πρᾶος μὲν βόμος αὐτὸς ὑπάλυξε γῆν ἵκεσον,
ἵκβεσι τ' αὐτοῦ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πέπτασον.

Eadem & in gaudio diſtinctio. Nam Vlyſſes quidem, Cyclope decepto, de ſe ſic ait: ἐμὸν δ' ἐγέλασσε φίλον κῆρ. Proci autem deturbato Iro:
χεῖρας ἀνασχόμενοι γέλῳ ἔκθανον.

Virtutem ſatis eſſe ipſam ad felicitatem Stoici opinantur. Homerus uirum ſapientiſſimum labores omneis, doloresq́ ſubeuntem, omnemq́ uoluptatẽ uirtutis gratia facit aſpernantem. Bona ſic diſtinguũt Peripatetici, ut prima eſſe animi, ſecunda corporis dicant, tertia quæ uocemus externa: hęc quoq; à præclariſſimo poeta ſępe in bonis recenſentur, dariq́ hominibus dicuntur à ſuperis, quos ob id etiam uocant δωτῆρας ἐάων. Idem non ſatis eſſe per ſe uirtutem ſine bonis cæteris, uel tunc manifeſtò indicat, cum duos inducit heroas ſumma uirtute: ſed diuerſa fortuna, Neſtorẽ atq; Vlyſſem: quorum qui minus proſperè agat δύστηνον uocare identidem non dubitat. Nullum eſſe uirtutis fructum citra uſum ipſum uel Patroclus declarat, ita Achillem increpans:
αἰναρέτη, τί σεῦ ἄλλος ὀνήσεται ὀψίγονός περ
αἴκε μὴ ἀργείοισιν ἀεικέα λοιγὸν ἀμύνης. Et Achilles ita conquerens:
ἀλλ' ἧμαι παρὰ νηυσὶν ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης,
τοῖος ἐὼν οἷος οὔ τις ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων.

Amicos dijs eſſe bonos uiros eodem autore Stoici dicunt: ita enim ſcribit de Vlyſſe: χαῖρε δ' ἀθηναίη πεπνυμένῳ ἀνδρὶ δικαίῳ.

Doceri uirtutẽ poſſe idem affirmat, ſumptisq́ à natura principijs, cultu perduci ad ſummum, Homerus:
τοίου γὰρ πατρὸς ὃ καὶ πεπνυμένα βάζεις. Et ex Phœnicis perſona:
τοὔνεκά με προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα,
μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων.

Eſt & Arithmetica apud Pythagorã magno in honore, multumq́ ille uir numeris tribuit, duoq́ rerum principia prodidit: unitatẽ atq; binarium: priori bona, poſteriori mala ſubijciens. Viderat hoc ipſum multo antè Homerus, apud quem ſcilicet φιλίαν atq; δύαν in boni maliq́ intellectu legimus. Eodemq́ pertinẽt & illa:
οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω.

Et cum in bello atq; in conſilio uituperatur, τὸ δίχα βάζειν, planeq́ ſemper impari numero tribuit plurimũ. Nam & mundum ipſum in quinq; diuidit parteis, & imparia dijs offert cœleſtibus. Neſtor enim tauros Neptuno nouies nouem mactat, Tireſiasq́ Vlyſſi pręcipit, ut agnum, taurũ, uerremq́ immolet. Contrà Achilles in Patrocli rogum canes, equos, uirosq́ nõ niſi pari conijcit numero. Ternarij uerò, quinarij, ſeptenarijq́ numeri ſæpiſſimè meminit, ſæpius quoque nouenarij, ut: τῶν δ' ἐννέα πάντες ἀνέσταν. Et, ἐννέωροι γὰρ τοίγε. Et,
ἐννέα πήχεις ἔσαν εὖρος, ἀτὰρ μῆκός τ' ἐγενέσθην ἐννεόργυιοι. Et,
ἐννῆμαρ μὲν ἀνὰ στρατὸν ᾤχετο κῆλα θεοῖο. Et,
ἐννῆμαρ ξείνισσεν. Et, ἐννέα βοῦς ἱέρευον. Eſt enim hic numerus à primo impari quadratus, & impariter par, utpote in treis ternarios diuiſus, quorum unuſquiſq; in treis unitates diſtribuitur. Sed & computandi inſinuat occaſiones, ut qui ait in Catalogo: τῶν μὲν πεντήκοντα νέες κίον, ἐν δὲ ἑκάστῃ
κοῦροι Βοιωτῶν ἑκατὸν καὶ εἴκοσι βαῖνον. Et rurſum:
πεντήκοντ' ἔσαν ἄνδρες. Vt ex hoc argumento ratiocinemur, ad centum uiginti

hominum

hominum millia fuiſſe eos, qui in expeditionẽ Troianā profecti ſint. De Troianis rurſum:

χίλι' ἄρ' ἐν πεδίῳ πυρὰ καίετο, πὰρ δὲ ἑκάστῳ
πεντήκοντ' ἴσαν ἄνδρες.

Ex quo colligimus, quinquaginta fuiſſe Troianorum millia, demptis auxilijs. Muſicẽ quoq; magno in precio Pythagoras habet, quam & Homerus pluribus locis maxime cōmendat, ut cum de Sirenibus agit, & cum eam nō conuiuijs modò, & genialibus feſtis, ſed etiam operibus adhibet, prælijſq; & funeribus, utpote animi motus, atq; affectiones aut comprimentem, aut excitantem. Neq; eum latet uocum differẽtia, ſed ætatibus ſexuq; grauem acutāq; diſcernit. Idem quippe in his uſu uenit, quod in neruis craſſioribus tenuioribusq; uidemus, ut ex tardo celeriq; motu graueis perinde atq; acutos edant ſonos. Sed & Terpandrum ſcribit Plutarchus Homeri uatis imitatorem fuiſſe in muſicis. Deniq; & taciturnitatem illam quam uocat ἐχεμυθίαν, Homeri exemplo Pythagoras ipſe ſanxit. Sunt enim apud illum:

καί τι ἔπος πεσίγηκε, ὅπερ τ' ἄῤῥητον ἄμεινον. Item:

Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν ὄρνιθες ὥς,
οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοί.

Ex Homero quoq; Democritus ſimulacra illa ſua deſumpſit:

αὐτὰρ ὁ εἴδωλον τεῦξ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων.

Ex Homeri Epicurus adductus uerbis, ut uoluptati primas detulerit, quòd Vlyſſem audierat ad gratiam Alcinoi loquẽtem, ſummũ uoluptati locum tribuere. In Homero Ariſtippus uitæ ſectæq; ſuæ inuenit exemplum, ut apud quem nunc in delicijs agit Vlyſſes, nunc omnibus ludibrio deſpectuiq; eſt, nunc item ſplendido ueſtitu, nunc futili quodā laceroq; centunculo amicitur. Sceptica quoq; illa atq; Pyrrhonia hæreſis, quæ definiat nihil, ex Homero ſcilicet, ut Timō Phliaſius ſcripſit, emanauit: ut qui de eiſdem rebus uariè uarijs locis ſententiam ferat. laudantur à uetuſtate ſapientum uirorum dicta nōnulla, quæ ἀποφθέγματα græcè appellamus, ſed ea quoq; decerpta ex Homero ſunt, ut illud ἕπου θεῷ, quo monemur deum ſequi, ex illo ſumptum apparet:

ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα δ' ἔκλυον αὐτοῦ. Et illud:

μηδὲν ἄγαν, inde eſt nimirum:

καὶ δ' ἄλλῳ νεμεσῶ ὅς κ' ἔξοχα μὲν φιλέῃσιν,
ἔξοχα δ' ἐχθαίρῃσιν, ἀμείνω δ' αἴσιμα πάντα. Vel ex eo magis:
Τυδείδη, μήτ' ἄρ με μάλ' αἴνεε, μήτε τι νείκει.

Et item quod è cœlo deſcendit, γνῶθι σαυτὸν, ut ſe uidelicet quiſq; norit ab Hectore tractum manifeſtò uidemus, qui cum irruat in cæteros:

Αἴαντος tamen ἀλέεινε μάχην Τελαμωνιάδαο.

Et fideiuſſioni noxam aſtare ex illo ſumptum:

δειλαί τοι δειλῶν γε, καὶ ἐγγύαι, ἐγγυάασθαι.

Et illud Pythagoræ, Amicus eſt alter ego, ex hoc: ἶσον ἐμῇ κεφαλῇ.

Sentẽtiæ quoq; illæ quas uocāt γνώμας, plurimæ ſunt à maximis poetis ex Homẽro delibatæ. illius quippe (ut Manlius poeta inquit) Ex ore profundo,
Omnis poſteritas latices in carmina duxit,
Amnemq; in tenueis auſa eſt diducere riuos,
Vnius fœcũda bonis. Sed hæc ſingulatim perſequi, nimis fortaſſe erit laborioſum In ciuili autem facultate, quam ῥητορικὴν Græci uocant, quantum excelluerit poeta hic, non alio magis q̃ Quintiliani teſtimonio declaratum uelim, cuius in

decimo Oratoriarũ inſtitut.hæc uerba ſunt: Igitur ut Aratus à Ioue incipiendum putat,nos ita ritè cœpturi ab Homero uidemur: hic enim quẽadmodũ ex Oceano dicit ipſe amnium uim fontiumq; curſus initium capere, omnibus eloquentiæ partibus ininium & ortum dedit: hunc nemo in magnis rebus ſublimitate, in paruis proprietate ſuperauit: idem lætus ac depreſſus,iucundus & grauis, cũ copia, tum breuitate mirabilis, nec poetica modò, ſed oratoria uirtute eminentiſſimus.Namq; ut de laudibus,exhortationibus, conſolationibusq; taceam, nonne uel unus liber quo miſſa ad Achillem legatio cõtinetur,uel in primo inter duces illa contentio,uel dictæ in ſecundo ſententiæ,omneis litium ac conſiliorũ explicant artes? Affectus quidem uel illos mites, uel hos cõcitatos,nemo erit tam indoctus,qui nõ ſua in poteſtate hunc autorem habuiſſe fateatur. Agè uerò, nõne utriuſq; operis ingreſſu in pauciſſimis uerſibus legem prooemiorũ non dico ſeruauit,ſed conſtituit? Nam & beneuolũ auditorẽ inuocatione dearum,quas præſidere uatibus creditũ eſt, & intentũ propoſita rerũ magnitudine, & docilẽ ſumma celeriter cõprehenſa facit. Narrare uerò quis breuius, q̃ qui mortem nuntiat Patrocli? Quis ſignificantius poteſt, q̃ qui Curetum Aetolorumq; prẹlium exponit? Iam ſimilitudines,amplificationes,exempla,digreſſus, ſigna rerum, & argumenta,cẹteraq; quæ probandi ac refutandi ſunt,ita multa,ut etiam qui de artibus ſcripſerunt,plurima earũ teſtimonia ab hoc poeta petant. Nam & epilogus quidem quis unq̃ poterit illis rogantis Achillem Priami precibus æquari? Quid in uerbis,ſentẽtijs,figuris,diſpoſitione totius operis, nõne humani ingenij modum exceſſit? ut magni ſit uiri,uirtutes eius non æmulatione (quod fieri non poteſt) ſed intellectu ſequi. Verũ hic omnes ſine dubio, & in omni genere eloquentiæ procul à ſe reliquit.Hæc de Homero Quintilianus. Dion autem Chryſoſtomus de ijs agens,qui ſint ad eloquentiã imitandi, in hanc fermè ſententiam ſuper hoc autore loquitur. Homerus & primus,& medius,& ultimus tantum omnibus uel pueris,uel uiris, uel ſenibus de ſuo præbet, quantũ quiſq; accipere potis eſt. Legem uerò ac diſciplinam,idem haudquaquã ignoraſſe uideri poteſt, apud quem ita de ſceptro loquatur Achilles:

Νῦν αὐτέ μιν ὗιες ἀχαιῶν
ἐν παλάμαις φορέουσι δικασπόλοι, οἵτε θέμιστας
πρὸς Διὸς εἰρύαται.

Sed & Lycurgus qui Lacedæmone duriſſimas tulit leges,nõ aliunde q̃ ab Homero dicitur exempla ſumpſiſſe: & Solon Athenienſiũ lator legum, quæ ſcilicet ad Romanos deinde propagatæ ſunt,non minus extuliſſe in lucem putatur Homerum, q̃ Piſiſtratus ille tyrannus, qui diſſipatũ diſperſumq; eum, unum in corpus colligendũ congregandumq; curauerit.Plato quoq; philoſophorũ deus, Iouis illud cum Minoe colloquiũ,de quo narrat Homerus, nihil niſi legum diſciplinam interpretatur.parendũ quoq; legibus,uel eo loco perſuadet Homerus:

Τῷ,μή τις ποτὲ πάμπαν ἀνὴρ ἀθέμιστος εἴη
ἀλλ' ὅγε σιγῇ δῶρα θεῶν ἔχοι,ὅττι διδοῖεν.

Quin idem ciuilem, militarem, agricolaremq; uitam in Achillis clypeo explicauit,multaq; bonis moribus à poſteritate recepta apud illũ deprehẽderis, quale illud eſt, ut in bene inſtitutis ciuitatibus prius magnis de rebus ad ſenatũ referatur, q̃ in concionem populus conuocetur.Ait enim:

Βουλὴν δὲ πρῶτον μεγαθύμων ἷζε γερόντων.

Quale itẽ ut potioribus dicto audientes ſimus,utq; dignioribus. aſſurgamus, quorum alterius in Vlyſſe populũ caſtigante, alterius in Iouis cõſilio extat exemplũ.

Similia

Similia ſunt & illa, ut qui maiores natu ſunt, priores loquantur, unde à ſe Diomedes culpam rectè deprecatur. Vtq; ignoſcantur, quæ imprudenter quiſquã commeruerit: itaq; citharœdus ita ſe expurgat Vlyſſi:

ὡς ἐγὼ οὔτι ἑκὼν ἐς σὸν δόμον, οὐδὲ χατίζων πωλεύμην.

Vis & rerumpub. ſtatus diuerſos apud Homerum? Atqui hos quoq; inueneris. Regis quaſi ſimulacrũ uel uno expreſſit uerſiculo:

ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής. Quem etiam omniũ Homeri carminum uideri ſibi pulcherrimũ magnus aiebat Alexander. Mores autẽ quales eſſe regis oporteat, ibi docet:

λαῶν δ' οἷσιν ἄνασσε πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν
οὔτέ τινα ῥέξας ἐξαίσιον, οὔτέ τι εἰπὼν
ἐν δήμῳ ἥ τ' ἐστὶ δίκη θείων βασιλήων.

Ex quo Dion Chryſoſtomus in libro quem de regno ſecundũ componit, totã regis imaginẽ ex Homericis duntaxat uerſibus, idq; Alexandri eiuſdem Magni iudicio repræſentauit. Sed & optimates quinq; Bœotorũ enumeratis ducibus, tredecimq; Phæacũ non ignorat: neq; item populũ, qui in Achillis clypeo æquo iure uiuentem finxerit ciuitatem. Contra Tyrannũ illo exprimit loco:

εἰς Ἔχετον βασιλῆα βροτῶν δηλήμονα πάντων
ὅς κ' ἀπὸ ῥῖνα τάμῃσι καὶ οὔατα νηλέϊ χαλκῷ.

Paucorũ uerò, & confuſæ multitudinis imaginem in Procis Troianiſq; depinxit. Deorũ cultum ubiq; inſinuat. Parẽtum autem in Telemachi perſona, quibus etiam deberi alimenta à filijs uel uno ſignificat uerbo, cùm inquit,

οὐδὲ τοκεῦσι θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκεν.

Fratrũ beneuolentiæ in Agamemnone & Menelao, amicorũ in Achille & Patroclo, uxoris uiriq; in Vlyſſe & Penelope proponit exemplum, amorem patriæ hoc uerſu cõmendat: εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Ciuium inter ſe in his uerbis: ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος. In mentientes ita inuehitur:

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν
ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Neq; uxoribus credenda arcana, neq; eis quicquam ſine uiri autoritate conandum, in illis deniq; declarat:

ἥρη μὴ δὴ πάντας ἐμοὺς ἐπιέλπεο μύθους εἰδήσειν. Item:

μή πώς μοι μετέπειτα χολώσεαι, αἴ κε σιωπῇ
οἴχωμαι πρὸς δῶμα βαθυῤῥόου ὠκεανοῖο. Et mãdata domeſticis dant, qui in bellum proficiſcuntur, ut Hector atq; Vlyſſes, & tutores orbis filijs apud Homerũ præficiuntur, & mediocres non improbantur luctus, ſicut nimij caſtigant. Exequiarum quoq; & funerũ, & ſepulcrorũ, præcipueq; eorũ quæ uocẽtur πολυάνδρια, ritus, cõſuetudinemq;, ludis quoq; & certaminibus additis, uel ab ipſo excogitata poſſis exiſtimare. Rem uero bellicã, in qua maximè occupatus eſt, omnib. ipſius partibus toto opere diſpargit. Nam & concurrunt apud illũ armatæ acies, & mœnia oppugnant, & nauali interim prælio res geritur, & in ripa fluminis agmen dirigitur, & ſingularia ineuntur certamina. Et diſciplina eſt ducibus, præmittere equites, ſubmittere pedites, ſinguloſq; uiros ſingulis cohortibus præficere: cumq; & foſſa, & uallo caſtra cõmuniantur, in medijs eis regis collocantur tabernacula, cùm in extremis fortiſſimi uiri Achilles atq; Aiax tentoria habeant. Nec doli defuerint militares, neq; ad oppetendã pro laude mortẽ pulcherrima adhortamẽta, neq; itẽ præmia fortibus, ſicut nec deſertorib. ſupplicia. Eſt & uulnerũ diſcrimen:

atq; ut in pectore laudantur, ita uituperantur in tergo. Sunt & præcepta maximè utilia, ut quæ neglectis ſpolijs inſtandum protinus hoſtibus fugientibus iubent. nulliusq; non ætatis præſtò ſunt exempla. Quid autē de medicina dixero, quam niſi maximi faceret, nunq; illa profectò ſcripſiſſet:

ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Qui etiam ſcientiam eſſe illam ſignificat in his:

ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων.

Scientiam autem ſalubrium inſalubriumq; cum dicat:

φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ, μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Neq; ulla medicinæ pars eſt, cuius non hic autor aliquando meminerit, ut eius quæ in contemplatione occupata ſit eo loco:

τοῖα διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα.

Cuius cum alterum membrum in ſignis, alterum in cauſis contemplandis uerſetur, de priore in peſtilentia ab Achille intellecta, de poſteriore in his innuit uerſibus:

οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον·
τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι καὶ ἀθάνατοι καλέονται.

Cumq; ea medicinæ pars, quæ in actione cōſiſtit, aut uictui moderetur, aut manum uulneribus exulcerationibusq; admoueat, aut potionibus curet, nullam ex ijs omnino ſingularis uates prætermittit. Nouit enim acutarum diſcrimen, lentarumq; ægritudinum:

τίς νύ σε κὴρ ἐδάμασσε τανηλεγέος θανάτοιο
ἢ δολιχὴ νοῦσος, ἢ Ἄρτεμις ἰοχέαιρα
οἷς ἀγανοῖς βελέεσσιν ἐποιχομένη κατέπεφνεν.

Sed & tenuitatē uictus multis locis cōmendat, & uini uſum non ignorat. Nam ut ingurgitanti maximè noxium eſſe, ita modicè à defatigato ſumptū uiribus docet conferre. Atq; ut ſuaue uinū lætitiæ genioq; dedicauit, ita temetum, quod dicitur uehemēs, & capiti noxium, Cyclopi obtulit. at Pramnium illud uinū, quod ſtypticæ maximè naturæ eſſe dicitur, etiam uulnerato Machaon indulxit. Exercitationes autem ſic probat, ut ne procis aut quidem Phæacibus adimat: & laſſitudini ſomnum remedio eſſe in Vlyſſe naufrago ſignificat: à quo item reſolui membrorum compages non ignorat. unde illud:

εὗδε δ' ἀνακλινθεὶς, λύθεν δέ οἱ ἅψεα πάντα.

Periculoſa eſſe quæ ſupra modū fiant, multo etiam ante Hippocratem admonuit Homerus: magnum eſſe ad ualetudinem momentū, in aeris habitu, atq; natura, in deſcribēdis probauit Elyſiis: quæ ſit refrigerandi uis, in reſpirante, quaſiq; reuiuiſcente monſtrauit Sarpedone. Quantū calida fomenta fatigatis proſint, in eodem naufrago Vlyſſe: quantū autem lauacra ei, in Vlyſſe Diomedeq; uigilia confectis declarauit. Agè uerò, q; artificioſe apud Homerū ſaucium Menelaū curat Machaon. Primū uulnere ſagittam eximit, tum diligentiſſimè plagam inſpicit, exprimit dein ſanguinem, poſtremò arida inſpergit medicamenta. Sicut Patroclus radicem in Eurypili uulnus amarā indidit, haud ignarus, maximè ad exiccandū ualere amara medicamenta. Sed & laboranti poſt curationem diutulè aſſedit, ut eius animū ſcilicet lepidis fabulamentis à cruciatu ſeuocaret. Potionum etiam uel quæ proſint, uel quæ obſint, illa ſint exempla, cū Helene crateri infundit φάρμακον νηπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων,

ὧν δὲ βίηφι κρατήσει καὶ ὑμέας πάντας ὀλέσσῃ.

Eſt & diuinationis à ueteribus habita ratio, cuius altera pars, quemadmodum placet

placet Stoicis, artificio cōſtat, ut aruſpicina, auguria, ominaq́ & ſymbola. Altera artificium eſt, ut ea quæ ſomnijs, quęq́ diuinis furoribus continetur. Omniū profectò (ſi quæſieris) apud hunc noſtrum inueneris mentionem. Nam & Vlyſſes inquit: φήμην τίς μοι φαίνε ἐγειρομένων ἀνθρώπων
ἔνδοθεν, ἔκτοσθεν δὲ Διὸς τέρας ἄλλο φάνη μοι.

Adeò ut ne ſternutamenti quidem præſagium deſideraris, ſicut nec hominis, qui diuinam ipſe uocem exaudierit, ut haudquaq́ miremur, Socratem quoq́, ut teſtatur Plato, genio quodam ſubijciēte, fabulari. Adde huc, quòd ne Homerus quidem ipſe negari poteſt, futurorum præſcius, qui tanto antè manſurum apud Aeneadas perpetuò canat imperium:
νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει.
καὶ παίδων παῖδες τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

Quod quidem etiam antè nos animaduerſum à Silio Italico eſt, qui ita de Homero ſcribit:
Atq́ hæc cuncta prius q́ cerneret, ordine terris
Prodidit, & ueſtram tulit uſq́ ad ſidera Troiam.

Idem & tragœdiæ ſummus habetur autor, cum nihil profectò uideri aliud Homeri poemata poſſint, niſi actus quidam & dramata, demptis modò ſcelerū exemplis, quę fortaſſe immoderatius poſteriores perſequuntur. Comœdiam quoq́ ab eodem ipſo putant emanaſſe: quòd diuerticula quædam in grauiſſimo opere inueniantur ad riſum hilaritatemq́ excogitata, ut claudicans pincerna deorum, & uanus ille ac deformis Therſites, Irusq́ luctans cum Vlyſſe, & Mars cum Venere à Vulcano irretitus: ſed nec amatorios aut affectus aut ſermones in eo requires, quamuis pudori legentis maximè parcat: ex ea quippe nota eſt & illud,
οὐ νέμεσις Τρῶας καὶ ἐϋκνήμιδας ἀχαιοὺς
τοιῇ δ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν

Sunt nihilominus & epigrammatū exempla apud ipſum, ſicut:
ἀνδρὸς μὲν τόδε σῆμα πάλαι κατατεθνηῶτος
ὅν ποτ' ἀριστεύοντα κατέκτανε φαίδιμος Ἕκτωρ. Item:
Ἕκτορος ἥδε γυνὴ ὃς ἀριστεύεσκε μάχεσθαι
Τρώων ἱπποδάμων ὅτε Ἴλιον ἀμφιμάχοντο.

Quid ſi eundem picturæ quoq́ magiſtrum autoremq́ uocemus, num opinor mentiemur? cum præſertim ſapientis dictum feratur, poeſin eſſe loquentem picturam, ſicut è contrario pictura ipſa muta poeſis uocatur. Quod ſi cui fortaſſe aut abſurdum uidetur, aut magnificum nimis, legat obſecro uel illam in Achillis clypeo cælaturam, uel ſi hoc grauatur, locū certè hunc de Euryclea anu, Vlyſſem ex cicatrice agnoſcente, diligenter conſideret, cuius equidē imaginē, ſtatumq́ & habitū non tam accipere auribus, q́ ipſis planè oculis uideor uſurpare:
τὴν γρηῦς χείρεσσι καταπρηνέσσι λαβοῦσα
γνῶ ῥ' ἐπιμασσαμένη, πόδα δὲ προέηκε φέρεσθαι
ἂψ δ' ἑτέρωσ' ἐκλίθη. τὸ δ' ἐπὶ χθονὸς ἐξέχυθ' ὕδωρ.
τὴν δ' ἅμα χάρμα καὶ ἄλγος ἕλε φρένα, τὼ δέ οἱ ὄσσε
δακρυόφιν πλῆσθεν. θαλερὴ δέ οἱ ἔσχετο φωνή.
ἁψαμένη δὲ γενείου, ὀδυσσῆα προσέειπεν
ἦ μάλ' ὀδυσσεύς ἐσσι φίλον τέκος, οὐδέ σ' ἔγωγε
πρὶν ἔγνων, πρὶν πάντα ἄνακτ' ἐμὸν ἀμφαφάασθαι.
ἦ καὶ πηνελόπειαν ἐσέδρακεν ὀφθαλμοῖσι
πεφραδέειν ἐθέλουσα. Et quæ deinceps ſequuntur.

Sed ne in immenſum prouehamur oratione, probemusq́ aliquando uobis, quod à principio nos facturos ꝓmiſeramus, ſummũ eſſe uel Homeri ingenio, uel operi tribuendũ locum, agedũ Plinij Secundi grauiſſimi doctiſſimiq́ uiri, in hac re teſtimoniũ adducamus. Ingeniorũ (inquit) gloriç quis poſſit agere delectũ per tot diſciplinarũ genera, & tantam rerũ operũq́ uarietatẽ? niſi forte Homero uate Græco nullũ felicius extitiſſe cõuenit, ſiue operis fortuna, ſiue materia ęſtimetur. Itaq; Alexander Magnus (etenim inſignibus iudicijs optimè citraq́ inuidiã tam ſuperba cẽſura peragetur) inter ſpolia Darij Perſarũ regis unguentorũ ſcrinio capto, q̃d auro gemmisq́ ac margaritis precioſum, uarios eius uſus amicis demonſtrantibus, quando tædebat unguenti bellatorẽ, & militia ſordidũ: Imò Hercule, inquit, librorum Homeri cuſtodiæ detur, ut precioſiſſimũ humani animi opus, ꝙ maximè diuiti opere ſeruaretur: hoc ſcilicet Alexandri de Homero iudiciũ fuit, cuius etiã poeſin utramq; nõ ſolum expeditionũ comitem ſuarũ, ſed capiti quoq; ſubiectã dormiens plerunq; dicitur habuiſſe, eiq́ adeò ſtudioſè incubuiſſe, ut totam planè ad uerbũ edidicerit, eumq́ poetam nunc ſummũ uirtutis præconẽ, nũc poetam appellare regiũ cõnſueuit, cuius quidẽ carmina, non ut aliorũ ad citharã, ſed ad tubam potius canenda dictitabat, tum malle ſe Therſiten Homeri eſſe, ꝙ Chœrili Achillem aiebat, Achillemq́ ipſum fortunatũ prędicabat, qui laudũ ſuarum præconẽ Homerũ inueniſſet. Ptolemæus aũt Philadelphus rex ille ſtudiorũ laude celeberrimus, tantus Homeri propugnator fuit, ut Zoilum illum cognomento Homeromaſtiga, quòd Homeri ſe caſtigatorẽ profiteri foret auſus, deluſum prius aliquandiu, extremo tandem ſupplicio excruciatũ necauerit. Nec Scipionem crediderim Africanum tantũ illum uirũ non Homero plurimũ tribuiſſe, cùm in euocãdis manibus apud Silium quærat à Sibylla, quæ nam ſit illa umbra, quam tanta heroum admirantiũ manus comitetur: cui cùm Sibylla Homeri eſſe animam reſpondiſſet: tum Scipio talem Romanis poetam contingere optat, felicem & ipſe Achillẽ uocans, qui tanti uatis carmine ſit celebratus. Sed ipſum obſecrò Silium, ſi uidetur, canentem audiamus:

Atq; hic Elyſiò tendentem limite cernens
Effigiem iuuenis, caſtè cui uitta ligabat
Purpurea effuſos per colla nitentia crineis,
Dic, ait, hic qui nam uirgo, cui luce refulget
Præcipua frons ſacra uiro, multæq́ ſequuntur
Mirantes animæ, & læto clamore frequentant?
Qui uultus, quem ſi Stygia non eſſet in umbra
Dixiſſem facilè eſſe deum. non falleris, inquit,
Docta comes Triuiæ, meruit deus eſſe uideri,
Et fuit in tanto nõ paruum pectore numen.
Carmine complexus terram, mare, ſidera, maneis,
Et cantu Muſas, & Phœbum æquauit honore,
Atq; hæc cuncta prius ꝙ cerneret ordine terris
Prodidit, ac ueſtram tulit uſq; ad ſidera Troiam.
Scipio perluſtrans oculis lætantibus umbram:
Si nunc fata darent, ut Romula facta per orbem
Hic caneret uates, quanto maiora futuros,
Facta eadem intrarent hoc inquit teſte nepotes.
Felix Aeacide, cui tali contigit ore
Gentibus oſtendi, creuit tua carmine uirtus.

Nec ullus ferè unquam fuit inſignium philoſophorū, qui non poetæ huic im-
penſè operam dederit.Nam Socrates ille philoſophorum parẽs, ita ſe ei totū ad-
dixit, ut eſſe Homeri diſcipulus à Dione Chryſoſtomo dicatur, licet antè ipſum
poeta hic aliquot ſeculis ætatibusq; floruerit. Archeſilaus autẽ nunquã aut lecto
ſurgebat, aut cubitū diſcedebat, quin quaſi ſolenniter ex Homero aliquid lectita
ret, ad amaſium pullumq; ſuum ire ſe dictitans. Anaxagoras porrò etiam Metro-
dorum ad hunc legendum adhortabatur, ut de ipſius carminibus naturæ rerū eli
ceret diſciplinam: teſtari identidem ſolitus Homericam poëſin circa iuſtitiam ma
ximè, uirtutemq; conſiſtere. Ariſtoteles ipſe multa in Homerum cōmentatus di-
citur, neq; quidquam habere antiquius uidetur, quàm ut eius autoris uerſus, ſuis
de philoſophia libris interſerat, idemq; tradit, Empedoclem Agrigentinum, ſum
mum illum uirum in primis Homericum fuiſſe: Pyrrhonem quoq; Scepticæ hæ-
reſeos autorem, magnopere Homero deditum ſcribunt, ſic ut eum ſupra quam
dici poſſet, admiraretur, eiuſq; ſemper carmina haberet in ore. Nam Ariſtarchum
Cratetemq; Criticos illos, itemq; philoſophos grauiſſimos, Zenonem atq; Hera
clidem compoſitis in Homeri uel laudem, uel enarrationem uoluminibus, maxi-
mam ſibi aiunt gloriam comparaſſe. Nam de Platone ipſo quid dicam neſcio, qui
cùm huius autoris poëſin inter prima admiretur, eumq; uelut rerū omnium ima-
gines concipientem, omneiſq; effingentem uoces, fluuiorum, uentorum, atq; un
darum, auguſta maieſtate ſublimem, plenumq; omnis gratiæ atq; leporis, neget
ullo pacto ſine diuino afflatu, Muſarumq; & Apollinis inſtinctu, talem tantumq;
euaſiſſe: eundem tamen ciuitate illa ſua, non quidẽ expulit, aut eiecit, ſed unguen
tis delibutum, coronatumq; uelleribus honorificentiſſimè dimiſit: quòd (inquit)
parum digna de ſuperis, parū lęta de inferis fabulatus eſt. Qua in re iurè ne culpe-
tur uates optimus, maiore profectò otio drjudicandum exiſtimo. Neq; enim te-
merè auſim duobus mihi amiciſſimis hominibus, grauiſſimo utroq;, atq; ſanctiſ-
ſimo inter ſe accuſantibus, damnare alterutrū. Cęterùm Platoni ipſi, omnino mul
tus in ore Homerus eſt, quem ſcilicet etiam magiſtrum uitæ appellare non dubi-
tat, ſicut nec eos prædicare fortunatos, qui uſquequaq; in eius pertractandis poë
matis uerſentur. Neq; enī ſi nocere moribus, Homeri libros antiquitas iudicaſ-
ſet, in illorum potiſſimùm lectione pueros exercuiſſet. Nec iuriſconſulti noſtri,
ſapientiſſimi homines, aut illius carmina ſcriptis ſuis, quamuis græca latinis im-
miſcerent, aut eum (quod faciunt) omniū parentẽ uirtutū nuncuparent. Nec de-
nique theologorū ille omniū fortaſſe & grauiſſimus, ſed certè (ut mihi uidetur)
eloquentiſſimus Baſilius, cui Magno cognomentū fecerunt, tam audacter, quo-
dam in libro fateretur: totam Homeri poeſin laudem eſſe uirtutis. Nam quid Bar
bariam illam extremam, Boriſthenitas, Indoſq; cōmemorem, quorum alteri ma-
gnam impendere Homero operã dicunt ſoliti. Alteri uerò etiã patria lingua eum
habere conuerſum perhibentur. Et cùm ſtellarū quarundam ſpectaculo Indi ca-
reant, quæ in noſtro orbe uiſuntur, Priami tamen calamitates, Hecubæq;, & An-
dromaches lamenta, tum Hectoris atq; Achillis fortiſſima facta ipſi nobiſcū pa-
riter contemplantur. Qua quidẽ in re etiam mihi Orphei citharã, Sirenumq; can
tus uidetur ſuperaſſe. Neq; enim eſt maius, ſaxa & ſyluas, & immanes ferarū gre-
ges, dulci modulamẽto mulcere, q; Barbaros homines, linguæ rerumq; noſtrarū
imperitos, ſine ullis natiui ſermonis illecebris, materiæ tamen grauitate, ſenſuūq;
uarietate, & pondere quaſi delinitos captoſq; attrahere. Quę cū ita ſint, quid no-
bis agendum eſt, eruditiſſimi uiri? An erimus Barbaris quoq; ipſis duriores, atq;
immaniores, ut hoc cœleſte opus, in quo tot uirorum lumina, ſtudiū omne ſuum

atq;

atq; induſtriam poſuerũt, ipſi in camœnarum gremio enutriti, iacêre neglectum in ſitu atq; in tenebris patiamur? Tantosq; illos omnium doctrinarum, ſapiẽtiæq; theſauros, tot illa tamq; expreſſa uirtutum ſimulacra atq; exempla, tam multa denique ad bene beateq; uiuendum adminicula, adhortamentaq; cæcis (ut aiunt) oculis, aut ſurdis auribus pertranſibimus? quin agite mecum alacres, Muſis bene iuuantibus, regem'que diſciplinarum omnium uirtutumq; parentem, cõmuni fortunæ iniuria percullum atq; proſtratũ, attollite certatim ab humo, atq; erigite, ut hoc tam magno quaſi duce recepto, & cõſeruato, periclitanti iam pridem pulcherrimæ Græcorum linguæ, ſignum ad bene ſperandum aliquod, quaſiq; uexillum oſtẽdamus, ut quæ in patrio ſolo deplorata penitus, atq; extincta iacet, apud Italos certè, atque adeò in hac pulcherrima ciuitate, ueſtra Fl. uiri opera reuiuiſcat. Dixi.

ANGELI POLITIANI ORATIO
SVPER FABIO QVINTILIANO, ET STATII SYLVIS.

ANTEQVAM ea dicere exordiar, iuuenes, quæ ſuſcepti à nobis operis propria eſſe uidentur, rationem uobis totius conſilij mei paucis explicabo. Non enim ſum neſcius, fore aliquos, quibus meum non ſatis iudicium probetur, quòd ex tanto optimorum probatiſſimorumq; numero uoluminum Statij potiſſimùm Syluas, Quintilianiq; Oratorias inſtitutiones enarrandas ſuſceperim: quorũ alteras ne poetæ quidem ipſi ſatis editione dignas exiſtimatas: alteras autem, etſi maximè accuratæ, eruditiſſimæq; uideri poſſunt, Ciceronis tamen eodem in genere ſcriptis non fuiſſe anteferendas. Ad hæc neq; ſatis à nobis noſtrum fieri officium iudicent, qui hac ingenij tenuitate, hac doctrinæ paupertate, hac tam exigua, atq; adeò nulla dicendi exercitatione cùm ſimus, nouas tamen, quaſiq; intactas uias ingrediamur, ueteres tritasq; relinquamus. Neq; autem diſcentium conſulere utilitati, qui eius maximè ſeculi ſcriptores prælegamus, quo iam Romanæ nobilitas eloquentiæ, & quædam quaſi ingenuitas degenerauerat, multoq; nos profectò fuiſſe rectius facturos, ſi Vergilium, Ciceronemq; ipſos latinæ facũdiæ principes exponere eſſemus aggreſſi. His itaq; cogitationibus, rumoribusq; hominum non malorum fortaſſe, noſtri uerò etiam amantium, paucis occurrẽdum eſſe exiſtimo. Quod igitur ad Statiũ attinet, ut non hos ſatis eſſe abſolutos libros paulisper dederimus, nihilo tamẽ ſecius, cur eos prælegendos ſuſceperimus, egregiè nobis ratio conſtiterit. Quid enim prohibet, uel ideo adoleſcentibus nõ ſtatim ſummos illos, ſed hos, ſi ita placet, inferioris, quaſiq; ſecundæ notæ autores ediſcendos præbere, ut imitari illos facilius poſſint. Nam quemadmodum nouellis uitibus humiliora primò adminicula, atq; pedamẽta agricolæ adiungunt, quibus ſe gradatim clauiculis illis ſuis, quaſiq; manibus attollentes, in ſumma tandẽ iuga euadant: ita nec ſtatim ad ipſos, ſicuti primi ordinis ſcriptores uocandi adoleſcentes, ſed humilioribus ijs, qui tamẽ haud abiecti humi, iacentesq; ſint, quaſi paulatim inuitandi ſubleuandiq; uidentur. Ita neq; qui aurigari diſcunt, ualentiſſimas ſtatim, ac præferoces ad currum quadrigas adhibent, nec qui nauali erudiuntur prælio, non in portu prius, tranquilloq; mari aliquandiu exercẽtur, neq; non multo facilius, multoq; libentius adoleſcentuli in ſcholis doctiores condiſci-

pulos

pulos, ꝗ magiſtros ipſos imitantur: non enim cuiquam temerè euadere ad ſum-
ma licuerit, niſi proxima quæq; antea, niſi quæ paratiſſima amplectatur. Adde
huc, quòd qui primos illos uobis explicatum ierint, abundè ſemper habuiſtis: at
eos, qui ſe demittere nō recuſarint, nullius uobis, quantum uideam, ad hanc uſq;
diem copia extitit, ut uel hoc ipſo nomine magna illis habēda ſit gratia, qui dum
ueſtris conſulant utilitatibus, quid de ſe quiſq; opinetur, haud in magno ponunt
diſcrimine. Quanꝗ in hoc quidem, de quo agimus Statio, longè mihi ab ijs quæ
dicta ſunt, aliena mens fuerit. Vt enim non ierim inficias, poſſe aliquid in tanta
Latinorū ſupellectile inueniri, quod his libellis uel argumēti pondere, uel mole
ipſa rerū, uel oratiōis perpetuitate facilè antecellat: Ita illud meo quaſi iure poſſe
uideor obtinere, eiuſmodi eſſe hos libellos, quibus uel granditate heroica, uel ar-
gumentorum multiplicitate, uel dicendi uario artificio, uel locorum, fabularum,
hiſtoriarū, conſuetudinumq; notitia, uel doctrina adeò quadam remota, literiſq;
abſtruſioribus, nihil ex omni Latinorum poetarum copia antetuleris. Atq; id ita
euenire uſu neceſſe fuit, quòd cùm ſingulæ ipſæ, quæ Syluæ inſcribuntur, ſingula
à ſe inuicem diſiuncta argumenta continerent, earumq; fines, haud ita multos in-
tra uerſus includerentur, nihil profectò ſibi reliqui facere ad induſtriā, circumſpe
ctionemq; poeta debuit, cùm & tantæ rerū, de quibus ageretur, uarietati reſpon-
dendum uideret, & haud longo in opere ſomnum obrepere ſibi nefas exiſtima-
ret. Itaq; ut omnem facilimè culpam præſtari ab eo intelligas, nihil in illis non ſa-
gaciſſimè inuentum, non prudentiſſimè diſpoſitū eſt, nullus non tentatus locus,
atq; excuſſus, unde aliqua modò uoluptas eliceretur. Elocutionis autē ornamen
ta atq; lumina tot tantaq; expoſuit: ita ſententijs popularis, uerbis nitidus, figuris
iucundus, tralationibus magnificus, ut omnia illi facta compoſitaq; ad pompam,
omnia ad celebritatem comparata uideantur: tantūq; abſuit, quo minus tam mul-
tiplici materiæ omnibus locis ſuffecerit, ut eam quoq; quaſi Phidias aliquis, aut
Apelles inſigni operis artificio ſuperauerit. Itaq; ut in Thebaide atq; Achilleide
ſecundum ſibi inter eius ordinis poetas ſuo quaſi iure locum uindicarit, ita in his
Syluarum poematis, in quibus citra æmulum floruerit, tam ſeſe ipſe, ut meum eſt
iudicium, poſt ſe reliquit, ꝗ eundem Vergilius Maro in ſuperioribus anteceſſe-
rat. Atq; huic noſtræ de his libellis ſententiæ, cùm omnes docti uiri, ſi qui modò
illos attigerunt, facilè ſuffragabuntur, tum uos (ut ſpero) ipſi cùm totos penitusq;
inſpexeritis, ſine ulla controuerſia aſſentiamini. Quòd ſi quis nunc fortè à me ita
quærat: Cur igitur, ſi tam nihil in his Syluis deſiderandum arbitraris, ipſe illas
tamen ſuus autor, uix quæ in publicum ederentur dignas exiſtimauit? Hunc ego
contrà ſic rogabo: Cur autē tandem ediderit, ſi minus probabat? neq; enim tam
quid quiſq; cogitarit, ꝗ quid tandem ſenſerit, quid decreuerit, quid deniq; effece
rit perpendendum eſt. Itaq; dum ſe diu multumq; dubitaſſe ait, an eos libellos de
integro collectos emitteret, facilè ad id uiam ſternit, quò ſibi perueniendum de-
ſtinauerat, ut tumultuariè ſcilicet eſſe illos, ſubitoque calore effuſos perſuaderet:
quamlibet enim multis neq; fucoſis ornamentis abundarent, minimè tamen ho-
mini de omni ſua exiſtimatione ſolicito, uel hæc ipſa celeritatis cōmendatio fue-
rat negligenda, quippe cui & indulgētia liberior, & uenia procliuior, & admira-
tio maior deberetur. Neq; non tamen ꝗ maximè emēdatos eſſe uel inde colligi-
mus, quòd non temerè ipſos, neq; inconſultò, ſed poſt longam demùm conſulta
tionem, quaſiq; ſubducta prorſus ratiōe edendos cenſuerit. At uidebat, inquies,
ipſe profectò nonnihil in his de expolitione deſideratum iri. Itaq; quaſi ſuæ con-
ſcius imbecillæ cauſæ, uelut petita ultrò uenia ſeſe præmunijt. hoc ſi nos maximè

conceſſerimus,nihilo tamen ſecius poſſe hos eſſe uel quàm emēdatiſſimos per-
uicerimus.Ita enim plerique ingenio ſumus,non tam quid operis effecerimus,ꝙ
quanti nobis opera ſteterit ponderamus. Quapropter ſæpe euenit,ſiue id moro-
ſitate quadam ingenij, ſiue iudicij nimia ſeueritate, atq; adeò triſtiſſima cenſura,
ut nihil interim abſolutū putemus,niſi in quo uehementiſſimè laboratū ſit.Con-
trà uerò ſępe uſu uenit,ut ſcripta noſtra nimia cura uel peiora fiant:neq; tam lima
poliantur,quàm exterantur. Atq; hoc nimirum excellentiſſimus pictor Apelles
ſignificabat,cum à ſe una in re Protogenem ſuperari diceret, quòd ipſe manū de
tabula ſciret tollere. Hinc contrà ſtatuarius Callimachus Cacizotechnos meruit
appellari,quòd ſemper & ipſe calumniaretur,neq; diligentię finem haberet.Itaq;
cùm emendata eius eſſent opera, gratiam tamen ijs omnem diligētia abſtulerat.
Hoc ipſum & Suetonius in Tiberio indicat, quem moroſitate ait ſtylū obſcurare
ſolitum. Nocet enim profectò ſæpe nimia diligentia. Et ut cultus conceſſus atq;
magnificus addit autoritatē, ita accerſitus ille,atq; fucatus, bonam ipſam uirtutē
lenocinio contaminat.Quòd ſi quis tamen pertinacius illud obtinere uelit,imita
tione indignas eſſe has Papinij Syluas, quas penè ipſe autor improbauerit, idem
pari ratione & Vergilij Aeneidem, ne lectione quidem dignam, atq; igni etiam
concremandam iudicare poſſit: quam ſummi homo elegantiſſimiq; iudicij eius
autor Vergilius Maro flammis abolendā cauerit teſtamento. Nos tamen & Ae-
neidem in primis legimus,& Græcis illam præcipuè,Homeroq; opponimus: &
Statij Syluas egregium atq; in eo genere unicum opus, quodq; autori ſuo felicíſ-
ſimè omnium ſucceſſerit, non ſolū publicè enarrandas,ſed ediſcendas etiam, &
oratoribus æquè poetiſq; imitandas,exprimēdasq; cenſemus. Ac de Statio qui-
dem hactenus.Quintilianum uerò non nos quidē illum Ciceroni prætulerimus,
ſed has certè eius Oratorias inſtitutiones Rhetoricis Ciceronis libris pleniores
uberioreſq; eſſe exiſtimamus: nempe quæ ab ipſa quaſi infantia,atq; ipſis incuna
bulis inſtituendum oratorem ſuſceperint, ſummamq; eius eloquētię manum im-
poſuerint.Itaq; ne ipſe quidem Cicero ſatis, quæ de arte oratoria ſcripſerit, pro-
baſſe omnia uidetur.Nam & Rhetoricos libellos in ijs qui de oratore ſint, haud
uſquequaq; ſequitur, & rudes inchoatoſq; adoleſcenti ſibi excidiſſe è manibus
affirmat,& ab his ipſis de oratore in alio ad Brutum libro identidē deſciſcit, neq;
in hoc quoq;,quem extremū abſoluerit,ulla de arte pręcepta ponit,ſed oratorem
quaſi ipſum informat,& quod dicendi ſit optimū genus decernit.Ergo ut philo-
ſophi noſtri nō,cum in primis Ariſtotelem ſequantur, ſtatim illum Platoni ante-
ponunt:ita nos quòd Quintilianum, ꝙ Ciceronem interpretari maluimus, non
quidem Ciceronis ſacroſanctam illam gloriā detractauimus, ſed ad Ciceronem
feſtinantibus uobis egregiè conſuluimus.Hæc igitur & de Quintiliano noſtra ra
tio fuerit.Sed neq; inuſitatas uias indagamus, cum ueterum libros autorū in ma-
nus ſumpſerimus: qui tamen ſi minus in uſum conſuetudinemq; hominū aliquot
iam antè ſeculis uenerunt, non tam ipſorum culpa, quàm fortunæ ac temporum
iniuria effectum eſt: quid enim nunc attinet ſuperiorum calamitatem temporum
memoria repetere? quod ſine ſummo dolore facere uix piè poſſumus,quibus in-
ſignes illi,atq; immortalitate digniſſimi ſcriptores,partim à Barbaris cęſi,fœdeq;
laniati ſunt,partim ab his ipſis ad noſtrorū uſq; parentū memoriā, uelut in carce-
rem coniecti,atq; in cōpedibus habiti,uix tandem aliquando, ſicut erant ſemila-
ceri,atq; trunci, multumq; à ſeipſis immutati, ſuam hanc in patriam reuerterunt.
Perquàm igitur inhumanū facinus à nobis fieret, ſi de nobis, deq; maioribus no-
ſtris optimè meritos, inſigneis hos uiros dudum depoſita capitis diminutione,

iure

iure poſtliminij ciuitatem repetentes, non uel quàm lubentiſſimè agnoſcamus, atq; in ipſam, quæ his maximè debet Latinitatem, ſuam in Rempub. ſuum in ordinem, atq; adeò intra priuatos parietes noſtros, intra noſtrũ ſinum benignè admiſerimus. Quod quidem ſi me nunc primũ autore adipiſcentur, cur mihi tandẽ id uitio uertatur, aut cur non ſumma potius gratia ab omnibus habeatur, quòd quaſi mea priuata pecunia publicum omnium æs alienum diſſoluere non dubitarim? Poſtremò ne illud quidem magnifecerim, quòd horum ſcriptorum ſeculo corrupta iam fuiſſe eloquentia obijciatur: nam ſi rectius inſpexerimus, non tam corruptam atq; deprauatam illam, quàm dicendi mutatum genus intelligemus. Neq; autẽ ſtatim deterius dixerimus, quod diuerſum ſit: maior certè cultus in ſecundis eſt, crebrior uoluptas, multæ ſententiæ, multi flores, nulli ſenſus tardi, nulla iners ſtructura, omninoq; non tantum ſani, quàm & fortes ſunt omnes, & læti, & alacres, & pleni ſanguinis atq; coloris. Quapropter, ut plurima ſummis illis, ſine ulla controuerſia tribuerimus, ita priora in his aliqua, multoq; potiora exiſtere iure contenderimus. Itaq; cùm maximum ſit uitiũ, unum tandem aliquem, ſolumq; imitari uelle, haud ab re profectò facimus, ſi non minus hos nobis, quàm illos præponimus, ſi quæ ad noſtrum uſum faciunt, undiq; elicimus, atque (ut eſt apud Lucretium)

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta.

Atq; hoc profectò eſt, quod cùm diu Marcus Cicero Atticis illis limatis, & emunctis oratoribus operam dediſſet, poſt illa tamen, & Rhodijs, & Aſiaticis oratoribus aures commodauit. Quorum lenti illi quidem, atq; remiſſi, ij uerò inflati, uani, atq; iactantes, utriq; uerò minores Atticis, quaſiq; ab ijs degenerantes exiſtimarentur. Itaq; egregie nobilis pictor, qui cùm interrogaretur, quonam in primis magiſtro profeciſſet, illo, inquit, populum intuens. & rectè id quidẽ. Nam cùm nihil in natura hominum ſit, ab omni parte beatum, plurium bona ante oculos ponenda, ut aliud ex alio hæreat, & quod cuiq; conueniat aptandũ eſt. Quare hoc idem & uobis perſuaſum uelim ingenui iuuenes, ut non ijs tantum, quæ à nobis explicentur cõtenti, alios item bonos autores pertractetis, & cùm uos doctioribus, mihiq; longè anteferendis dedideritis, mea tamen hæc, quæ ſedulò in mediũ afferuntur, boni conſulatis. Tales igitur noſtri conſilij cauſæ extiterunt, in quo tamen capiendo magis pleriſq; ueſtrũ, quibus ita cordi eſſe intellexerim, quàm aut meo animo, aut priuatæ perſuaſioni ſum obſecutus. Nunc ad rem noſtrã aggrediamur. Nos quidem cum poetam legere inſtitueremus, ante omnia, quod ad ipſam poeticen pertineret, ea, quæ maxima in nobis fuerit diligentia, enucleauimus. Idem hoc tempore de arte oratoria facere ſuperſedebimus, cùm quia nihil ferè eſt, quod quidem ad Rhetoricam ipſam requiratur, quin ab hoc, quo de agitur Quintiliano, uel præclariſſimè explicatum ſit: tum quòd ſi qua nobis præterea ſuccurrant, ea ſuum aliud in tempus, ſuumq; alium in locũ aptius reſeruamus. Quapropter ijs, quæ maximè huius operis propria ſunt, contenti, intentionẽ primùm, mox utilitatem horum exponemus librorũ, tum pauca de autore proſecuti, ipſam, quæ princeps nobis occurrat epiſtola, paucis interpretabimur. Eſt autẽ Quintiliano propoſitum, oratorem eum inſtituere, qualem fuiſſe neminem, memoriæ ſit proditum, qui & moribus perfectus, & omni ſcientia, omniq; dicendi facultate ſit abſolutus: quapropter qui tantæ moli ſit deſtinatus, eum recens natum, quaſi de matris gremio ſuum in ſinum continuo accipit, nihilq; ſibi reliqui facit, quod quidem ad educandũ, erudiendum, informandumq; illũ pertinere in-

telligat, nunq; à ſe antè dimiſſurus, quàm cùm uiuendi, ſciendi, dicendiq; omnibus numeris perfectum atq; abſolutum, planeq; oratorem ſummū, ſingularemq; reddiderit. Atq; ad hunc unum terminum omnes nō ſuas modò, ſed omnium, ut quiq; probatiſſimi fuerunt ueterum ſcriptorū ſententias, omniaq; præcepta quaſi ſagittas in ſcopum rectiſſimè collineat. Ac de intentione hactenus. Vtilitas autē tanta in his uoluminibus exiſtit, quantam uix fortaſſe in unis alteriſ'ue ex omni Græcorū Latinorumq; copia inueneritis. Nam ut quod caput eſt, ipſam tantummodo, qua de hic in primis agitur, Rhetoricen inſpiciamus: Quid eſt quæſo præſtabilius, ꝙ in eo te unum uel maximè præſtare hominibus, in quo homines ipſi cæteris animalibus antecellant? Quid admirabilius, ꝙ te in maxima hominum multitudine dicentem, ita in hominū pectora menteſq; irrumpere, ut & uoluntates impellas, quò uelis, atq; unde uelis retrahas, & affectus omneis, uel hos mitiores, uel concitatiores illos emodereris, & in hominum deniq; animis uolentibus cupientibuſq; domineris? Quid uerò præclarius, ꝙ præſtanteis uirtute uiros, eorumq; egregiè res geſtas exornare, atq; extollere dicendo? Contraq; improbos pernitioſoſq; homines orandi uiribus fundere, ac profligare, ipſorumq; turpia facta uituperando proſternere, atq; proculcare? Quid aūt tam utile, tamq; fructuoſum eſt, ꝙ quę tuæ Reipub. chariſſimiſq; tibi hominibus utilia conducibiliaq; inueneris, poſſe illa dicendo perſuadere, eoſq; ipſos à malis, inutilibuſq; rationibus abſterrere? Quid aūt tam eſt neceſſarium, ꝙ loricam ſemper eloquentię, telumq; tenere, quo & propugnare te ipſe, & inceſſere aduerſariū, & circumuentā à peſſimis hominibus tuam innocentiam tueri poſſis? Quid aūt tam munificum, tamq; bene inſtitutis conſentaneum, ꝙ calamitoſos conſolari, ſubleuare afflictos, auxiliari ſupplicibus, amicitias clientelaſq; beneficio ſibi adiūgere atq; retinere? Age uerò ut nunq; forū, nunquā roſtra, nunquā ſubſellia, nunquā conciōes ineamus, quid tandem eſt in hoc ocio, atque in hac priuata uita iucundius? quid dulcius? quid humanitati accōmodatius? quàm eo ſermonis genere uti, qui ſententijs refertus, uerbis ornatus, facetijs, urbanitateq; expolitus, nihil rude, nihil ineptū habeat, atq; agreſte: in ꝙ omnia comitate, omnia grauitate & ſuauitate condita ſint? Hæc igitur una res & diſperſos primū homines in una mœnia cōgregauit, & diſſidentes inter ſc [sic] conciliauit, & legibus, moribuſq;, omniq; deniq; humano cultu, ciuiliq; coniunxit. Quapropter etiam deinceps in omnibus bene conſtitutis, beneq; moratis ciuitatibus, una omnium ſemper eloquētia effloruit, ſummumq; eſt faſtigium cōſecuta. Quid ego nunc iam inde uſq; ab heroicis temporibus poſita facundiæ ſumma præmia, maximos oratoribus honores habitos, maxima cōmoda, publicis rebus per homines eloquenriſſimos [sic] importata cōmemorem? Quæ ſi iam ſingula non dicam exornare dicendo, ſed percenſere coner enumerando, Ante diem clauſo componet ueſper Olympo. Itaq; ut quod ſentio, complectar breui: Nulla unquam profectò uitæ pars, nullum tempus eſt, nulla fortuna, nullę ætates, nullæ deniq; nationes, in quibus non cùm maximas dignitates, ſummoſq; honoris gradus facultas oratoria conſecuta ſit, tum nō ſuis modò, ſed priuatorū quoq; & plurimorum, atq; adeò uniuerſę ciuitatis rationibus plurimū contulerit. Ad hanc igitur talem, tam præclaram, tam egregiam poſſeſſionem Quintilianus hic noſter expedita quadam, quaſiq; militari uia uos perducet iuuenes, in quam citato gradu agite dum uniuerſi ingredimini, ut & decori ueſtro, & amicorū uſui, & huius florentiſſimæ reipub. emolumento conſulatis. Hæc de utilitate. nunc de Quintiliani uita paucis abſoluam. Marcus Fabius Quintilianus ex Hiſpanię oppido Calagurie, maximè propter obſeſſum in eo Sertorium inſigni, Nerone im-

perante à Galba, qui & ipſe deinde imperator fuit, Romam adoleſcens admodũ perductus eſt: patre autem quantum colligimus cùm erudito uiro, tum in Reip. ſuę adminiſtratione honeſtiſſimè uerſato uſus eſt. Ipſe cùm in ea tempora incidiſſet, quibus & Anneus Seneca, & Iulius Aphricanus, & Vibius Criſpus, & Tracalus, & Afer Domitius, aliaq; Romanum forum pręclariſſima ingenia illuſtrarent: Domitium in primis ſenem iam colendum ſibi adiectandumq; propoſuit, hominem cùm omnium eius ætatis oratorum eminẽtiſſimum, tum præcipua quadam facetiarum atq; urbanitatis laude memorandum, neq; illius ſolũ actiones, uerùm & domeſticos ſermones diligentiſſimè omnes obſeruauit. Amauit etiam familiariſſimè æqualem ſuum Iulium Secundum, miræ facundiæ, miræq; gratiæ uirũ: cui tametſi properata mors iniuriam fecit, magnum tamẽ ſic quoq; inter laudata ingenia ſibi locũ uindicat. Cùm uerò & probatiſſimis moribus, & ſumma ingenij ui, & acerrimo ſtudio Quintilianus eſſet, prima ſtatim iuuenta celebrare forũ, atq; in ſummis patronorum numerari occœpit, ad eamq; uirtutis & ingenij cõmendationem repentè peruenit, ut non ſolùm maximæ quæq; ad illum cauſæ deſerrentur, ſed & notarij, qui eius dicentis uerba exciperent, uulgò à ſtudioſis hominib. conducerentur. Quoties uerò cum alijs agebat, omnium non ſolum cõceſſu, ſed & conſenſu ferè ab ipſo ponendæ cauſæ initium erigebatur. Primam uerò actionem iuuenili quadam cupiditate gloriæ ductus, eam emiſit, quę Neuij Arpiniani cauſam cõtinebat, in qua quęſitũ fuerat, pręcipitata'ne eſſet ab illo uxor, an ſe ipſa ſua ſponte ieciſſet. Inter cæteras aũt, quas egit cauſas Quintilianus, duæ in primis inſignes habentur. Altera, quam pro regina Berenice apud eam dixit: altera, qua ream tuebatur, quæ ſubieciſſe dicebatur mariti teſtamentum, & chirographũ marito expirante, hæredibus dediſſe, quod uerum fuerat: nam quia per leges inſtitui uxor non poterat hæres, id fuerat actum, ut ad eam bona per hoc tacitum fideicommiſſum peruenirent: & caput quidem quæri facilè erat, ſi hoc diceret palàm, ſed per ſe deperibat hæreditas, Ita ergo figuratè cauſam egit, ut iudices illud intelligerent factum, delatores autem non poſſent apprehendere, ut dictum, id' què cum maxima Quintiliani laude utrumque contigit. Verùm præter ingenium, quod in illo fuit eminentiſſimum, tantam etiam uim concipiendarum imaginum quas phantaſias uocant, habuiſſe accepimus, ut frequenter ita motus ſit, ut nõ ſolum lacrymæ illum, ſed & pallor, & uero ſimilis dolor deprehenderent. Sed cùm diu iam in foro tanto ſucceſſu, tantaq; gloria uerſatus foret, ut inde non ingenteis modò opes, ſed & Romanam ciuitatẽ, omniaq; nobilitatis iura conſecutus eſſet, & iam maximus (ut Iuuenalis inquit) orator haberetur, honeſtiſſimum ſibi agendi cauſas finem ſtatuens, dum adhuc deſideraretur, receptui cecinit, ſuamq; mox operam uir proculdubiò hominum cauſa natus, ad præcipiẽdi munus transferre coactus eſt. Quo loco adnotandũ uobis eſt primum omnium, Quintilianum Romæ publicum iuuentutis gymnaſium, & è fiſco eximium ſtipendium accepiſſe, multiq; ex eius ludo, quaſi ex equo Troiano literarum proceres extiterunt, inter quos & Plinius ille iunior fuit, qui etiam in epiſtolis Quintilianum præceptorem ſuum libentiſſimè agnoſcit, & Iuuenalem item fuiſſe (ut quidam arbitrantur) maximè ueriſimile eſt, qui de illo his uerbis honorificè mentionem facit:

—Vnde igitur tot
Quintilianus habet ſaltus? exempla nouorum
Fatorum tranſi: felix, & pulcher, & acer;
Felix, & ſapiens, & nobilis, & generoſus;
Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ

Felix, orator quoq; maximus, & iaculator.
Et ſi perfrixit, cantat bene.

Erat aūt in eo præter cætera adeò exprompta fidelisq; memoria, ut quæ extempore aliquando dixiſſet, ad uerbū etiam repetita redderet, cuius rei ſæpiſſimè periculū fecit, ſi quando interuentus aliquorū qui hunc honorē mererentur, iterare declamatiōis partem coegiſſet. Poſtq; uerò in erudiēdis iuuenibus uiginti annos tanta ſua gloria, tantaq; iuuentutis Romanę utilitate poſuit, ut ab ingenioſiſſimo Latinorū epigrammatū poeta, & uagæ iuuentutis moderator, & Romanæ togæ gloria uerè meruerit appellari: etiam hunc laborem deprecatus, ſtudijs aliquādo ſuis quietem impetrauit: atq; ut non ſolum ætatis ſuæ hominibus, ſed & poſteris quoq; conſuleret, totum illud otium ad hos de Oratoria inſtitutione libros componendos tranſtulit: quorū cùm tertium iam in manibus uolumen haberet, Domitianus Auguſtus curam illi ſororis ſuæ nepotū delegauit. Vxorē prætorij uiri filiam, omnes quæ in fœminam cadunt laudes (ut ipſe inquit) ſupergreſſam, cùm nondū ætatis undeuigeſimū expleſſet annum, duos enixam filios amiſit. Quorū alterum quintum iam annum egreſſum miræ gratiæ, iucunditatis, ingenijq; puerum defleuit extinctū: alter aūt ſui nomen parentis referēs, iamq; ætatis decimū egreſſus annū, omnibus etiā, quas uix illa capiat ætas, corporis animiq; laudib. cumulatus, & cōſulari nuper adoptiōe ad omniū ſpes bonorū prius admotus, atq; auunculo prætori gener deſtinatus, & omniū ſpe ſacris eloquentiæ candidatus, cùm octo menſium ualetudinem perpeſſus eſſet, infelici parenti hos ipſos etiā in pueri uſum elucubranti libros, alterū orbitatis uulnus inflixit, atq; hunc ſuum caſum in horū librorū ſexto uir pius, ſed omnium ſuorū ſuperſtes miſerabiliter delamentatur. Hos autem qui nunc in manibus noſtris libri uerſantur Victori Marcello cùm ſumma ſibi amicitia cōiuncto, tum eximio ſtudiorum amore flagranti dicauit: de quibus id quod de Carthagine Salluſtius ait, ſilere ſatius puto, quàm pauca dicere. Ferebantur aūt & alij duo ſub Quintiliani nomine libri Rhetoricę, neq; editi, ut ipſe inquit, à ſe, neq; in hoc comparati. Nam alterum ſermonem per biduum habitum, pueri quibus id præſtabatur, exceperant: alterum pluribus ſanè diebus, quantū notando conſequi potuerunt, interceptum, bini iuuenes temerario editionis honore uulgauerant. Hos deinde compoſuit, in quibus eadē ſunt aliqua, multa mutata, plurima adiecta. Fuit enim in homine ut in nullo unquā ingenuus quidam animus. Itaq; omnia in his libris ſedulò præcipit, & omiſſo interdum ſpecioſiore ſtyli genere ad utilitatē ſe diſcentiū ſummittit, omniaq; in ijs quę ſecutus ipſe eſt, quæ partim præceptis, partim ratione cognouerit uſurpata, ſine ulla diſſimulatiōe promit. Sed neq; ueterem, prorſusq; uulgatam opinionē ſuam damnare ipſe in his libris eſt ueritus, neq; in tanta re homo candidiſſimus cōſcius eſſe ſibi diſſimulati in ulla parte iudicij ſui ſuſtinuit. Pręter hos autem, & unum librum de cauſis corruptæ eloquentiæ, & alterum item, qui nunc quoq; extat Declamationum compoſuit: miro autem candore ueterum ingenia, uirtutesq; omnium iudicauit. Senecam tantū damnare, inuiſumq; habere eſt creditus, quod accidiſſe ſibi ipſe ſcribit, dum corruptum, & omnibus uitijs deprauatum dicēdi genus reuocare ad ſeueriora iudicia contendit. Nam cùm ſolus ferè Seneca in manibus adoleſcentium foret, nō quidem ipſum omnino conabatur excutere, ſed potioribus præferre non ſinebat. Hactenus mihi de Quintiliano comperta ſunt: nunc ad epiſtolam ipſam, ſi uidetur, exponendam aggrediamur.

ANGELI POLITIANI PRAEFATIO. IN SVETONII EXPOSITIONEM.

INTER omne ſcriptorum genus, quibus Græcæ uel Romanæ literæ floruerunt, ij mihi haud dubiè de humanis rebus egregiè meriti uident̃ eſſe, per quos aut excellentiũ populorũ aut ſummorum principum, aut omnino illuſtrium uirorũ res geſtæ fidelibus hiſtoriatum monumentis cõmendatæ ſunt. Poſuere enim in medio nobis uitam, mores, factaq; illorum: conſilia item, atque euentus rerum, in quæ omnis poſteritas, tanꝗ in exemplar inſpiceret, unde ea capere atq; haurire documenta poſſet, per quæ uel publicis, uel priuatis rationibus conſuleretur. Nam & iuniores ex hiſtoria multiplici quadam exemplorũ copia ad uitam redduntur inſtructiores, & maioribus natu uiris multo plus inde peritię ſuppeditatur, quàm quantum longiſſima hominis ætas afferre potuerit. Itaq; L. Lucullum ſcribit Cicero, cum eſſet Roma ad bellum Mithridaticum profectus, rei militaris omnino rudis, tantam tamen inter nauigandum, qua percunctandis peritioribus, qua rebus geſtis legendis operam poſuiſſe, ut cùm in Aſiam planè dux factus perueniſſet, tantus in omni genere belli extiterit, ut maximi illius regis confeſſione atque iudicio, omnibus quorumcunq; ſeculorum imperatoribus anteferretur. Alexander autem Seuerus Romanus princeps, quoties ſibi deliberandũ de negotio bellico foret, peritos hiſtoriæ homines in primis conſulebat, neq; id iniuria: ſi enim ſapienriam, quod ait Afranius, uſus quidem genuit, mater aũt peperit memoria, qui'nam tandẽ ſapientiores uel eſſe, uel haberi debent, ꝗ ei, qui non ętatis unius, atq; urbis, ſed omnis æui, omniumq; nationum facta atq; mores animo & memoria comprehenderunt? Zenobia quoq; illa, quæ poſt Odenatum maritum imperatoria occupauit inſignia, diuq; Romanis principibus inſultauit, non ſolũ græcè latinam hiſtoriam perdidicerat, uerùm Alexandrinã etiam, atq; Orientalẽ breue ipſamet in compendium redegerat. Quo minus mirandũ ſit, nõ uirtutem modò, & conſiliũ, ſcienriam præterea gerendi imperij, ſed autoritatẽ quoq; ei tantam ſu perfuiſſe, ut ſe non Arabes unꝗ regnante & fœmina & Barbara, nõ Saraceni, nõ Armenij cõmouerent, ut ſuſpicari quidem poſſimus, tale illi quiddã mulieri contigiſſe, quale de hominis ruſtici uxore fertur in fabulis. Agricola, inquiunt, deformi facie metuens, ne ſibi conſimiles liberi gignerentur, hoc remedium commentus eſt: domi imagines egregiè formoſas collocauit. In eas aſpicere uxorẽ quàm minimè conniuentibus oculis aſſiduè iuſſit. Ita de ſe quàm pulcherrimam ſobolẽ propagauit. Eodem hæc uidelicet pacto fœmina inſignis, magnam uirorũ excellentium ſimilitudinem contraxerat, quorum ſibi exempla ad imitandum propoſuerat, quorum aſſiduè facta & mores in hiſtoria ipſa quaſi in tabula aliqua, aut ſpeculo contemplabatur. Rectè enim etiam Cicero temporum teſtem, lucem ueritatis, uitã memorię, nunciam uetuſtatis appellat hiſtoriam. Ea eſt una, cuius ope aduerſus omnem fortunę temeritatẽ, quaſi Vulcanijs armis muniti ſumus, atq; armati, ea hoc quoq; nobis pręſtat, ut quod ad rerum cognitionẽ attinet, ſuperioribus etiam uixiſſe ætatibus uideamur. Neq; non tamen & illud hiſtoriæ ingens eſt meritum, quod & bonos laudãdo extollit, & improbos uituperando deteſtatur: ſola denique & cuſtos eſt fidiſſima temporum, & ipſa à temporibus quaſi mutuò referentibus gratiam cuſtoditur. Negant ſanè philoſophi quidam appetendam

gloriam eſſe, eamq́ rectius à uirtute uelut minimè neceſſariā negligi autumant. Virtus enim,inquiūt,ipſa ſibi eſt precium, ipſa eſt per ſeſe nullis extrinſecus illecebris expetenda. Atq; hæc illi cùm ſcribunt, ſuum tamen eis libris nomen inſcribunt.Idq́ uel maximè tum captant,unde exterrere alios enituntur.Nemo eſt eñ tam cornea fibra(ut ait Perſius)quin dulcedine aliqua laudis titilletur,nemo tam penitus frontem uel proſtituit,uel amiſit,quin metu infamiæ aliquo uellicetur. Quocirca rectè illa apud Prodicum Chium Virtus, quemadmodū quidem Xenophon Socraticus meminit; ijs ad ſe Herculem illecebris contradicente uoluptate conatur attrahere,ut inter prima decus ei honorēq́ polliceatur. Per me,inquit, iuuenes ſeniorum laudibus gaudent: ſeniores ipſi iuuenum honoribus lætantur. Iucundè præterita meminerunt, ſuauiter in præſentibus agūt. Per me dijs amici,chari amicis, patriæ honorabiles ſunt: ubi autem uita exceſſerunt,non obſcuri,non inglorij iacent, ſed perpetua memoria celebres uigent. Eadem quoq; apud Silium Virtus ait:

Mecum honor,& laudes,& læto gloria uultu,
Et decus, & niueis uictoria concolor alis.
Me cinctus lauro perducit ad aſtra triumphus.

Neq; enim exiſtimandum eſt,aut hunc ipſum Herculē, cuius egregia toto orbe terrarū facinora celebrantur, aut heroas cæteros tanta illa fuiſſe pericula ſubituros,tanta adituros certamina, ſi ſuarum memoriam rerū iuxtà ſecum intermorituram putaſſent. Pulchrè itaque Valerius Flaccus de ſuo agens Iaſone,ad hunc modum exclamat:

—Tu ſola animos,mentemq́ peruris
Gloria,te uiridem uidet immunemq́ ſenectæ
Phaſidis in ripis ſtantem,iuuenesq́ uocantem.

Ego uerò etiā conditas à primordio urbeis,etiā poſita ciuitatibus iura, etiā multa in uſum hominū inuēta,atq; excogitata ſola gloriæ cupiditate crediderim: quā niſi eſſe ciuibus neceſſariā ueteres rerumpub. gubernatores exiſtimaſſent, nunq́ tanta eius fomenta,tot coronas,trophęa,palmas,tot arcus illos,magnificosq́ triumphos propoſuiſſent. Itaq; uidere eſt noſtris his calamitoſiſſimis temporibus etiā cū uirtutis fructu,uirtutē propè ipſam intercidiſſe: nam quis eam,quæſo, amplectatur, ut Iuuenalis inquit, Præmia ſi tollas? Præmium aūt quodnam eſt honeſtius ueræ uirtutis, q̄ ipſa gloria? quæ ut in reliquis monumētis tēporariū aliquod habere diuerſoriū poteſt, ita in excellentiū hiſtoricorū libris perpetuū ſibi domicilium fabricata eſt. Nam oratorē quidē facilè,ut omnia extollentē in maius,auerſeris: hiſtoria ſi quid uel gratiæ, uel offenſæ dederit,ſuū iam nomen nō retinebit. Quamobrē ut certior ueriorq́ in ore muliebri, ingenuus & natiuus color,q̄ uel ceruſſa, uel purpuriſſo illitæ buccæ: ita hiſtoriæ ſincerū teſtimoniū fucoſis oratorum præconijs diuturnius. Quod ſcilicet & Cicero ipſe intelligēs, bellè agit cum Luceio,ſui ut rumores monumētis illius cōmendentur. Et Plinius iunior, homo ætate ſua inter primos eloquens habitus, optat Cornelij Taciti inſeri hiſtorijs, q; immortaleis futuras eas augurarēt. Sed neq; orator quiſquā, uel mediocris ſine exemplorū uarietate unq́ fuerit, quòd ſine ipſis (ut ait Cicero) nihil rectè docet, neq; hiſtoriæ munus implere alius niſi eloquentiſſimus poterit. Itaq; & Plinius idem dies noctesq́ cogitare ſe ſcribit, qua ſe quoq; poſſit tollere humo: id autem ſolam propè hiſtoriam polliceri, beatosq́ putat, quibus deorum munere datū eſt, aut facere ſcribēda, aut ſcribere legenda, beatiſſimos, quibus utrunq;. Atq; utinā Ciceroni quoq; ipſi parere aliquando hiſtoriam licuiſſet, quàm tunc præcipuè egregium

ègregium illud ingenium parturiebat, cum ſcelere inimicorum caruit rebus humanis: talem iam illam, quantum auguror, haberemus, qualem adhuc ne ſuſpicari quidem poſſumus. Nam ſi in orationibus illis ſuis, ubi omnia ad præſcriptū dicerentur, ita ſunt quædã breues inſertæ narrationes per omnes ductæ ſenſus atq; affectus, ut non dici res illæ, ſed planè geri, atque eſſe oculis ſubiectæ uideantur, quanto uberiora tandē, ampliora'q; omnia in liberrimo illo hiſtoriæ campo, quaſi in Olympiaco curriculo apparuiſſent, cùm forenſi aſperitate carens oratio, fuſo atq; æquabili ſuo quodam tractu deferretur, cùm crebrioribus uti & ſenſibus, & aculeis, liberioribus'q; uerbis, figuris remotioribus, & ad poeticam ſublimitatem q̃ proximè accedēntibus liceret: cum'q; omne argumentum magis ad memoriam poſteritatis, famam'q; ingenij, quàm ad præſens iudicium, ad exponendã rem geſtam, quàm ad fidem faciendam componeretur. Et quoniam dicēdo prouecti ſumus, ut de ſtylo etiam ipſo hiſtorico meminerimus, non alienū fortaſſe uideri poterat, reliqua etiã, quæ eſſent in hoc opere obſeruanda, quæ'q; item fugienda pręcipere: quo utendū principio, qui tenor rebus, qui modus accommodandus; quę ſubticenda, quibus immorandum, quæ carptim tantummodo perſtringēda: quo pacto fieri fides, quo'q; modo uacare omni ſuſpicione autor poſſit, quæ ſint omnino in temporum ordine, locorum deſcriptione, cauſis, conſilijs, euentibus, rebus ipſis geſtis explicandis, obſeruanda: quid ſpectare in primis autorem, à quibus auocare animū, quantum utilitati ſeruire, quantū indulgere uoluptati oporteat: uerùm hæc, alia'q; in præſentiarum breuitatis ſtudio, ſpacijs'q; (ut Vergilius ait) excluſus iniquis, prętereo, atq; alijs pòſt cōmemorãda relinquo. Iam nec poeticen quidem, ſi ad gloriam ſpectes, ulla ex parte cum hiſtoria contuleris: quippe cui aut omnino fides abrogetur, aut tum deniq; habeatur, cùm ſeſe maximè ad hiſtoriæ imitationem cōformet: & is haberi ſummus poetarum debet, qui quàm facilimè, quorū uelit auditoribus faciat fidem. Quapropter & Muſæ quoq; ipſæ apud Heſiodum in libro eo qui de deorum generatione inſcribitur, ad hunc ferè modum de ſe prædicant: nam uerſiculos ipſos, etſi fortaſſe inconditè, ad unguem tamen latinè exprimere conabor,

Scimus falſa quidem narrare ſimillima ueris!
Scimus item, quoties libitū eſt, & uera profari.

Sed & legumlatores, qui'q; ciuitatibus iura inſtituant, niſi hiſtoriã planè tenuerint, mendoſè ſuum officium faciant neceſſe eſt. Vt enim pictor quidam interrogatus, quo'nam potiſſimū magiſtro profeciſſet, populū digito demonſtrans, illo, inquit: ſic is qui leges ferat, in ipſos hominum cœtus diligētiſſimè inſpicere, tanquam in exemplar debet, ut ex ſingulorū moribus, quę ad cōmunem omniū utilitatem pertineant, eliceat: ea'q; in unum contracta, & emēdata, tum deniq; in medium proferat, atq; promulget. Ac neq; ipſas quidem quamlibet ſacroſanctas leges, quod mihi pace omnium dixiſſe liceat, neq; ipſas inq; leges utiliores eſſe hominum generi, q̃ monumenta hiſtoriarum temerè cōceſſerim. Nam cùm ſit finis idem legumlatori poſitus, & hiſtorico, cum'q; eundem quaſi in ſcopum uterque aſpiciat, uidelicet, ut quàm optimis moribus inter ſe homines agant, tanto tamen eſſe rerum geſtarum conditoris pręſtabilius officiū uidetur, quam legiferi, quanto doceri hominem, quàm puniri atq; torqueri præſtat. Ad hæc philoſophia q̃q; ipſa, neq; de moribus agere, neq; de domeſticarum publicarum'que adminiſtratione rerum, ſine exemplorum multiplici copia, uarietate'q; ſatis poſſit. Id ſi cuiquam incredibilius uideatur, maximorum clariſſimorum'q; de ea re philoſophorum libros, atque in primis Ariſtotelis in manus ſumat. In quibus nullum ferè

aut

aut præceptum, aut documentum inueniet, quod non ex ipſa hiſtoria, tanquam è
capite uenaq; perenni, & fonte aliquo uberrimo emanauerit. Rerum uero natu-
ram quo pacto tractabit is qui ipſam naturæ hiſtoriam non calleat? Negent for-
taſſe id arguruli quidã noſtræ ætatis philoſophi, ut qui nec Plinij ſingulare opus
de eo negotio comprobent: idcirco uidelicet quia eſt elegãtiſſimè ſcriptum: nec
Ariſtotelis hiſtoriam de animalibus euoluant, quia latinè iam & ipſa Theodoro
Gaza interprete cœpit loqui: ij mihi ſimiles eſſe uidentur ſeruis, qui dominorum
hæreditate facti repentè diuites, neq; quo pacto induenda ſit herilis ueſtis, neque
omnino ipſius tenere ordinem norunt. Sed ſæpe apro, aut lepore, turdóq; fortè,
aut ficedula in menſa poſitis, ipſi tamen ius aliquod fatuum, aut pulmentũ, & ſor-
didiſſima quæq; cibaria magna ingluuie deuorant. Atq; ut prægnantes muliercu
læ, cùm circa tertium ferè à conceptu menſem morbo eo laborant, quem Græci
medicinæ autores κίσσαν, id latinè pica eſt, appellauerunt: utiles quidem, conſue-
tosq; cibos aſpernantur, cretam uerò, & extinctos carbones, aut rudera aliqua a-
uidius comedunt: quòd multa uidelicet in ſtomacho excrementa malè concocta
habeant: Ita ij noſtri bene quidem palliati philoſophi, cùm ſint & ipſi corruptiſſi-
ma illa ſua diſciplina imbuti, eleganteis quidem, beneq; ſentienteis ſcriptores, ut-
pote ſui diſſimilimos iurè faſtidiunt: inquinatiſſimũ autem quemq; autorem ma-
ximè quaſi blandum filiolum amplectũtur. Libuit mihi aliquando excutere ſcru
puloſius cõmentaria in Ariſtotelem nonnulla, quæ iſti inter prima adamant, ipſis
etiam Getis barbariora: deus bone, quæ monſtra in illis, quæ portenta deprehen
di? quàm aut omnino nihil ſentiunt, aut cõtra eum ipſum, quem interpretantur,
ridiculè ſentiunt? Contuli & græcum Ariſtotelem cum Teutonico, hoc eſt, elo-
quentiſſimum cum infantiſſimo, & elingui:
Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo. Vidi eum, uidi, & uidiſſe pœni-
tuit, non conuerſum è græco, ſed planè peruerſum, ſic ut ne minimum quidem al
terius ueſtigiũ in altero appareret: nihilo tamen ſecius, quæ eſt hominibus duritia
oris, arrogare ſibi uenerandum philoſophi nomen haud erubeſcunt. Sed quor-
ſum ego hæc? cũ ſint uel iſti in primis, quibus inſana in gymnaſiis ſint poſita pre-
mia, ut tanta mercede latini homines nihil ſapere diſcant etiam à Barbaris, cũ ia-
ceant, proh dedecus, & neglectui habeant bonæ, hoc eſt, Romanæ literæ, & quæ
exerere caput, atq; extollere paululum oculos ſuperiore ſeculo cœpiſſent, nemi-
nem iam reliquum, aut ſanè quàm paucos habent, qui ſubleuare eas, qui erigere
proſtratas conetur. Quæ quidem laus propria eſſe ueſtræ huius Reipub. debuit
Florentini, ut qua in ciuitate nuper eæ ſunt renatæ literæ, in eadem etiam alteren-
tur adoleſcerentq;, priſtinumq; uigorem aliquando, atq; antiquam uirtutem recu
perarent. Sed redeo unde digreſſus ſum, ne ipſa quidem philoſophia inq; ſine hi
ſtoriæ adminiculo ſuum curſum tenebit unq;, non magis ꝙ ſine uelis nautæ, atq;
remigio: utq; ualentius efficaciusq; docendi genus per exempla, ꝙ per præcepta
eſſe nemo non fateatur, ita prolixius humanũ genus hiſtoria ꝙ philoſophia de-
meretur. Ac philoſophiam quidem multi ceu prorſus inutilem, & neq; imperan
tibus, neq; rempub. adminiſtrantibus accõmodatam reprehenderũt, multi etiam
grauius inſectati uerbis inceſſerunt, nonnulli aũt, inter quos Cicero, propugna-
runt. Hiſtoriam nemo agit ream, nemo defendit, nullius quippe patrociniũ, quæ
ſit innocentiſſima, deſiderat, nullis peti maledictis potuit, quæ præclariſſimè de
uniuerſo hominum genere ſit merita. Agè uerò, quid dicam de artibus cæteris?
quarũ partim ad felicitatem nihil pertinet: partim (ut inquit ille) plus aloes ꝙ mel
lis habet, neq; tantos uſus hominibus, quanta affert detrimenta: quædam etiam
docent

docent,nõ tam quo pacto exigere uerũ poſſis,atq; fundare,q̃ quomodo proſter
nere ac demoliri. Hiſtoria & felicitatẽ participat nobis,& citra ullum nocumen-
tum prodeſt homini,& ueritatẽ ipſam uelis equiſq;(quod aiunt)inter prima pro-
ſequitur. Quapropter ut in pauca conferam,uerè hoc mihi uideor eſſe dicturus,
nullius aut facultatis aut diſciplinæ tantam utilitatẽ,quanta hiſtorię exiſtere:nam
cùm perpetua ſtigmata inurat improbis, cùm ſempiterna gloria afficiat bonos,il
los à malis artibus metu dedecoris abſterreat,hos ad pręclara facinora ſpe laudis
adhortetur,magna merito ex parte præſtantiſſima quęq; excellentiũ uirorũ ope-
ra,dicta,factaq; ipſi accepta referentur hiſtorię.Sed quoniam de ea uniuerſa ſatis
(ni fallor)pro tempore locuti ſumus, pauca etiam de illuſtriũ uitarũ ſcriptoribus
perſequamur,qui mihi quidẽ tanto eos antecellere uidentur,qui multifariã illam
hominũ,locorũ,temporumq; diuerſorũ,quaſi ſyluam in mediũ exponũt, quanto
& diligẽtius ſingula quęq; exprimere,& facilius imitari,atq; effingere,q̃ uniuer-
ſa quis poſſit.Itaq; nunq̃ ego, aut Plutarchũ minus hominibus,q̃ Herodotũ,aut
Suetoniũ,q̃ Salluſtiũ fatear cõtuliſſe.Vt em̃ Sertorianus robuſtiſſimus miles to-
tam ſemel equi caudam manu cõprehenſam auellere nõ potuit,quam deinde ta-
men lixa imbecillus,ſetas ſcilicet ipſas ſingulatim carpens, paulo negotio depila
uit: ita imitari congeſta in unũ uaria exempla difficile ſit omnibus: ſeparata autẽ,
atque digeſta facile cuiuis liceat. Autoris præterea mens cogitata illa ſua rectius
quaſi ſagittas collineabit,ſi ſenſum totũ, atq; animũ unũ ad argumentũ atq; perſo
nam,unamq; quaſi ad metam direxerit,q̃ ſi eodẽ tempore diuerſas in parteis cir-
cumegerit. Neq; autẽ maior continentibus illis ſcriptis uoluptas ineſt,cùm nihil
æquè hiſtoriæ lectorẽ afficiat,q̃ uarietas ipſa rerũ,in qua ancipites inſint hominũ
caſus,inexpectatiq; euẽtus: itaq; etiam quoquo modo ſcripta (ut Plinius inquit)
delectat: quòd ſunt natura homines curioſi, & qui nuda etiam rerũ cognitiõe ca
piant̃ earũ,quæ haud minus hoc ſcribẽdi genere,q̃ perpetuis hiſtorijs exprimun
tur.Cętera uerò ad ingenij modò oſtentationẽ pertinẽtia,neq; ſi adſint,aſperner,
neq; ſi abſint,magnopere deſiderem. Vt enim Nicoſtrato illi ab Hercule oriun-
do,maximo quidẽ athletæ,ſed turpiſſima facie homini,nemo idcirco Mileſiũ illi
Alcęum,luctatorẽ & ipſum in ſtadio præpoſuerit, quòd eſſet adoleſcens formo-
ſiſſimus: neq; em̃ de forma illic agitur,ſed de uirtute: ita nec hiſtoria, ſi qua ei ex-
trinſecus ornamẽta,uelut equo phaleræ adiungant̃:nudæ huic atq; ſobriæ, ſuaſq;
tantũ parteis exequenti anteferetur. Vt neq; citharœdũ ſanus quiſquã optimum
eſſe eum affirmauerit,qui q̃ pulcherrimam purpurã ſit indutus, ſed cui & in fidi-
bus & in cantu numerorum & modulationis ratio conſtiterit. Ad illa mihi pro ſe
quiſq; aduertat animũ,quantum domeſtica in ijs interioraq; exempla,magis q̃ in
ſuperioribus repræſententur: quæ mihi haud dubio multo eſſe conducibiliora,
utilioraq; uident̃,q̃ eorũ quæ in foro,quæ in bello,quæ in luce, atq; oculis deniq;
hominũ gerantur.Altera enim perſæpe & ſimulata,& temporaria: altera propria
ſemper & perpetua eſſe ſolent.Nemo enim,quod in prouerbio eſt,diutius perſo
nam ferre poteſt. Atq; hæc ſingula ita Suetonius hic noſter perſecutus in ſua hi-
ſtoria eſt,ut præter explicandi ſcientiã,qua mirifica eſt uſus,etiam diligentiam no
bis,fidemq; & libertatẽ ſuam planè probauerit. Nulla in his libris ſuſpicio eſt gra
tiæ,nulla ſimultatis,nihil ſtudio dictũ,nihil ſuppreſſum metu,rebus ipſis data om
nia,ueritati in primis ſeruitum eſt, ut planè appareat ad perpetuam magis poſſeſ-
ſionem(ut Thucydides ait)q̃ ad intuitum hoc opus,pugnamq; pręſentem com-
paratum eſſe. Nam qui aut fœdis aſſentationibus, aut malignis obtrectatiũculis,
ſuprà quàm res ipſa poſtulet, quaſi ſeruire hiſtoriam cogunt, ij mihi haud minus
eam

eam dehoneſtare uidentur, atque ij qui Herculem ipſum depingant Lydiæ Omphalę in muliebri, & crocina tunicula famulantem, ſedentemq́ cum lana & colu inter ancillulas, cum interim domina leonis induta ſpolium, clauam illius manu ſuſtineat, ac ſupplicantis herois caput ſandalio commitiget. Quamobrem laudandus in primis Macedo Alexander, qui Ariſtobulo hiſtoriam de ſuis rebus geſtis ſibi inter nauigandum recitanti, ubi homo adulator multa ſupra ueritatem affinxerat, ereptum manibus librum in Hydaſpen fluuium demerſit. Et tu, inquiens, ô Ariſtobule, eodem fueras pacto præcipitandus, qui iſto modo ſolus pro me depugnas, quiq; uel iaculo ipſo interficias elephantos: & iure id quidem: res enim ab alijs accipere ſcriptorem decet, ipſum domo prudentiā eloquentiamq́ afferre. Nam ut Phidias, Praxiteles, Alcamenes, alijq́ inſignes ſtatuarij, non ipſi aurum, argentum, ebur, reliquam materiam conficiebant, ſed ab Eleis puta, Argiuis, Athenienſibus acceptam perpolibant, deſecabant, componebant, coagmentabāt, formabant, auroq́ inſpergebāt: itaq; ſe præclare artificio ſuo ſatis feciſſe exiſtimabant: ſic eum profectò, qui ſit res geſtas poſteritati cōmendaturus, redigere quaſi in quadram quæ facta ſint, atq; in ordinē oportet, eaq; quàm maximè aperte euidenterq; diſponere: ſic ut qui audiat, non tam excipere ſibi auribus, quàm uſurpare oculis uideatur: Atq; hanc in primis captare hiſtoricus laudē debet, ut libertate uſus maxima in ſcribendo, ut neq; aſſentationi quaſi obnoxius, neque obtrectationi quaſi offenſus, ſed fidei ſeruiſſe, atq; incorruptæ ueritati exiſtimetur: ne quid in eo ſeruile, ne'ue quid malignius deprehendatur, ſic ut nec ullis conditionibus ſolicitatus, neq; mercedula cuiquam autoratus, ſed ſui homo iuris, rectus atq; intrepidus neutrā in partem præponderet. Neq; enim debet huius operis conditor, inaneis illos præſentium rumuſculos ſtatim quaſi manuprecium aucupari, ſed ſolidum poſteritatis expectare iudicium. Id quod feciſſe Cnidium quendam architectum dicunt, qui fabricatus regi maximam illam pulcherrimamq́ in Pharo Aegypti turrem, unde uidelicet nautis nocturna lumina oſtenderentur, ſuum quidem nomen in muri ipſius lapide clàm incidit, calcem deinde ſuperinducens, nomen inſcripſit regis, fore id quod accidit auguratus, ut haud multo pôſt literę illæ cum lorica ſua defluerent, atq; inſculptum ſaxo appareret: Soſtratus Dexiphanis Cnidius dijs ſalutaribus ob nauigantes. Non igitur ſeculi tantùm ſui leuiſſimum captabat applauſum, ſed ſibi in longum tempus, dum turris illa ſtaret, proſpiciebat. Quod idem eſt in hiſtoria aſpiciendum: præſtare autem hiſtorico perennem laudem ueritas in primis poterit. Sunt enim poſteri rerum ſcriptarum acerrimi iudices, & qui à falſis æque diſcernant uera, atq; aurum purum facilè peritus argentarius ab adulterino dignoſcat. Quocirca tantum abeſt ut hic noſter quicquam uel metu, uel ſtudio adductus, rebus ipſis detraxerit, ut Neruæ etiam, Traiani, Adriani que ſuæ ætatis Imperatorum uitas tacere pręoptauerit, quàm aut periculoſè de uiuentibus malè ſentire, aut extollendo potentiores, parum uideri liber. Sed neq; aut obſcœnitatis apud hunc quiſquā, aut crudelitatis exempla reformidet: ſiquidem & Lacedæmonij (ut eſt apud Plutarchū) ſoliti etiam ſunt per feſtos dies bene potos ſeruos, atq; ex eo parum ſui cōpotes, quos illi εἵλωτας uocabant, oſtendere inter conuiuia, atq; illo pacto docere adoleſcentes, quantum in ſe mali ebrietas contineret: & Thebanus Hiſmenias bonos iuxtà, maloſq; tibicines diſcipulis oſtendens, hoc modo, aiebat, canere oportet, illo non oportet: uidelicet collatæ uitijs uirtutes magis aliquanto, quàm ſi ſeorſum inſpexeris, dilucescunt. Fuere autem ex Romanis omnibus imperatoribus nimis quàm pauci probabiles, ut non ridiculè à ſcurra quodā mimico dictū ſit, in uno anulo bonos omneis principes perſcribi poſſe

poſſe,atq; depingi. Cuius quidem rei multæ in promptu cauſæ ſunt, licentia in primis, qua (ut Comicus inquit) deteriores ſumus: rerum deinde affluentia, quæ parens contumeliæ eſſe ſolet. Itaq; feris tauris faſciculos è fœno antiqui paſtores alligabãt cornibus, inſinuantes (ut mihi quidẽ uidet̃) nulla adeò ab re alia nimiã illã ferociam, quàm ab ſaturitate prouenire. Vnde in prouerbium quoq; adducta res eſt, ut cùm cauendũ à quoquam ſignificare uelimus, illũ dicamus fœnũ in cornu gerere. Poſt hæc amici aulici, ſatellites, improbi, factioſi, deteſtabiles, in quoduis facinus conſpirantes, ut uerè ab Homulio quodam dictum Traiano imperatori fuit, meliorẽ eſſe rempub. & propè tutiorem, in qua princeps malus eſſet, ꝗ eam in qua ſint amici principis mali: unus quippe à multis facilè corrigit̃, multi ab uno ſuperari nulla ratione poſſunt. Adhæc ignoratio rerũ omnium: pleriq; enim aut rapuerunt priuſquàm mererentur, imperium rem inuidioſiſſimam, aut ad ipſum tempeſtate quadam quaſi ad ſcopulum impegerunt, aut impoſitũ ſibi illud onus, priuſquàm uires conſuluiſſent, ſubierunt. Quaprópter ut homines equitandi parum periti, facilè ab equo ſternace excutiũtur: ita ſunt à principali ſolio nullo ferè negotio deturbati, ut à priuato adhuc Diocletiano uere uideatur dictũ, nihil eſſe difficilius, ꝗ bene imperare. Sed de his hactenus. Nunc quæ de Suetonio ipſo comperta habeamus, haud multa illa quidem, ſed multo conquiſita labore, paucis perſtringamus. C. Suetonio Tranquillo pater fuit Suetonius Lenis, Othonis Auguſticlauius, & qui bello ad Bebriacum interfuerit tertiæ decimæ legionis tribunus. Ipſe Tranquillus Adriani principis epiſtolarum magiſter aliquandiu fuit, cui tamen ſucceſſor à principe deinde eſt datus, quòd ſe apud uxorem Sabinam iniuſſu eius familiarius egerat, ꝗ reuerentia domus aulicæ poſtularet. Hunc nonnulli inter grammaticos recenſent, ac declamatorem fuiſſe perhibent: egiſſe eundem etiam cauſas, de epiſtola quadam Plinij colligimus. Cuius tamen in recentioribus libris mendoſa eſt inſcriptio, non Suetonio Tranquillo, ſed Septitio Claro, qui præfectus prætorij apud Adrianum fuit. Noſtræ lectioni uetuſtiſſimorum codicum fides adſtipulabitur. Familiare ei Suetonio fuit, amare breuitatem: idẽ à Flauio Vopiſco emendatiſſimus & candidiſſimus ſcriptor appellatur. Libertas illa, qua malorum principum uitia perſecutus eſt, etiam cuidam poſt eum magno ſtetiſſe dicitur. Nam ſceleſtiſſimus imperator Commodus, eum qui Tranquilli librum, uitam Caligulæ cõtinentem legerat, feris obijci iuſſit: quòd eundem diem natalis ipſe habuerat, quem & Caligula. Hiſtoria duodecim Cæſarum à Iulio in Domitianum uſq; deſcendens, octo in uolumina tantum diſtribuẽda eſt. Scripſit item permulta alia, ut de Græcorum luſibus librum unum, de Romanorum certaminibus & ſpectaculis duos, de anno Romano unum, de ſignis quæ reperirentur unum, ad hæc de Repub. Ciceronis contra Didymum grammaticũ, de ueſtiũ genere, atq; nominibus: de ominoſis uerbis, & unde quæq; fuerint appellata: de Roma ipſa, eiusq; inſtitutis, & moribus libros annales: primum etiam ſtemma ſeriemq; illuſtriũ Romanorũ, de quo ſcilicet uolumine & diuus Hieronymus meminerit, de officiorum inſtitutiõe, de prætoribus, cuius ex quarto octauoq; libro, nõnulla uerba & Priſcianus adducit. Et ſcriptor alius de poetis, idemq; de triumphis agens, Tranquillum utrobiq; allegat autorem. Scripſit etiam de uitijs corporalibus, ut meminit Seruius in Bucolicis. Extat præterea, ſed mutilum atq; dimidiatum, quod ei quoq; adſcribitur, opuſculum de claris grammaticis, & rhetoribus. Atq; hæc ferè ſunt, quæ de autore hoc ex diuerſis uel Græcis, uel Latinis ſcriptoribus primi nos (quod arroganter tamẽ dictum uideri nolim) ſed certè primi nos (abſit inuidia) collegimus, primi quantũ uideo in medium extulimus. Nam

de his omnibus apud Domitium quoque ipſum Ariſtarchum alterum, ut iſti uolunt eſſe, mirum ſilentium eſt: qui tamen ſiniſteriora quædam de Suetonij moribus conſectatur, Marij neſcio cuius teſtimonium citans. Nos enim adoleſcentes ipſum meminimus audire Domitiũ, cum diceret habere ſe peculiarem Marij Ruſtici librum, quem cęteris incognitũ ſecum de Gallia attuliſſet, qui tamen codex, ne extincto quidem illo, unquam comparuit. Atqꝫ ego quidem ſtudio incogniti mihi ſcriptoris incenſus, etiam ad ipſius Domitij parẽtes Benaci lacus accolas acceſſi, omnemqꝫ eius librorum ſupellectilem ſcrutatus, Marium certè hunc Ruſticum inueni nuſquam. Itaqꝫ neqꝫ obfirmabo temerè, quæ ille ſcribat, neqꝫ ut commentitia refellam: quia neutram mihi in partem ſatis conſtat. Vos qui rem, qui hominẽ noſtis, de eo pro arbitrio iudicaritis. ſcripſere, præter quos ipſe adducit Suetonius, Auguſtorũ temporũ hiſtoriam, qui quidem extent græcè, Dion atqꝫ Herodianus, cuius in Alexãdro & Maximino improbatur fides, pauca Plutarchus, nõnulla Procopius. Latini Cornelius Tacitus, Suetonij æqualis, cuius ne libri lectorum incuria deperirent, iuſſit imperator Tacitus in omnibus bibliothecis collocari, denosqꝫ annis ſingulis publicitus deſcribi. Præter hũc Aelius Spartianus, Iulius Capitolinus, Lampridius, Trebellius, Vopiſcus, Marcellinus, ac ſicui etiã addendi uidentur, Oroſius, Eutropius, Paulus: reliqui æuo interciderunt. Græci quidem Dexippus, quo etiam duce uicti ab Athenienſibus ſunt Gothi, item Callicrates, Linus Græcorum longè doctiſſimus ſcriptor: alij etiam nonnulli, quos iuſſu Cõſtantini principis, Tatius Cyrillus è Græco in Latinum conuertit. Latini Plinius, Iunius Cordus, loquacior paulo & minutiſſima quæqꝫ ſcrupuloſius cõſectatus. Philippus itẽ patris Alexãdri libertus, & qui Alexãdri quoqꝫ ipſius itinera conſcripſit Acholius. Pręter hos Marius Maximus, Aelius Sabinus, Fabius Marcellinus, Theoclius, Aſclepiodotus, Aſtyanax, Cornelius Capitolinus, Gargilius Martialis, Suetonius Optatianus, qui Taciti imp. uitam ſcripſit: ipſe quoqꝫ imperator Seuerus uitas bonorũ principum uerſibus comprehendit. Et is qui nulla fide hiſtoriam contexuerit, Gallus Antipater. Hæc hactenus. Reliqua, ſi uidetur, altera cõmentatione tranſigemus. Dixi.

PRO ORATORIBVS SENENSIVM
AD ALEXANDRVM VI. PONT. MAX.

ETSI Chriſtiana omnis Reſpub. electione Romani Pont. quemcunqꝫ eum tandem eſſe cõtigerit, gaudere ſemper iure, ac lætari debet: quoniã ſine paſtore grex domini periclitatur, tamen hoc tempus eſt, beate Pont. in quo profectò redundantem lætitiam ſuam cohibere homines nequeũt, quòd is tu nobis Pontifex maximus contigiſti, cuius & prudentiam & uirtutem diu Romana Reſpublica eccleſiaqꝫ maximis arduisqꝫ in rebus experta admirataqꝫ ſemper eſt. Verùm Senenſi ciuitati, hoc eſt, Reipublicę noſtræ ad cõmunem hanc omnium Chriſtianorum propriæ quoqꝫ & peculiares accedunt lætitiæ cauſæ, ſic ut penè à ſedibus commouere ſe ipſa, & ſua quadam uoce gratulatum uenire ad te, tuisqꝫ ſe aduoluere ſanctiſſimis pedibus uelle, ac geſtire uideatur. Sed quoniam hoc facere eam natura non ſinit, nos ad te ciues ſuos, beate Pont. publicæ gratulationis oratores miſit, qui ſcilicet in hoc celeberrimo gratiſſimoqꝫ nobis munere uicem totius ciuitatis impleremus. Gratulamur igitur tibi, Alexander Sexte, Romane Pontifex, quòd ad rerum humanarum faſtigium ſubuectus, imò ad diuinitatem

ipſam planè ſublatus, omnia præter deum minora inferioraq; te uideas: ſic ut reges etiam ipſi & principes adorare ſubmiſſi ueſtigia tua, & puluerem pedũ tuorũ lingere non modò non dedignentur, ſed loco etiam præclari muneris concupiſcant. Gratulamur & Chriſtiano gregi, cui tu uidelicet is paſtor diuina prouidentia datus es, ut illum facilè tutum ſecurumq; præſtiturus, & à furum inſidijs, & à luporum incurſibus uideare. Gratulamur quoq; nobis ipſis, hoc eſt, Senẽſi ciuitati, priuatis quibuſdam gratulandi cauſis, quas proximè ſuo loco cõmodius attingemus. Poſt hoc autem obedientiam tibi humilem, ac deuotum obſequium uero Chriſti in terris uicario, quanta maxima poſſumus ueneratione exhibemus: paratosq; ſemper fore pollicemur etiam uitam ipſam, & ſanguinem, ubi opus ſit, pro incolumitate & dignitate ſanctitatis tuæ, Romanæq; eccleſiæ profundere. Tum ijdem & ſentimus, & clarè profitemur hoc obedientiæ officium non ad gratiam ullam, ſed ex debito tibi eſſe offerendum: ſic ut à quoquam mortalium ſine ſummo ſcelere, ſine grauiſſimo periculo prætermitti neq; poſſit, neq; debeat. Nam ſi rerum natura ordine quodam miro, & pulcherrima uarietate diſtincta eſt, ſic ut à ſummo ad imum per medios quoſdam gradus, diuinitatis imago refulgeat: quanto hic ordo magis, atq; hæc uarietas nexa inter ſe, apta & cõgruens in eccleſia ipſa conſpici atq; eminere debet, quæ prorſus naturam tranſuolat, omniq; impetu, conatuq; ſuo tẽdit ad gratiam? An uerò triumphans illa in cœlis eccleſia, ordine miro fulgebit angelorũ, quorũ alij alijs pręfecti ſubiecti ue ſint: hæc uerò militans eccleſia ad illius exemplar in terris inſtituta, incondita erit, & carebit ordine? Et quó pacto igitur terribilis erit, ut caſtrorum acies ordinata? Aut quomodo omnino acies, niſi in ea ad unum quaſi imperatorem diuerſi quidam ordines alijs alij gradatim, uel parentes, uel imperantes redigantur? Siquidem unitatis ipſius, quę maximè in eccleſia quæritur, congruentior cauſa eſt unus q̃ multi: quocirca ille etiam rerum naturæ ſagaciſſimus interpres Ariſtoteles, ubi diutius optimã præſtantiſſimamq; regẽdæ ac gubernandæ uniuerſitatis rationẽ quęſierat, ſic Homericis tandẽ uerbis exclamauit: Rex unicus eſto. Rex aũt, & princeps noſter haud dubiè Chriſtus eſt: cuius in terris locum uertex apoſtolorũ Simõ obtinuit, etiam Petrus ob id appellatus, quòd ſuper eum dominus, quaſi ſuper petram eccleſiam ſuam fuerat ædificaturus. Huic & claues cœleſtis terreniq; regni, & poteſtatem Chriſtus illam immenſam tradidit, ut quod ligaret in terris, aut ſolueret, ligatũ ſolutumq; etiam foret in cœlo. Hic eſt cui cœlum aſcenſurus mandauit, ut oues paſceret ſuas: quo uerbo uicarium ſucceſſoremq; eum ſibi & inſtituit & cõſecrauit. Hic eſt etiam, quem uenire ad ſe ſuper mare ipſum relicta nauicula iuſſit: quia nõ nauem, hoc eſt, eccleſiam unam, ſicuti alij ſuam quiſq;, ſed mare, hoc eſt, ſeculum ipſum ſuſciperet gubernandum. Hic eſt etiam, cui dixit uni ut ſe ſequeretur. Hic idem unus linteum illud è cœlo demiſſum uidit, quadrupedibus omne genus, ſerpentibus, uolatilibusq; refertum, ac ſurgere, occidere, manducare inde iuſſus eſt. Vnde etiã meritò de illo mater decantat Eccleſia: Tu es paſtor omniũ, princeps apoſtolorum, tibi tradidit deus omnia regna mundi. Vt igitur hæc omnia in pauca conferantur, & ordinem habere militans eccleſia debuit, & is ordo ad unum quaſi caput fuerat referendus, & totius eccleſiæ caput ac fundamentũ Petrus eſt apoſtolus. Sed quando eccleſiam ſuam Chriſtus ita inſtituit, ut non protinus eua neſceret, ſed ad cõſummationem ſeculi uſq; perduraret, dubitandũ non eſt, quin poteſtas illa tanta in ipſius quoq; Petri ſucceſſionem, quaſiq; poſteritatẽ deſcenderet. Oportuit enim (ut Paulus inquit) tam diu hanc durare poteſtatem, q̃ diu eccleſia ipſa ædificatiõe indigeret: ædificatione autem aduſq; finẽ ſeculi indiget,

in quo electorum numerus cõplebitur. Iurè igitur pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, canimus in eccleſia: Conſtituet eos principes ſuper omnem terram. Neque enim fas erat, ut ordo ille apoſtolicus à ſapientiſſimo Ieſu Chriſto inſtitutus in ſui ſtatim primordio deficeret. Sed quis, rogo, uerus Petri ſucceſſor? An alius quàm Romanus põtifex? Non enim epiſcopi ſedes eſt, in qua primò, ſed in qua poſtremò ſederit. Petrus autem Hieroſolymis Antiochia'que relictis, Romam iubente domino: Romam, hoc eſt, in locum paſcuæ ſuæ properabat, ibi ad extremum uſque uitæ ſpiritũ, paſtoris functurus officio. Quòd ſi Petrus loco domini ſemper, ſi Romanus pontifex Petri ſucceſſor, & Chiſti uicarius in terris eſt, profectò iurè diuino caput omnes tibi ſancte pater, & genua inclinamus, omnesq; tibi tanquã ipſi domino IeſuChriſto obtemperamus, tantamq; tuam, beate Pont. eſſe poteſtatem fatemur, ut iudicia quoq; tua firma immobiliaq; permaneant, quaſi deus ipſe per te iudicet. Nec autem poteſtas iſta conferri homini ab homine tanta potuit, ſed ille ſolus contulit, qui Romanam eccleſiam ſolus fundauit, et ſupra petram fidei mox creſcentis erexit, quiq; beato Petro æternæ uitæ clauigero, terreni ſimul & cœleſtis imperij iura commiſit. Quapropter apoſtolicæ ſedis iura priuilegiaq; ſic altè radices, atque ita in ſolidum egerunt, ut transferri commouerique non poſſint: trahere fortaſſe tentabit quiſpiam, ſed eas non uiribus ullis rumpere, nec duro poterit conuellere ferro. Si autem in ueteri lege tantus pontifici honos diuino imperio habebatur, ut qui iuſſa illius detrectaret, extremo ſupplicio afficeretur: quid nobis faciendum Chriſtianis nomẽ illius gerentibus eſt, qui ſic uicarijs ſuis locutus eſt: Qui uos audit, & me audit: qui uos ſpernit, & me ſpernit. læſæ profectò diuinæ maieſtatis crimẽ incurrit, quiſquis dum Chriſtianum ſe aſſerit, ſedi iſti apoſtolicæ obedire contemnit. Verùm ſit alijs communis hæc & publica, nobis autem, hoc eſt, Senenſi ciuitati, priuatæ quoque ſunt, & propriæ huius præſtandi officij cauſæ: nam & Romana ſemper ita nos eccleſia protexit, ut illi uni libertatem, dignitatem incolumitatemq; noſtram debeamus. Et tuus ille ſecundum carnem patruus, in pontificatu autem prædeceſſor ſanctæ immortaliſq; memoriæ, Calliſtus eius nominis tertius, toto eam ſui põtificatus corpore, atq; omnibus eccleſiæ Romanæ uiribus, auxiliante etiam diuinæ uirtutis principe Franciſco Sfortia, ab Iacobi Picinini incurſu impreſſioneq; defendit. Idemq; Aeneam Picolomineum, noſtræ ciuitatis hominum doctrina & nobilitate præſtantiſſimum, præſulem tunc Senenſem, in ampliſſimum fratrum ſuorum Cardinalium collegium cooptauit: qui quidem poſt eius obitum ſtatim ſucceſſor eidem in pontificatu electus, & pius uerè nobis, & ſecundus fuit: quippe qui Rempublicam noſtram penè ab interitu ad uitã reuocauit, uiribus firmauit, autoritate munijt, dignitate auxit, opibus honeſtauit, ut ne plura quidem, aut maiora optare à ſuperis noſtra ciuitas auderet, quàm quot in eam pius ille põtifex, quantaq; contulit. Enimuero ſi referri omnia ad ſuas cauſas debẽt, ſicuti certè debent, profectò quòd uiuimus, quòd libertatem noſtram tuemur, quòd dignitate, gloria, diuitijs aucti Senenſes, decoratiq; ſumus, nulli poſt deum, neq; magis, neq; prius quàm patruo illi tuo adorandæ nobis memoriæ Calliſto acceptum ferimus. A quo uidelicet tanquam à fonte quodam perenni, tanta illa in nos, tamq; affluens omnium rerum felicitas redundauerit. Nec uerò ingratus, aut immemor accepti à Calliſto beneficij Pius fuit, ſed expeditionem, quam ille aduerſus immaniſſimum Turcæ gentis tyrannum ſuſceperat, obitu interpellatam, ſtatim ut ipſe ad pontificatum adſcitus eſt, ita nauiter continuauit, ut in ipſo molimine apparatuq; rerum uitam efflauerit, nihil ſibi neq; ad ſalutem certius, neq; ad laudem maius exiſtimans, quàm ſi ſanctiſſimi

illius

illius ſapientiſſimiꝗ pontificis, promotoris, deceſſoris' que ſui ueſtigijs inſtitiſſet. Cæterùm illis forſitan importuna mors tantum illud decus ob idipſum inuidit, ut hæc ad te laus integra, illibata, indeflorataꝗ deſcenderet. Nam & ſapientia ſingularis, cuius tam multa experimēta, tot annis ſacri princeps ſenatus dediſti, & præſtans animi magnitudo, qua mortales crederis omnes antecellere, & ætas ipſa pariter autoritati retinendæ, laboribusꝗ ferendis idonea, & uigor iſte tuus oculorum ac uultus, plenaꝗ dignitatis, plena maieſtatis facies, ac totius corporis uuida quædam uis, & ſolidum robur: tum iſtud ipſum Alexandri nomen omnibus Orientis populis formidabile, quod tibi credo non fruſtra, ſed diuinitus adoptaſti, magna quędā de te nobis, rara, ardua, ſingularia, incredibilia, inaudita pollicētur. Non enim dubitatur, quin receptura retenturaꝗ ius, maieſtatemꝗ ſuam Romana eccleſia ſit, quin uirtuti & bonis artib. honos, te pontifice, ſit habendus, ac uiri docti, diſciplinisꝗ omne genus, ingenijsꝗ florentes, præmia laborum ſint, uigiliarumꝗ laturi: quin principes omnes Chriſtiani arma quibus inter ſe nunc impiè ſæuiunt, contra Maumeticam potius rabiem impulſu autoritateꝗ tua conuerſuri ſint. Tibi enim, tibi laus hæc uerè Alexandro debetur, non magno, ſed maximo: non regi, ſed pontifici. Tunc enim uerè tu paſtor, cum belluas teterrimas, tot annos Chriſtianorum, hoc eſt, tui gregis cruore, & cædibus paſtas, totiꝗ Italiæ, atꝗ adeò ſedi iſti tuæ ſanctiſſimæ rabidis faucibus inhiantes, baculo iſto diuinæ poteſtatis repelles, abiges, contundes. Quod ut fortiter aggredi conſtanterꝗ non dubites, en ipſa tua te patria pulcherrima illa Hiſpania nunc maximè adhortat: quæ quaſi rebus tuis præludens, regem reginamꝗ ſuos diuinis honoribus efferēdos, alacri ſtudio in bellum ſecuta, maximis quidē laboribus & periculis, ſed maiore profectò laude gloriaꝗ Barbariam illam truculentā & fœdam noſtris toties cladibus triumphantē, Europæ tandē finibus exturbauit. Sed quid ego hæc apud te ſumme pōtifex? quaſi uerò aut meæ partes ſint tui adhortandi, ac non potius adorandi, aut tu ſtimulis indigeas ullis, incitandusꝗ cuiquam ſis, qui tua ſponte nihil unquam niſi arduum, niſi excelſum, niſi ſingulare uel cogitas uel moliris. Quare finem dicendi faciam, ſi prius Rempub. noſtram deditiſſimam deuotiſſimamꝗ tibi ſancte pater cunctis animi & cordis uiribus ſuppliciter commendauero, quæ non minus Alexandro Sexto pontifice maximo exultat, quàm olim Alexandro tertio ciui ſuo, Romano item pontifice exultauit, illo qui Federici imperatoris ueniam perētis ceruicem pede calcauit. Nam neꝗ dubitamus, quin tuti ſemper ſub umbra alarum tuarum Senenſes futuri ſimus, ſicuti ſub aliorum pontificum præſidio fuimus hactenus, & beneficia commodaꝗ nec pauciora abs te, nec minora prorſus expectamus, quàm olim à patruo illo tuo ſanctiſſimo pontifice acceperimus. Reliquum eſt, ut deum optimum maximumꝗ precemur, ut felix fauſtumꝗ tibi ſit ſemper, quicquid agas, quicquid cogites; utꝗ in iſta ſublimi cathedra ſedens atꝗ imperans, annos Petri procul excedas, quò uidelicet oues tuæ uocem agnoſcētes tuā, tutæ undiꝗ ſub tanto paſtore, & ſaturę diutina ſecuritate perfruantur. Dixi.

PRO ORATORIBVS FLORENTINORVM AD ALFONSVM SICILIAE REGEM.

AVDITO Ferdinandi ſapientiſſimi regis obitu Florentina ciuitas, inuicte Alfonſe rex, non minus conſternata eſt, quàm ſi ipſa quoq; tecum parente indulgentiſſimo eſſet orbata. Nullũ enim ab eo noſtra Reſpublica uel ſtudium, uel officium deſiderabat, quod præſtare unquã pius genitor etiam chariſſimis liberis conſueuiſſet, ut qui eam toties & conſilio iuuerit, & opibus defenderit, & autoritate muniuerit. Itaq; in cõmuni quaſi luctu nos ad te ciues ſuos uenire iuſſit, ut tecum gemitus, lamenta ſuam uicem conferremus: cui poſtquã muneri ſatisfeciſſemus, tum colligere nos ea tecum pariter mandauit, quibus cõmunis dolor ſi non penitus tolleretur, at certè minueretur. Multa autem ſeſe nobis offerunt, quæ nimiũ luctum quaſi ſuo iure caſtigent. Sed illa in primis, quòd perpetuo quodam tenore felicitatis eſt uſus, dum uixit Ferdinandus, quòd exitũ habuit facilem, non annis melioribus fraudatus, non faſtidia triſtioris ſenectutis expertus, quòd ſuperſtitẽ ſibi gloriam reliquit: ſic ut iuſtitiæ, ſapientiæ, conſtantięq; fama, quæ propriæ regiæ ſunt uirtutes, nemini etiam ueterum conceſſerit. Adhęc regnum tibi tradidit, hoc eſt, cui maximè debuit, cui maximè uoluit, opulentum, tranquillum, pacatũ, uiris armiſq; florens. Tibi, inquam, regnum hoc tradidit, Alfonſe rex maximo natu filio, tot rebus, tot bellis exercitato, quẽ toties uictorem complexus eſt, toties triumphantem proſecutus, cuiq; uiuens adhuc regni totius habenas domi foriſq; tradiderat, cuiuſq; uigilantia fretus, in utram uellet aurem (quod dicitur) ocioſus dormiebat. Quos autem tibi fratres genuit? Quàm conſentientes? quàm etiam ſemper unanimes? Quem uerò etiam nepotem uidit ex te natum, ſibiq; cognominem regiæ uerè indolis iuuenem? iam caſtris regendis idoneum, miris excellẽtem uirtutibus, expreſſiſſimam quandam (ut uerè omnes dicunt) imaginem uultus animiq; tui. Mitto neceſſitudines alias, amicos, ſocios, adiumenta, præſidia, ſtabilimenta'que regni tanta: mitto populariam ſtudia, quæ prius etiam per ſe prompta, tua tamen quoq; liberalitas euocauit. Hæc igitur atq; alia, quæ breuitatis ſtudio prætereo, cũ tot tantaq; ſint, ut neq; plura, neq; ampliora optare homines prudentes audeant à ſuperis, ingrati profectò ſimus, ſi nõ ratiocinemur, quæ reliqui ſumma fiat, ac ſaltem bona ipſa cum malis cõpenſemus. Reliquum eſt, rex magnanime Alfonſe, ut Reipub. noſtræ nomine, quę tibi deditiſſima eſt, omnia polliceamur, demuſq; fidem, nunq; Florentinos tuos ulla in re, quæcunq; ſors ceciderit, defuturos. Dixi.

PRO ORATORIBVS FLORENTINORVM, AD ALFONSVM SICILIAE REGEM.

QVANTA nos affici lætitia credis, quanto eſſe gaudio perfuſos, inuicte Alfonſe rex, cùm tanta omnium alacritate, ſtudio'que populorum tenere te pacatiſſimum regnum, moderariq; uidemus? quod inaudita quadam uirtute tuus ille diuiniſſimus auus peperit, quod incredibili ſapientia prouidentiſſimus pater gubernauit. Etenim ſi uotis optandus rex fuiſſet, non alium profectò, quicunq; rebus Italis fauent, à ſuperis popoſciſſent, quàm eum principem,

qui

qui ductu imperio'que ſuo diſſentientem Italiam pacauiſſet, idem'que feras illas, & ſanguinarias Turcorum nationes, tot contentionibus, tot prælijs, tanto labore, tanto etiam periculo à noſtris iugulis, à noſtris ceruicibus, à templis, ab altaribus depuliſſet: qui denique res aduerſas fortiter, ſecundas moderatè ferre, utramq; fortunam expertus didiciſſet. Atque hæ bellicæ quidem laudes, quemadmodum tuæ ſunt, Alfonſe rex, propriæ ſcilicet & peculiares, ita illæ pacis artes certatim ſibi te uindicant, fides, iuſtitia, grauitas, altitudo animi, moderatio, conſtantia, tum liberalitas, indulgentia, clementia, comitas, affabilitas, humanitas, quæ maieſtatem pariter & gratiam conciliant. Et cùm mortales omnes ad te amandum colendum'que alliciant, regij tamen diadematis fulgori nihil officiunt. Iam quantum ingenio, quantum conſilio ualeas, quis ignorat? Memoria certè rerum uerborum'que tanta tua eſſe dicitur, ut penè prodigio ſimilis habeatur. Literæ autem tam multæ, tam'que elegantes, ut illuſtrare etiam profeſſores ipſos, atque hoc unum ſemper agentes, abundè queant. Itaque ſi nunc Socraticus ille Xenophon reuiuiſcat, minimè dubitandum, quin Cyro illo præterito, te ſibi unum deligat Alfonſe, cuius ad exemplar imaginem perfecti regis atque omnibus abſoluti numeris effingat. Meritò igitur gratulantur tibi omnes quicunque Rempublicam Italorum ſaluam cupiunt. Sed in communi lætitia uehementius tamen Florentina ciuitas exultat, ſic ut uix capere animis inexplebilem lætitiam poſſit. Quæ tam multis ultro citroq; meritis atque officijs diu iam ſe tibi rebus'que tuis inenodabili uinculo copulauit. Ipſa mediusfidius tecta urbis & mœnia nobis huc proficiſcentibus geſtiebant, & quod rerum natura non patitur, reuelli penè à ſolo urbs, & cupere ipſa nobiſcum ire ad te gratulatum uidebatur: quod quoniam non potuit, nos tamen potiſſimùm ciues ſuos publicè miſit, ut iſto nobis gratiſſimo munere defungeremur, quos etiam priuatim tibi maioribus'que tuis & eſſe & fuiſſe deditiſſimos intelligebat. Gratulamur igitur tibi, rex inclyte, publico patriæ nomine, gratulaturi (ſi locus ferret) etiam priuato, tibiq; & tuis diem illum quo regno patrio atq; auito inauguratus es, auſpicatiſſimum eſſe uolumus, ac deum optimũ maximum precamur, ut proſperis initijs rerum tuarum perpetuum diu felicitatis tenorẽ, ac poſtremò ſecundiſſimos exitus accommodet. Dixi.

PRO PRAETORE FLORENTINO AD DOMINOS INEVNTES SVMMVM MAGISTRATVM.

LAVDANDA hæc in primis cōſuetudo à maioribus ueſtris tradita, magnifici potentesq; domini, ut apud uos urbanus prætor ſummum ineuntes magiſtratum, de iuſtitia uerba faciat. Quo uidelicet una opera et uos officij ueſtri admoneat, & ipſe ſui reminiſcatur. Nam qui iuſtiniam colit, eum neceſſe eſt & uirtutes etiã cæterę comitent̃. Omniũ quippe nutrix et mater iuſtitia: quæ ſi in animis uerſetur, ſapientia: ſi in corporibus, bona ualetudo: ſi in domo, concordia: ſi in ciuitate, pax: ſi deniq; in mundo, prouidentia nominatur. Hanc qui habeant, hi nec metu perturbantur, nec pudore confunduntur, nec ſolicitudine carpuntur, nec angoribus excruciantur:

ſed ipſi ſibi cōſtant,& quę ſincera uoluptas eſt,tranquillo animo ſemper & quieto perfruuntur. Itaque gens Indorum,qui Pedalij uocantur,nihil à dijs aliud in ſacrificijs, quàm iuſtitiam poſcebant. Qua una impetrata, omnia ſe adeptos arbitrabantur. Sed cùm tueri iuſtitiam mortales omnes debeant, tum ueſtrum in primis hoc munus excelſi potentesq; domini, quorum qui primus eſt, ipſo ſe nomine iuſtitiæ ferre uexillū profitetur,ut qui deinceps eum ſequimini, nihil aliud omnino aut eſſe,aut dici,quàm eiuſdem iuſtitiæ milites fortiſſimi, ac propugnatores acerrimi debeatis. Nihil igitur uerbis aut meis opus eſt uobis,aut cuiuſquam: ſi locum gradumq;,& ordinem iſtum cognòueritis, in quó uós ſenatus populus'que Florentinus collocauit. Quócirca finem dicendi faciam, ſi prius illud Epicteti Stoici dictū ueſtris auribus ingeſſero: neminē rectè alijs ius dicere,niſi qui iudex prius ipſe in ſemet fuerit. In Feſulano Ruſculo. M.CCCCXCIII.

ANGELI POLITIANI PRAELECTIO IN PERSIVM.

AESOPI illius Phrygis nótiſſimi fabulatoris,atq; in numero ſapientium uirorum meritò habiti, lepidiſſimus inter primos apológus celebratur: in quo tradit, hómines duas manticas habere,unam ante pectus, alterā à ſcapulis, tèrgoq; propendentē. Sed in priorē,inquit,aliena uitia immittimus, ideo & uidemus facile: in poſteriorem noſtra, quæ abſcondimus, & uidere negligimus. eſt enim cuiq; à natura ſua ingenitus inſitusq; cæcus amòr ſui, quem Græci uno uocabulo φιλαυτίαν uocitarunt, atq; ei quidem uitio facilè òmnes (ut inquit Plato) ueniam damus, cūm interim nullà humanó gèneri peſtis capitalior incubuerit, ut quæ neminem ſui ipſius iudicem eſſe integrum aut incorruptū patiatur: quippe amatorem cæcum (ut Horatius inquit) animæ turpia uitia decipiunt, aut etiam ipſa hæc delectant. Quocirca danda præcipuè opera eſt, non tam, ut quæ proxima nobis cognataq; ſunt, quàm quæ ſuapte natura honeſta ac laudabilia uidentur, conſectemur,ſimusq; ſui quiſq; acerrimi cenſores: ne dum noſmet nobis ignoſcimus,atq; aſſentamur,ueritatem deſeramus,quæ (ut idem inquit Plato) dijs pariter & hominibus, omnium fons eſt & origo bonorum. Rectè itaq; in Apollinis Pythij foribus,illa è cœlo delapſa ſententia inſcripta fuit, γνῶθι σεαυτὸν: qua ſcilicet præciperetur ſe quiſque uri noſſet, hoc eſt, ut manticam illam quæ ſit in tergo,reuocatam quandoq; ad pectus inſpiceremus, tam uarium profectò,tam'que multiplicem malorum omnium theſaurum, tantam morborum uitiòrumq; omnium copiam offenſuri,ut ſit quaſi aduerſus leonem, hydram,gorgonas, harpyiasq;, non quidē Hercules,Perſeus,aut Aquilonis filij, ſed ipſa omnino Pallas, hoc eſt,philoſophia cœlitus aduocanda,ut in hæc tam tetra, dira, horribiliaq; monſtra, ipſa Iouis rapidū iaculetur nubibus ignem,ipſa noſtris medeatur affectibus,ſpargatq; ſalubres Ambroſiæ ſuccos,& odoriferam panaceam. Cæterùm medicinæ hanc opem pleriq; ideo haud imploramus, quòd tam graui animi morbo laboramus, ut ne ægrotare quidem noſmet intelligamus,ſimiles illis,qui torpentia atq; obſtupeſacta mēbra,uel ob idipſum ſana eſſe arbitrant̄,quòd præmortua ſint, ſenſusq; omnis,dolorisq; expertia. Quapropter ut medici ſæpe eiuſmodi corporis partib. ferrum adhibent,aut cauteriū, quo ſcilicet uires ipſarum,uel conſopitæ excitent̄,

uel

uel fugatæ reuocentur: ita nos profectò his potiſſimũ hominibus, noſtros curandos animos tradere debemus, qui labem peſtemq; illorum omnem, cũctaq; perturbationum ſemina, ceu ferro & flammis radicitus extirpãt: quales ſcilicet ei potiſſimùm poetæ cenſentur, qui aut Romanam hanc ſatyram, aut Athenienſem illam ueterem comœdiam ſcriptitarunt. Itaq; Socratem dicere ſolitum ferũt, oportere unumquenq; etiam de induſtria eiuſcemodi ſeſe ſcriptoribus offerre. Nam ſi noſtra, inquit, uitia exprobrabunt, corrigemus: ſi aliena, nihil ad nos: quòd ſi hoc durius cuipiam uideatur, at certè ſumere ex alijs licebit exemplũ nobis, quod ex uſu ſiet, atq; in hos potiſſimũ ſcriptores, tanq; in ſpeculũ diligenter inſpicere, qui ſoli normam uitæ rectam, prauamq; ceu digito indicantes, quæq; ſequenda forẽt, quæq; euitãda uiciſſim, illa prius cera, mox hęc carbone notarint, ut cùm nos ipſi nouerimus, hoc eſt, animi temperantes (ut Plato in Charmide exponit) euaſerimus, in ipſa demum philoſophię adyta atq; penetralia accipiamur. Veriſſimum quippe eſt, quod Pythagoricus Lyſis in epiſtola ad Hipparchum ſcribit, qui corruptis obſcœnisq; morib. ſpeculationes ſermonesq; diuinos immiſceat, nihil omnino ſecus agere, quàm ſi cœnoſo puteo liquidiſſimam infundat aquam, quæ & cœnum conturbet, & ſuam ipſius contaminet puritatem. Quapropter bene ueteres primam quandam philoſophiam poeticen eſſe aiebãt, ab eaq; potiſſimùm ſapientiæ auſpicabantur initia: quippe cuius præceptis atq; exemplis, ſenſuũ labes omnes, maculæq; abſtergerentur. Vnde etiam Athenienſes feſtis Liberi patris, quæ Dionyſia illi, noſtri Bacchanalia ſeu Liberalia uocitarũt, cùm poeſis alia genera, tum in primis ueteres comœdias, in queis uitia hominum taxarentur, adhibuerunt, quòd hunc præcipuè deum purgandis præeſſe ſenſibus opinabantur. Legendi itaq; poetæ quidem omnes, pertractandiq; ſunt: ſed ei tamen inter primos, per quos, ut eſt apud Martialem: Agnoſcat mores uita, legatq; ſuos.

Nunc quæ ſit origo ſatyræ, breuiter colligamus. Mos fuit antiquis Athenienſibus, adhuc quidem per pagos diſparſis, atque agriculturæ operam dantibus, ut cum ſoluti ab opere ruſtico eſſent, genioq; indulgerẽt, quædam inter ſe iocularia conuitia per ludicrum funderent, qui mos deinde in pompam quoque, & ludos deorũ uocatus eſt, ita ut ſuperſtantes plauſtris ſaltarent, pariter & in obuiũ quęq; ſcõmata iacerent: dein extẽporanea quoq; poemata effutirent: quare adhuc Gręci cùm quenq; grauius conuitiatum prouerbio ſignificant, ἐξ ἁμαξῶν eum dicunt, hoc eſt, è plauſtris eſſe locutum. Hos deinde poetæ imitati, partim antiquam comœdiam iocis atq; amaritudine refertam, partim ſatyricam fabulam excogitarũt, argumentis dictisq; iocularibus compoſitam, in qua non reges modò, atque heroes: ſed ſatyri etiam inducerẽtur ludendi cauſa, iocandiq;, ſimul ut ſpectator inter res tragicas, ſeriasq; ſatyrarũ iocis, & luſibus delectaretur, de qua Horatius:

Carmine qui tragico uilem certauit ob hircum:
Mox etiam agreſtes ſatyros nudauit, & aſper
Incolumi grauitate iocum tentauit eodem:
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator, functusq; ſacris, & potus, & exlex.

Erant aũt tragicis, comicis, ſatyricisq; poetis cõmunia quædam: nam quadratũ habebant chorũ, præmijq; loco hircum, aut muſtũ accipiebant, eorumq; dramata in proſcenio recitabantur. Cæterùm comœdia riſum cõtinebat, & ſcommata: tragœdia luctus, atq; lamenta: ſatyra hilaritatem lacrimis admiſcebat, atq; ab eiulatu in lætitiam deſinebat. Chorus item tam ſatyræ q; tragœdiæ ſexdecim perſonis conſtabat, cùm eſſent in comœdia quatuor atq; uiginti.

Scena præterea ſatyrica, ut autor eſt Vitruuius, arboribus, ſpeluncis, mõtibus, reliquiſq; agreſtibus rebus, in topiarij ſpeciem deformatis ornabatur. Qui Cratino eius inuentionẽ attribuunt, imperiti ueterũ lectionis deprehenduntur, quandò Aeſchylo etiam, qui aliquãto prior q̃ Cratinus ætate fuit, primæ à philoſopho Menedemo, ſicut Acheo ſecundæ deferebantur. Scripſit & Pratinas quidam, & Lycophron, & Demetrius Tarſicus, & Xenocrates, & Phliaſius Timon, & alij apud Græcos permulti. Sed & Romanis gentilis fuit, atq; uernacula iocularis, & ſatyrica mordacitas, quod cùm Feſcenini indicãt uerſus, qui rudes atq; incompoſiti nuptialibus ſacris iaciebãtur alternis, cuius rei exemplũ etiam apud Catullum habemus, tum licentiora illa carmina, quæ in triumphantes uulgò canebant à militibus, qualia ſcilicet illa ſunt apud Suetonium: Ecce Cęſar nunc triumphat, qui ſubegit Gallias: Nicomedes non triumphat, qui ſubegit Cæſarem. Item: Vrbani ſeruate uxores, mœchum caluum adducimus. Vnde Martialis:

Conſueuere iocos ueſtri quoq; ferre triumphi,
Materiam dictis nec pudet eſſe ducem.

Factũ deinde, ut cùm Romani, quemadmodũ apud Liuium eſt, peſtilentia laborarent, inter alia cœleſtis iræ placamina ſcenici quoq; ludi inſtituerentur. Ac primò quidẽ ſine carmine ullo, ſine imitandorũ carminũ actu ludiones acciti ex Hetruria ad tibicinis modos ſaltantes, haud indecoros motus more Thuſco dabant. Imitari deinde eos iuuentus ſimul incõditis inter ſe iocularia fundẽtes uerſibus cœpere. Paulatim deinde proceſſit artificiũ, cęperéq; iam hiſtriones nõ iam ſicut antea Feſcenino ſimilem, incompoſitũ ac rudem uerſum alternis iacere, ſed impletas modis ſatyras deſcripto iam ad tibicinem cantu, motuq; cõgruenti peragere, quibus hinc & ſatyriſtarum interueniebant chori, Sileniq; tunicis uilloſis, ac florum uarietate amicti: ſatyri autem perizomata, & hircorum pelles induti, qui etiam uituli marini pilum erectiorẽ pro cęſarie habẽtes, qui grauiores quoq; motus ludicra geſticulatiõne imitantes, ſalſa quoq; dicacitate riſum prouocabãt. Poſt hoc Liuius Andronicus primus à ſatyris eſt auſus argumẽto fabulam ſerere, iamq; ad legem fabularum ab riſu & ioco res auocabatur, & ludus paulatim in artem uertebatur. Itaq; iuuentus hiſtrionib. fabellarũ actu relicto, ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta uerſibus iactare cœpit, à quo Exodia emanarũt, quę conſerta dein fabellis potiſſimũ Atellanis ſunt. Vnde Iuuenalis:

Vrbicus exodio riſum mouet Atellanæ,
Geſtibus Autonoes.

Atellanas autem ab Oſcis acceptas iuuẽtus tenuit, nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt: eo inſtituto manſit, ut actores Atellanarum nec tribu mouerentur, & ſtipendia tanq̃ expertes artis ludicræ facerent. Differunt autem Satyrica & Atellana, quòd in illa aut ſatyrorum perſonæ, ut ſatyrus canus, ſatyrus imberbis, ſatyrus barbatus, aut ſi quæ ſunt ridiculæ ſimiles ſatyris inducebantur, ut Autolicus etiã Buris, ut Sileni omnes quidem, ſed is quoq; inter alios, qui πάππος à Græcis, hoc eſt, auus appellabatur, cuius facies torua, atq; aſpectus truculentior q̃ cęterorum, ac ferino ſimilis affingebatur. In Atellana autem obſcœnæ erant perſonæ, ut mœchus. Hæc in ciuitate Oſcorũ Atella primũ agi cœpta, à quo eſſe putant Obſcœni uocabulũ denominatum: atq; hoc uidelicet Cicero in epiſtola ad Mariũ ſignificat. Non enim te puto, inquiẽs, Græcos aut Oſcos ludos deſideraſſe, præſertim cùm Oſcos ludos uel in ſenatu noſtro ſpectare poſſis. Ita in urbẽ ſcilicet Atellanarum licentia immigrauit, ita à Latinis ſatyra quoq; fabula recepta eſt. Sed cùm nominatim homines à principio carperentur, ludusq; & libertas in licentiam & contume-

contumeliam uerteretur, cumq́ honeſtæ etiam perſonæ fœdius notarentur, lata Romæ lex eſt, ut ſi quis malum carmen in quenquam ſcripſiſſet, eius rei ius iudiciumq́ eſſet. Ita metu pœnę Scenici poetæ à maledicendo deſtiterunt. Qua de re ad hunc modum ſcribit Horatius:

Agricolæ priſci fortes, paruoq́ beati,
Condita poſt frumenta leuantes tempore feſto
Corpus, & ipſum animum ſpe finis dura ferentem
Cum ſocijs operum pueris, & coniuge fida
Tellurem porco, Siluanum lacte piabant,
Floribus, & uino genium memorem breuis æui.
Feſcenina per hunc inducta licentia morem,
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit:
Libertasq́ recurrentes accepta per annos
Luſit amabiliter, donec iam ſæuus apertam
In rabiem cœpit uerti iocus, & per honeſtas
Ire domos, impunè minax. doluere cruento
Dente laceſſiti, fuit intactis quoq́ cura
Conditione ſuper cōmuni: quin etiam lex,
Pœnaq́ dicta, malo quæ nollet carmine quenq́
Deſcribi: uertere modum formidine fuſtis,
Ad benedicendum delectandumq́ redacti.

Sed extitit deinde Scipionis ac Lælij ætate acerrimi poeta ingenij, miræ'que eruditionis atque urbanitatis Lucilius ex Arunca urbe, homo haud quidem tenui cēſu, libertate autem tanta, ut cum primus ipſe nouiſſimam hanc ſatyram excogitaſſet, non modò ſummates uiros, Lupum Albutium, Q. Metellum, præterea Scæuolam, permultos'que item nominatim ſciderit, ſed uniuerſum quoq́ populum Romanū probroſis carminibus lacerauerit, ac ne mortuis quidem poetis, Euripidi, Ennio, Accio, Pacuuio, cæteris'que item illuſtribus pepercerit: ſed ſcripta uniuſcuiuſque ſingulari acerbitate obtrectauerit: itaque dictus eſt primus condidiſſe ſtyli naſum, quòd naſo uidelicet, & ſanna irriſio atque uituperatio ſignificetur: quem tametſi fluere lutulentum dicit Horatius, & eſſe aliquid quod tollere poſſis, tamen inſignem gloriam multorum iudicio reportauit: adeò etiam à nonnullis probatus, ut non Horatio tantum, & Perſio, ſed planè omnibus poetis anteferretur. Ab hoc igitur uetus illa dicacitas, quam fuiſſe Græcis Latinisq́ uernaculam ſuprà oſtendimus, translata in ſatyram eſt, quæ ſic arbitror dicta ab antiquæ illius fabulæ argumento, quòd in hac quoque ridiculæ res, pudendæq́ dicuntur, quæ uelut à ſatyris proferuntur, & fiunt. Sunt autem Satyri Liberi patris comites, corniculis inſigniti, atque capripedes: qui treis præcipuas ſaltationum ſpecies, quæ in theatris uſurparentur, cordaca, ſicinum atque emmelian inuenerunt, ſingulas ab inuentorum nominibus appellatas. Vnde Ouidius: Quid non & Satyri ſaltatibus apta iuuentus Fecere? Et Catullus: Cum thiaſo inquit, ſatyrorū. Atqui & Siculus Diodorus ſatyros in Aethiopia Dionyſio ſcribit oblatos, comas umbilico tenus habentes. Et diuus Hieronymus talem quendam ab eremita Antonio uiſum affirmat: qui ipſe ex eorum numero ſe eſſe affirmauerit, quos uano, inquit, errore deluſa gentilitas, faunos ſatyroſq́ appellet. Feruntur & in ſubſolarijs Indorum montibus Catardulorum regiōe ſatyri eſſe perniciſſimum animal, tam quadrupedes, quàm recti currētes, humana effigie, qui propter uelocitatē niſi ſenes aut ęgri, non capiantur. Ab his igitur ſatyrica fabula

primùm apud Græcos appellata, ab eaq; ſatyra altera antiquior, ꝙ hæc de qua agimus, quæ uario poematum genere conſtaret, qualem ſcripſiſſe Ennius diuerſo carminũ numero, Pacuuiusq; dicuntur: quales & M. Varro Romanorũ eruditiſſimus compoſuit, quas alij Cynicas, ipſe Menippeas appellauit, ut quæ inſcribit: Neſcis quid ueſper uehat. & de officio mariti, & teſtamentũ, & illæ quæ Græcos habẽt titulos, ut περὶ ἐδεσμάτων, ὄνος λύρας, γεροντοδιδάσκαλος, ὑδροκύων, ἱπποκύων: aliæq; permultæ. Quas omneis uir ille doctiſſimus iucunditate quadam atq; hilaritate conſperſit, multaq; ex intima philoſophia admiſcuit, multa dialecticè dixit: omninoq; autem uarium & elegans (ut Cicero affirmat) omni ferè numero poema compoſuit, Menippũ imitatus Cynicum philoſophũ, qui fuiſſe Phœnix dicitur, ſeruus Batonis Pontici, librosq; multo riſu referſiſſe, ut quos inſcripſit Teſtamenta, ut compoſitas epiſtolas ex deorum perſona ad Phyſicos, Mathematicos, Grammaticos, ut Epicuri fœtus, ut imagines, aliaq; huiuſmodi, quæ tamen nonnulli Dionyſio & Zopyro Colophonijs adſcripſerũt. Atq; hic ille eſt Menippus, cuius perſonã Lucianus Syrus ſuis quoq; dialogis identidem inſeruit. Hinc itaq; ſatyra quoq; hęc nouiſſima ueriſimilius appellata uideri poteſt, ꝙ aut à lance, quę referta uarijs primitijs ſacris inferretur, aut à genere farciminis multis reb. referto, cuius Varro in Plautinis quęſtionib. meminerit: aut à lege ſatyra, de qua Lucilius & Salluſtius faciunt mentionem. Tentauit aũt poſt Luciliũ genus hoc ſcribendi Varro Citarinus, ſed ſucceſſu caruit. Hunc inſecutus Horatius eſt maximè terſus ac purus, mireq; in deridendo uafer. Dein Perſius hic noſter, quem ſuſcepimus enarrandũ, multũ & ueræ glorię, quamuis uno libro meruit, ut affirmat Quintilianus. Hic aũt non Ligur, ut quidam ſomniant, ſed Hetruſcus, Volaterriſq; natus, Neronis ætate floruit, magiſtro uſus Cornuto, annumq; undetrigeſimũ agẽs, exceſſit è uita. Nam quæ præterea de illius uita ex antiquis aliquot incertę ac friuolæ autoritatis cõmentarijs circumferuntur, ea neq; adducere in mediũ, neque aut affirmare, aut refellere in animo eſt. Hoc ipſum deinde pelagus & Iuuenalis ingreſſus, uelisq; uſus maioribus, longiusq; aliquanro ꝙ cæteri progreſſus à portu eſt. Hac igitur quadriga Romana inuecta ſatyra ad ignotam Græcis hominibus palmam decucurrit. Charactere uſi ſunt Satyri eodem fermè, quo ueteres Comici. Summa illis inæqualitas, modò exiles, ac tenues, modò exultantes, & uelut ampulloſi, nunc ſtricti & caſtigati, nunc uagi atq; effuſi, plerũq; aũt obſcuri, operoſi, implicati, cultuq; quodam florentes acquiſito atq; affectato. Idiotiſmũ præcipuè adamant, rem quę inter oratorias ac poeticas uirtutes raro procedit, magnoq; indiget temperamento, nuda ſunt uerba illis, propria, ſignificantia, energiæ plena, non græca tamen, non alioqui peregrina, nõ trita, non obſcœna & ſcurrilia reformidant. Multa aſperè, multa ſeuerè, multa blandè, multa item ambiguè dicunt, & ſubdolè. Toti urbanitate, & ſalibus, toti ſcatent ſenſiculis, atq; acuminibus: nunc omnia oblinũt felle, nunc aceto conſpergunt, nũc iocis & laſciuia condiunt, nũc mundi, nitidi, candidi, nunc horridi, agreſtes, ſquallidi, nunc leniculi, improbi, petulantes: nunc uehementes, incitati, minaces. Reprehendunt acriter, inſultant impotenter, uafrè cauillantur, aſtutè obrepunt, effluunt lubricè, tergiuerſantur, illudunt, diſſimulant, ardent, uerſant, ſuſpendunt, feriunt, pungunt, prouocant, titillant, ſtomachantur, attonant ceu fulmine omnia, & concutiunt. Ac de ſatyra quidẽ hactenus.

ANGELI POLITIANI
DIALECTICA.

QVOD facere nauium gubernatores ſolent, ut maria, portus, littora, inſulas intra unam paginam colligāt, unde quantum peractū, quantumq; ſuperſit itineris ratiocinētur: idem mihi nunc arbitror faciendum libris his enarrandis, quibus argumentandi uerißima præcepta comprehenduntur. Nam cum proximo biennio præter Porphyrij cōmunes quinq; uoces, etiam Ariſtotelis ipſius decem ſumma rerum genera, hoc eſt (ut quidam inquit) decem naturæ uerba, librumq; de elocutione ſingularē, prioresq; duos qui reſolutorij dicuntur: & extra ordinem de cauillorum præſtigijs unum publicè interpretati ſimus, ſuperſint duo poſteriores, cum quibus hoc anno luctabimur: & de argumentorum ſedibus octo, quib. tota diſputandi ratio continetur, facturus operæprecium uideor, ſi prælectione duntaxat unica rerum capita ipſa, quas aut hactenus enarraui, aut ad enarrandum deinceps accingor, breui quadam uelut enumeratione ſub oculos cōſtituero. Nam & quæ necdum tractauimus, facilius ita cognoſcentur: & quę iam perdidicimus, fidelius continebuntur. Prius igitur ꝙ in Ariſtotelis adyta reciperemur, excepti à Porphyrio ſumus uelut ab ęditiuo, qui uoces nobis cōmunes illas inſuſurrauit, genus, ſpeciē, differentiā, propriū atq; accidēs: genus illud eſſe docēs, quod de pluribus etiā ſpecie: ſpeciē, quæ de pluribus tantū numero differētibus diceref: ſic tñ ut interroganti quid eſt utrūq;, reſpōdeamus, ſumma eſſe genera decem, quę ſemper deſpiciant: infimas aūt ſpecies multas quidē, ſed numerabiles, quæ tantū ſuſpiciant, quæ media ſint, & alterutra ſummis atq; infimis interiecta, defungi utroq; munere, ſemperq; ſurſum colligi, deorſum diſsipari, dici de inferioribus: ꝙ ſuprà ſint retrorſus nō dici. De nullis indiuidua, id eſt, quorū proprietates in uno altero non concurrant: quæ quoniam comprehendi numero nequeunt, nullum cū philoſopho habere cōmercium. Differentiam de ſpecie quoq; diſcrepantibus prædicari, ſuggeri eam tamen quærenti quale quid eſt. Genera his diuidi, ſpecies compleri, ſubire formæ uicem, ſicuti materiæ ſubeat genus: atq; ad eorum ſubſtātiam conducere, quæ ſub genere eodem ſunt. Proprium quod uocatur, ſpeciei competere uni, toti & perpetuo. Aduenire accidens, & abire: ſed illo incolumi, quod ſubijcitur. Nam & ineſſe eidem poſſe, & non ineſſe: quumq; nec genus, nec ſpecies, nec differentia, nec propriū ſit, alio tamen uſquequaq; fulciri. Nam quæ communia cunctis, quæ quibuſdam, quæ nōnullis propria, quę ſingulis, facilè his cognitis tutemet indagabis. Ecce autem magnus ille Peripateticorum princeps prima nobis rerū genera proponit, quæ prædicamenta dicimus, ſed æquiuoca prius eſſe docet, quibus idem nomen, ratio non eadem: nam ſi ratio quoq; ſit eadem, dici uniuoca, ſicuti etiam denominatiua, quæ ab origine ipſa, qua producantur, ſolo differant caſu. Dici quędam iunctim, quędam ſeparatim. Dici aliqua de ſubiecto, quæ in ſubiecto nō ſint. Eſſe aliqua in ſubiecto, quæ de ſubiecto non dicantur. Competere utrunq; alijs, competere alijs neutrum. Diuerſas eſſe diuerſorum generū ſpecies, quæ deinceps in ſerie non ſint: nam in ſerie ſi fuerint, non eſſe interdum diuerſas. Quę ſeparatim dicantur, ſubſtantiam, quantū, quale, ad aliquid, ubi, quando, iacere, habere, facere, pati uocant. Subſtantiam primā decernit, quæ de ſubiecto non dicatur, ſecundam quæ dicatur: quæ de ſubiecto dicantur, ea nomen illi & rationem: quæ in ſubiecto ſunt, nunꝙ rationem, ſæpe nec nomen com

municare. Cætera uel de primis dici, uel in primis eſſe ſubſtantijs : ergo his ſubla-
tis omnia tolli. De ſecũdis magis eſſe eam ſubſtantiam, quæ primæ uicinior. Atq;
ut prima ſe habeat ad reliqua, ſic ſpecies ad genus. Nec magis unam ſpeciẽ ſub-
ſtantiam eſſe, quã alteram: de ijs loquor, quę tantùm ſpecies, nõ & genera: ſicut nec
unam aliquam primam magis altera eſſe ſubſtantiam, atq; ut prima ſe in dicendo
habeat ad reliqua, ſic ad accidentia ſpecies earũ, & genera. Commune utriuſque
ſubſtantiæ id eſſe, ut in ſubiecto non ſit. Tam nomen ſecundæ, quã rationem de pri
ma dici, quod idem tamen & differentijs cõpetat, quæ in ſubiecto quoq; ſint, ſed
ut partes. Atq; ab utriſq;, hoc eſt, & ſubſtantijs & differẽtijs, dici uniuocè omnia :
ſed primam ſubſtantiam ſignificare hoc aliquid, ſecundã quale quid potius, hoc
eſt, non quale penitus, ſed quatenus ad ſubſtantiam pertineat. Nihil his eſſe con-
trariũ, ſed nec quanto ipſi, certo præſertim: quodq; ſubſtantia ſit, id illam nec ma-
gis eſſe, nec minus: propriũ tamen illius eſſe, ut eadẽ numero contraria ſuſcipiat,
nequaq; mutationis expers, ne quęſtionẽ uel oratio moueat, uel opinio. Quantũ
uerò eſſe aut diſcretũ, aut continuum : rurſus, aut habere partium inter ſe poſitũ,
aut non habere. Diſcretum, quod nullo cõmuni termino iungatur, ut numerus,
ut oratio. Continuum, quod huic diuerſum, ut linea, ſuperficies, corpus, tempus,
locus. Nam partium poſitu conſtare lineam, ſuperficiem, ſolidum, non cõſtare nu
merũ, tempus, orationẽ, quãdo in his ordo ſit potius, quicquid præterea quantũ
dicatur horum ſimilitudine dici, nihil huic eſſe contrarium, nec enim obſtare ma
gnum & paruum. Nam & eſſe ad aliquid, & uacare contrario, niſi ſi quis de loco
ambigat, nec autem recipere magis, aut minus, proprium tamẽ quanti eſſe, quod
æquale uocamus, & inæquale. Ad aliquid illa quidẽ putari, quæ quod ipſa ſunt,
eſſe aliorum dicantur, uel alio quouis pacto. Suſcipere contrarium, ſuſcipere ma-
gis & minus, quanq; nec omnia reciproca eſſe, nec uno tamen caſu. Vt autẽ re-
ciproca negentur quædam, reddentiũ fieri uitio, quare interdum fingenda uoca-
bula: nec ad accidens tamen, ſed referendũ eſſe ad illa ipſa, ad quæ dicuntur, ubi
ſublatis etiam cæteris recurrere: nam ex ijs pleraq; ſimul eſſe. Nullas re uera ſub-
ſtantias eſſe ad aliquid, ſi rectè uoces ad aliquid, hoc eſt, quod hoc ipſo ſit, quoniã
aliquo pacto ſe ad aliquid habeat: quare altero ad liquidum cognito, protinus &
alterum cognoſci. Qualitatem deinde, qua dicamur quales in habitu & diſpoſi-
tione conſiſtere, quarum ſola diſcrimen diuturnitas faciat. Item in naturali quadã
facultate, & facultatis eius uacuitate, in affectiuis qualitatibus, quas & affectiões
quidam uocent, quæ uel ſenſus afficiunt, uel ex affectionibus oriuntur. At ſi ma-
neant, affectiuæ qualitates: ſi protinus abeant, affectiones potius nominentur, cũ
ab his quales nõ dicimur. Poſtremò in forma cuiuſque & figura, quibus denſum
tamen & rarum non adnumeres, ut quæ magis poſitu contineantur, denomina-
tiones hinc produci, niſi ſi uocabula deſint: interdum uerò ne tum quidem, cùm
præſtò ſunt. Cæterùm contraria nõ qualitatibus modò, ſed & qualibus eſſe : nec
omnibus tamen, ac ſi alterum quale ſit ex cõtrarijs, eſſe item & alterum, magisq;
ſuſcipere, & minus, nec ubique tamen. Qualitatis eſſe proprium, ſimile ac diſſimi
le: & cum ſingularia in qualitatibus ſint, unde quales appellamur, genera ipſa in-
terdum ad aliquid eſſe, nec abſurdum tamen, ut duobus idem generibus adſcri-
batur. Reliqua in unum quaſi faſciculum prædicamenta colligũtur : facere enim
& pati contrarijs offeruntur, quæ magis etiam, minus' que ſuſcipiant. Iacere ip-
ſum denominatur poſitionibus tantum quatuor, alia prorſus ut manifeſta diſſi-
mulantur. Oppoſitis immoratur Ariſtoteles, quæ ſint, aut ad aliquid, aut con-
traria, aut quale habitus & priuatio, aut quale dedicatio, abdicatio.

Plurimùm

Plurimùm uerò inuicem differant: nam ad aliquid ipſum quod ſunt oppoſitorū dici, aut quo alio pacto: contraria non item, ſed hoc ipſum contraria: quæ ſi eiuſmodi ſint, ut neceſſe alterū ſit eſſe, medio carere, alioqui nō carere, ſed medijs eſſe aliquibus nomē, aliquibus fieri, ſi extrema negaris. Priuationē circa idem ſuapte natura uerſari, & habitū: nec enim alibi eſſe priuationem, ꝗ ubi naturaliter habitus: aliudq; priuationem & habitum, ꝗ quod priuatū fuiſſe, aut habere habitū dicitur: quanꝗ utrobiq; oppoſitio. Sic aliud eſſe dedicationē, abdicationem, aliud quodcunq; his ſubeſt. Oppoſitionis tamen eundem modū. Non eaſdem eſſe priuationis, habitusq; oppoſitiones, quæ ad aliquid ſint: quoniā illæ nec alterius dicuntur, quod ſunt, nec retrò aguntur: non item eadem quæ contrariorum. Nam nec neceſſe illa alterū ineſſe, ut contrarijs quibuſdam, & ineſſe omnibus aliquando, quòd nunꝗ his euenit contrarijs, quæ medio uacent. Addit & illud nō poſſe regredi ad habitū priuationem. Deniq; abeſſe à dedicatione abdicationeq;, quibus ueri falſiq; neceſſitas inſit, neceſſitas illa inquā, quæ nec contraria tangit, nec illa quæ ad aliquid, quanꝗ alter id in contrarijs, ſed iunctim prolatis apparet. Poſtremò contraria circa idem genus uerſari, quin potius aut eſſe in eodem genere, aut in generibus cōtrarijs, aut ipſamet eſſe genera. Docet & illud uocabulū prius aut tempore dici, aut cùm retrò ſi agas, eſſe alterum non probetur, aut ordine, aut dignitate, aut quoniam ſit alteri cauſa. Vocabulū ſimul uel tempore, uel natura, ſed citra cauſam, uel quoniam ſub eodem genere ſectione eadem contrà partiaris. Sex eſſe motus ſpecies, generationem, corruptionē, incrementū, decrementum, uariationē, loci mutationem. Motui quietem contrariam, corruptioni generationem, decremento incrementū, loci mutationi mutationē alteram in contrarium locum, uariationi uel nihil, uel qualitatis pauſam, uel qualitatis in contrariū mutationem. Quin illud habere, nunc ut ad habitū diſpoſitionemq; referri, nunc ut ad quantum, nunc ut ad aliquod circa corpus, aut in corporis particula, nūc ut ad partem, nūc ut ad id quod in uaſe, nunc ut ad poſſeſſionem, nunc ad exemplū illud quo uxor uirū, uir habere uxórem dicatur. Atq; hactenus in prædicamētis. Sed age librum quoq; Peri hermenias inſpiciamus, in quo iam uerba nectuntur. Quæcunq; igitur uocibus inſunt notæ, illorū ſunt, quæ animo, ſicuti uocum notę ipſa quæ ſcribimus. Sed nec uoces, nec literæ tamen eædem cunctis cùm ſint in animo omnibus eadem quorū ſunt hæ ſimilitudines. Conceptiones & in animo ſunt ueri expertes, & falſi, quibus nomina & uerba reſpondent: nam uerum falſumq; diuiſionis eſt, & compoſitionis utrobiq;. Nomen dico uocem ſignificatui habilem, expoſito ſine tēpore, cuius pars nulla ſeorſum ſignificat, licet affectet. Cui quidem negatio ſi obſtiterit, indefinitū uocabitur nomē, ſic aliud à nomine, quemadmodū & nominis caſus. Eadem & uerbi finitio, modò tempore non fraudetur, quod eſt eorum ſignū, quæ de altero dicuntur, à quo itidem indefinitū uerbum, caſusq; uerbi diſcrepant. Hæc aūt ſeorſum quidem ſignificant, ſed non uerū tamē, ac falſum. Quare ad orationem pergamus, quæ uox eſt ſignificatui habilis, cuius etiam ſeorſum partes ipſæ ſignificant: nec omnis tamē oratio uerū falſumq; recipit, ſed enuntiatiua duntaxat, quę affirmatio primū, uel negatio eſt, etiam' que prius ꝗ copula uinciatur: uerbum autem ſibi enuntiatio poſcit, quod etiam finitionibus adhibetur: eſtq; una interdum enuntiatio in uocabulis pluribus, eſt & in uno multiplex. Senſus enim potius ibi reſpicitur, ſed affirmatio de quopiam, negatio à quopiam, quid enuntiat. Nullaq; omnino eſt affirmatio, cui nō aliqua aduerſetur negatio, quod totū contradictio dicitur. Agatur de eodem oportet, reiecta æquiuocatione, & cauillamentis cæteris. Fit autem ut uniuerſalia nomina, ſit

ut & ſingularia committantur: ſed uniuerſalia, nunc uniuerſali nota nunc particu-
lari, nunc prorſus nulla proferantur: ubi nota non eſt, nihil repugnat: ubi uniuer-
ſales, contraria naſcunt, quæ ſimul uera nunq̃ ſunt, cum uera illa eſſe poſſint, quæ
his opponũtur. At cum ab angulis mutuò reſpiciunt, contradictio fit, cuius pars
altera uera ſemper, aut falſa: quod in ſingularibus quoq; deprehenditur, etiã qua-
uis nota carentibus. Idem tamẽ quod affirmatum fuerat, abdicari ab eodem con-
uenit, cui fuerat dedicatum. non enim affirmationis cuiuſquã plures ſingulis ne-
gationes, ueraq; ſemper alterutra, niſi cùm futurum tempus ſingularia præſertim
reſpiciunt, ne fateri illud abſurdũ cogamur, ſortuitò nihil fieri. Nam neutrũ ſimul
nunquam omnino non uerum diſtinctum, quippe uerißimum ſemper. Ex nomi-
ne autem, & uerbo, uel ex indefinitis, nunc utroq;, nunc altero affirmationes pri-
mæ conſtant, & negationes: quæ ſic tamen porriguntur, ut uerbum Eſt, tertium
quiddam ſit, ac prædicato adnumeretur, aut uerbũ certè aliud adſit, quod in hoc
ipſum deniq; reſoluatur. Hic uerò enuntiationum geminatur numerus, tum ubi
quæ diximus, indefinita ponuntur, multa oritur diuerſitas, prout negatio locum
mutat. Nam uerba ipſa, & nomina, quamuis loco priore cedant, minimè intelle-
ctum uariant, alioqui negationes plures affirmationis erunt unius. Verùm nec
una dialectici interrogatio, quæ uel unum quærit de pluribus, uel de uno plura:
quare nec una reſponſione excipitur. Nam cùm ſint duo interdum ſeparatim ue-
ra, falſa eadem ſi iungas, deprehendentur: quæcunque autem ex accidenti, uel
de uno eodemq;, uel ipſa inter ſe dicuntur, nequaquam fieri unum poſſunt, nec
item, ſi quod ipſum dicitur, inerat illi iam, de quo dicitur. Quibus autem prædi-
cationibus repugnantiæ nihil adhæreſcit, & ubi uocabulis orationes dicuntur,
quæ uidelicet à ſe ipſis, non ex accidenti prædicantur, & purè uerùm profertur,
& quadantenus. Nec tamen illud omnino eſt, quod eſt in opinione. Cæterùm
per modos etiam contradictio uariatur, qui uicem prędicati obtinent, ſicuti ſub-
iecti quod reliquum. Neceſſarij dehinc illa, & poßibilis, & contingentis atq; im
poßibilis multa & uaria, ſed ab omnibus decantata contradictio. In qua tamẽ im
poßibilis æquiuocationem caueas, neceſſariũ propterea quòd actu ſit, in capite
conſtituas. Nam diſceptationem prætereo ſex illis argumentationibus confectã,
qua repugnare magis negatio affirmationi colligitur, quàm duę inter ſe affirma-
tiones: quoniam eam pleriq; Ariſtotelis eſſe negant. Quare per priores iam reſo
lutorios decurramus. Præcepta igitur de demonſtratione daturus Ariſtoteles, ip
ſam priorib. libris ratiocinationem, quoniam cõmunior, edocet propoſitionem
finiens, quæ aliquid aut confirmet, aut neget de aliquo. Sed uel uniuerſalem eſſe
ait, uel particularem, uel indefinitam, tum aliud demonſtratiuam propoſitionem,
atq; aliud dialecticam, quoniam ſumat illa propoſitionem contradictionis alte-
ram, hęc ipſius contradictionis interrogationem, ſi quęras illius optionem quod
uériſimile uideatur ſi reſpondeas. Terminũ quo propoſitio reſoluatur. Sed cum
uel ſubijci, uel prædicari, uel affirmari, uel negari: in qua oratione quæpiã ſtatuan
tur, unde aliud neceſſariò efficiatur, propterea quòd illa ſint. eam propriè ratioci
nationẽ dici: quæ ſi neceſſaria protinus appareat eſſe perfectam: ſin ad id uno aut
pluribus indigeat, quę neceſſaria quidem terminis fiant, licet ex propoſitionibus
nõ ſumant, imperfectam: ꝙ ſi nihil accipere de ſubiecto poßis, de quo non alterũ
dicatᷓ eſſe illud in altero toto, diciq; alterũ de omni, ſed & de nullo eadẽ ratio eſt.
Retrò agi ꝓpoſitiones incolumi ſenſu, ſiue abſolutæ, ſiue neceſſariæ ſint, quoties
uel uniuerſales negent, uel particulares affirmẽt: ad affirmantis uerò uniuerſales
recurrere eiuſdẽ tantũ ordinis particulares: nam quæ particulares negẽt, minimè
eſſe

eſſe retrogradas,niſi cùm propriæ contingunt,ubi particulatim magis,ꝙ in uniuerſum remeant.Perfecta ratiocinatio in prima dũtaxat è figuris tribus deprehenditur, quoties in toto medio ſit ultimus terminus in primo uel toto, uel nullo ſit medius,ſed in medio ultimus,affirmans ubiq;,nec in uniuerſum modò,ſed & per parteis: ita modi quatuor emergunt omnibus problematis idonei: mediũ uerò illud appello,quod ipſum in altero cùm ſit,in ipſo alterum medio quoq; loco recipitur: extrema,cùm quod ipſum eſt in altero,tum illud in quó eſt alterum.In figura ſecunda mediũ illud eſt,quod de utroq; dicitur: extrema,de quibus mediũ,ſed maius quòd propius ipſum: minus,quod longius: nec in medio mediũ,ſed in capite: nec perfecta ibi ratiocinatio.ſiue autem bis uniuerſale,ſiue ſemel ſit,hoc eſt, in maiore tantũ propóſitione,negare alterã cõuenit: unde modi exiſtũt quatuor, reiectis cæteris: quorũ duo priores ad primæ ſecundũ, tertius ad tertiũ retrò acta propoſitione altera,ſed non utralibet reuocantur: quartus impoſſibili perficitur, nec unꝙ quod colligitur,aſſeuerat. At quoties eidem uel utrũq; omne,uel maius nullũ minus omne,uel maius aliquod minus omne:uel item contrà,uel maius nõ omne minus omne,uel maius nullũ minus aliquod,figura hæc poſtrema,modiq́; ſex imperfecti particulatim colligentes.Primus, tertius, quartus ad primæ tertiũ, ſecundus ac ſextus ad eiuſdem quartũ propoſitione altera ceſſim redeunte perducendi.Nam quintus impoſſibili ſe perficit,hic medium poſtremo quaſi gradu ſubſidit,ac de illo tam maius ꝙ longius abeſt,quàm etiam minus extremũ prædicatur,quod adhæreſcit.Reliqua omnia coniugata reijcito,niſi ſi maior ait,minor negat,ſed utraq; in uniuerſum,Nam ſi ambæ in figura prima retrò eunt,in ſecũda minor,in tertia maior,ritè quidem,ſed non quod uoles,ratiocinabere.Abſolutis neceſſaria congruunt,licet hîc expoſitiõe perficiatur quę illic impoſſibili.Quòd ſi neceſſaria miſceas abſolutis,neceſſarium colliges,quoties maior neceſſaria fuerit: at in ſecũda, quoties uniuerſalis neceſſariò deneget,in tertia uerò , quoties in affirmãtibus utriſq; uniuerſalibus,utrauis neceſſaria proponatur, aut ſi altera neget,ipſa quæ neget: aut ſi particularis altera ſit ipſa quæ particularis non ſit.ſed & contingens hoc loco excutitur,quòd neceſſarium non ſit: at ſi eſſe tamen conce datur,nihil impoſſibile conſequatur,quare omneis propoſitiones recurrere,quę figuram habeant in contrapoſitis affirmantem.Sed contingens modò in his uerſari,quæ ſæpius uſu ueniant,neceſſitate repulſa,modò in ijs,quæ ſuſq; deq; ſe habeant.Conuerti oppoſitas utrobiq; propoſitiões, ſed illic quod ſuapte natura ſit, ad illud quod neceſſariò nõ ſit.Hic autẽ,quod ſuſq; deq; uocamus, à quo demonſtratio excluditur. Vtriſq; igitur contingentibus ſemper in figura prima contingenter colliges,ubi iugationes quas dixeris obtinueris. ſed & cùm neget utraq;, cùm neget & minor tantum(quod licet)ad affirmandum compellas, contingenter efficies quod uoles. Ita ſi contingentibus abſoluta permiſceas, maiorq́; contingens, minor abſoluta ſit,& cõtingenter colligas,& perfectè.Nam minor contingens non imperfectè modò, ſed impropriè contingens efficiet. Hic illud tractatur, ſi neceſſe eſt hoc eſſe,cum illud eſt,& cùm poſſibile hoc eſt,neceſſariò & illud fore poſſibile, quod ab hoc emanat, poſito falſo,quod impoſſibile non ſit, etiam quod inde fit,non eſſe impoſſibile, ſed falſum. Quòd ſi maius interuallum contingat,& uniuerſale ſit,minus abſolutum ponas,& particulare: colliges quidem, modò particulare affirmet: ſin autem particulari contingat, imperfectè concludes: ac ſi neget,conuerſione: ſin uerò affirmet,impoſſibili perficitur. Neceſſarium uerò contingenti perinde ſe miſcet,ut abſolutum. tantum illud uariat: quod ubi propoſitio negatur abſoluta, contingens euenit concluſio: neceſſaria

uerò quę negat,& contingens colligit,& quód non abſolutè ſit.Porrò in ſecũda nihil euenit ex contingẽtibus, quo loco illud acerrimè tuetur Ariſtoteles uniuerſalem contingentem,quæ neget,nuſquam recurrere.At ſi neget contingens, affirmet abſoluta,nimirum colligi ait,quemadmodũ & ſi neget utraq;,ſed transmutanda cõtingens.Lex eadem & neceſſario, fitq; cõcluſio ſemper latè accepti contingentis,quoties uniuerſalis neceſſariò perneget.In tertia cõtingentes duæ colligunt,ſi terminos ritè adiugent.Nam uel ſibi ipſæ conſtant,uel conuertendo reſtituuntur. Verùm ſi altera abſoluta ſit,altera contingat, nimirum continget & quod efficitur. Quòd ſi neceſſaria & contingens committantur,ubi termini aſſerunt, contingit, quod efficitur. At ſi tantùm neceſſaria propoſitio affirmet,continget ut non ſit. ſin uerò neget, non modò ut non ſit continget, ſed & prorſus non erit.Et quoniam ex impoſſibili argumentatio,pars conditionalis eſt, iurè illud oſtenditur,ad has omnino formas & eam redigi,quoniã robur ipſius ratiocinando tutamur. Deniq; illud quoq; facilius expugnari, quæ rarius colliguntur, ægrius defendi,ſed & expugnare ſe inuicem quæ particularia, quæq; uniuerſalia ſunt,defendi ab uniuerſalibus tantũmodo particularia,prorſusq; eſſe facilius oppugnare,quàm tueri.Agamus et de propoſitionum copia.De nullo ſingularia dicuntur,niſi ex accidenti.De ſummis generibus opinione reiecta nihil dicitᷣ. Conſtet oportet,quid ſit de quo agitur,quæ finitio,quod eius proprium, quid ſequatur,quid'ue præcedat,quid inde abhorreat,quæ ut quid ſint,quæ ꝓpria, quæ accidentia,quæ opinione,quæ uero: ſumendum quod rem,non quod hanc rem ſequatur,ſed adijcienda particularis nota,ne fallat indefinitum. Totum ſumendum quod præit,non quod ſequitur: ſumptis quibus comprehenditur ſubiectum, ſuperuacuo ſumpſeris, quę in uniuerſum ſequantur: ſume autem quę ſpeciem propriè conſequantur,quæq; ſint utplurimum: nec autem,quæ ſuccedunt omnibus. Sume quæ cõmuniora, ſed & medium inſpice, ſiue demonſtras, ſiue colligis impoſſibili,uenari potes ex diagrammate ſex illos quaſi limites, quib.aut affirmes, aut neges.Nõnihil ſibi & diuiſio colligit,ea eſt imbecilla ratiocinatio,ſed noſcenda omnium diſciplinarũ principia,ut ubiquaq; ratiocineris. Vt aũt reſoluas propoſitiones captandæ,uidendumq; utra in toto,utra in parte: ſarciendũ quod deſit,reijciendum quod inane ſit.Nec eſſe ſtatim ratiocinationẽ credendum, quod neceſſariũ ſit.Propoſitiones ad terminos redigendæ. Nam figuras inde ſingulas odorabere.Diſcernenda terminorũ ſimilitudo,notæ addendæ,ne diſcrimen exiguum fallat.Cauendum à terminis perperàm expoſitis,ſpectandus & habitus,& quod ex habitu.Non ſemper terminis imponenda nomina.Termini ſic ſtatuẽdi, ut primi nominum ſitus,propoſitiones caſibus uariandę.Quod duplicatur,iuxta maiorem ponendũ.Variãdi termini, cùm quid in plenũ colligis,& aliquatenus. Nomen pro nomine, ſermonem pro ſermone, alterũ capiendũ pro altero,dummodo idem ualeant.Cæterùm pro ſermone in terminis nomina capienda. Diſcrimen articuli,notæq; uniuerſalis peruidendũ,nec extimeſcendũ continuò,ſi quid ex terminis efficiatur: ſic nos illis utimur,ut Geometra literis, ut ſenſibus diſcipulus.Reſoluendũ quidq; ad ratiocinationẽ ſuam, non ad aliam pariter concludentem.Finitionis partes in terminis, non integra finitio ſumẽda. Ad hypotheticas, quod reſoluamus non eſt,ex alijs figuris redigere ad alias licuerit. Nõ eſt hoc, & eſt nõ hoc,diuerſum ſignificant,quare illud uidendũ,ne in contradictionibus offendas.In ſecundo Priorũ libro quędam quaſi adulterina tractanẽ,quæ ueritatem plerunq; ementiuntur,quocirca dicenda breuibus.Plura ſemel colligi,ut particularia uniuerſalibus.Ex ueris falſa:nam contrà uideri,q; eſſe potius:præſertim ſi nõ

prorſus

prorſus falſa maior. Id in figuris omnibus. Recurrere demonſtrationẽ recurrentibus terminis, uerſa in propoſitionẽ concluſione, ſed recurrente cõcluſione, manere alteram propoſitionẽ, cùm tollatur altera. Poſita cõcluſionis contradictione, atq; altera adſumpta propoſitione, tolli alteram impoſſibili, quod eiſdem peragi terminis quibus & iuſta demõſtratio. Ex contradicentibus quoq; ratiocinationem cludi. Iam illa, quid principij petitio, quid non ex hoc ſequens, quod falſæ rationis diſcerniculũ, quo pacto nec ratiocinando capiamur, nec refellamur, nec falſò conuictos credamus, recurſusq; illi etiam alterni extremorũ, ac medij, tũ inductio, exemplũ, auocatio, obiectio, ſignum, ueriſimile, cõmentum, ſignorũq; in phyſiognomico problemate exercitatio, reliquum ſibi huius uoluminis adſciſcunt. Itaq; ad poſteriora tranſeamus. Iuſta hic demõſtratio tractatur, cuius nobis inſita animo quaſi ſemina, ut iam quod diſcimus, nõ in plenum, ſed quadantenus ſciamus. Prænoſcimus aut eſſe aliquid, aut hoc ſignificare, ſed & utrũq;, quædãq; prius & poſterius, quædam ſimul intelligimus. Ritè quid ex cauſa ſcimus, & demonſtratione. Ducit̃ ea ex ueris primis, medio carẽtibus prioribus, cauſis neceſſarijs. Prioribus naturæ potius q̃ nobis. Principijs credendum potius q̃ concluſionibus. Prędicatũ dici per ſe de ſubiecto debet, priusq; de omni, per ſe nunc accipe uel eſſentia, uel proprio, ſed & uniuerſaliter. Vniuerſale hic intellige, quod & de omni, & per ſe, & qua ipſum eſt, nec in alio prius. Nec ideas demõſtraueris. Caue aũt, ne demonſtraſſe uniuerſale falſò te credas, aut non demonſtraſſe. Fallimur, cũ de indiuiduo agimus ſolitario. Cùm uacat nomine illud quod ſpecie diſſidentia deuincit. Cùm diſcrimen inter uniuerſale nõ cernimus, & quod de omni. Nec ueritas modò, ſed & neceſſitas exigitur: eaq; non concluſionũ modò, ſed & principiorũ: nõ modò eſſe indicans, ſed & cur ſit: nõ modò ex neceſſarijs, ſed & è ſuis, hoc eſt, ex ijs, quæ uel unius, uel cognati generis, tũ ex uniuerſalibus: nec em̃ corruptibiliũ. Nec aũt ſcientia ulla ſua tuetur principia, ſed ad unam rediguntur omnes, quæ ſapientia uocatur. Quæq; primas & eaſdem maximè cauſas conſiderat, ſubiectũ ſtatuimus eſſe. Propriũ quærimus, quid ſignificet. Axiomatis utrũq; debemus. Quorũ interdũ ui utimur potius. Sed & quædam ſunt axiomata, quæ ſcientijs congruunt omnibus. Duæ ſcientiam facultates conſtituunt, ſapientia & dialectica. Nunc eadẽ ſcientia & eſſe aliquid ſcimus, & cur ſit, nunc diuerſis. Cauſæ mutuò, & ſigna interdũ recurrunt. Altera alteri ſcientia ſubeſt. Prima demonſtratiõi figura debetur, aut rem ſic ignoramus, ut eſſe neſciamus, aut ut aliter eſſe putemus, quæ diſpoſitionis inſcitia uocatur. Fit aũt uel ubi præſtò eſt mediũ, uel ubi deſit, utrobiq; aũt aut notiõe ſimplici, aut adulterina ratiocinatiõe. Debellãdæ contrarijs potius, q̃ contradictorijs minus ueræ propoſitiones. Si ſenſus defuerint, etiam demonſtratio deerit: nam illorũ ope inducimus, atq; abſtrahimus. Noſce quod ex accidẽti dicitur, uariè dici. Cæterùm accidens quoq; de accidẽti. Sed & de accidenti eodem rurſum ſubſtantia, quaſi præter naturam prædicatur, nec ſubiecta in infinitum, nec prædicata procedunt. Particulari præſtat uniuerſale, affirmatio negationi, iuſta demõſtratio illi, quæ fit ex impoſſibili. Potior illa & prior facultas, quæ cauſam docet alterius, quæ circa intelligibile, circa uniuerſale uertitur, quę ſuperior, quæ ſimpliciora habet principia. Nam quarum diuerſa principia ſunt, hæ diuerſæ ſcientiæ: res eadem uarijs demonſtratur medijs, nulla fortuiti ſcientia, nihil ſenſibile demonſtratur, demonſtrationis origo in ſenſibus diuerſarum ſcientiarum, nec eadem propria principia, nec cõmunia. Etiam utra opinio, & ſubiecto differt à ſcientia, & æſtimationis modo. Nec eiuſdem omnino rei opinio & ſcientia. Solers ille, qui medium quaſi de improuiſo corripit.

Ergo in libro ſecundo demonſtrationis medium excutitur, quoniamq́; formalis cauſa medium potiſſimũ demonſtrationis eſt, ea porrò definitio de definitione agit. Sed & de cæteris cauſis, ſiue quæ factionem, ſiue quæ materiã, ſiue quæ finẽ ſpectent. Quæruntur & illa, num finitionis demonſtratio, num finitionis finitio; quib. finitio cõpetat, atq; unde abhorreat. Aguntur & quæſtiões, an eſt, quod eſt: eæ uerò ſimplices, ac prior magis eadem: an illi illud competat, & cur competat, eæ compoſitæ, magis tamen poſterior. Conueniunt illæ terminis, hæ propoſitionibus. Cuius demonſtratió eſt, nón eius ómnino definitio. Nec idẽ omnino definitione ſcitur, & demonſtratione. Conſtituit definitió quid eſt, ipſam demonſtratio accipit: demonſtratio prædicata, rerum naturas definitio exhibet. Neq; diuiſione finitio, neq; ſuppóſitiõe demonſtratur, utrobiq; principium petitur: eadem nec inductione probatur, nec ſenſibus. Definitió quidem ratio dicitur eius quod eſt, quod tamen aut nominis eſt, aut naturæ. Ratio autem una loco tantum differens à demonſtratione. Diuerſæ cauſæ medij locum ſubeunt, diuerſæ inquam & tempore, Quarum uel ordo, uel recurſus inſpiciendus, quoq; pacto finitionis finitio ſit, aut non ſit. Communiora definitionis accipienda, non tamen & definitorum genere, quæ definitum iuncta ſimul exęquent. Indiuiduarum partium definitiones, generum quóq; definitionibus indagandis adhibẽtur, ubi eorum ſpectatur ordo, quæ ſumuntur: illud cauetur, ne quid utile prætereatur. Ipſum quoq; quód definitur, arte quærit̃, ne res aut nomen inuicẽ perturbẽt, ubi duplex inſpicitur ſubiectorũ ſeries. Nihil idem cauſa eiuſdem ex pluribus, nec idem concluſionis, & rei. Poſtremò ſemen carentis medio propoſitionis in animo habemus, quando uniuerſale illud, quod unum præter multa ſit, ſenſibus, imaginatiõe, memoria, intellectu, formisq́; & notis quibuſdam paritur. Principium ſcientiæ intellectus, hoc eſt, cognitio principiorum ſcibilis rei. Nunc & topica percurramus.

Differere hic in quouis negotio docemur. Tractaturq́; dialectica potiſſimùm ratiocinatio ex probabilibus, differẽs à litigioſa. Quoniã in ea non tam probabilia ſunt, q̃ uidentur. Confert exercitationi, congreſſibus philóſophię. Propoſitio igitur omnis, uel problema, quod à propoſitiõe modo tantũ differt circa genus, definitionem, propriũ, atq; accidens, & quidem in prædicamentis omnibus uerſantur. Cernitur & idem, & alterum quod utrumq; genere, ſpecie, numero: quatuor dialectici inſtrumẽta, acceptio propoſitionũ, diſtinctio intellectuũ, inuentio differentiarum, cõſideratio ſimilitudinis. Propoſitiones accipimus, ex omnium, ex uulgi, è ſapientium opinionibus, uel moralibus, uel naturalibus, uel rationalibus. Diſtinguuntur intellectus inſpectis oppoſitis, ſpecie ne an uocabulo differant, item caſibus, generibus, finitionibus, comparationibus, diſcriminibus. Differentiæ generibus exquirũtur, ſimilitudo ijs indagatur, quæ diuerſorũ ſunt aut eorundem generũ. Horũ quælibet uſus habẽt in diſputandó proprios. In lib. 2. loci tractantur abſoluti accidentis ſiue refellendũ, ſiue ſit aſſerendũ: loci aũt ſunt hi ferè. Non eſt accidens interdũ, quód ut accidens enuntiat̃. Subiectũ ſeorſum capitur ab áccidenti, ſeorſumq́; definit̃. Transfertur problema ad uniuerſalẽ propoſitionem, quæritur quid ipſi obijciat̃. Decernitur, quibus appellatiõibus multitudinẽ ſequi, quibus inde recedere oportet. Diſtinguenda ęquiuocatio, ſed & ambiguitas, obſcuris infundẽda lux, generis inſpiciẽda cõtraria: ſed & propoſiti generis ſpecies, utendũ definitiõe, cõſequentia, tẽpore: reuocandũ problema illuc, ubi argumentatiões circũfluant, ueſtigãda quæ ſequunt̃. Inſpiciendũ quo affirmatio ac negatio differãt. Eruẽda etymologia, pẽſanda quę cui neceſſario, quę ſecus cõpetant. Cõplectenda omnino multiuoca, cõtrariorũ cõnexio, & oppoſita quęlibet,

& conſerta

& conſerta,& cõſertis obuia,& generationes corruptioneſq;, & propoſitionum conſequentiæ: præterea quod magis, quod minus, quod æquè ſit, & appoſitio: & quod aliquatenus,& quando,& ubi. Tertius comparationum locos habet accidentibus adſcriptos,conſiderans,utrũ diuturnius, ſtabilius, optabilius potioribus,uel ſeipſo,uel ex accidenti. Præterea utrum ſimpliciter optabilius,& ſuapte natura,utrum pręſtantioris naturæ,uel bonum,uel proprium,utrũ honoratius,ac prius,utrum finis,utrum fini propinquius,utrum ad finem præſtantiorem, utrum poſſibile.Finium proportionem cogitas,& à quibus præſtantur fines, utrum pulchrius,honeſtius,laudabilius.Præſtabilioris origo,ubi plura ſint bona, ubi uoluptas,ubi opportunitas,ubi frequentior tempeſtiuitas,utrius corruptio peior,generatio melior,utrum bono uicinius,aut ſimilius, ſed & meliori, utrum illuſtrius, utrum magis proprium,utrũ in genere meliore, utrum magis ex abundanti, utrũ rarius,utrum ſine altero eligibilius,utrum negetur minus,utro amiſſo qui doleat minus reprehendatur,utrum ſua ui ſtet,utrum aut bonum, aut meliorem reddat, cui adſit,utro bonum præſtantius efficiatur. Huc loci etiam pleriq; abſoluti accidentis faciunt. Tũ illi,quod ex duobus optabilius tertio,ipſum quoq; altero optabilius,ut cuius exceſſus,exceſſu alterius,ut quod ſeipſo potius optabile,ut quod cui adijcitur, optabilius facit, ut quod maiori additum, totum mox ipſum reddit optabilius,q̃ quod minori,ut quod ſui merito non gloriæ cauſa optabilius,ut q̃d utroq;, ut cui notiões cõpetant omnes optabiles: quodq; propter optabilia meliora ſit.Cui nihil admixtũ quod fugias.Sume tñ uniuerſales magis locos,quos & ad particulares trãſferre poſſis, ſiue determinatos, ſiue determinatiõis expertes, quæ uarijs defendunt ac refelluntur modis,& ad uſq; indiuidua perducunt. In quarto genus agit,ubi cognata inſpicis omnia,an ſit, de quo nõ dicat. De quo ut accidens, an poſſit & nõ ineſſe,an ſit in eadẽ diuiſiõe,genus & ſpecies, an capiat eius partẽ genus, quòd ſit in genere:an ꝓpoſita ſpecies alicui uerè cõpetat,cui genus ipſum nõ cõpetat: an quod poſitũ ſit in genere,nullius ſpeciei ſit particeps: an ſit genere amplius,an ex æquo ſpecies dicatur, & genus: an ſpecie quippiam differat, cuius aut non ſit illud, aut non uideatur genus, an aliud eiuſdem ſit generis, quod nec contineat genus, nec contineatur: an ſuperiora omnia genera de ſpecie dicantur,qua quid eſt:an genus uel ipſum,uel ſuperius ſpeciei ſit particeps:an ſi ſpecies,ut quid etiam genus,imò uerò genera,ut quid prædicentur: an rationes generum ſpeciei congruant, aut omnino his, quæ partem ſpeciei capiunt. An in genere poſita differẽtia ſit,an & ſpecies, an in ſpecie differentia, an in differentia genus: an dictum genus,ut differentiæ: an ut data ſpecies eſt,nulla de his differentia dicat,quæ ſunt generis: an prius natura ſpecies,an abeſſe poſſit aut genus,aut differẽtia: an quod in genere ſitum particeps alicuius aut ſit,aut eſſe poſſit, quod generi ſit contrariũ,an ſpecies alicuius particeps,quod competere his poſſit,quę ſub genere ſunt, an ſint æquiuoca ſpecies, & genus: an eſſe aliqua nequeat propoſiti generis ſpecies,an dictum tralatione genus,an aliquid ſpeciei contrarium, an in contrario contrarium, an quod generi contrariũ, nullo ſit in genere, ſed ipſum ſit genus: an genus & ſpecies alicui contraria ſint, cùm ſit alterius tantũ medium:uel ſi utriuſq;,tamẽ alterius diſſimile:an mediũ quoq; in eodẽ genere,an alicui contrariũ genus,ſpecies nulli,an mediũ aliq̃d in propoſito genere,an aliquid generi contrariũ,an in caſib.& ſerie,& æqualiter ſe habẽtibus, & generatiõibus, generãtibus,corrumpentibus ex ęquo ſequat,an priuatio ſpeciei opponat,an & generis ſui ſit negatio, an ad aliquid, an nõ ad idẽ dicatur, ut ſpecies,& ut genus: uel ut genus, & quæ ſub genere; an itidem genus & ſpecies dicatur in caſibus:

an quæ ſimiliter ad aliquid dicuntur, non ſimiliter recurrant: an non ad æqualia genus dicatur & ſpecies: an contrapoſiti contrapoſitū genus: an quæ ad aliquid, partim neceſſariò, partim ſecus: an in actu habitus, aut contrà, an habitus in cōſequenti, ſed poteſtate: an temerè quod ſequitur, acceptum ut genus, an utrunq; in eodem aliquo: an quadantenus ſpecies generis particeps, an totū in parte ſumptū, an in poteſtate aut poſſibili, an quod in duobus generibus, aut pluribus, in altero poſitum: an genus ut differentia expoſitum, uel contrà: an affectio, uel in affecto, uel pro affecto capiatur: an in ſubiecta ſpecie redditū genus, an è cōtrarijs, quod melius, aut quod æquè bonum, deteriore in genere ponatur. Specta & magis & minus ſiue ſit, ſiue appareat. Et an de quo genus dicit̄, non ſit inter ſpecies. Diſtingue à genere differentiam. Nam & amplius eſt, & qua quid dicitur. Concreta, abſtracta, comitantia peruide. Quinto uolumine proprium libratur. Inſpice, an impropriè proprium, an minus notum, an æquiuocū ibi nomen, an & ſubiectum, an & idem, an quid ibi omnibus competat, an plura eiuſdē propria, nec diſtincta, an id cuius proprium, an quod tantum ſemper comitatur: an quod nunc proprium, an quod non ſolis noſcitur ſenſibus, an definitio magis, an nuſquā proprij genus. Vide illud quoq; cuius proprium traditur, an nomen ibi genusq; diſſideant, an ſubiectū proprium ei traditū, quod in ſubiecto: an quod in proprij participatu, an prius ibi aliquid, & poſterius, an eorundem qua ſunt, eadem nō idem ſit proprium, aut non idem ſemper eorundem ſpecie, an pro illo nūc illud ſemper afferatur, an idem eiuſdem proprium. Conſidera & quę ſimilium ſunt partium, & oppoſita quælibet, & quæ de quibus prædicentur, quæ ſubijciantur, quæ diſtinguantur. Sed & caſus etiam in contrapoſitis. Et quæ ſimiliter ſe habeanr, & quæ itidē. Sed & ideam. magisq; & minus, & quod ui proprium, & quod ſuperlatiōe. In ſexto definitionis aguntur loci: cuius negotij quinq; partes. Sed hæc duo prius exquirimus: An obſcura elocutio: an plus dictum quàm oporteat. In priore: An tranſlatio adhibita, an uerba inſolita, an inde cōtrarij parū nota ratio, an nō continuò cognita definitio. In poſteriore: An planè omnibus, & an omnibus eiuſdem generis competat, an ſuperfluū quippiam, an quod eiuſdem ſpeciei non comperat omnibus, an dictum idem ſæpius, an uniuerſali additum particulare. Vtrū autem impleta ſit definitio, inde colligis, ſi uideas, an nō ex prioribus ac notioribus, an certi definitio incerta, an res in genere non ponatur, an non quæ oportet, definitum reſpiciat, an tranſiliatur genus, an omittantur differentiæ generis, an differentia deſit, quę contrà diuidatur, aur ex uero non ſit genere, an genus negatione diuidatur, an genus, an etiam ſpecies, ut differentia reddantur, an differentia hoc aliquid ſignificet, an ex accidenti definitio competat, an differentia, uel ſpecies, uel quæ ſub ſpecie dicantur de genere, an rurſus de differentia, uel genus, uel ſpecies, uel quæ ſub ſpecie, an nō differentia ſpecie prior, & an alterius quoq; generis, an quod in aliquo eſt, an etiam affectio pro differentia, an illius quod eſt ad aliquid, ipſa non ſit ad aliquid differentia, an aliò ipſum, quàm quò debeat referat̄, an nō primi definitio cum de pluribus agatur, an affectio, uel diſpoſitio, uel definitum quid aliud quod dicitur, nō ſuſcipiat, an tempore aliquo diſſentiat, an aliò pacto magis conueniat, an res ipſa magis quàm definitio, an nō ambo pariter creſcant, an magis quod re, quàm quod ratione, an utriq; alrerum pariter competat, alterum nō competat, an utrobiq; definitio duobus competat, an ſi loco nominū ſumantur orationes alicubi diſſentiant, an non finem reſpiciat, generatio ſit, an actus, an indiſtincta prædicamenta, an habitus pro habente, uel contrà, an eorum quæ ſunt ad aliquid, eodē referuntur, & genus, & ſpecies, an in reliquis oppoſitis

ordo

ordo teneatur,an ſimiles cōgruant caſus,an ideæ congruant, an una ratio æqui-
uocorū poſita,an & impliciti,an & cōpoſiti,an tranſumptio adhibita,an uariatus
intellectus uariatis nominibus,an tranſumptio nō differētię,ſed generis,an eſt cu
ius ratio traditur,nō eſt id quod ſub ratione,an indiſtinctū, quò illud referēdum,
quod eſt ad aliquid:an definita nō res,ſed bene habens,aut perfecta res,an quod
ſui cauſa eligendū ſit,alterius eligendū cauſa dicatur: an nō ipſum,ſed quod ex ip
ſo definiatur. Quæ ſcitè ſingula diſcernes,ut totum & partes,ut magis & minus,
ut melius & peius,ut inuocationē,ut præteritū compoſitionis modū, ut quod di-
cimus hoc poſt illud,ut quot modis alterū cum altero dicatur, ut an totū uocetur
aliquorū compoſitio,& an altero contrariū quippiam definiatur.Declaranda in-
terdū & definitio,interdū & melior excogitanda.Habes in ſeptimo de eodē & al
tero,caſus hic & ſeries,& cōtradictio, & efficientia, & deſtruentia perpendūtur.
An cui alterū idem & alterum. Sed & accidentia eorum, & quibus accidant. An
idem prædicationis genus,an genus alteriuſutrius,nō idem: an non eædem alte-
riuſutrius differētiæ,an alterū magis admittatur,alterū reſpuatur.Sed & acceſſio,
& deceſſio,& an ex ſuppoſitione aliquid cōpetat,an ſubiectū alicubi à prędicato
diſcordet,an ijſdē dicendis alius modus, an eſſe alterū ſine altero nequeat. Obij-
ciat affirmans,rarò à diſputantibus definitionē ratiocinādo colligi. Nam tradere
exactam,diſciplinæ eſſe alterius:ſunt enim affirmantiū & negantiū non ijdē loci,
difficiliusq́ defenditur,ꝙ oppugnať definitio. Octauo qui ultimus eſt,artes ipſæ
diſceptantiū traduntur,uel interrogantiū,uel reſpondentiū: locos inueni, temet
rogita,cum altero congredere: locorū inuentio philoſophi, duo reliqua dialecti
ci.Propoſitiones extra neceſſarias quatuor: aut enim ſunt inductionis gratia, ut
uniuerſale concedatur: aut ad pompam ſermonis,aut ad cōcluſionis latebras,aut
ad explicandū quod obſcurum.Neceſſaria nō ſtatim proponēda,ſed recedēdum
procul,niſi cum ſunt manifeſtiſſima. Inducēda ex particularib.uniuerſalia, ex no
tis ignota. Latebis ſecundæ ratiocinationis ope, & ſi poſterius concluſiones in-
terrogabis,& cōgeres:nec perpetuò,ſed interpellatim rogabis:atq́ aliorſum ten
des, ꝙ quò ſis euaſurus, aut ſimilitudinibus ages: ac tute tibi aliquid obiectabis.
Nec magnifacere uideberis,cui plurimū fidas,propones aliquid ut exemplū:nec
aūt quod obtinere uis,ſed unde id ſequatur: & ſi poſterius interrogabis, q̃d obti
nere uis,prius: ſed mutanda tamen ratio,ſi contumax homo ſit,aut acer cum quo
diſputas: dilatandus interdū ſermo: & quæ nihil ad rem faciant,inſertanda. Ma-
gnificam præſtabit diſputantis orationē uel inductio,uel diuiſio: perſpicuam ue-
rò exempla & imagines. Ratiocinandū contra dialecticos,ſed inducere uniuer-
ſalia nō ſemper licet: aliter obijciendū,ſi unū proponas: aliter, ſi duo. Ex impoſſi
bili nō magnopere argumentandū. Cauendū & illud, ne parum dialecticas pro-
poſitiones afferamus.Nec idem rogandum ſæpius, tenēda prorſus, quæ difficilè
oppugnētur,quæ facilè defendātur,ut prima, ut primis proxima, ut quæ ſunt aut
incertæ definitionis,aut impropriæ.Reſpondentis officiū eſt,necubi labaſcat:ſed
alia ratio,ſi cōgruat opinioni propoſitio,alia ſi abhorreat,alia ſi mediū teneat,alia
ſimpliciter,alia ſi uel ſibi,uel ei quē tuetur,cōgruat. Videndumq́ illud,an ad rem
faciat,quod quæritur.Si quid obſcurè quæratur,poſtulandū audacter,ut explane
tur.Si ęquiuocū,cùm ex cōmodo,aut dandum,aut diſtinguendum.Ac ſi quid ex
conceſſis deducatur quod nolis, dicendum illud aliò ſpectantem conceſſiſſe. Si
manifeſtū ſit quod quæritur,reſpōdeto eſt,nō eſt. Aliter tamē particularibus, ali-
ter uniuerſalibus occurrendū.Nunq́ abſurda poſitio tuenda. Interpellanda con-
cluſio,quod procedet,ſi illud ſuſtuleris, unde deducitur, ſi interrogāti obieceris,

ſi ad

ſi ad interroganda dixeris, ſi diem (quod eſt nouiſſimum) dicendo exemeris: nec autem uera modò, ſed & falſa: nec ex ueris modò, ſed & ex falſis colligendũ: dialecticè potius agendum, quàm litigatoriè. Nam & ſermo increpatur, & diſceptatur. Sermo igitur quinque modis, ubi nihil colligitur, ubi nihil ad rem, ubi fruſtra quippiã adijcitur, unde rurſus aufertur, ubi ex inopinabilibus, aut minus credendis deducitur. In uniuerſum cauẽda ratiocinationis uitia. Principij contrariorũq; petitio, meditandum ſæpe, quid interroganti, quid reſpondenti proſit, opus tamẽ ingenio maximo, noſcendæ rationes primarum maximè quæſtionũ, definitiones & plurimæ & nobiliſſimæ, & primæ tenendæ memoria, pernoſcenda illa potiſſimum, de quibus frequentius diſputatur. Conſueſcendum ut ex una ratione plures efficiamus. Propoſitiones à ratiocinantibus accipiẽdæ potius, ab inducentibus exempla proponendi obijciendiq; capienda exercitatio: cum hominibus indoctis non magnopere diſputandũ, habenda quaſi arma ſemper in promptu aduerſus problemata quælibet rationum illarum, quæ non facilè deimprouiſo excogitantur. Peregimus topica, leuiſſimè nunc elẽchos attingamus. Hi nõ tam præſtant ut ſimus, q̃ ut docti uideamur. Aſpiciendi tamen nonnihil, ne facilè à ſophiſtis confutemur. Quorum hi ſunt in diſputando fines, ut refellant, ut mentiri cogant, ut abſurda loqui, & barbara, & nugatoria, loci eorũ in uerbis, aut extra uerba. In uerbis æquiuocatio, ambiguitas, compoſitio, diuiſio, accentus, dictionis figura: nam ſubiectas generibus ſpecies omitto. extra uerba autem, quod ex accidenti, quod purè & aliquatenus, tũ confutationis inſcitia, & quod ex conſequẽti, nec non principij acceptio, & poſitio non cauſæ tanq̃ cauſæ, & multarum interrogationũ in unam colliſio, quos explicare longiſſimum, & fortaſſe quoniam pleruncq; ad topica referuntur, ſuperuacuum. Hactenus Ariſtotelis ars omnis, uel ratiocinandi, uel peculiariter demonſtrandi, uel differendi, uel poſtremò cauillandi. Quam qui penitus inſpexerit, edidicerit, exercuerit, & ſecũ quod opus eſt, argumentando colliget ac demonſtrabit, & cum alio diſputans facilè quod uolet, aut impugnabit, aut tuebitur. Dixi.

ANGELI POLITIANI PRAELECTIO DE DIALECTICA.

DIALECTICA nobis in manibus, nõ illa quidem, quæ ars una omnium artium maxima dicitur, eademq; puriſſima philoſophiæ pars eſt, quæq; ſe ſupra diſciplinas omnes explicat, omnibus uires accõmodat, omnibus faſtigiũ imponit. Illa enim (ſi Plotino credimus Platonicorũ ſummo) præſtat, ut ratione quadam de quouis dicere poſſimus, quod ſit, quo differat ab alio, in quo conueniat, aut ubi quidq; ſit, an ſit quod eſt, quot ſint quæ ſunt, quot rurſus quæ non ſunt, alia ſcilicet ab ijs quę ſunt. Hæc & de bono diſputat, & de eo quod bonum nõ eſt, omniaq; pertractat, quæq; ſub bono ſunt, quæq; ſub eo, quod contrarium bono. Quærit item, quid ſempiternum, quid rurſus tale non ſit, ſic tamen, ut opinionem reijciat, ſcientiam tantùm admittat, erroremq; tollat omnem, quem ſenſibilia concilient, ſupraq; id ſtatuat nos, quod ſit intelligibile, prorſuſq; mendacium repudians, in illo qui dicitur ueritatis campo animum paſcat, utaturq; Platonis diuiſione, nunc ſpecies diſtinguens, nũc indagans, quid unumquodq; ſit, nũc prima intuens genera, quęq; de his fiant, quaſi quodam mentis digito implicans, donec omne intelligibilium

tranſmittat ſpatium, rurſusq; eòdem recurrat, unde ab initiò profecta fuerat, te-
lam quidem Penelopes exemplo modò texens, modò retexens: ubi uerò quie-
ta, nihil iam quærit ultrà, ſed in ſe ipſa cōſidens, etiam, quæq; logica diſciplina uo
catur, inter propoſitiōes ratiocinationesq; ſuas, interq; regulas & theoremata a-
gitantem. Nec enim ipſa illa talibus, tamq; minutis uacat, ſicut neq; literis, ſed ue-
ritate perſpecta, atq; animi cognitis motibus, & hæc ipſa planè peruidet, ſed ma-
teriæ ſordes reformidans, uolutare in eis logicam ſinit. Quę tamen quoniam ſimi
litudine quapiam dialecticam repræſentat, nata inde cōtentio inter philoſophos
eſt, philoſophiæ'ne pars, an inſtrumentum dialectica ſit, an (quod Boetius exiſti-
mauit) utrunq;. Verùm Platonica iſta remota nimis, nimisq; etiam fortaſſis ardua
quibuſdam uideri poterit. Itaq; operæprecium, credo, faciemus, ſi inſtitutam ora-
tionem quaſi de faſtigio deducamus in planum, hoc eſt, ſi ad ea quæ ſunt inſtituti
operis propria, deſcendamus. Prius tamen quàm longius progrediar, reſponden
dum mihi tacitis quorundam cogitationibus uideo: qui quoniam ante hoc tem-
pus partem hanc philoſophiæ nunquam attigerim, quærent ex me fortaſſis, quo
tandem magiſtro uſus, dialecticæ me doctorem profiteri audeam. Quibus ego ta
men minimè ad Epicuri exemplum reſpondebo: ille enim, ut audio, ſeipſum tan-
tum ſibi in omni diſciplina magiſtrum fuiſſe iactabat, atq; αὐτομαθὴς, hoc eſt à ſeip
ſo doctus & eſſe & haberi uolebat. Ego ſi de me idem dixero, profectò mentiar.
Doctores enim habui numero plurimos, doctrina eminentiſſimos, autoritate ce
leberrimos. Pictor autem neſcio quis interrogatus, quis ei magiſter artis conti-
giſſet, digito populum monſtrauit, inde ſe uidelicet ſymmetrię, luminum, colorū,
linearumq; rationem, inde ſenſus omnes, uenuſtatem, elegantiam, argutias, aliaq;
id genus hauſiſſe ſignificans. Et ego igitur, ſi ex me quæratis, qui mihi præcepto-
res in Peripateticorū fuerint ſcholis, ſtrues uobis monſtrare librarias potero, ubi
Theophraſtos, Alexandros, Themiſtios, Hammonios, Simplicios, Philoponos,
alios'que præterea ex Ariſtotelis familia numerabitis, quorum nunc in locum (ſi
dijs placet) Burleus, Erueus, Occan, Tisberus, Antisberus, Strodusq; ſuccedunt.
Et quidem ego adoleſcens doctoribus quibuſdam, nec ijs quidem obſcuris phi-
loſophiæ dialecticæq; operam dabam, quorum alij græcarum noſtrarumq; iuxtà
ignari literarum, ita omnem Ariſtotelis librorum puritatem dira quadam moro-
ſitatis illuuie fœdabant, ut riſum mihi aliquando, interdum etiam ſtomachū mo-
uerent. Pauci rurſus, qui Græca tenebant, quanquam noua quædā nonnullis in-
audita, admirabiliaq; proferre uidebantur, nihil tamen omnino afferebant, quod
non egò aliquanto antea deprehendiſſem in ijs ipſis commentarijs, quorū mihi
iam tum copia fuit, huius beneficio Laurentij Medicis, cuius totum muneris hoc
eſt, quod ſciò, quod profiteor. Quocirca cum ne ipſi quidē quicquam, niſi (quod
dicitur) ex commentario ſaperent, libenter ego quoq; ad illos adiunxi me duces,
quorū trita ueſtigijs ad uſq; lares philoſophiæ ſemita patebat. Sed cùm ad ipſam
quoq; dominam affectarem uiam, nequaquā poſtrema fuit cura, etiam eius mihi
ancillas & pediſſequas conciliandi, quæ liberales à noſtris artes appellantur. Ea-
rum igitur me ſcitis ad hanc uſq; diem familiaritate intima eſſe uſum, quoniā non
inutiles eſſe audieram, præſertim ſi præpararent ingenium, non detinerent. Nam
ſi philoſophiam non docent, ipſæ mox tamen percipiendæ locum parant, ſi non
perducunt, at certè expediunt: quapropter minimè equidem negauerim, harum
quoq; beneficio factum, ut ipſis aliquando dominę menſis accubuerim, de cuius
uidelicet cratera uobis in præſentia propino. Nec tamē hæc prima noſtra ſunt ru
dimenta iuuenes: nam & in palæſtram quandoque diſputationis, non ſine laude

deſcendimus, & philoſophiæ libros nonnullos uel publicè uobis (quod ſcitis) uel priuatim ſtudioſis aliquot hominibus enarrauimus. Deniq; quid uerbis o pus eſt? ſpectemur agendo: ut enim oues, quod Stoicus inquit Epictetus, in paſcua dimiſſæ, nequaquã illæ quidem apud paſtorem gloriantur, plurimo ſe paſtas gramine, ſed lac ei potius, uellus'que præbent: ita philoſophus minimè quidem prędicare ipſe debet, quantum in ſtudijs deſudauerit, ſed ipſam ſuæ doctrinę frugem proferre in mediũ, quod & nobis erit, opinor, faciendũ. Quare ades auribus, atq; animis Florẽtina iuuentus, ac ueræ philoſophiæ primordia, nõ iam de lutoſis Barbarorũ lacubus, ſed de Gręcorũ Latinorumq; nitidis fontibus hauri mecũ. Curæ autẽ nobis erit, ne quid huc afferatur, quod nõ uel ratione tueri, uel autoritate poſſimus. Nec uerò aut uerboſitate nimia, aut perplexitate orationis, aut quæſtionum molibus ueſtræ mentis acies retundetur. Etenim perſpicua breuitas, atq; expeditus erit noſtræ orationis curſus. Dubitationes autem nec omnes, nec ubique aut interponemus, aut omittemus, ſic ut ueſtra quàm cõmodiſſimè exerceantur ingenia, non fatigentur. Dixi.

ANGELVS POLITIANVS ANTONIOTTO GENTILI, TT. SANCTAE ANASTAſiæ presbytero Cardinali Aurienſi S.

PARVVM quidem tuo nomini libellũ dedico, ſed (ut ſpero) nec inanem rerum, nec inopem. Multa & remota lectio, multa illum formauit opera. Titulum Nutricia diximus. Qua figura & Statius Soteria. Plenior hic enim mihi uiſus, & argumento cohærentior, quàm qui olim placuerat, Nutrix. Tu uerò electus potiſſimùm, in cuius appareat nomine, non quò rem tantillam tantæ uirtuti fortunæ'que conuenire arbitrer, aut hoc eſſe denique putem, quod tuis erga me meritis debeatur: uerùm cùm prodire nollet hic in publicum liber ſine patrocinio, tuũ pręcipuè ſibi nomen inſcripſit, ex quo tutior foret, atque honeſtior. Quare ſuſcipe quęſo, quicquid hoc eſt mei fœtus, qua me quoq; ipſum ſoles humanitate. Deinceps autem plura melioraq; forſitan accipies, modò hunc primum quaſi guſtum non aſperneris. Nec enim uel ignoro, uel diſſimulo, quantum tua mihi apud Innocentium pontificem maximum ſuffragata ſit autoritas, cui quidem et ipſi quotidie à me, ſi non par gratia, certè aliqua tamen pro uirili parte, ſcribendo ſaltem, beneq; & ſentiendo & eloquendo refertur. Vale.

ANGELI

ANGELI POLITIANI SYLVA, CVI TITVLVS NVTRICIA.

ARGVMENTVM DE POETICA ET POETIS.

STAT uetus, & nullo lex interitura ſub æuo
Diuorum, atq; hominum concors: incidit in auro
Scilicet hanc natura parens, dictaſſe feruntur
Fatorum conſulta Themis, ſolersq; futuri,
Nondum Caucaſea pendens de rupe Prometheus;
Quæ gratos blandæ officio nutricis alumnos
Eſſe iubet, longumq; pia mercede laborem
Penſat, & emeritis cumulat compendia curis.
Hinc Italos Phrygio ſignauit nomine portus
Caietæ memor Aeneas: hinc urbe Quirini
Annua cinctutos nudabant feſta Lupercos.
Hinc pater aſtrigero Dodonidas intulit axi
Bacchus Agenoreo facturus cornua tauro.
Hinc iubar Olenium ratibus pelagoq; pauendum
Exoritur, ſiquidem Cretæa fertur in Ida
Capra Iouem puerum fidis aluiſſe papillis.
Aſt ego, cui ſacrum pleno dedit ubere nectar,
Non olidi coniunx hirci, non raua ſub antris
Bellua, non petulans nymphe, non barbara mater,
Sed dea Pieridum conſors, & conſcia magnæ
Pallados, humanas auguſta poetica mentes
Siderei rapiens ſecum in penetralia cœli:
Quas rogo, quas referam grates, quæ præmia tantæ
Altrici ſoluiſſe queam, nec fulminis autor,
Nec thyrſi ſceptriq; potens? quó nam improba ducis
Mens auidum? quò me pietas temeraria cogis
Attonitum? quí nam hic animo trepidante tumultus?
Fallor? an ipſa aptum dominæ præcordia munus
Parturiunt ultrò, uocemq; & uerba canoro
Concipiunt ſenſim numero, inlibataq; fundunt
Carmina, nunq; ullis parcarum obnoxia penſis?
Sic eat. En agedum quà ſe furor incitat ardens,
Quà mens, quà pietas, quà ducunt uota ſequamur.
Intulerat terris nuper, mundoq; recenti
Cura dei ſanctum hoc animal, quod in æthera ferret
Sublimes oculos, quod mentis acumine totum
Naturæ luſtraret opus, cauſasq; latenteis
Eliceret rerum, & ſummum deprenderet æui
Artificem, nutu terras, maria, aſtra regentem,
Quod fretum ratione animi ſubſterneret uni
Cuncta ſibi, ac uindex pecudum, domitorq; ferarum
Poſſet ab ignauo ſenium defendere mundo.
Neu lento ſquallere ſitu ſua regna, neq; ægram

Segnitie pateretur iners langueſcere uitam.
Sed longum tamen obſcuris immerſa tenebris
Gens rudis,atq; inculta uirûm,ſine more,ſine ulla
Lege,propagabant æuum,paſſimq; ferino
Degebant homines ritu, uisq; inſita cordi
Mole obſeſſa graui,nondum ullos prompſerat uſus:
Nil animo,duris agitabant cuncta lacertis.
Nondum relligio miſeris (ſi credere fas eſt)
Non pietas,non officium, nec fœdera diſcors
Norat amicitiæ uulgus,diſcernere nulli
Promptum erat ambiguo ſuſceptam ſemine prolem.
Non thorus inſterni genio,non crimina plecti
Iudicio,nulla in medium conſulta referri.
Non quæri cōmune bonum,ſua cōmoda quiſq;
Metiri, ſibi quiq; ualere, & uiuere ſueti.
Et nunc ceu prorſus morientem ueſpere ſero
Ignari fleuere diem,nunc luce renata
Gaudebant ceu ſole alio,uarioſq; recurſus
Aſtrorum,uariam Phœben,ſubluſtris in umbra
Noctis,& alternas in ſe redeuntibus annis
Attoniti ſtupuere uices.inſignia longum
Spectabant cœli,pulchroq; à lumine mundi
Pendebant cauſarum inopes, rationis egentes:
Donec ab ætherio genitor pertæſus Olympo
Socordes animos,longo marcentia ſomno
Pectora,te noſtræ diuina poetica menti
Aurigam,dominamq; dedit.tu flectere habenis
Colla reluctantum, tu lentis addere calcar,
Tu formare rudes,tu prima extundere duro
Abſtruſam cordi ſcintillam, prima fouere
Auſa Prometheæ cœleſtia ſemina flammæ.
Nam ſimul ac pulchro moderatrix unica rerum
Suffulta eloquio dulcem ſapientia cantum
Protulit,& refugas tantum ſonus attigit aures,
Concurrere ferum uulgus,numeroſq;, modoſq;
Vocis & arcanas mirati in carmine leges
Denſi humeris,arrecti animis immota tenebant
Ora catervatim,donec didicere,quid uſus
Diſcrepet à recto,qui fons,aut limes honeſti
Qui'ue fide cultus,quid ius æquabile,quid mos,
Quid poſcat decor,& ratio,quæ cōmoda uitæ
Concilient inter ſe homines, quæ fœdera rebus;
Quantum inconſultas ultra ſolertia uires
Emineat,quæ dein pietas præſtanda parenti,
Aut patriæ,quantum iuncti ſibi ſanguinis ordo
Vindicet,alternum quæ copula ſeruet amorem.
Quod gerat imperium fractura Cupidinis arcus,
Atq; iras domitura truces,uis prouida ueri,

Vis animæ,celſa quæ ſic ſpeculatur ab arce,
Vt uel in aſtrigeri ſemet præcordia mundi
Inſinuet,magniq́ irrumpat clauſtra tonantis.
Agnorant ſe quiſq́ feri,pudibundaq́ longum
Ora,oculos,taciti inter ſe,immotiq́ tenebant.
Mox cunctos pariter morum , uitæq́ prioris
Pertæſum: rituſq́ auſi damnare ferarum,
Protinus exeruere hominem.tum barbara primùm
Lingua nouos ſubijt cultus,arcanaq́ ſenſa
Mandauere notis,multaq́ tuenda uirum ui
Mœnia ſuccinctus populis deſcripſit arator.
Tum licitum,uetitumq́ inter diſcrimina ferre,
Et pretium laudi,& noxæ meditantia pœnam
Vindicibus cœptum tabulis incidere iura.
Mox & dictus Hymen,& deſultoria certis
Legibus eſt adſtricta Venus,ſic pignora quiſq́,
Affectusq́ habuere ſuos,belliq́ togæq́
Innumeras cōmenti artes,etiam æthera curis
Subſtrauere auidis,etiam famulantibus altum
Inſeruere apicem ſtellis,animoq́ rotatos
Percurrere globos mundi, & ſacra templa per orbem
Plurima luſtrato poſuerunt deniq́ cœlo.
Sic ſpecies terris,uitæ ſua forma, ſuusq́
Dijs honor,ipſa ſibi tandem ſic reddita mens eſt.
An uerò ille ferox, ille implacatus,& audax
Viribus,ille graui proſternens cuncta lacerto,
Trux uitæ,præceps animæ,ſubmitteret æquo
Colla iugo,aut duris pareret ſponte lupatis,
Ni prius indocilem ſenſum facundia uictrix
Vimq́ reluctantem irarum,flatusq́ rebelles
Carmine molliſſet blando,pronisq́ ſequentem
Auribus,ad pulchri ſpeciem duxiſſet honeſti?
Quippe etiam ſtantes dulci leo carmine captus
Submittit ceruice iubas,roſeamq́ dracones
Erecti tendunt criſtam, & ſua ſibila ponunt.
Ille quoq́ umbrarum cuſtos,ille horror Auerni
Cerberus, audita Getici teſtudine uatis,
Latratum poſuit triplicem,tria ſuſtulit hiſcens
Ora,nouo ſtupidus cantu,qui flexerat atram
Tiſiphonen,ſæuo lacrymas conciuerat Orco.
Ipſum fama Iouem,cùm iam Cyclopea magna
Tela manu quatit inſurgens,tonitruq́ coruſcat
Horriſono,& cæcis miſcet caua nubila flammis:
Vt tamen increpuit neruis,& pectine pulcher
Delius, alternumq́ piæ cecinere ſorores,
Placari,totumq́ ſua diffundere mundum
Lætitia, & ſubito cœlum inſtaurare ſereno.
Nunc agè,qui tanto ſacer hic furor incitet œſtro

Corda uirûm, quàm multiplices ferat Enthea partus
Mens alta, cognata polo, qui præmia doctæ
Frontis Apollineas auſi ſibi nectere lauros,
Inclyta perpetuis mandarunt nomina ſeclis,
Expediam, faueat pulchro nunc muſa labori.
Muſa quies hominum, diuûmq; æterna uoluptas.
Iuppiter (ut perhibent) liquidi per & ignea mundi
Templa, per & ſtellis radiantibus æthera fixum,
Aurarumq; animas, ſola terræ, & cærula ponti
Diſſitus, errantes citharæ uice temperat orbes,
Ac rapidum imparibus curſum rotat interuallis.
Quem rara pars tamen, & certum confine diremit.
Hinc noſtro maior captu ſonus exit, acutas
Compenſans grauibus ſeptem in diſcrimina uoces,
Stellantesq; globos, ſua quæq; innoxia Siren
Poſſidet, ambroſio mulcens pia numina cantu.
Nec tamen in nullis hominum ſimulacra refulgent
Mentibus, arcanam cœli teſtantia muſam,
Permixtumq; Iouem. nam ceu traluceт imago
Sideris in ſpeculum, ceu puro condita uitro
Solis inardeſcit radio uis limpida fontis,
Sic nitidos uatum defæcatosq; ſonori
Informant, flammantq; animos modulamina cœli.
Is rapit euantem feruor, fluctuq; furoris
Mens prior it peſſum, tum clauſus inæſtuat alto
Corde deus, toto lymphatos pectore ſenſus
Exſtimulans, ſociumq; hominem indignatus, ad imas
Cunctantem abſterret latebras, uacua ipſe potitus
Sede, per obſeſſos ſemet tandem egerit artus,
Inq; ſuos humana ciet præcordia cantus.
Non illos cygnæa Mele, non Dædala chordis
Apta fides, non quæ duplici geniale reſultant
Naula citata manu, non uincat dulcior ille
Flatus inæquales digitis pulſantibus implens
Compreſſo de folle tubas, pius æmula contra
Iubila cui referunt chorus, alternisq; laceſſunt.
Agnoſcas propere numen, ſuſpirat anhelo
Grandior ore ſonus, quantusq; impleuerit antrum
Phœbados, aut rupem Euboicam, nec Martius illum
Terrificum clangens rauci canor æris obumbret,
Nec tonitrus Iouis, aut petulantibus incita flabris
Oſſæo pineta iugo, Nili ue ruentis
Exſurdans uicina fragor, mirantur & ipſi
Sæpe (quis hoc credat?) quæ nuper cumq; recepto
Numine, legitimi cecinere oracula uates,
Caligatq; animus uiſis, nec uindice lingua
Defendunt ſua dicta ſibi, poſtquam ille quieuit
Spiritus, & preſſi tacuit ſacer impetus oris.

Ipſaq;

Ipſaq́ Niliacis longûm mandata papyris
Carmina Phœbæos uideas afflare furores,
Et cœli ſpirare fidem, quin ſancta legentem
Concutiunt parili turbam contagia motu,
Deq́ alijs alios, idem proſeminat ardor
Pectoris inſtinctu uates: ceu ferreus olim
Anulus arcana quem ui Magneſia cautes
Suſtulerit, longam nexu pendente catenam
Implicat, & cæcis inter ſe conſerit hamis.
Inde ſacros Muſarum amnes, Heliconia Tempe
Multiſoni celebrant numeroſo gutture cycni,
Prima tamen dubias fuderunt carmina ſortes.
Quippe etiam ante Iouem ſagis inſtincta reſoluit
Ora ſonis Nereus, Nereus quem priſca marinum
Dictat fama ſenem, tuq́ ô conſulte Prometheu,
Qui tenuem liquidis ignem furatus ab aſtris
Mirantem fruſtra Satyrum, captumq́ decoro
Lumine, ne flammæ daret oſcula blanda, monebas.
Mox quoq́ Phocaico uerum mugiuit ab antro
Alma Themis, qua rupe pares utrinq́ uolatus
Armigeræ poſuere Iouis, tum Iuppiter ipſe
Fatidico mouit cantu Dodonida quercum,
Præſciaq́ in Libycis concuſſit cornua lucis,
Moxq́ Lycaonias Pan carmine terruit umbras.
Carmen Apollinei tripodes, lauruſq́ locutæ,
Quæq́ coronatum ſonuere Phileſia Branchum,
Paſtorem Branchum, tribuit cui gratus amorum
Sortilegas uoces admiſſus ad oſcula Pæan.
Et ſua per carmen ducibus reſponſa Latinis
Noctiuagus cecinit calcato uellere Faunus.
Vos quoq́ per carmen triplices oracula Parcæ
Veſtra datis, quin & ueteres prompſere Sibyllæ
Carmen, Amalthea, & fati Marpeſia diues,
Herophileq́ Idæa genus, prædoctaq́ Sabbe,
Democq́, Phygocq́, & ueri gnara Phaennis,
Et Carmenta parens, & Manto, & Pythia longos
Phemonoe commenta pedes, & filia Glauci
Deiphobe, nimium uiuax, & Marcia fratrum
Nomina, lymphatuſq́ Bacis, ſubterq́ triones
Natus Hyperboreos Ollen, inq́ Atthide terra
Clarus honore Lichas, Dodoniadeſq́ columbæ.
Nam quid ego innumeras uariantem Prothea formas,
Sed dubio riſus uultu, lachrymaſq́ peroſum?
Quid ue loquar te Glauce ſenex? plenumq́ parente
Idmona, fulminei proſtratum dentibus apri?
Ampycidemq́ pium, Libycis quem fudit arenis
Vipera fatifero fauces accenſa ueneno.
Quid te, cui uolucrum linguæ patuere Melampu?

Quid, cui poſt uiſos nudatæ Pallados artus
Cernere nil licitum? quid quem impia prodidit uxor,
Hoſticaq; hauſit humus? quiq; alto in melle necatum
Reſtituit luci, quo nuper uixerat anguis
Gramine Minoum Dictæo carcere Glaucum,
Aut qui mille rates peritura ad Pergama duxit
Theſtoriden, aut qui magica fera murmura lingua
Ingeminans, liquido deduxit ab æthere fulmen
In caput ipſe ſuum, propugnariq; bidental
Iuſſit, Achæmeniam ſeruantia buſta tiaram?
An memorem Solymos prælustria nomina uates:
Pſallentemq; deo regem, qui turbine fundæ
Icta Philiſtæo ſecuit puer ora giganti.
Teq; Palæſtini laqueantem culmina templi
Mentis, opumq; potens Solomon, nec odora tacentem
Oſcula ſolicito languentis amore puellæ?
Pars hymnos fudere deo. ſic maximus ille
Nondum clara ſacris radiatus tempora Moſes
Ignibus, ut rubras ſicco pede tranſiit undas,
Demerſo inſignem cecinit Pharaone triumphum.
Tuq; puer modo dicte mihi Ieſſæe uiciſſim
Dulcia terribili mutans pſalteria bello,
Voce deum placas, ut quos Babylone rebelli
Lambit in horriſonis non noxia flamma caminis:
Quosq; alios ueteris gens ſeruantiſſima ritus,
Retrorſum Iudæa legit: ſed enim æthera magnum,
Cuſtodesq; alijs genios (ita iuſſerat error
Publicus) innumerosq; lares, functosq; ſepulcris
Mille deos, uarijsq; animatum partibus orbem,
Heu fruſtra coluere pij, ueniamq; rogantes,
Qualiacunq; ſuo placabant numina cantu.
Mox chaos & teneri prima incunabula mundi,
Et diuûm genus, atq; hominum, & Titania ſecla
Non humili dixere tuba, quocq; edita partu
Gramina, frondiferumq; nemus, gentesq; ferarum,
Quid'ue parens natura agitet, quos'ue aurea ducant
Aſtra choros, ut ſe fraternis Delia flammis
Induat, & radijs eadem mox depleat hauſtis.
Quę cœlo portenta uolent, quem'ue ille tumultum
Miſceat, aut quantis uarietur ab ignibus aer,
Quo ſaliat quaſſante ſolum, qui torqueat error
Oceani refluas undas, molemq; natantem.
Inde ſacroſanctas modulati carmine leges,
Multiſonum fecere Nomon, nec uulnera tantum
Sæua, ſed & cæcos uincebant carmine morbos
Sacrifici quondam nec dijs ignara poetæ
Nomina. Quin magicas arcano murmure linguas
In uarios duxere modos: nec fabula mendax

Parrhaſio

Parrhaſio lapides mouiſſe Amphiona plectro;
Orpheos atq; lyram curua de ualle ſecutas
In caput iſſe retrò liquido pede fluminis undas,
Cumq; ſuis ſpelæa feris, cum rupibus ipſis
Dulcia Pierias properaſſe ad carmina fagos.
Quæq; auis applauſo libraret in aere pinnas,
Penè intercepto uix ſe tenuiſſe uolatu.
Illius argutis etiam patuere querelis
Tartara, terrificis illum uilloſa colubris
Tergemini ſtupuere canis latrantia monſtra.
Tum primùm & lacrymas inuita per ora cadentes
Eumenidum, Stygij coniunx mirata tyranni
Indulxit uati Eurydicen, ſed muneris uſum
Perdidit, heu duræ nimia inclementia legis.
At iuuenem poſtq; Threſſarum iniuria matrum
Fruſtra ſuaue melos, fruſtra pia uerba mouentem,
Diſperſit totis lacerum furialiter agris,
Cùm lyra diuulſum caput à ceruice cruenta
Heu medium ueheret reſonans lugubre per Hebrum,
Relliquias animæ iam deficientis amatam
Mouit in Eurydicen, tamen illam frigidus unam
Spiritus, illam unam moriens quoq; lingua uocabat.
Lesboum ſtupuit uulgus, cùm flere natantes
Sponte fides, atq; os domini uectare cruentum
Vidit, & heu laſſis uelut aſpirare querelis.
Improbus hanc ſtultè chelyn affectare Neanthus
Auſus, Apollinea pendentem ſubſtulit æde.
Quem tamen indocto ferientem pollice chordas
Vindice diſcerpſit rictu nocturna canum uis,
Illa recepta polo, ceu quondam ſaxa nemuſq;
Sic nunc ſtelliferis agit aurea cornibus aſtra.
Quin & Pellæi quondam præſaga triumphi
Delicuit ſudore ſacro Libethris imago.
Tantus honor Getico fuit & poſt funera uati.
At tu, qui merito dulcem cratera magiſtro
Obtuleras, uolucri penetrans in ſecula fama,
Cantando trahis elyſios Muſæ minores.
Contrà autē indocilem nimis execratur alumnum,
Immemoremq; Linus uocat, ingratumq; laborum
Amphitryoniaden, qui quondam triſte peroſus
Doctoris magni imperium, ueneranda rebelli
Contudit ora lyra, & clamantem plurima fruſtra,
Tendentemq; manus, obteſtantemq; peremit,
Heu non iſta piæ meritum ſibi præmia linguæ.
Iam Methymnæum uatem delphine reuectum,
Iam Tamyram cantu doctas anteire ſorores
Fretum, mox citharæ damnatum, & luminis orbum
Quis neſcit? princeps idem (ni uana uetuſtas)

Ad

Ad faciles uenerem inlicitam conuertit ephebos,
Inſignemq́ſacro tulerat certamine palmam
Tertius: hoc etenim Cirrhæus honore Philammon
Claruit antè pater: ſed Cres præuenerat ambos
Chryſothemis: nam Demodoci uiuacior æuo
Fama Meletæis gaudet iuueneſcere chartis,
Et tua Neritias inuito pectine menſas
Qui celebras. etenim ut ſtellas fugere undiq; cœlo,
Aurea cùm radios Hyperionis exeruit fax,
Cernimus, & tenuem uelut euaneſcere lunam:
Sic ueterum illuſtres flagranti obſcurat honores
Lampade Mȩonides: unum quem dia canentem
Facta uirûm, & ſæuas æquantem pectine pugnas,
Obſtupuit, prorſusq́ parem confeſſus Apollo eſt.
Proximus huic autem, uel (ni ueneranda ſenectus
Obſtiterit) fortaſſe prior, canit arma uirumq;
Vergilius, cui rure ſacro, cui gramine paſtor
Aſcræus, Siculusq́ ſimul ceſſere uolentes:
Quem non tabifico mordax attingere liuor
Dente queat, liuor tandem & ſandalion auſus
Carpere, cùm dominam aſſeruit ſua forma Dionem.
Excipiunt gemini procul hos, longeq́ ſequuntur
Qui ſeptem Cadmæa uocent ad mœnia reges.
Hunc Phœbea Claros, Cumæa Neapolis illum
Protulit, hic elegis etiam tua funera Lyde
Flet pius, herois ille audax uerſibus effert
Magnanimum quoq; Peliden, hic deniq; magni
Inſtar habet populi pendentem ad uerba Platonem,
Ille etiam ſyluis partum ſibi prædicat aurum.
Ecce alij primo tentatum remige pontum,
Palladiamq́ ratem, tabulasq́ dedere loquaces.
Quorum Threicio perſonam primus ab Orpheo
Accepit genitus Miſcelli gente ſalubri:
Alter Alexandri Nilotidas abnegat arces
Exoſus natale ſolum, tumidamq́ Coloſſo
Solis, & irriguam pluuio Rhodon expetit auro.
Huius in Auſonio ueſtigia puluere Varro
Ponè legit linguæ haud opulens, ut barbara Narbo
Vt quem paruus Atax Latiæ tranſcripſerat urbi.
Atq; idem imparibus proprios exponit amores,
Leucadiamq́ ſuam numeris, ſuccedere magno
Aruncæ quondam fruſtra conatus alumno.
Nam te Flacce ſinu ſulcantem cærula pleno
Heu iuuenem curſu excuſſit mors ſȩua, priuſquàm
Aeſonides Pagaſas, patriamq́ reuectus Iolcon.
At tibi Dædaleos monitus Heliconie uates
Qui ſequeris, neq; uentoſis in nubibus alas
Expandis, neq; ſerpis humi, ſed præpete lapſu

Ceu

Ceu medium confine teris, quo carmine dignas
Addiderim tandem, quo'ue ore aut pectore laudes?
Scilicet huic patrijs pecudes in uallibus olim
Seruanti, cunctæ ſeſe indulxere uidendas
Aonides, laurumq́ uiro, uocemq́ dedere,
Qua ſuperum caneret ſtirpem, præceptaq́ morum,
Deſcriptosq́ dies operum, clypeumq́ tremendi
Herculis, & ueteres diuum genus Heroinas.
Ergo & Chalcidico uatum certamine quondam
Rettulit auritum tripoda, & (ſi uera minores
Audimus) cantu magnum quoq́ uicit Homerum:
Moxq́ dolo extinctum, merſumq́ ad littora triſtis
Delphinum uexere chorus, nec defuit index
Turba canum, medioq́ darent qui corpora ſontum
Merſa mari, & meritam placarent mortibus umbram;
Oſſaq́ fatali tellus Minyæa ſepulcro
Nunc habet, annoſæ conſpectu inuenta uolucris,
Nec quæ magnanimum nodoſæ robore clauæ
Inſtruit Alciden, nullum nomenq́ decusq́
Conciliat ſterili Piſandria muſa Camiro.
Nec qui biſſenos iterum memorare labores
Audet, & à primo uatum figmenta priorum
Vſq́ chao repetit, non ſaltem laudibus æquet
Aſcræum, Clariumq́ ſenes, neq́ Chalcis alumnum
Euphoriona tacet, uario qui perſonat ore
Mopſopiam, neq́ Tyrtæi Lacedæmona cantu
Victricem ſe ferre pudet, licet impare greſſu
Tenderet: adde nouis mutantem corpora formis
Parthenium, pictiq́ notantem lumina mundi
(Namq́ hoc præcipuè ſe carmine iactat) Aratum,
Cui cor ab intonſi fax ore accenſa Philini
Vrebat miſerum, quem terra Ciliſſa recepit,
Et portentoſo celebrem dedit eſſe ſepulcro.
Nec te quem Colophon tulerit Nicandre, tacebo
Pæonijs celebrem ſtudijs, qui nigra uenena
Prodis, & emiſſas ſerpentum fauce ſaliuas,
Tum medicam ſubiungis opem, prædicere finem
Morborum, & tacitas gnarus deprendere cauſas:
Atq́ idem pia rura ſonas, dulciſſima miſcens
Auſtero figmenta operi. ſed luſtra ferarum
Scrutatur, captat uolucres, prolemq́ natantum,
Mox dat habere pio gratiſſimus Antonino
Oppianus, docti prędiues honore laboris.
Pingit & exiguis totum Dionyſius orbem
Terrarum in tabulis: ſed non & prælia Bacchi
Nonnus in exigua potuit contexere tela.
Battiades Hecalen ſonat, & Marathonia geſta
Celſior aſſueto, cauſasq́ ætate latentes

Prodit,& undeno molles pede cantat amores,
Et nunc ingratum tenebroſus deuouet Ibin.
Nunc ſuperos celebrat,nunc triſtibus ardet iambis,
Nunc humili premitur ſocco,nunc ille cothurno
Altior aſſurgit,centumq; poemata pangens
Diſſipat in uarios Heliconia flumina riuos.
Sed Tyberim dominũ rerum,mundiq; potentem
Ambigitur, rigui ne tener Sulmonis alumnus
Nobilitet magis, an uerò tibi Roma pudori
Sit potius, Getica ſic ſemipultus arena,
Proh dolor,exul,inops,nimium quia forſan amico
Lumine Cæſareæ ſpectauerit ora puellæ.
Ille nouas primo facies transformat ab æuo:
Ille cupidineas uerſu canit impare flammas:
Inuoluitq; nouum dubijs ambagibus Ibin:
Vel dat amatricum dictatas ore tabellas:
Vel miſer exilium cycnæo gutture deflet:
Temporaq;,& cauſas Romani digerit anni,
Vel memorat piſces,& adhuc ignara Latinis
Nomina,uel cœlo labentia computat aſtra,
Et replet aſtrictas diuerſo epigrammate chartas,
Conſutum quoq; Syrma trahit,ſuſpendit & unca
Nare malos(quorum nunc omnia plena) poetas,
Indulgens tamen uſq; ſibi : nam præditus acri
Nimirum ingenio , faciem putat eſſe decoram
Carminis,inſperſus maculet quam deniq; næuus.
Iam ſenior triplici uates qui corde ſuperbit
Mæonides Italis(ni fallunt uiſa)ſecundus
Bella horrenda tonat,Romanorumq; triumphos,
Inq; uicem nexos per carmina digerit annos,
Arte rudis,ſed mente potens,parciſſimus oris,
Pauper opum,fidens animi,morumq; probatus,
Contentusq; ſuo,nec bello ignarus,& armis.
Quem Rudijs ortum rigidi quæſtura Catonis
Ad ſeptem geminas iuuenem deduxerat arces.
Mox comes armorum Fului,qui ſanguine partas
Scilicet haud dubitat Latijs ſacrare camœnis
Exuuias, dedit Aetolis hoſtilia campis
Corpora multa neci,longè gratiſſimus idem
Scipio magne tibi, & Calabris uicinus in hortis
Virtute emeritis,cuius gentile ſepulcrum
Mox tenuit,nullo patiens ſua funera fletu
Produci,lætusq; uirûm uolitare per ora.
Præterea tragico boat ampulloſus hiatu.
Comica laſciuo proſcenia laxat iambo.
Exponit Satyros,Latioq; Euhemeron infert.
Et modò reprenſi deflorans carmina Næui,
Carmina,quæ quondam Fauni,uatesq; canebant:

Mox

Mox gemet ipſe ſuo natas in littore conchas
Præcultum purgare fimo, & ſibi ferre Maronem.
Sed quanq; in primis docto Verona Catullo
Gaudet, uulnificos elegis qui miſcet iambos,
Et ſub adoptiuum redigit te Clodia nomen:
Parturit & fortem forti quoq; carmine Achillem,
Atq; urbis proceres multo ſale defricat audax,
Cæſareæq; notas, & inurit ſtigmata fronti:
Nonnihil Aemilium tamen hæc quoq; iactat alumnum
Texentem tenui Macrum ſubtegmina filo:
Dum uolucres numeris, dum gramina pingit & angues.
Nec qui philtra bibit, nimioq; inſanus amore,
Mox ferro incubuit, ſic mentem amiſerat omnem,
Vt non ſublimi caneret Lucretius ore
Arcanas mundi cauſas, elementaq; rerum
Doctus, & Arpino tamen exploratus ab ungui.
Scilicet & ueteres naturam pandere Graij
Carmine tentarunt celebri, ceu maximus ille
Aeriſonas pedibus qui quondam inductus Amyclas
Inſiluit Siculi rapidum cratera camini:
Et cui de uocum tenebris cognomina flenti
Addita, quosq; alios ſtudio ſapientia dulci
Implicuit, cecinitq; diu memoranda uetuſtas.
Emicat Heſperio trifidum ceu fulmen ab orbe,
Qui uix puber adhuc, rudibusq; tenerrimus annis
Hæmonios iterat currus, auroq; repenſum
Hectora, tartareasq; domos, dirumq; Neronem.
Orpheaq; & meritæ peragit præconia Pollæ.
Laſciuitq; iocis, ac torrens uoce ſoluta
Dulichias æquare niues, & fulmina tendit,
Quanta pericleo lepor intorquebat ab ore:
Mox tonat ardenti Pharſalica prælia cantu,
Aegyptiq; nefas, primo uix flore genarum
Conſpicuus, toruo quem protinus ore ſecundum
Reſpexit, captæ uix auſus fidere palmæ
Vergilius, ſed iniqua bonis Rhamnuſia tantis
Heu decus hoc orbi inuidit, ne uindice ferro
Aſſereret miſeras inceſto à principe terras.
Tu felix tamen, ô iuuenis (nam conſcia pœnam
Corda leuant) felix inquam, licet ille cruentum
Rugiat, & truncas deſiccet ſanguine uenas
Fronte minax, diræq; inſtinctus uerbere matris,
Macte animo, non te ó uates Parnaſſide lauru
Nequicq; deus, & cithara dignatus honora eſt.
Poſt hunc Sidoniç damnat periuria gentis
Emeritosq; foro, muſis tandem adſerit annos
Sillius, Auſonio qui quondam fulgidus oſtro
Expulit horribilem, uitaq; aulaq; tyrannum.

Ipſe obijt plenusq; æui, natoq; ſuperſtes
Aſpera congenito fixus ueſtigia clauo.
An taceam Baſſum grauido tua dona ferentem
Veſpaſiane ſinu? & tantem Sicula arma Seuerum?
Aut te Sidonias repetentem Pontice Thebas?
Aut Peluſiaci miſſum de plebe Canopi
Pulchra ſuum quem nunc Florentia iactat alumnum,
Gaudentem Stygio dominam iunxiſſe marito,
Magnanimiq; uagos ducis oſtentare labores?
Aut te Niliaca relegentem ſidera cura
Bis uates Manli, & Babylonia ſigna ſequentem?
Quosq; ſibi æquæuos puro uocalior ore,
Ne qua laboranti incumbant obliuia famæ,
Naſo refert, queruli tangens confinia Ponti:
Et qui Smyrnæis poterat contendere plectris
Valgius, ut terſi memorat pia muſa Tibulli?
Muſa ſibi primos quæ iure adſciſcat honores
Imparibus numeris, ni blanda Propertius ora
Soluat, & ambiguam faciat certamine palmam.
Plania materiam teneri dat, & Hoſtia cantus
Nomine ſuppoſito, ceu Galli mima Citheris
Perſonam falſæ laſciua Lycoridos adfert
In ſcenam, & docto clauſam ſe iactat amanti,
Dum miſer ipſe ſuo fodiat præcordia ferro.
At non exigui tenuis quoq; pagina Calui
Diſſimulat pulchram, ſed acerbo funere raptam
Quintiliam, nec Cous ad hæc non ſacra Philetes,
Quanq; eſt æger, adeſt: quanq; ueſtigia lento
Fulta grauat plumbo, nec qui ſine amore, iocisq;
Iucundum nil eſſe putat, quid ruſtica dicam
Iubila paſtorum ſyluis meditata ſub altis?
Vt patrias Moſchus non inficietur auenas:
Externasq; Bion, ut opaca Tityron umbra
Prouocet Auſonio Calpurni fiſtula cantu?
Aerios procul in tractus, & nubila ſupra
Pindarus it Dircæus olor, cui nectare blandæ
Os tenerum libaſtis apes, dum feſſa leuaret
Membra quiete puer mollem ſpirantia ſomnum.
Sed Tanagræa ſuo mox iure poetria riſit,
Irrita qui toto ſeteret figmenta caniſtro.
Tum certare auſo palmam intercepit opimam
Aeolijs prælata modis, atq; illice forma.
Ille Agatoclea ſubniſus uoce coronas
Dixit Olympiacas, & qua uictoribus Iſthmos
Fronde comam, Delphiq; tegant, Nemeæaq; Teſqua
Lunigeram mentita feram, tum numina diuûm
Virtutesq;, uirosq; undanti pectore torrens
Prouexit, ſparſitq; pios ad funera queſtus.
Frugibus hunc, libisq; uirum Cirrhæus ab ara

Phœbus

Phœbus,& accubitu menſæ dignatus honoro eſt:
Panaq; paſtores ſolis uidere ſub antris
Pindarico tacitas mulcentem carmine ſyluas.
Inde ſenem pueri gremio ceruice repoſita
Infuſum, & dulci laxantem corda ſopore,
Protinus ad maneis, & odoro germine pictum
Elyſium tacita rapuit Proſerpina dextra.
Quinetiam hoſtiles longo pòſt tempore flammæ,
Quæ ſeptemgeminas populabant undiq; Thebas,
Expauere domum tanti tamen urere uatis,
Et ſua poſteritas medios quoq; tuta per enſes
Senſit inexhauſta cinerem iuueneſcere fama.
Non ego te longo præſignis Anacreon æuo
Tranſierim bicolore caput redimite racemo:
Cui citharæ cordi, cui nigri pocula Bacchi
Semper,& ancipiti ſtimulans Amathuſia cura:
Nam modò Threicij crinem miraris ephebi,
Nunc Samium celebras(iubet Adraſtea)Bathyllum.
Nunc teneram Eurypylen, tenerumq; Megiſthea laudas:
Tandem acino paſſæ cadis interceptus ab uuæ.
Ipſe Lyci nigros oculos,nigrumq; capillum,
Quamq; uides digito natiuam inoleſcere gemmam,
Exactosq; canis pugnax Alcæe tyrannos,
Aeolium docto pertentans barbyton auro,
Arma ſed Attææ tua fles ſuſpenſa Mineruæ.
Suſtinet heroi ualida teſtudine pondus
Carminis,& damnans Helenen, laudansq; uiciſſim
Amittit,recipitq; oculos tuus Imera ciuis
Steſichorus,quem trux Phalaris ueneratus & hoſtem eſt:
Cuius & in labris ſedit puerilibus olim
Daulias,& ueſtrum muſæ cantauit alumnum.
Sed uocat ad lacrymas Cei pia Nænia uatis,
Vnum Mnemoſyne quondam, præq; omnibus unum
Quem coluit,ſæuæ quem ſubtraxere ruinæ
Ledæi iuuenes, uacuam cui triſtis ad arcam
Gratia flet laniata comas, nudata lacertos:
Quiq; ſui uindex fuit & poſt fata ſepulcri.
Ipſi etiam patria preſſi breuitate Lacones
Aſcitum largo tamen ore Alcmana recenſent:
Quem tulit auriferos oſtentans Lydia fontes:
Nunc gemit heu tineis artus,& tabe pereſum:
At te cui numeros dictat dea Suada canoros
Ibyce, quiq; marem tantum meditaris amorem
Nec ſuperi, nec auis pygmea reliquit inultum,
Et nunc Rheginis tua ſedibus oſſa quieſcunt.
Nec uulgare canit dulcis ab Iulide Siren
Bacchylides: ſed enim lyricis iam nona poetis
Aeolis accedit Sappho, quæ flumina propter

Pierias legit ungue roſas,unde implicet audax
Serta Cupido ſibi,niueam quæ pectine blando
Cyrinnem, Megaramq; ſimul, cumq; Atthide pulchram
Cantat Anactorien,& crinigeram Teleſippen.
Et te conſpicuum recidiuo flore iuuentæ
Miratur reuocatq; Phaon,ſeu munera uectæ
Puppe tua Veneris,ſeu ſic facit herba potentem:
Sed tandem Ambracias temeraria ſaltat in undas.
Quæ toties Gorgo,toties inceſſerat atrox
Famoſam Andromeden, patriaq; libidine turpem.
Non illi Praxilla ſuos,prædoctaq; Noſſis
Contulerint,Myrtisq; modos,non dulcis Agacles
Non Anyte,non quæ uerſus Erinna trecentos
Caſtalio ceu melle rigat,non candida Myro,
Nec Teleſilla ferox,non quæ canit Aegida ſæuę
Pallados effuſum crinem uittata Corinna.
Illam etiam decimo cunctæ accepere ſedili
Pierides,ſertumq; nouem de floribus auro
Contextum nitidis lætæ impoſuere capillis.
Hinc Venuſina fauos dulci iucunda ſuſurro
Carpſit apis,ſed acu ferit irritata cruento.
Hæc eadem rigidis Auruncæ in uepribus errans,
Quas Perſi manus,& bilem ſuccenſus Aquinas
Mox legere ſibi: neq; enim his metuendus iambo
Certet Echidnæo,licet acrem effuſus in iram
Ore Lycambiadas rabioſo occiderit ambas
Archilochus,medio licet illum in Marte peremptum
Vindicet,& nigro ſit Pythia dura Calondæ.
Nec ferus Hipponax,atro qui felle cruentus
Bupalon & ſtratum morſu laniauit Athenin.
Nec Batius,ſpinisq; Bibaculus aſper acutis.
Multi Bacche tuo proculcauere cothurno
Fortunas regum ambiguas,& ſceptra tyrannis
Extorſere feris,totumq; tremore,metuq;
Horribiles,totum luctu oppleuere theatrum.
Pluraq; Palladiæ quondam impendiſtis Athenæ,
Dum ſcena Oedipoden,pauidumq; agitatis Oreſtem,
Atreaq;,& medica percuſſum Telephon haſta,
Oenidæq; facem,furiisq; Alcmæona pulſum,
Quosq; alios olidum cantor produxit ob hircum,
Quàm cùm barbarico Marathonia ſanguine tellus
Incaluit,multoq; obſtructæ funere Xerxen
Thermopylæ tarda refugum uidere carina.
Autorem perhibent Theſpin,quem iuſta Solonis
Cura cothurnatis iuſſit deſcendere plauſtris.
Tres porrò inſignem ſibi defendere coronam,
Aeſchylus aeriæ caſu teſtudinis ictus,
Quemq; ſenem meritæ rapuerunt gaudia palmæ,

Quemq; tegit rabidis lacerum pia Pella moloſſis.
Inuaſere locum plias ſeptena ſecundum.
Quippe alios, quos nec centum ſit dicere linguis,
Fortunæ nunc quemq; ſuæ ſamæq; relinquam,
Ni Latium Varius tamen obiectare Thyeſten
Ambiat, atq; ſuum iactet mihi Corduba uatem.
Cuius ad Herculeum tremefacta orcheſtra furorē eſt.
Ecce & grandiloquo ſemet quoq; ſuggerit ore
Accius, & magna conturbat uoce canentem
Pacuuius, nitidumq; oſtentat muſa Secundum.
Adde & mordaci quatientes pulpita riſu
Eupolin, in medium quem mendax fabula pontum
Cliniadæ manibus puppi deturbat ab alta.
Quiq; leues nebulas Attææ effuderat urbi
Salſus Ariſtophanes, compotoremq; Cratinum.
Adde nouos etiam ſoccos, exemplaq; morum,
Et uariæ ſpecimen uitæ. iam grata Menandro
Poſteritas, ipſoq; uolente Philemone palmam
Reſtituit, longe ſequitur quem plurima turba
Haud noſtro referenda ſono, ſed pagina docti
Reddit Athenæi tamen, inſinuatq; futuris.
Claudicat hîc Latium, uixq; ipſam attingimus umbram
Cecropiæ laudis. grauitas Romana repugnat
Scilicet: & quamuis ueterum ſit multus in ore
Cæcilius, quamuis iucundi ſcripta Terenti
Scipio diſſimulet, quamuis Plautina camœnis
Lingua opicis placeat, ſcenam tamen ipſa ſuorum
Aeneadum fugit alma Venus, tantumq; togatis
Interdum Afrani grato ſe indulget honore.
Hos tamen, atq; alios Volcatius ordine ſiſtit
Sedigitus. mimos ſed enim ſcripſere proteruos,
Implicitusq; Sophron, riſuq; Philiſtio tandem
Perditus, hinc Laberi laſciuia, multaq; Publi
Claruit Auſonio ſententia dicta theatro.
Pars quoq; Sotadicos ceu proſtituêre cinædos:
Pars tenues ſparſere ſales epigrammate multo,
Sed Latio celebres, quem miſit Iberia Marcum,
Romuleumq; ſuis exornans faſcibus annum
Auſonius. mitto Hortenſi, doctiq; Catonis,
Qui ſolus legit quondam, fecitq; poetas.
Mitto & Cornifici luſus, Ticidęq; Perillam,
Et Cinnam obſcurum, teq; ore proteruior Anſer:
Pammetron hic cecinit, Sillos dedit ille licentes.
Ille Menippeæ ioca miſcellanea peræ
Inferſit, Satyros alius nudauit agreſtes:
Et patuêre nouæ per mille poemata curæ.
Quas ego, ſi Pyliæ duplicentur tempora uitæ
Iam mihi, ſi cunctas noſtra in præcordia uoces

Fama ferat,rigidoq; ſonent hæc pectora ferro;
Non amplecti auſim numero,non ore profari
Eualeam,tantæ'ue ſitum indagare ſenectæ.
Nec tamen aligerum fraudarim hoc munere Dantem
Per Styga,per ſtellas,medijq; per ardua montis
Pulchra Beatricis ſub uirginis ora uolantem.
Quiq; Cupidineum repetit Petrarcha triumphum:
Et qui bis quinis centum argumenta diebus
Pingit,& obſcuri qui ſemina monſtrat amoris:
Vnde tibi immenſæ ueniunt præconia laudis
Ingenijs,opibusq; potens Florentia mater.
Tu uerò æternam per per aui ueſtigia Coſmi,
Perq; patris(quis enim pietate inſignior illo?)
Ad famam eluctans,cuius ſecurus ad umbram
Fulmina bellorum ridens procul aſpicit Arnus,
Mæoniæ caput,ô Laurens,quem plena ſenatu
Curia,quemq; graui populus ſtupet ore loquentem,
Si fas eſt,tua nunc humili patere ocia cantu,
Seceſſusq; ſacros auidas me ferre ſub auras.
Namq; importunas mulcentem pectine curas
Vmbroſæ recolo te quondam uallis in antrum
Monticolam traxiſſe deam,uidi ipſe corollas
Nexantem,numerosq; tuos prona aure bibentem:
Viderunt ſocij pariter,ſeu grata Dianæ
Nympha fuit,quanquam nullæ ſonuere pharetræ:
Seu ſoror Aonidum,& noſtræ tunc hoſpita ſyluæ.
Illa tibi,lauruq; tua,ſemperq; recenti
Flore comam cingens,pulchrum inſpirauit amorem.
Mox & Apollineis audentem opponere neruis
Pana leues calamos nemoris ſub rupe Pherei,
Carmine dum celebras,eadem tibi uirgo uocanti
Aſtitit,& ſanctos nec opina afflauit honores.
Ergo & nocticanum per te Galatea Corinthum
Iam non dura uidet:nam quis flagrantia neſcit
Vota,Cupidineoq; ardentes igne querelas?
Seu tibi Phœbeis audax concurrere flammis
Claro ſtella di,ſeu lutea flore ſequaci
Infelix Clytie,ſeu mentem ſemper oberrans
Forma ſubit dominæ,ſeu pulchræ gaudia mortis,
Atq; pium tacto iurantem pectore amorem,
Atq; oculos canis,atq; manus,niueisq; capillos
Infuſos humeris, & uerba,& lene ſonantis
Murmur aquæ,uiolæq; comas,blandumq; ſoporem,
Lætaq; quàm dulcis ſuſpiria fundat amaror.
Quantum addat formæ pietas,quàm ſæpe decenter
Palleat,utq; tuum foueat cor pectore nymphæ.
Non uacat argutosq; ſales,Satyraq; bibaces
Deſcriptos memorare ſenes,non carmina feſtis

Excipienda

Excipienda choris,querulas'ue animantia chordas.
Idem etiam tacitæ referens paſtoria uitæ
Otia , & urbanos thyrſo extimulante labores,
Mox fugis in cœlum , non ceu per lubrica niſus
Extremamq́ꝫ boni gaudes contingere metam.
Quodq́ꝫ alij ſtudiumq́ꝫ uocant , durumq́ꝫ laborem,
Hic tibi ludus erit,feſſus ciuilibus actis
Huc is emeritas acuens ad carmina uires.
Felix ingenio,felix cui pectore tantas
Inſtaurate uices, cui fas tam magna capaci
Alternare animo,& uarias ita nectere curas.
Quòd ni blanda meum lactant præſagia ſenſum,
Ni pietas,ni longus amor,ni uana magiſtros
Aura ſuo nimios iubet indulgere fauores
Quemqꝫ operi,ni me tacita experientia fallit,
Ibit in exemplum natus,mea maxima cura,
Ibit in acta patris, ſeſe tanta indole dignum
Præſtabit: luſtris nondum tribus ecce peractis
Iam tamen in Latium Graiæ monimenta ſenectæ
Euocat, & dulci detornat carmina plectro,
Meq́ꝫ per Aoniæ ſequitur compendia ſyluæ,
Ereptans auidè montem,iamq́ꝫ inſtat anhelo.
It iam penè prior,ſic,ô ſic pergat,& ipſum
Me ſuperet maiore gradu,longeq́ꝫ relinquat
Protinus,& dulci potius plaudatur alumno,
Bisq́ꝫ mei uictore illo celebrentur honores.

Abſoluta eſt in Feſulano VIII. Idus Octobris,
M.CCCCLXXXVI.

ANGELVS POLITIANVS IACOBO SALVIATO SVO S. D.

IN Ruſticum tibi. id illi ſcilicet ab argumento inditũ nomen. tuo coactu prodit in uulgum , tibi eſt uni quicquid acciderit imputaturus. Iam'ne ſentis,q́ꝫ tibi tuẽdus ſit,uel tuo ipſius nomine,uel meo? Tua enim fides in eo,meus honos agitur: cuius quidem,etſi ſemper cura apud te iam inde à pueritia excubuit , tamen eum tueri nunc, uel ob id ipſum impenſius debes,ꝙ es nuper Laurentio Medici principi uiro,cuius ego cliens alumnuſq́ꝫ ſum,unus ex omni Florẽtina iuuentute gener aſcitus. Profer igitur in tali patrocinio autoritatem omnem atqꝫ gratiam,quam uidelicet tibi & uiri excellentis affinitas, & tua egregia indoles,morumq́ꝫ ſuauitas conciliant. Vale, meq́ꝫ, ut facis,ama.

ANGELI POLITIANI SYLVA,

CVI TITVLVS RVSTICVS.

In poetæ Heſiodi, Vergilijq; Georgicôn enarratione pronunciata.

RVris opes ſaturi, gnauoq; agitanda colono
Munera, & omniferæ ſacrum telluris honorem
Ludere ſeptena geſtit mea fiſtula canna.
Fiſtula Mantoæ quam nuper margine ripæ
Ipſe renidenti dum dat mihi Tityrus ore,
Hac puer Aſcræum repete, inquit, arundine carmen.
Pan ades, & curui mecum ſub fornice ſaxi
Verſibus indulge, medio dum Phœbus in axe eſt,
Dum gemit erepta uiduatus compare turtur,
Dum ſua torquati recinunt dictata palumbes.
Hîc reſonat blando tibi pinus amata ſuſurro:
Hîc uaga coniferis inſibilat aura cupreſſis:
Hîc ſcatebris ſalit, & bullantibus incita uenis
Pura coloratos interſtrepit unda lapillos:
Hîc tua uicinis ludit laſciua ſub umbris
Iamdudum noſtri captatrix carminis Echo.
Felix ille animi, diuisq; ſimillimus ipſis,
Quem non mendaci reſplendens gloria fuco
Sollicitat, non faſtoſi mala gaudia luxus:
Sed tacitos ſinit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla ſilentia uitæ,
Vrbe procul, uoti exiguus, ſortemq; benignus
Ipſe ſuam fouet, ac modico contentus aceruo,
Non ſpes corde auidas, non curam paſcit inanem,
Securus quò ſceptra cadant, cui dira minentur
Aſtra, & ſanguinei iubar exitiale cometæ.
Non illum fragilis fauor, indocilisq; potenti
Plebs ſeruare fidem, euectum popularibus auris
Caſuro imponit ſolio, nec ducit hiantem
Huc illuc uanos oſtentans purpura faſces.
Non mentem pauet ipſe ſuam, nec conſcius omneis
Exhorret ſtrepitus, nec edaci pectora culpa
Carpitur occultè: non opportunus iniqui
Iudicio uulgi, aut celſa conſpectus in arce
Degeneri patet inuidiæ: non ipſe uiciſſim
Obliquo liuore macet, fœtusq; ueneno
Aeſtuat, atq; aliena oculis bona limat acutis.
Rure agit in uacuo, ſpatijsq; indulget aperti
Aetheris, aut operi inſudans, aut ille ſupinos
Euadens curſu in monteis. hinc ſcilicet omnes
Gratæ epulæ, nudis Acheloum in pocula palmis
Aduocat, excuſſæq; cibos dant brachia ſyluæ,
Et feſſa in duro renouantur membra cubili.

Maior

Maior quippe uenit comitata labore uoluptas,
Nec ſatias dominam, aut faſtidia lenta ſequuntur.
Ergo neq; imbrifero pallens Autumnus hiatu,
Nec malus hunc afflat rabioſo Sirius aſtro,
Sæua'ue Rhipbææ labefactant frigora brumæ.
Quippe hyemem excipere, & uentos, cœliq; ruinam
Suetum, atq; octipedem nec opaco uertice cancrum,
Et Ioue ſub gelido nocturnos carpere ſomnos,
Et pede concretas nudo calcare pruinas.
Et perferre ſitim, & ieiunia ſoluere glande,
Et laſſare feras curſu, & ſuperare natatu
Torrentem, & uolucri foſſam tramittere ſaltu:
Et quercum annoſam ferro obturbare bipenni.
Tum prædam extorquere lupo, faſciq; maligno
Subieciſſe humeros, & iniqui pondera raſtri
Prædura tractare manu, & domitore lacerto
Sub iuga cornigeri colla obluctantia tauri
Ducere, & iratis concurrere cōminus urſis.
Hinc agilis ſubit ora uigor, robuſtaq; magno
Pectore uis habitat, forteſq; animoſa tuentur
Membra tori & crudo tendunt ſe robore nerui.
Hinc facies procera, hinc fronti Martius horror.
Quòd ſi bella uocent, quis ad aſpera promptior arma?
Aut quis equum ſternacem arctis fregiſſe lupatis
Acrior? aut fortem mucrone haurire cruorem?
Aut torquere ſudem? aut neruo exturbare ſagittam?
Aut prępilatis aciem perrumpere contis?
Quis certet duro agricolæ? ſeu ducere uallum,
Seu ſit opus celſo præcingier aggere caſtra,
Seu fronte aduerſa tormentum figere ahenum,
Quod tonitru horrifico magnas ſternentia turres
Ardua fulmineo iaculetur ſaxa rotatu:
Seu uigil inſomnem peragat cuſtodia noctem:
Seu tacitum rapiatur iter, ſeu parcere parto
Conueniat, ſi fors lenta obſidione premantur.
Scilicet his Babylon dextris, Nabatheaq; regna
Creuerunt: hic Mopſopio delectus ab aruo
Miles, Achæmenium Marathonis in æquore Perſen
Contudit. his adiuta uiris, ſe Romula tellus
Impoſuit mundo, & rerum tractauit habenas.
Nunc agè, quæ ſtudia agricolis induſtria ſolers
Extudit, atq; operum quanta experientia, dicam.
Protinus extremo cùm iam Boreas autumno
Incubuit terris, primo cùm frigore tactæ
Labuntur frondes, maternaq; brachia linquunt,
Nec cariem cæſæ formidant robora ſyluæ:
Ecce ſagax tacitam uenientis ruſticus anni
Curam corde coquit, qua bubus ab arbore plauſtrum

Dedolet

Dedolet,unde iuga & curuum fabricetur aratrum.
Nec mora,quin ueteris truncata cacumina phagi,
Chaoniæq; cadant quercus,nudataq; ramos
Vlmus,& audaci laurus ſonet icta ſecuri.
Quarum quæq; nouam fumo explorata calenti
Vertitur in faciem,diuerſaq; munia tractant.
Continuò auditus gruis inter nubila clangor
Agricolam citat,& criſta ſpectabilis alta
Auroram gallus uocat applaudentibus alis.
Excitat ille operum ſocios,ſimul horrida cautus
Terga rudi centone fouet, capitiq; galerum
Induitur,crudusq; operit ueſtigia pero:
Hinc ſaturos iungens loris ad aratra iuuencos
Increpitat ſtimulo, & cantu minuente laborem
Prælongis ferrata terit dentalia ſulcis,
Ac latè elicibus collectos exprimit imbres:
Ieiunamq; fimo tellurem,& rudere paſcit.
Tum plenum farris læua ſeruante caniſtrum
Semina diſpenſat parca cerealia dextra:
Quæ ne iacta auidæ populentur grana uolucres,
Et prædam ſublime ferant,it ponè minutus
Sarcula parua tenens puer,& frugem obruit aruo.
At cùm ſe Eöis iam ueſpertinus ab undis
Extulit Arcturus,cùm uerſicoloribus ardet
Terra comis,rutiloſq; interuiret herba colores,
Daulias & Getici tandem ſecura mariti
Ales adeſt,plauſuq; larem, cantuq; ſalutat.
Rurſum inuadit opus,ſtiuæq; innixus,adunco
Ponè nigreſcentes proſcindit dente nouales:
Quas rapidi ſoles urant,gelidæq; pruinæ.
Mox ubi iam ſapiens cœpit frondeſcere morus,
Antè quidem ſapiens,nunc ambitioſa,nec ullum
Quæ pariat pomum,ſed ſerica penſa miniſtret.
Ille aliam atq; aliam culturam dulcis agelli
Pertentans,truncos plantariaq; infodit aruo,
Nec pictas lugubre fabas,nec pabula parcit
Veruacto mandare putri,glebaſq; bicorni
Perſequitur ferro, & ſecat inſuperabile gramen.
Et montem cædit ſcrobibus,fortiq; bidente
Terga ſoli frangit,Baccheaq; ſemina rectum
Explicat in quincuncem,& diſſerit ordine longo.
Atq; iterum, atq; iterum terra capita ima frequentat,
Et ramos tondet falce,atq; impunè fluentem
Compeſcit uitem fingens,& robore fulcit
Deciduam,charæq; hærentem in pectore matris
Acclinat ſobolem ſulco,iuxtaq; propagat.
Aut ipſo durus genitricis ab ubere flentis
Abſciſam rapit,atq; aliò traducit alendam.

Quid

Quid dicam? externis cùm ſe uernacula ſuccis
Robora nobilitant,peregrinaq; ſegmina duri
Accipiunt trunci,aut diſcreto germina libro.
Namq; oculis oculos,non blandi tempora ueris
Iungere, ſed medijs gaudet feruoribus æſtas,
Aeſtas congeſtos Cereris tritura maniplos,
Aeſtas abſconſum ſiliqua excuſſura legumen,
Aeſtas,qua grandes expectant horrea meſſes,
Dum coaceruatas euentilet area fruges.
Tum ſola puluerei pingueſcunt arida campi,
Soluunturq; putres glebæ,ac peritura lupini
Germina parturiunt,tum cliuo rauca ſonantes
Eliciuntur aquæ,præcepsq; recumbit agro fons.
Póſt ubi iam medio ueſtigia librat in axe
Enſifer Orion,croceoq; inſignis amictu
Aſpicit Arcturum,pulſa pallantias umbra
Sentibus horrenteis aperit iam uinea ſepes,
Aureolamq; metit lentis de uitibus uuam
Vinitor, & fœtos rubicundo nectare fructus.
Quos coniux,quos uirgo comes,par uertice matri
Aut ciſta exportant,aut raſilibus calathiſcis.
Nec ſentitur onus ſtudio , leuat ipſa laborem
Sedulitas,quin frugiferos curuantia ramos
Poma ſinu,baccasq; ferunt,ficumq;,nucemq;.
Nec nihil addit hyems,nigros tum laurea fœtus
Exuitur,tum myrta legunt,glandemq; caducam,
Glaucaq; Palladiæ diſtringunt brachia ſyluæ.
Nocte autem ad lychnos aut iunco texit acuto
Fiſcellam,aut crates uirgis,aut uimine qualos
Ruſticus,infinditq; faces,& robora ualli,
Dolia quaſſa nouat,ferramentisq; repellit
Scabriciem,tritaq; docet ſplendeſcere cote.
Nam quid delicias memorem? quamq; alta labori
Otia ſuccedant? iam primùm obſeſſa pruinis
Cùm iuga floriferi regelauerit aura Fauoni,
Suaue ſerenato rident uaga ſidera cœlo.
Suaue ciet tardos per ſudum luna iuuencos,
Ipſa quoq; ætherij melius nitet orbita fratris,
Terq; quaterq; manu madidantes nectare crines
Exprimit,& glebas fœcundis roribus implet,
Vecta Meduſæo Titonia præpete coniux.
Alma nouum tellus uultu nitidiſſima germen
Fundit,& omnigenis ornat ſua tempora gemmis.
Idalio pudibunda ſinus roſa ſanguine tingit,
Nigraq; non uno uiola eſt contenta colore,
Albet enim,rubet,& pallorem ducit amantum.
Vt ſunt orta,cadunt,niue candidiora liguſtra.
Nec longùm durant calathos imitata parentis

Lilia

Lilia,ſed longùm ſtant purpurei Amaranthi.
Hic Salaminiaci ſcribunt ſua nomina flores,
Hic gratum Cereri, plenumq́ ſopore papauer
Oſcitat,hic inhiat ſibimet Narciſſus,at illic
Corycios alit aura crocos,notumq́ theatris
Aera per tenerum flatu diſpergit odorem.
Nec iam flammeolæ conniuent lumina caltæ.
Nec melilotos abeſt. Tyrium ſeges illa ruborem
Induit,hic uiuo ceſpes ſe iactat in auro,
Hæ niueos,hæ cyaneos ſuperare lapillos
Contendunt herbæ,uernantq́ micantia latè
Gramina,per tumulos,perq́ umbriferas conualles,
Perq́ amnis taciti ripas,atq́ omnia rident,
Omnia luxuriant,& amica luce coruſcant.
Parturiunt ſtipulæ frugem,& genitalibus auris
Peruia,turgeſcunt lactentibus hordea culmis.
Palmes agit rupto lacrymanteis cortice gemmas,
Seq́ rudes primis monſtrant in uitibus uuæ.
Dulce uirent teneræ modò nata cacumina ſyluæ,
Succreſcuntq́ piæ pullorum examina matri.
Ipſa ſibi ignotas miratur adultera frondes
Arbor,& aſcitis natiuas inſerit umbras.
Auricomæ iubare exorto de nubibus adſunt
Horæ,quæ cœli portas atq́ atria ſeruant.
Quas Ioue plena Themis,nitido pulcherrima partu
Edidit,Ireneq́,Diceq́,& mixta parenti
Eunomie,carpuntq́ recenteis pollice fœtus.
Quas inter Stygio remeans Proſerpina regno,
Comptior ad matrem properat, comes alma ſorori
It Venus,& Venerem parui comitantur amores,
Floraq́ laſciuo parat oſcula grata marito.
In medijs reſoluta comas,nudata papillas
Ludit,& alterno terram pede Gratia pulſat.
Vda choros agitat Nais, decurrit Oreas
Monte ſuo,linquunt faciles iuga celſa Napææ.
Nec latitat ſub fronde Dryas,non iubila Fauni
Fundere,non iunctis Satyri dare ſibila cannis,
Nec querulæ ceſſant tenerum tinnire uolucres.
Fluctibus Alcynoe,denſa philomela ſub umbra,
Canus olor ripis,tecto uaga plorat hirundo.
Lene ſuſurrat apis, plenoq́ ſaporibus alueo
Candida multiforæ ſolidat fundamina ceræ.
Colludunt per prata greges, atq́ omne beato
Flagrat amore nemus,iuuenem laſciua maritum
Fert equa, fert tergo ſalientem bucula taurum,
Setigeræq́ ſubant matres,decertat amator
Fronte aries,auidos olidum pecus accipit hircos.
Spectant innixi baculis,gaudentq́ magiſtri.

Inde

Inde ubi prægnantes partu Lucina recenti
Soluit,ut exæquet numero fœtura parentes,
Ipſe rudem,nec adhuc ueſtigia certa prementem,
Fert ſobolem gremio,ſed ouem, gracilem'ue capellam
Eniſas humero ſubit,atq; in ſtramine molli
Componit ſenſim paſtor,ſtabuloq; recondit.
Mox ut conualuere, rubos hæc rupibus altis,
Illa recens campo gramen decerpit aprico,
Aut dulceis gelido delibant amne liquores,
Vt ſua concluſis ne deſint pocula natis.
Vtq; fluat plenis diues mulſura papillis,
Subrumi expectant hœdiq;,agniq; petulci:
Cornigerasq; uocant tremulo clamore parenteis.
Bruta gregem plenum denſis alit uberibus ſus
Exporrecta ſolo,& grunnitu allectat amico
Fellantes,turpiq; luto ſe immunda uolutat:
Radices eadem calloſo auidiſſima roſtro
Eruit,& bulbum,aut madida ſe pulte ſaginat.
Flet uitulum mœſta abſentem mugitibus altis
Mater,& immenſam raucis miſeranda querelis
Syluam implet,boat omne nemus,uallesq;,lacusq;.
Illa nigros latè lucos,ſaltusq; peragrat
Crebra gemens,crebra ad montem, ſtabulumq; reuiſit
Tabeſcens deſiderio,non ulla dolorem
Pabula,nec ſalicum frondes,nec gramina rore
Sparſa leuant, non quæ uiridi uaga flumina ripa
Perſpicuam tenui deducunt murmure lympham.
Prata tener perſultat equus, libatq; uolucri
Aequora ſumma fuga,aut alti ſubit aſpera montis
In iuga,ſaxoſumq; amnem pede plaudit inermi,
Cui pulchro micat acre caput,luduntq; decoræ
Fronte comæ,uibrant aures,atq; orbe nigranti
Prægrandes extant oculi,tum ſpiritus amplis
Naribus it feruens,ſtat ceruix ardua,qualem
Præfert marmaricis metuenda leonibus ales,
Ales,quæ uigili lucem uocat ore morantem.
Creſcunt ſpiſſa toris,lateq; animoſa pateſcunt
Pectora,conſurguntq; humeri,& iam ſeſſile tergum eſt:
Spinaq; depreſſos gemino ſubit ordine lumbos.
Et caſtigatum cohibent craſſa ilia uentrem.
Fundunt ſe lætæ clunes,ſubcriſpaq; denſis
Cauda riget ſetis,& luxuriantia crebræ
Velant colla iubæ,ac dextra ceruice uagantur.
Tum tereti ſubſtricta genu,molliſſima flectit
Crura ferox,celſum ingrediens,fremituq; ſuperbit.
Grande ſonat tornata cauo breuis ungula cornu,
Ingenti referens corybantia cymbala pulſu.
O dulces paſtoris opes,ó quanta beatum

Quàm tenet hunc tranquilla quies? ut pectore toto
Lætitiam, totaq́ꝫ fouet bona gaudia mente?
Nempe odij, fraudumq́ꝫ expers, exemptus inani
Ambitione, uacansq́ꝫ metu, ſpe liber, & inſons
Natiuo cultu, & gaza prædiues agreſti,
Ipſe ſibi uiuit nullo ſub teſte, ſuoq́ꝫ
Pendet ab arbitrio, ſuus ipſe eſt cenſor, & alto
Calcat opes animo, ac regum deridet honores.
Si non Tænareis illi ſtant fulta columnis
Robora, cælatumq́ꝫ altè laquearia ſubter
Ridet ebur, poſtem'ue ſilex Aſaroticus ornat,
Nec Mauruſiacos pulchræ teſtudinis orbis
Delphica ſuſtentat, nec docto trita Myroni
Pocula, multiplici florent radiantia gemma.
Aut bis in Herculea Mileſia uellera concha
Verſantur, tenuiq́ꝫ ſatur lanugine bombyx
Luteolos folleis, precioſaq́ꝫ fila relinquit,
Textile nec tenero ſubtegmine fulgurat aurum,
Spiranteis referens uultus, quæ Pergamos olim
Artifici deſcripſit acu, quæ ſtamina Memphis,
Quæ Tyros, & Babylon radio pinxere ſonanti.
At iacet in molli proiectus ceſpite membra,
Quà cauus exeſum pumex teſtudinat antrum:
Quá'ue ſuſurranti crinem dat aquatica uento
Arbor, & aut calamos, aut fixa haſtilia iungit
Cortice, ſtatq́ꝫ leui caſa frondea niſa tigillo,
Quam metuant intrare pauor, curæq́ꝫ ſequaces,
Sub qua iucundos tranquillo pectore ſenſus
Nutrit inabruptoq́ꝫ fouet ſua corpora ſomno,
Syluarum, & pecoris dominus. ſtant ſedula circùm
Turba canes, audaxq́ꝫ lacon, acerq́ꝫ moloſſus.
Dant ignem extritum ſilices, dant flumina nectar
Hauſta manu, dat ager Cererem: non caſeus, aut lac,
Lucorum'ue dapes abſunt, ſtat rupibus ilex
Mella ferens trunco, plenoq́ꝫ cacumine glandem.
Illi ſunt animo rupes, frondoſaq́ꝫ teſqua
Et ſpecus, & gelidi fontes, & roſida Tempe,
Vallesq́ꝫ, Zephyriq́ꝫ, & carmina denſa uolucrum,
Et Nymphæ, & Fauni, & capripedes Satyriſci,
Panq́ꝫ rubens, & fronte cupreſſifera Syluanus,
Sileniq́ꝫ ſenes, ſubdiualesq́ꝫ Ithyphalli,
Et montana Pales, & quo paſtore Pheręi
Gaudebant campi, & crinem reſoluta Mimallon.
Et qui cornigera bicolores fronte corymbos,
Pampineamq́ꝫ manu tenera quatit Euius haſtam,
Semper amor, ſemper cantus, & fiſtula cordi eſt,
Semper odorati, Venerisq́ꝫ ſtipendia flores,
Vitarumq́ꝫ altrix urbi malè nota uoluptas.

Talibus

Talibus in ſtudijs paſtor mollc exigit æuum.
Pôſt ubi raucisonæ pinna uibrante cicadæ
Increpuere, ardensq́ metentibus ingruit æſtus,
Pauliſper tum ceſſat opus, ſaxiq́ ſub umbra
Proſtrati indulgent genio. non mollia pleno
Deſunt uina cado, non lacti mixta polenta,
Aut pinguis tergum uitulæ, placidusq́ ſonoræ
Lapſus aquæ, crinemq́ auræ, frontemq́ laceſſunt.
Inde opus integrant, donec ſub nocte coruſcent
Flammigero paruæ ſtellantes clune uolucres.
Ecce autem dulces labris pater ingerit uuas
Autumnus, crebręq́ eliſus uerbere plantę,
It per præla latex, pueriq́ examine denſo
Exultant laſciua cohors, circumq́, ſupraq́.
Ille manu panda pronus bibit, alter ab ipſo
Sugit muſta lacu crepitantibus hauſta labellis.
Hic ſua ſuſpenſum reſupinus in ora racemum
Exprimit, hic ſocij patulos irrorat hiatus,
Irriguumq́ mero ſordet mentumq́, ſinusq́:
Ebriaq́ incertis titubant ueſtigia plantis.
Poſtq́ acris ſucceſſit hyems, & pendula tectis
Diriguit glacies, larga ſtruc tollitur altè,
Collucetq́ focus, coeunt uicinia ſimplex
Vnà omnes, iuuenesq́ probi, materq́ ſeuera
Coniuge cum duro, & pueris, & uirgine grandi,
Conuigilantq́ hilares, & primæ tempora noctis
Decerpunt, molli curas abigente Lyæo.
Mutuaq́ inter ſe ludunt, tum tibia follè
Laſciuum ſonat inflato, tum carmina cantant,
Carmina certatim cantant, tum tenta recuſſo
Tympana ſupplodunt baculo, & caua cymbala pulſant,
Et læti ſaltant, & tundunt æribus æra,
Et graue conſpirat cornu tuba flexilis unco,
Conclamantq́ altum unanimes, tolluntq́ cachinnos.
Porrò autem, quanta eſt differtæ copia uillæ,
Quamq́ penu diues? neq́ enim uel frugibus ornis
Horrea ſufficiunt, uel odoro dolia muſto.
Teſtaq́ Palladijs iam non uacat ulla trapetis.
Terga ſuis pendent fumoſo ſordida tigno,
Pertica penſilibus oneratur longa racemis,
Non uuæ arentes, non pruna, & carica deſunt.
Sorbaq́ cum ceraſis, duroq́ putamine clauſa
Perſica nux, regumq́ altas imitata coronas
Meſpila, cumq́ pyris miſerorum munus amantum
Iam laxum in rugas malum, decoctaq́ ahenis
Defruta, & omphacinus liquor, & lacrymoſa ſinapis,
Et meditata nouos Sicyonia bacca ſapores.
Tum ſapa, melq́ recens, edulcatiq́ lupini,

Et prunæ increpitans balanus, contextaq; cannis
Fiſcina lacte madens, & durati ſale fungi.
Annonam facilem uicinus ſuggerit hortus,
Murmur apricantes niuea dant turre columbi,
Expandunt alas, & amicam blanda rogantes
Oſcula, circumeunt inſertantq; oribus ora:
Iam uicibus nido incubitant, genitrixq;, paterq;,
Iamq; oua excudunt, natisq; implumibus eſcam
Commanſam alternant, roſtellaq; hiantia complent.
Adde gregem cortis, criſtatarumq; uolucrum
Induperatores, laterum qui ſidera pulſu
Explaudunt, uigiliq; citant Titana canore:
Et regnum ſibi Marte parant, quippe obuia roſtris
Roſtra ferunt, crebrisq; acuunt aſſultibus iras.
Igneſcunt animis, & calcem calce repulſant
Infeſto, aduerſumq; affligunt pectore pectus.
Victor ouans cantu palmam teſtatur, & hoſti
Inſultans uicto, pauidum pede calcat iniquo.
Ille ſilet, latebrasq; petit, dominumq; ſuperbum
Ferre gemit. comes it merito plebs cætera regi:
Formoſo regi, cui uertice purpurat alto
Faſtigatus apex, dulciq; errore coruſcæ
Splendeſcunt ceruice iubæ, perq; aurea colla,
Perq; humeros it pulcher honos. palea ampla decenter
Albicat ex rutilo, atq; toroſa in pectora pendet
Barbarum in morem: ſtat adunca cuſpide roſtrum,
Exiguum ſpacij roſtrum, flagrantq; tremendum
Raui oculi, niueasq; caput latè explicat aureis.
Crura pilis hirſuta rigent, iuncturaq; nodo
Vix diſtante ſedet, durus ueſtigia mucro
Armat, in immenſum pinnæq; hirtiq; lacerti
Protenti excurrunt, dupliciq; horrentia uallo
Falcatæ ad cœlum tolluntur acumina caudæ.
Ipſe ſalax totam fœcundo ſemine gentem
Implet, & oblongo nunc terram ſcalpurit ungui,
Rimaturq; cibos, nunc edita nubila uiſu
Explorat cauto, non illum ſquamea tutò
Aggreditur ſerpens. non raptor ab æthere miluus.
Vocibus interea crebrum ſingultat acutis
Parturiens coniux. quæ ſcilicet oua ſubinde
Tollit anus, ſignatq; dies, uigilemq; lucernam
Conſulit, & lunæ creſcentis tempora ſeruans,
Vt primùm gallina glocit numero impare ſubdit:
Verſatisq; diu, ſolers auſcultat, an intus
Pipiat inuolucer pullus, tenerumq; putamen
Pertuderit molli roſtro, atq; erumpere tentet.
Parte alia biſero plumoſam corpore meſſem
Nutrit, & in craſſa ſatur urinare lacuna

Anſer

Anſer auet,ſtagnumq́ ſuper pede remigat udo
Depictæ ceruicis anas,prolemq́ natatum
Inuitans,nunc extat aquis,nunc mergitur altè.
Erigit explicitæ gemmata uolumina caudæ
Ambitioſus amans: at ficu,& polline gliſcit
Pellaci cantu deceptus ab aucupe turdus.
Inſidit mutilo turtur,ſeſeq́ ſaginans
Rauca gemit, dulcesq́ miſer ſuſpirat amores,
Flet uiduus perdix,queritur peregrina cothurnix
Incluſi caueis. hic cæca cuniculus antra
Excauat, hic ſepto prægnans lepus errat in amplo,
Capreoliq́,hinuliq́,& aduncis dentibus apri.
Hic ſtertunt glires, hic fœmina fœtat echinus.
Dædala ſomniferos peragunt examina bombos,
Plenaq́ captiuos ſeruant uiuaria piſces.
Scilicet his opibus placidè ſua corpora curant,
Dulciaq́ inter ſe læti tellure magiſtra
Officia exercent,ut quæ neq́ ferre recuſet
Imperium,neq́ non grandi mercede rependat,
Si qua laborifero debentur farra colono.
Ille autem & uolucri petit ardua ſidera mente,
Scrutaturq́ ſagax, quæ ſit ſententia diuûm.
Quid quæq́ emergens,latitans'ue,oriens'ue,cadens'ue
Stella paret, quid quadruplici celer afferat annus
Cardine,quæ ſulcis,quæ ſint ſtata tempora meſſi,
Quidq́ pecus uehat Olenium,qua grandine collis
Trux nepa dilapidet, quo turbine ſurgat Orion,
Quos glomerent imbreis, aut preſſus Arione delphin,
Aut Pleas, Arcturusq́ ſenex, Hyadesq́ puellæ:
Vnde bibant herbæ diuini pocula lactis:
Cur rubigo ſatis,uredoq́ uiribus obſit:
Quid nebulas abigat,tempeſtatesq́ repellat:
Quod uento ingenium,quæ nubes cauſa ſerenet:
Quidq́ ſilens moneat,quidq́ intermenſtrua Phœbe,
Vel cùm plena meat, uel cùm decreſcere rurſum
Incipit. ille etiam numeros, legesq́ dierum
Prouidus obſeruat: ſcit enim quid ſeptima portet
In qua naſcentem excepit bona Delia fratrem.
Scit quoq́ poſt decimam quid prima,quid altera luces
Iniungant operum,quo circa aut uellera lanæ
Demetit,aut grauido maturas mergite ariſtas:
Aut telam locat uxoris: nam pendula in ortu
Poſteriore ſuos etiam net aranea caſſes.
Quæ ſequitur bona uirgultis,inimica ferendis
Frugibus.ergo cauet,quod obeſt,quodq́ expedit urget:
Nouit enim quota connubijs,quota partubus obſtet,
Aſpiret'ue dies,quota pinguem emaſculet hœdum,
Septaq́ circundet pecori,quota iungat amanteis

Et clandeſtinos iubeat miſcere ſuſurros:
Qua ponat canis hirritum, maleſuadaq́ pectus
Cura nimis laceret, qua triſtis oberret Erynnis
Nocte magis. ſecat ille ſuo ſibi tempore lignum,
Dolia deguſtat, ſubigit iuga ferre iuuencum.
De flabris quoq́, de pluuia dulciq́ ſereno,
Aut lunæ occaſus, aut idem conſulit ortus.
Tractat opus, ſi pura micet: ſin atra recedat,
Aut quinto directa die, aut medio orbe retuſa,
Nec gracili cornu, aut triplici ſit culta corona,
Tecta ſubit metuens hyemes. ſi rubra coruſcet,
Tum uerò expectat uentos, nec fallit eundem
Quo Boream cornu, quo Cynthia prouocet Auſtrum.
Conſulit & Phœbi flammas, an grandinis augur
Palleat, an radijs monſtret diſcordibus imbrem.
An præ ſe exoriens nubeis agat, an niger orbem
Circulus extremum claudens, quà rumpitur, acres
Carceris Aeolij moneat conſurgere flatus.
Adnotat & cœli faciem, num ſtella ſereno
Aethere lapſa cadat, rapidi prænuntia Cauri.
Conſcia num ſubita ſemet caligine obumbrent
Aſtra, trahantq́ hyemem, gemino Thaumantias arcu
Quid ferat, aut curto cùm uix ſecat aera gyro,
Et penè unicolor taurina fronte minatur.
Nunc præſepe oculis, nunc Bacchi ſpectat aſellos,
Quiq́ Noton cernit, quiq́ eſt obuerſus ad Arcton.
Fulgores, tonitrus, inſperſaq́ uellera cœlo,
Brumalemq́ diem, & totum ſemel aſpicit annum.
Necnon & nautis ruiturum in carbaſa nimbum
Augurat, undiſonum ſi fors mare ſurrigit Aegon,
Canaq́ conſpergit ſale ſaxa & littora frangit.
Tunc & triſtifico reboant montana fragore,
Et repetunt ſiccum mergi, atq́ ex æquore clamant.
Ipſa uolans ſublimè auras, æthramq́ laceſſit
Ardea, colludunt fulicæ, plauduntq́ gregatæ.
At laſciua lacus alis præſtringit hirundo,
Et ſummas propè radit aquas, ranæq́ coaxant.
Fuſca gradu cornix lento metitur arenas,
Aut fluuium capite, & madida ceruice receptat,
Crocituq́ graui pluuiam increpat uſq́ morantem.
Clangunt Naupliadæ uolucres, & peruia pinnis
Nubila conſcribunt, incertus in æquore delphin
Difflat aquas, latrant corui, uocemq́ reſorbent.
Progerit oua cauis patiens formica laborum.
Blanda canis terram pedibus ſcabit, ore lapillos
Tardigradus prendit cancer, ſeſeq́ ſaburrat,
Atq́ hæret ripæ, denſum occinit improbulus mus,
Straminaq́ exculcat. quin centipedes ſcolopendræ

Parietibus

Parietibus reptant,aures pigra motat aſella.
Dependent bullæ lychno,ſitienſꝗ cruoris
Muſca redit,ſummoſꝗ proboſcide mordicat artus.
Nec longè à tectis apis ingenioſa recedit.
Prunaꝗ,concretuſꝗ ima cinis hæret in olla:
Carboꝗ pellucet: neꝗ non prænuntiat Euros
Pluma natans,folium'ue errans,pappiꝗ uolantes:
Flammaꝗ cùm flectit,cùm ſeſe elidit,& ipſis
Vix ſedet in ſtuppis,ſcintillamꝗ excutit udam.
Vos quoꝗ paſtores uentos horretis,& imbres,
Cùm temerè excurſans pecus ampla in paſcua fertur,
Cumꝗ alaeres ludunt agni, calceiſꝗ proteruos
Subſultim incutiunt inter ſe,& cornibus hęrent:
Aut cùm ſe è paſtu ui, uix,ægreꝗ reuellunt:
Cumꝗ boues liquidi ſuſpectant lumina cœli,
Olfactantꝗ auras,& ſuccos naribus udos
Crebra trahunt,dextrumꝗ latus conſternere gaudent,
Aut lingunt aduerſa pilos,aut ueſpere ſero
Mugitu ingenti redeunt,caulaſꝗ fatigant.
Cùm ſibi non factos ſus diſſipat ore maniplos,
Cumꝗ antro lupus exululat, cumꝗ improbus idem
Nec metuens hominum propius conſiſtit,& offert
Se mendicanti ſimilem,ac loca culta pererrat.
Ergo in conſilium maria aduocat,æthera,terras,
Naturamꝗ omnem,uiuitꝗ autoribus aſtris
Cura deûm agricola,atꝗ animo præſcita recenſet,
Et rerum euentus ſenſu præſagit acuto.
Hanc ó cœlicolæ magni concedite uitam.
Sic mihi delicias,ſic blandimenta laborum,
Sic faciles date ſemper opes.hac improba ſunto
Vota tenus, nunꝗ certè, nunꝗ illa precabor,
Splendeat ut rutilo frons inuidioſa galero,
Tergeminaꝗ grauis ſurgat mihi mitra corona.
Talia Feſuleo lentus meditabar in antro
Rure ſuburbano Medicum,quà mons ſacer urbem
Mæoniam,longiꝗ uolumina deſpicit Arni.
Quà bonus hoſpitium felix,placidamꝗ quietem
Indulget Laurens,Laurens haud ultima Phœbi
Gloria,iactatis Laurens fida ancora muſis:
Qui ſi certa magis permiſerit otia nobis,
Afflabor maiore deo,nec iam ardua tantum
Sylua meas uoces,montanaꝗ ſaxa loquentur,
Sed tu (ſi qua fides) tu noſtrum forſitan olim
O mea blanda altrix non aſpernabere carmen,
Quamuis magnorum genitrix Florentia uatum,
Doctaꝗ me triplici recinet facundia lingua.

ANGELVS POLITIANVS LAVRENTIO MEDICI, PETRI FRANCISCI F. S. D.

COGIS tu quidem me Laurenti carmen edere incõditum, inemendatum, & quod in publico ſemel pronuntiatũ, nimis fuiſſe impudens, uiſum ſit. Satis profectò fuerat, uixiſſe unũ diem, quod tam foret imperfectũ animal, ac poſſe etiam inter inſecta illa, quæ uocentur ephemera, cõnumerari. Namq; ego id ad præſentem duntaxat celebritatẽ, quaſi Adonidos hortũ, cõcinnaueram. Prorogare tu noſtræ Mantus (ita enim inſcribimus) nõ tam uitam cupis, ꝗ dedecus: ferreus ſim, ſi tibi quid denegem, tam nobili adoleſcenti, tam probo, tam mei amanti, tanto denique eam rem ſtudio efflagitanti. Quare habe tibi quicquid hoc libelli, ac tu quoq; deſiderio noſtro aliquãdo ſubueni, & quæ tibi muſæ amatoria carmina uernaculè ſuggerent, ne patere, quæſo, à nobis expectari diutius. Vale. Florẽtiæ 4. Nonas Nouẽb. M.CCCCLXXXII.

ANGELI POLITIANI IN SYLVAM, CVI TITVLVS MANTO, PRAEFATIO.

STABAT adhuc rudibus Pagaſeo in littore remis
Quæ ratis undoſum prima cucurrit iter:
Dum tamen extremis hærent ſuccincta ceruchis
Lintea, dum nautas flamina nulla uocant,
Conueniunt Minyæ gemini Chironis ad antrum,
Quà fugit obliquo garrula lympha pede,
Quaq; ingens platanus genialibus excubat umbris,
Explicat hic faciles ruſtica menſa dapes.
Creſcit fronde torus, uernant in flore capilli,
Sed uiret Herculeis populus alba comis.
Dat puer Aeacides niuea carcheſia dextra,
Sed ſuus Alcidæ pocula miſcet Hylas.
Finis erat dapibus, citharam pius excitat Orpheus,
Et mouet ad doctas uerba canora manus.
Conticuere uiri, tenuere ſilentia uenti,
Vosq; retrò curſum mox tenuiſtis aquæ.
Iam uolucres feſſis pendere ſub æthera pinnis,
Iamq; truces uideas ora tenere feras.
Decurrunt ſcopulis auritæ ad carmina quercus,
Nudaq; Peliacus culmina motat apex.
Et iam materno permulſerat omnia cantu,
Cùm tacuit, querulam depoſuitq; fidem.
Occupat hanc audax, digitosq; affringit Achilles,
Indoctumq; rudi perſonat ore puer.
Materiam quæris? laudabat carmina blandi
Hoſpitis, & tantæ murmura magna lyræ.
Riſerunt Minyæ: ſed enim tibi dicitur Orpheu,
Hæc pueri pietas grata fuiſſe nimis.
Me quoq; nunc magni nomen celebrare Maronis
(Si qua fides uero eſt) gaudet & ipſe Maro.

ANGELI POLITIANI SYLVA

CVI TITVLVS MANTO.

In Bucolicon Vergilij pronuntiata.

EST dea quæ uacuo ſublimis in aere pendens
It nimbo ſuccincta latus, ſed candida pallam,
Sed radiata comam, ac ſtridentibus inſonat alis:
Hæc ſpes immodicas premit, hæc infeſta ſuperbis
Imminet, huic celſas hominum contundere menteis,
Succeſſusq; datum, & nimios turbare paratus.
Quam ueteres Nemeſin genitam de Nocte ſilenti
Oceano dixere patri. ſtant ſidera fronti,
Frena manu pateramq; gerit, ſemperq; uerendum
Ridet, & inſanis obſtat contraria cœptis,
Improba uota domans, ac ſummis ima reuoluens
Miſcet, & alterna noſtros uice temperat actus,
Atq; huc atq; illuc uentorum turbine fertur.
Viderat hæc domitis tumidam te Græcia Perſis,
Signa quoq; Eoum uictricia ferre ſub orbem.
Viderat & cantu Aonio, eloquijsq; ſuperbam
Ire altum, magnumq; loqui, cœloq; ſupinum
Inſertare caput, nec dijs te ferre minorem.
Mox faſtus exoſa graueis, ceruice coegit
Ferre iugum, & Latijs ſuperatam ſubdidit armis.
Nec fandi permanſit honos: tu namq; potenti
Protinus ore tonans, ardentis fulmine linguæ
Cuncta quatis Cicero, Pyliæ non mella ſenectæ,
Nec iam Dulichias audet conferre procellas,
Sponte tibi uirides tranſcribens Græcia palmas.
Se tamen Aoniç ſolatur fronde coronę.
Deerat adhuc Latio uatum decus, horrida quanq;
Bella, tubasq; rudi cantauerat Ennius arte:
Editus ecce Maro, quo non felicior alter,
Seu ſyluas, ſeu rura canit, ſiue arma, utrumq;.
Namq; Syracoſiis cum uix aſſurgat auenis,
Heſiodum premit, & magno contendit Homero.
Ergo age quis centum mihi nunc in carmina linguas,
Immenſumq; loqui, uocemq; effundere ahenam,
Quis mihi det Siculas Latio clangore ſorores
Poſt Geticam ſuperare chelyn? dum te optime uatum
Imbellis pietas audaci promere cantu
Audet, Atlanteasq; humeris fulcire columnas.
Vnde ego tantarum repetam primordia laudum?
Aut qua fine ſequar? facit ingens copia rerum
Incertum. ſic frondifera lignator in Ida
Stat dubius, uaſtæ quæ primùm robora ſyluæ
Vulneret. hic patulam procero ſtipite phagum,

Hîc uidet annoſam ſua pandere brachia quercum,
Illic ſuccinctas caput exertare cupreſſos,
Metiturq; oculis Phrygiæ nemora alta parentis.
Te naſcente Maro Parnaſſi è culmine ſummo
Affuit Aonias inter feſtina ſorores
Calliope, blandiſq; exceptum ſuſtulit ulnis,
Permulſitq; manu quatiens, terq; oſcula iunxit,
Omnia ter cecinit, ter lauro tempora cinxit.
Mox aliæ dant quæq; tuis munuſcula cunis:
Certatim dant plectra, lyram, pellemq;, pedumq;,
Dant & multiforam modulanda ad carmina loton,
Et decreſcenti compactas ordine auenas.
Dant Pandionias uolucres, ter murmure placant
Liuenteis oculos, ter frontem baccare tangunt.
Venit & Elyſio uenturi præſcia Manto,
Manto quæ iuuenem fluuio conceperat Ocnum,
Ocnum, qui matris dederat tibi Mantua nomen,
Venit & horrentes quatiens uittamq;, comasq;,
Sanguineamq; rotans aciem, ſic ora reſoluit
Plena deo, & ueras excuſſit pectore uoces.
Dicebam memini, memini tibi Mantua quondam:
Surge bonis auibus fundata, & fulmine læuo:
Surge, paremq; aſtris contende educere molem,
Pyramidum ſupra ſumptus. prò quanta manet te
Gloria, quàm longum ſenibus celebrabere ſeclis.
Naſcetur, uideo, ſupera tibi miſſus ab arce
Sidereus uates, alti cui numinis hauſtum
Mens cœlo cognata ferat, quem grande ſonantem
Non Linus Inachides tantùm, atq; Oeagrius Orpheus,
Aut mea qui Tyrio conſtruxit mœnia plectro,
Sed uos ò Muſæ, ſed tu mireris Apollo.
Et nunc ecce puer tranquillæ ad lumina lucis
Ille diu promiſſus adeſt, uitamq; ſalutans
Has teneris iam nunc mulcet uagitibus auras.
Euge beate puer ſanguis meus, horreat ortus
Græcia tota tuos, laurumq; habitura ſecundam,
Aſcra Arethuſa ſuis metuant & Smyrna coronis.
Incipe adhuc gracili connectere carmina filo.
Incipe magne puer, nec uota intexere diris
Impia, nec Culici gemitum præſtare merenti,
Nec te Lampſacium pudeat luſiſſe Ithyphallum,
Blandaq; laſciuis epigrammata pingere chartis:
Acmonidas refer, & Brontem, Volcaniaq; antra,
Igniuomoſq; apices montis, raucoq; trementem
Murmure Trinacriam, quoties per nubila flammas
Eructat, tentatq; latus uerſare Typhoeus.
Dic Scyllam ſubitis miſeram, quæ ſe induit alis,
Scyllam quæ nimio flagrans Minois amore,

Ah potuit rigido genitorem inuadere ferro
Crudelis,potuit cano ſpoliare capillo
Crudelis,ſed quis duro contendat amori?
Crudelis,ſed culpa tua eſt,tua culpa Cupido.
Atq; hæc prima noui fuerint elementa poetæ.
Hæc fuerint timidæ præludia prima iuuentæ.
Iam uatem,iam Roma uocas,iam ſæua receſſit
Paupertas,præſtatq; pijs grata otia Muſis
Tuſcus eques.noſco hunc,atauis qui regibus ortus,
Diſcinctum iuuenem,cerno & te maxime princeps,
Purpureos inter proceres,ſanctumq; Senatum
Pendentem ſtare ad numeros atq; ora tenentem.
Tu tamen ô miſeræ nimium uicina Cremonæ
Quid fles amiſſum,quid fles mea Mantua campum,
Paſcentem niueos herboſo flumine cycnos?
Non'ne uides ingrata tuis quæ præmia damnis
Accumulent ſuperi, & ſolatia quanta rependant?
Ipſa en Roma tuo ſeſe quoq; iactat alumno.
Iamq; phalantei reſonant pineta Galeſi
Tityre te uacuo meditantem murmur in antro,
Iamq; tuam dociles recinunt Amaryllida ſyluæ.
Nigraq; dum raucum tremulis euibrat ab alis
Carmen & epoto canit ebria rore cicada,
Montibus ah ſolis formoſum iactat Alexin
Vocalis Corydon,& Alexin reddit imago.
Ecce autem imparibus dum ſibila flectit auenis
Impubis paſtor, faciles dum ludit amores,
Aureolo petit hunc malo,laſciuaq; currit
Ad ſalices Nymphe furtiuo prodita riſu.
Sed maiora uocant,nunc,ó nunc omnis abeſto
Impius,& caſti,linguiſq;,animiſq; fauento.
Stelligero deus ille,deus ſe fundit ab axe
Aeterni mens certa patris, quiq; omnia nutu
Torquet,Idumææ ſe uirginis inſerit aluo
Aurea ſparſurus rediuiuo ſecula mundo.
Tu tamen ante alios felix mea uera propago,
Cui licitum in ſyluis, inter coryleta iacenti
Rimari quid fata parent, quid pulchra minentur
Sidera,quiq; mihi diuini pectoris hæres,
Enthea Cumæis incingas tempora uittis.
Verùm agè iam gelidoſq; tegant umbracula fonteis,
Et folijs cumuletur humus,denſiq; maniplis
Inſpirent flores,uacuoq; inciſa ſepulcro
Candida formoſum teſtetur littera Daphnin,
Daphnin ad aſtra uocet tenero caua fiſtula cantu.
Ebrius interea noſtri nutritor Iacchi
Silenus molli dormit reſupinus in antro,
Ebrius, & nimio uenas tumefactus alumno.

Securum

Securum pueri audaces, atq; improba Nais
Inuadunt furtim, decq; ipſis uincla coronis,
Quæ ſenis è mutilo modò uertice defluxerunt,
Iniiciunt alacres, promiſſaq; carmina poſcunt:
Carmina cum ſyluis totos mulcentia monteis:
Iamq; tuis Minci glauca ſub arundine ripis
Vincitur alterno Corydonis carmine Thyrſis.
Iam repetit querulam Damonis tibia Muſam:
Damonis Muſam ſcopuli, pinuſq; loquuntur.
Sed quid io tam dulce tibi eſt Galatea ſub undis,
Quam formoſa uocet nequicquam ad littora Cyclops?
Infelix Cyclops: ſed enim infelicior illo
Gallus amat, queriturq; ſuam procul eſſe Lycorin:
Gallus quem rigidæ fleuere in montibus orni,
Cuius amorem omnes nequeunt mutare labores:
Gallus, quem fruſtra uerbis ſolatus Apollo eſt.
Hæc ſat erit ſimas inter cecinisſe capellas
Paſtorem, tu uictricem fer Mantua palmam.
Ecce lacertoſi quærunt noua turba coloni
Quo ſegetes ueniant campo, quo ſidere tellus
Vertatur, quod ſit facilis, quod tempus aratri.
Egredere ô ſyluis iuuenis, curruq; leuatus
Triptolemi Latios fœcunda meſſibus agros.
Nec cœlebs iam palmes agat, ſed reptet ad ulmum
Ebrius, at dulci rubeat noua nupta marito,
Et pater autumnus medio conſurgat ab aruo
Pomiferum uiridi caput altè umbratus amictu,
Atq; Acheloe tuũ teneat graue dextera cornu,
Stetq; catenatas ſuadens nudare palæſtras.
Palladis ampla arbos bicoloribus horrida baccis,
Frondibus & uerſis longum diſcriminet annum,
Iam lætos inter ſaltus, frondoſaq; teſqua.
Hinc uitulus primo cui frons protuberet æuo,
Mugitu tenero matrem uocet, inde per herbas
Candida laſciuo diſcurrat bucula ſaltu.
At quibus aſſurgunt pleno iam cornua gyro,
Inter ſe aduerſo decertent pectore amantes,
Dum rudis exultim florentis in æquore campi
Ludit equus, uolucreſq; fuga præuertere uentos,
Aut tranare amneis, aut curſu euincere montem
Geſtit, Olympiacæ rapturus dona coronæ.
Lanigerumq; pecus primo propellat Eoo
De ſtabulis paſtor, dum pratis roſida lucent
Gramina, dum teretes per flexa cacumina guttæ
Colludunt, ipſæ hærentes uix rupibus altis
Aſpera Cinyphiæ carpant dumeta capellæ.
Tum glomerata cauo fundant ſe examina ſaxo,
Halantemq; roſam, & tenerorum germina florum

Taurigenæ

Taurigenæ populentur apes, plenoq; recurrant
Poplite: iam lentum teneat fundamina gluten.
Iam portas, arcemq; & propugnacula condant,
Ceraq; nectareas ducat ſexangula cellas:
Aut natos, aut mella legant, fucosq; repellant
Turpe pecus, iamq; accinctæ ciuilibus armis
Expediantq; manus roſtris, & ſpicula uibrent,
Nocturnoq; ſonent muſſantia caſtra ſuſurro.
At tu quæ tellus, æſtuq; geluq; laboras,
Cui ſacer hybernos Helicon intercipit ortus,
Ne ceſſa acceptam noſtræ ſubmittere laurum,
Nec iam ſupremi certent de ſanguine uatis
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ.
Quippe Bianoream manet hæc uictoria gentem.
Namq; meus timido qui rura, & paſcua uerſu
Hactenus excoluit, ſtimulis tandem acribus actus,
Dediſcetq; metum, ualidasq; in pectora uires
Contrahet, attonitoq; canet fera pectine bella.
Qualis adhuc breuibus quæ uix bene fidere pinnis
Cœpit auis, matrem primò, nidosq; loquaces
Circumit, & crebrum patula ſuper arbore ſidit:
Colligit inde animos ſenſim, & uicina uolatu
Stagna legit, terrasq; capit, captasq; relinquit,
Laſciuitq; fuga: tandem & ſublimia tranat
Nubila, & iratis audens ſe credere uentis,
In ſpacia excurrit, iuſtisq; eremigat alis.
Ac primùm Siculis magnum producet ab oris
Laomedontiaden, undisq; & turbine ſæuo
Auferet in Libyen, quem Dido ignara futuri
(Sic placitum ſuperis) animoq; domoq; receptet.
Reginæq; hoſpes diri commenta Sinonis,
Mendaces Graios, uanæ periuria gentis,
Et populata malis Neptunia Pergama flammis,
Se quoq; iactatum referet terraq; mariq;.
Illa auidis bibet ignem oculis, noctemq; diemq;
Nutriet infelix ueſanum pectore amorem.
Venatu tandem in medio Saturnia nimbum
Pronuba diffundet, ſoloq; Hymenæus in antro
Affuerit, nullasq; faces mœſtum afferet omen.
Fulgoresq; dabit nymphis ululantibus æther.
Ipſe Iouis monitu Aeneas rurſum ire per undas
Cogetur uento, rurſum Itala quærere regna,
Surgentem Auſoniæ ſolio impoſiturus Iulum.
At Phœniſſa rogum ſæuo furiata dolore
Incendet moritura, trucesq; in uota uocabit
Eumenidas, mox & Phrygium, proh triſtia dona,
Ah niueum per pectus aget miſerabilis enſem.
Diſcolor interea taurino combibet ore

Iris aquas, iterumq; antris effundet apertis
Hippotades hyemem, & rapidis ruet æquora uentis:
Zanclæas iterum feſſi eijcientur ad oras
Troes, & hoſpitio fidi accipientur Aceſtæ.
Hic patris ad tumulum ſolenneis ordine pompas
Dux feret, ac meritos celebrabit littore ludos.
Tum pelagus relegens amiſſo præſide puppis
Vix tandem Euboica lacrymans potietur arena:
Atq; ubi fata deûm uiuacis ab ore Sibyllæ
Hauſerit, infernas etiam deſcendet ad umbras,
O pietas, manesq; petet per Auerna paternos,
Romanosq; ſuos Lethæi ad fluminis undam
Conferet, & magnos gaudens cognoſcet Iulos,
Paciferumq; ducem, fuluo cui pulchra metallo
Secla fluent, cui preſſa graui pede bella iacebunt.
His lætus porta ad ſocios euadet eburna
Dux Anchiſiades, Thuſcumq; enabit ad amnem.
Necdum parta quies, reſtant bella aſpera, reſtant,
Et craſſus multo ſtagnabit funere Tybris.
At tibi Caſtalijs renouentur pectora lymphis
Chare nepos, nunc nunc ingenti eſt ore ſonandum
Grande opus à tergo. quis enim alto euincere cantu,
Clamoresq; uirûm, atq; hinnitus ſperet equorum.
Tu tamen euinces, licitum tibi maxime uatum
Arma, acies, furias, Martem ipſum æquare canendo:
Iamq; uolans ſuperas Alecto impunè per auras
Tartareum canit, & reſides ſtridentibus hydris
Inſtimulat, dux ipſa manu Saturnia ſæua
Clauſtra quatit belli, poſtesq; irata refringit.
Iam Latiæ coiere manus, domat aſpera duris
Ora lupis ſonipes, facilesq; in puluere gyros
Flectit eques, ipſæ alpino de uertice ſyluæ
Præcipitant, auidæ Phrygios haurire cruores.
Iam raſtri pondus rigidum diffingit in enſem
Cædis amor, uerſiq; abeunt in pila ligones,
Attritusq; caua mutatur caſſide uomis.
Iamq; aurem horriſono rumpunt fera claſſica bombo,
Armorumq; minax perſtringit lumina fulgor.
Dumq; alacres ſecum in Martem Cythereius heros
Arcadas, & miſſum auſpicio Pallanta ſiniſtro
Audacem puerum, melioraq; fata ſequutos
Tyrrhenos rapit, & tantis accingitur auſis.
Ecce furens Rutulus, ſæuoq; inſtinctus amore
Nequicquam in Phrygiam iaculatus lampada claſſem
Miratur ſubitas pelago conſurgere nymphas.
Nec minus irrumpit caſtris, altamq; cruentus
Dat ſtragem, fluuioq; euadit lætus amico.
Vltor adeſt, ſociosq; exponens littore tuto

Auſpicium

Auſpicium belli, maternis fulgurat armis
Dardanides,totasq; in pugnam exſuſcitat iras.
O qui ſudor equis,qui ſe alto in puluere reges
Turpabunt,quanto exſurget rubra ſanguine tellus.
Nec tuus haſta deus,nec te tua dextera forti
Mezenti leto eripiet,uisq; effera mentis,
Sed conſors nato accedes tumuliq;,necisq;.
At tu quò nimio ſpoliorum,& laudis amore
Inconſulta ruis? quin ſæuas bellica uirgo
Inſidias prius,& uenientem reſpicis haſtam.
Tuq; miſer pone ò rapti mala gaudia baltei,
Et cæſi exuuias pueri,inuidiamq; deorum
Turne caue.dabis heu pœnas,dabis improbe, & iſtam
Euandro debes animam,atq; ultricibus umbris.
Sic tandem Iliacas properans penſare ruinas
Ad Teucros feſſis reuolat uictoria pinnis.
Grande tamen uobis leti ſolamen honeſti
Magnanimi heroes nati felicibus aſtris
Afferet Aonius iuuenis,cui dia canenti
Facta uirûm totis pariter præconia linguis
Soluet fama loquax,cui dulci ſemper ab ore
Roſida mella fluent,cuiusq; Acheloia Siren
Geſtiet innocuo diuina poemata cantu
Flectere,cui blandis inſidet Suada labellis,
Cui decus omne ſuum cedet ſtupefacta uetuſtas.
Ipſa illi quem uix ducibus largiris honorem
Sponte feres,totoq; aſſurges Roma theatro.
Hæc ubi ueridico fudit de pectore Manto,
Compoſuit uultu,teneroq; arriſit alumno,
Oſculaq; ore legens ſacrum inſpirauit amorem,
Afflauitq; animum,tenuesq; receſſit in auras.
Plauſerunt hilares ad tanta oracula muſæ.
Plauſerunt nymphæ,quiq; alto è uertice montis
Affuerat,capripes concuſſit cornua Faunus.
Et triplices carmen ſcripſere adamante ſorores.
Vos age nunc alacres certatim Ethruſca iuuentus
Aonijs operata ſacris accurrite mecum
Dædala perpetui uiſum monumenta poetæ,
Qualia nec caſtæ peplis intexta Mineruæ
Solenni ueteres luſtro explicuiſtis Athenæ:
Picta rubro quoties animantur prælia cocco.
Nec uetus immenſum fuerint quæ ſparſa per orbem
Gloria,ſeptena celebrat ſpectacula fama.
Nam neq; belligeris Babylon pulſata quadrigis
Mœnia, nec liquido pomaria pendula cœlo
Conferat,aut dextris conſtructa altaria Delos
Cornibus,aut uaſti molem Rhodos aurea Phœbi.
Non Cares Mauſole,tui cælamina buſti,

Phidiacum non Elis ebur,non ipſa ſuperbas
Pyramidas iactet laſciui lingua Canobi.
Namq; hæc aut ualido Neptuni quaſſa tridenti:
Aut telo Sumane tuo traxere ruinam:
Aut trucibus nimbis,aut iræ obnoxia Cauri:
Aut tacitis lenti perierunt dentibus æui.
At manet æternum,& feros excurrit in annos
Vatis opus,dumq; in tacito uaga ſidera mundo
Fulgebunt.dum ſol nigris orietur ab Indis,
Præuia luciferis aderit dum curribus Eos,
Dum uer triſtis hyems,autumnum proteret æſtas,
Dumq; fluet ſpirans,refluetq; reciproca Tethys,
Dum mixta alternas capient elementa figuras,
Semper erit magni decus immortale Maronis,
Semper inexhauſtis ibunt hæc flumina uenis,
Semper ab his docti ducentur fontibus hauſtus,
Semper odoratos fundent hæc gramina flores,
Vnde piæ libetis apes,unde inclyta nectat
Serta comis triplici iuuenalis gratia dextra.
Et quis io iuuenes tanti miracula luſtrans
Eloquij,non ſe immenſos terræq;,mariſq;
Proſpectare putet tractus.hic ubere largo
Luxuriant ſegetes,hic mollia gramina tondet
Armentum,hic lentis amicitur uitibus ulmus,
Illinc muſcoſo tollunt ſe robora trunco,
Hinc maria ampla patent, bibulis hoc ſqualletarenis
Littus,ab his gelidi decurrunt montibus amnes,
Huc uaſtæ incumbunt rupes,hinc ſcrupea pandunt
Antra ſinus,illinc ualles cubuere reductæ.
Et diſcors pulchrum facies ut temperat orbem,
Sic uarios ſeſe in uultus facundia diues
Induit,& uaſto nunc torrens impete fertur
Fluminis in morem,ſicco nunc aret in alueo,
Nunc ſeſe laxat, nunc exſpatiata coercet,
Nunc inculta decet,nunc blandis plena renidet
Floribus,interdum pulchrè ſimul omnia miſcet.
O uatum precioſa quies, ó gaudia ſolis
Nota pijs,dulcis furor,incorrupta uoluptas,
Ambroſiæq; deûm menſæ.quis talia cernens
Regibus inuideat? mollem ſibi prorſus habeto
Veſtem,aurum,gemmas,tantum hinc procul eſto malignum
Vulgus,ad hæc nulli perrumpant ſacra profani.

ANGELVS POLITIANVS LAVRENTIO TORNABONO SVO S. D.

DEBETVR hæc ſylua tibi, uel argumento, uel titulo: nam & Homeri ſtudioſus es, quaſiq; noſter conſectaneus, & propinquus Laurenti Medicis ſummi, præcellentiſq; uiri: qui ſcilicet Ambram ipſam Caianam, prædium (ut ita dixerim) omniferum, quaſi pro laxamento ſibi delegit ciuilium laborum. Tibi ergo poemation hoc, qualecunque eſt, nuncupamus, ut ſit amoris noſtri monimentum, ſit incitamentum tibi ad ſtudia literarum, præſertimq; Græcarum. in quibus tamen in tantũ proceſſiſti, ut uideare ad ſummum breui, ſi modò perrexeris, euaſurus. Vale. Florẽtiæ, pridie Nonas Nouembres. M.CCCCLXXXV.

ANGELI POLITIANI SYLVA CVI TITVLVS AMBRA.

In poetæ Homeri enarratione pronuntiata.

SPICEA ſi Cereris templo ſuſpenſa corona
Donum erat agricolæ quondam, ſi uinitor uuam
Sepoſuit Bromio, quoties prædiuite cornu
Copia ſe fudit, placidam ſi lacte recenti
Paſtores ſparſere Palem, ſpumantia poſtq;
Complerant olidam ſupra caput ubera mulctram,
Primitias & quiſq; ſui fert muneris autor,
Cur ego non uocem hanc, aut ſi quid ſpiritus olim
Concipit egregium, ſi quid mens ardua conſcit
Rarum inſigne ſibi, ſi quo ſe murmure iactat
Lingua potens, cur non totum in præconia ſoluam
Mæonidæ magni, cuius de gurgite uiuo
Combibit arcanos uatum omnis turba furores.
Vtq; laboriferi ferrum lapis Herculis altè
Erigit, & longos chalybum procul implicat orbes,
Vimq; ſuam aſpirat cunctis, ita prorſus ab uno
Impetus ille ſacer uatum dependet Homero.
Ille Iouis menſæ accumbens, dat pocula nobis
Iliaca porrecta manu, quæ triſte repellant
Annorum ſenium, uitamq; in ſecla propagent.
Ille deum uultus, ille ardua ſemina laudum
Oſtentat populis, ac mentis præpete niſu
Peruolitat chaos immenſum, cœlum, æquora, terras,
Vimq; omnem exſinuat rerum, uoceſq; refundit,
Quas fera, quas uolucris, quas uenti, atq; ętheris ignes,
Quas maria, atq; amnes, quas dijq; homineſq; loquantur.
Quin nudam uirtutem ipſam complexus honores
Faſtidit uanos, & ineptæ præmia famæ
Deſpicit exemptus uulgo, ac iam monte potitus,
Ridet anhelantem dura ad faſtigia turbam.
Vos age nunc tanti precor incunabula uatis

Diuinoſq; ortus Clio dictate canenti.
Muneris hoc ueſtri,longis ſiquidem obſita ſeclis
Fama tacet,centumq; deæ premit ora uetuſtas.
Iuerat Aethiopum ſolitas inuiſere menſas
Oceanumq; ſenem, & fœcundæ Tethyos antra
Iuppiter,Aetnæoq; manum exarmauerat igni
Contentus ſceptris.frontem tranquilla ſerenat
Maieſtas,ſanctoq; nitet pax aurea uultu,
Nimbi,hyemes,tonitruſq; procul,regem omne deorum
Concilium facie,cultuq; inſigne ſequuntur.
Biſtonijs Mars inſtat equis,tu iungis olores
Phœbe Therapnæos, Getica Mars fulgurat haſta,
Contendis tu Phœbe fides,arcuſq; retendis,
Lyncas agit Bromius, pauos Saturnia pictos,
Tardos luna boues,annoſas Delia ceruas,
Grypas Hyperboreos Nemeſis, Cytherea columbas,
Fert pedibus pinnas puer Arcas,crine galerum,
Et chelyn incuruam, atq; incuruam ſuſtinet harpen,
Paciferaq; duos uirga diſcriminat angues:
Goryton puer Idalius calamoſq;, facemq;,
Alcides clauam,& Nemeçi uellera monſtri,
Tartaream Pallas galeam,& Phorcynida geſtat,
Concordes gemino radiantur Caſtores aſtro.
Clauiger in ſemet redeuntem computat annum
Iam dextra deus. at Saturnum lanea compes
Mulcibero iubet ire parem,nec dextra Prometheu
Non tua Caucaſeæ meminit ferrata catenæ.
Arma deos ſua quemq; decent.nec ſegnius alti
Numina conueniunt pelagi,rex ipſe biformes
Arduus urget equos,ſæuoq; tridente minatur
Euroq;,Boreæq;,& uultu temperat Auſtros,
Solus equo Zephyrus tremulis perſultat in undis.
Ipſe ſinu facilem molli fouet Amphitriten.
Ludunt Nereidum ſimplex chorus. illa ſororem
Prouocat,& blando certat ſuperare natatu,
Hæc iunctum Delphina regit,premit illa leonem,
Trux uehit hanc aries, olido ſedet illa iuuenco,
Inſultant aliæ monſtris,quæ plurima uaſtus
Subluit Oceanus,ſcopulis horrentia Cete
Ballænam,Piſtrimq;, & Phyſetera marinos
(Si qua fides uero eſt)efflantem ad ſidera fluctus.
Quaſdam & ſemiferi dorſo Tritones amico
Excipiunt, bifidæq; ligant curuamine caudæ,
Et nunc tortilibus permulcent æquora conchis,
Dulcia nunc flexis ceruicibus oſcula captant.
It Phorcus pater,it glaucus, longamq; per undas
Canitiem trahit,& nymphis luctantibus inſtat.
Inouſq; puer,glauca cum matre, repulſas

Nunc

Nunc ſubter laſciuit aquas, nunc improbus extat
Pubetenus, conchasq;, & rubra corallia uellit.
Tu quoq; non dubio frontem laxare ſeueram
Tandem auſus riſu Proteu. uerùm una peremptum
Plorat adhuc natum Thetis, & crudelia diuûm
Numina, crudeles Parcas miſeranda laceſſit,
Ac precibus mixtas obliquans ſæua querelas,
Exitijq; reum citat, & conuitia fundit.
Tum uix paſſa thoro primos accumbere diuûm
Procurrit turbata comas, & pectore nudo,
Sic dolor ille monet, læuaq; amplexa uerendi
Genua Iouis, dextraq; attentans ſupplice barbam
Talibus affata eſt: O qui ſtellantia nutu
Regna quatis, uiden' ut magna de gente dearum
Sola ego perpetuo (quid enim mea uulnera cælem?)
Tabeſcam luctu, ueſtrasq; infeſta profanem
Has epulas? quod nam ob meritum pater optime? certè
Non ego uincla tibi, ſcis ó, ſcis ipſe parabam
Magne ſator, non Corycio tua tela ſub antro
Seruabat Thetis anguipedi iurata Typhœo.
Nec nunc mortalis thalamos, humilemq; maritum
Conquerimur: fuerint Parcarum uellera iuſtis
Inuida connubijs, liceat timuiſſe tonanti.
Quanq; ô (ſed taceo) cur autem ſumme deorum,
Cur meus Aeacides Latoia tela cruentat
Te minor? an'ne etiam ſobolem damnauimus ipſæ,
Aut faciem Titani tuam? ſed uertite quæſo,
Me quoq; iamdudum in ſilicem, nec marmora ſolùm
Triſtibus æternùm lacrymis Sipyleia manent.
Hos certè ingrato cineri, mutisq; ſepulcris,
Quando aliud quid ſit, genitrix perſoluat honores:
Si neq; perpetuæ ſaltem illum munere laudis
Dignaris pater, & Lethen parua accolet umbra.
Talia uerba refert, genibusq; affixa tonantis
Hæret inexhauſtum lacrymans, ſparſisq; capillis.
Iamq; deos omnes dictis, & imagine mœſta
Flexerat, inuidiam ſenſit, uultusq; retorſit
Ad Venerem Phœbus. tum diuam pauca moratus
Subleuat omnipotens, uerbisq; ita mulcet amicis:
Ne crede æterno inciſas adamante reuelli
Poſſe deûm leges, ſtant omne immota per æuum
Quæ triplices neuere colus, nec funera nati
Flet Thetis una ſui. cõmunes deſine caſus
Adnumerare tibi, ac totam hanc circumſpice turbam:
Scilicet inuenies conſortes undiq; luctus,
Me quoq; in his: ſiquidem tranſegit Opuntia cuſpis
Ductorem Lyciæ, & moribundum in puluere merſit.
Nec tu digna tamen, fateor (ni fata repugnent)

Quæ tam ſæua gemas, quæ mortales Hymenæos
Nerei pertuleris, nec ſolus Apollinis arcus
Pignora diuarum Phrygijs tamen obruit aruis.
Eſt etiam cui Memnoniam Pallantias urnam
Imputet. atq; adeò triſtes ut pectore curas
Excutias, animumq; leues, reddetur Achilli
Ingens tantorum precium (mihi crede) laborum:
Nam neq; Cerbereos rictus, nec Erynnidas atris
Anguibus implicitas, inamœnaq; tartara paſſus
Elyſium tenet. hic magna uenerabilis umbra
Mutatis pulchram auſpicijs ſibi Colchida iunget
Solis & Oceani uoluenti progener æuo.
Vtq; Rhodos Solem, Venerem Paphos, atq; Cythera,
Iunonemq; Samos, Cereremq; Typhoias Aetne,
Me mea Creta colit, ſic nato candida Leuce,
Leuce, quæ Scythicis procul inſula perſonat undis,
Templa tuo ponet. nautis hic ille ſub alto
Fata canet luco uenturæ nuntia ſortis.
Adde, quòd & pulchro tradetur pulchra marito
Tyndaris Aeacidæ ſtellis fulgentibus ardens:
Meq; dabit ſocerum, thalamis en ſternuit iſtis
Pulcher Hymen, grataſq; uices ſortita uoluptas
Iam nunc diuiduos iuueni deſpondet amores.
Vtq; tuos artus nunc dulci Gratia nodo,
Nunc Paphie roſeis nectit Vulcane lacertis:
Sic illum formoſa Helene, formoſa Cytæis
Auferet alternum, & lentus feſta otia ducet.
Famaq; (ne dubita) centeno gutture ueſtros
Indefeſſa canet, cœloq; æquabit honores.
Audiet hos, & quem torrenti flammeus aſtro
Carcinus æſtiferis late diſpeſcit arenis:
Et quos Herculeæ ſummouent orbe columnæ,
Atq; hominum primi Blemyæ, quoſq; altior axis
Cogit Hyperboreos ſubter durare triones.
Nulla uirûm gens, nulla dies, nuſquam ulla tacebit
Poſteritas, nulla teget inuida nube uetuſtas.
Quippe deûm ſancta naſcetur origine uates,
Qui lucem æternam factis immanibus addat,
Qui regum fera bella tonet, grandiq; tremendas
Obruat ore tubas, cuius uocalia Siren
Pectora, & Aonidum miretur prima ſororum.
Ille tuum Theti Peliden uenientibus annis
Dedet honoratum, ferisq; nepotibus unum
Theſſalus exemplum uirtutis habebitur heros.
Quondam etiam noſtro iuuenis de ſanguine cretus
Dux bello inuictus, Gangen domiturus, & Indos,
Atq; Semiramias fracturus cuſpide turres,
Felicem tanto præcone uocabit Achillem:

Et dubi-

Et dubitabis adhuc obductæ nubila frontis,
Atq; importunas Euris mandare querelas?
Quin audes laxare animum, uultusq; priores
Induis,& lætis hilarem te cœtibus inſers?
Dixerat,illa oculis iamdudum abſterſerat imbrem
Læta omnem.ætheriò grates agit inde tonanti,
Inſtauratq; comas,cultusq;,habitusq; decoros
Accipit. hic diuam glaucarum tota ſororum
Circunfuſa cohors ſtudio excolit,ipſa ſibi obſtat
Sedulitas.pars multifidi diſcrimine dentis
Cæſariem comit,molli pars colligit auro
Effuſam,pars fingit acu,crinemq; lapillis
Spargit Hydaſpæis,hæ baccas auribus addunt,
Reſtituuntq; ſinus,illa aurea cingula donat,
Donat Erythræis hæc plena monilia conchis.
Lætantur Nereusq; pater,grandæuaq; Doris.
Continuò redit ille decor,ſuffuſaq; pulchris
Fax radiat tranquilla genis.procul exulat omnis
Triſtitia,inſuetam tentant noua gaudia mentem.
Haud aliter uerno cùm pulſa roſaria nimbo
Frondentis rutilum uirgæ ſpoliantur honorem,
Defluit expirans dominæ cruor,ictaq; lapſis
Commoritur ſolijs halantum gratia florum.
Aſt ubi mox clarum iubar aureus exeruit ſol,
Augeſcunt recidiua nouis tum germina truncis,
Lætaq; natiuas oſtentat purpura gemmas.
Iamq; implere fidem diuini cœperat oris
Aeacides thalamo,& templis,& honoribus auctus:
Cùm partum ingentem memor extulit Ilithyia.
Hermæo prætenta ſinu fuit inclyta quondam
Vrbs toti prælata Aſiæ, Bœbeius illam
Coniugis extinctæ monimentum nobile Theſeus
Eſſe dedit Smyrnes,arcemq; in monte locauit
Proſpectantem undas ſemel,& ſua tecta tuentem,
Quo flet mœſta ſilex Niobe,Niobesq; ſepulcrum.
Hic placido fluit amne Meles, auditq; ſub altis
Ipſe tacens antris meditantes carmina cycnos.
Hæc uatem eximium tellus,ita ſancta uetuſtas
Credidit, hæc illum dias in luminis oras
Prima tulit. pater Aonij deus incola luci
Ductare aſſuetus thiaſos,ſacrisq; ſororum
Reſponſare choris,& par contendere Phœbo.
Furtiuo pulchram implerat Critheida fœtu:
Inde capax nato ingenium,largusq; uerendæ
Scilicet hauſtus aquæ,primo (ſi credimus) ille
Vagitu horriſoni ſternebat murmura ponti,
Pacabat uentos,mollibat corda ferarum.
Ipſa etiam lacrymas Sipyleia fundere cautes

Deſtitit

Deſtitit audito.reptabat maximus infans
Fluminis in ripa, reptantem mollibus ulnis
Nais areniuagum rapiebat ſæpe ſub amnem
Oſtenſura patri,& rurſum exponebat in ulua
Flore breues cinctum,aut apio rorante capillos.
Vosq; Etheocleæ(ni mendax fama)ſorores
Miſiſtis lectas Horatum à fonte corollas,
Flauaq; uirgineam puero immulſiſſe papillam
Dicitur Actæo ceu quondam Pallas Erechtheo.
Ipſe ut iam certo ueſtigia ponere niſu,
Vtq; datum uaria uoces effingere lingua,
Gaudebat calamos Hybleis iungere ceris,
Dilectos Bromio calamos. gaudebat & uncam
Ore inflare pio,ac digitis percurrere loton.
Grande tamen calami reboant,grande unca remugit
Tibia,ſæpe illum uicina Faunus in umbra
Demirans,aureis tacitus tendebat acutas,
Et ſubitò puerum Satyri cinxere theatro,
Cùm Satyrisq; feræ,ſed quæ nil triſte minentur,
Cumq; feris ſyluæ, ſed quæ alta cacumina motent,
Multifidæq; ſacris adnutent legibus auræ.
Ipſi quinetiam riguo Pactolus , & Hermus
Certatim affluxere auro,iuſſosq; tacere
Ripa ab utraq; ſuos Mæander miſit olores:
Mæander ſibimet refluis ſæpe obuius undis:
Mæander ſub humum pudibundo flumine labens:
Quòd puerum ignarus Carpon,dum ludit in unda,
Delicias nati,mox natum merſerat alueo
Infelix genitor: ſed uenti id crimen amantis.
Verùm ubi primæuæ dubio ſe flore iuuentæ
Induit,ac plenis adoleuit fortior annis,
Carmen amat,carmen, prò maxima numina uatum,
Carmen Apollineo tantum modulabile plectro,
Carmen Caucaſeas ſilices,cautemq; Sicanam
Quod trahat,& rigidi leges infringat Auerni,
Exarmetq; Iouis minitantem fulmine dextram.
Iamq; inſana ſacrum uis,inſertusq; medullis
Exſtimulat uatem Aeacides,iam parturit altum
Mens opus,& magnis animoſa accingitur auſis.
Ille tamen quæ'nam ora ſui,qui uultus Achilli,
Qui'ue oculi,quantus maternis fulguret armis,
Scire auet, ah nimius uoti,uiolentaq; fundens
Murmura , terribilem tumulo ciet improbus umbram.
Continuò Sigæus apex concuſſus in æquor
Procumbit,raucumq; gemit Rheteia contra
Littora,& effuſis tremit ardua fontibus Ide,
Semiuſtumq; cauo Xanthus crinem abdidit antro.
Ecce tuens toruum,nec uati impunè uidendus

Phthius honoratis heros adſtabat in armis:
Qualis Peliaca Teucros obtriuerat haſta
Priamiden uerſa à Danais dum quæreret ita
Vltor, & heu fluuijs miſeros, campisq́ fugaret:
Flammeus igneſcit thorax, auroq́ minatur
Terrifico radiatus apex, in nubila ſurgit
Fraxinus, & longa rurſum Hectora uulnerat umbra.
Ipſe ardens clypeo oſtentat terramq́, fretumq́,
Atq́ indefeſſum Solem, Solisq́ ſororem
Iam plenam & tacito uoluentia ſidera mundo.
Ergo his defixus uates, dum ſingula uiſu
Explorat miſer incauto, dum lumina figit,
Lumina nox pepulit, tum uerò exterritus hæſit:
Voxq́ repreſſa metu, & gelidos tremor impulit artus.
At iuuenem ſacer Aonium miſeratus Achilles,
Quandoquidem Saturne tuas inflectere leges,
Haud licitum cuiquam, clypeo excipit, oraq́ iungens
Inſpuit augurium, baculum dat deinde potentem
Tireſiæ magni, qui quondam Pallada nudam
Vidit, & hoc raptam penſauit munere lucem,
Suetus inoffenſos baculo duce tendere greſſus.
Nec deeſt ipſe ſibi, quin ſacro inſtincta furore
Ora mouet, tantiq́ parat ſolatia damni.
Aeaciden tamen, Aeaciden cœlo æquat, & aſtris,
Aeaciden famæ leuat arduus alite curru,
Vnum Dardanidis, unum componit Achiuis
Aeaciden, unum ante omneis miratur, amatq́.
Ac primùm irarum cauſas, trepidiq́ tumultus
Expedit, utq́ luem neglecta induxerit ægris
Religio populis, ut regem irritet amantem
Theſtorides, ut acerba fremens, uix temperet ipſo
Enſe puer Thetidis, uix magni ſanguine Atridæ
Abſtineat, diuæ admonitu, quæ iurgia contrà
Dux ferat incenſus dictis, quo uulnera Neſtor
Melle riget, quantum amiſſo dux frendeat alter
Munere, quos nato genitrix exoret honores,
Quid doleat Iuno, cœlo quid portet ab alto
Inſidioſa quies, quæ rex obliquet inertis
Tentamenta fugæ, faciat Laertius heros
Quantum operæprecium, cum dulcibus aſpera miſcet.
Cùm uaga clamoſæ reprimit conuicia linguæ,
Cùm ſuadet durent caſtris, præſagaq́ monſtrat
Fata deûm, memorat platanum, infantesq́ uolucres
Cum matre abſumptas, uerſumq́ in ſaxa draconem.
Quo Pylius fremat ore ſenex, ut pacta, fidemq́
Deploret, dextrasq́ datas, ut fulmina narret
Miſſa polo, ac pretium oſtentet uictoribus urbem.
Quæ facies Danaûm, cùm ſeſe in munia Martis

Accingunt

Accingunt, quantum dux ore, & pectore, & armis
Emineat. tum Pieridas ſua numina rurſum
Conſulit, Hectoreasq́; Agamemnoniasq́; phalangas
Enumerans, ipſos icto mox fœdere amantis
Committit, uictumq́; rapit Phryga nubibus atris,
Victorem Atriden necopino uulnerat arcu.
Tum pugnam inſtaurans toto dat funera campo
Haud dubitans alta Tydiden ſtrage cruentum
Dardanio, Lycioq́; duci, totidemq́; repentè
Obiectare deis, Glauci pòſt munere pulchro
Inſignem auratis oſtentaturus in armis.
Quid nunc Sidonio tentatam Pallada peplo,
Quid memorem lacrymas Thebææ coniugis, & te
Parue puer criſtas, & caſſidis æra timentem?
Teq́; heros longè gradientem, & torua tuentem,
Quaſſantemq́; procul metuendam cuſpidis umbram,
Atq; auſum corde impauido, ſolum Hectora contra
Stare diu? quid te populorum fata duorum
Lancibus æquantem imparibus, rex magne deorum
Aut miſeros tonitru Danaos, & lampade ſęua
Terrentem? quid te uallo, caſtriſq́; minantem
Priamida armipotens? his rurſum adiungitur ardens
Heu precibus nihil, & donis inflexus Achilles,
Exceptusq́; Dolon, & ſomno proditus heros
Othryſius, tacitaq́; auerſi nocte iugales,
Qui ſuperent candore niues, qui curſibus æquent
Flamina. mox ipſi ferro, teliſq́; repulſi
Ductores Danaûm, clypeoq́; interritus Aiax
Tutari ſociam claſſem, Iliacumq́; paratus
Ductorem, & ferrum, & flammam exceptare, Iouemq́;.
Quem cæſto tamen Idalio, coniunxq́;, ſororq́;
Implicat, & ſomni facies mentita uolucrem,
Dum pater æquoreus feſſis aſpirat Achiuis.
Nec mora, Peliacis cùm longè horrendus in armis
Emicat, & nubem belli defenſat Achiuis
Actorides, ac ſanguineo Sarpedona campo
Obruit, heu magni prolem Iouis. inde ſecundis
Elatus rerum, Balium, Xanthumq́; iugales,
Quos Zephyro peperit geminos Harpyia Podarge:
Et te captiuo funalem Pedaſe collo
Igneus extimulat, Scææq́; in limine portæ
Concidit, ah tanti nimium ſecurus amici.
Nam quid Panthoiden fœdantem ſanguine crineis
Illos, prò dolor, argentoq́; auroq́; micanteis:
Quid primos querar heroum pro corpore functo
Certatim obniſos inter ſe haud cedere certos,
Atq; animam exanimum funus ſuper exhalantes?
Ecce ſuum tandem cantor Smyrnæus Achillem

Suſcitat

Suſcitat,ardentem clypeo, atq; Hyperionis orbem
Orbe laceſſentem pulchro,& cœleſtibus armis,
Ingentiq; manu Centaurica tela tenentem,
Atq; immortaleis adigentem in prælia bigas:
Hic uerò obuerſis uictoria remigat alis,
Dum rapit inferias,dum curribus ille,uiriſq;,
Atq; armis,& equis minitantem infeſtior implet
Xanthon,& arſuras anguſtat cædibus undas.
Vix ego nunc ſi mille ſonent mea pectora linguis,
Voxq; adamante rigens,atq; indefeſſus anhelet
Spiritus infuſum totos pæana per artus,
Bella deûm narrem,terram ipſam immane gementem,
Clangentemq; polum,Martemq; in iugera ſeptem,
Porrectum multoq; comas in puluere merſum,
Aegidaq; horrificam,protectamq; Aegide pectus
Pallada,nil magni metuentem fulmina patris,
Imbellemq; deum Venerem.& te Phœbe tridenti
Summittentem arcus,& te Latonia uirgo
Iam pauidam,ac uacua linquentem caſtra pharetra.
Nec ſi Caſtalios ipſis à fontibus amnes,
Hauriat os auidum, nec ſi Pirenida lympham,
Pimplæosq; bibat latices,æquare canendo
Hectora ſanguineum,uiolentumq; auſit Achillem:
Hectora pro patria chariſq; penatibus unum
Stantem animis contrà. qualis draco paſtus amaros
Per brumam ſuccos,uenientem expectat iniquus
Paſtorem,& tumido furiatus felle cruentum
Spectat,hians immane,cauoq; aduoluitur ingens.
Aeaciden autem cædem,& crudele ferentem
Exitium. qualis uaſti canis Orionis
Per noctem exercet radios,ſæuumq; minatur.
Iamq; illum ante oculos amborum,ante ora parentum
Raptatum Hæmonio circum ſua mœnia curru,
Iam funus Patrocle tuum,Priamumq; ſuperbos
Porrectum ante pedes,atq; auro ſupplice uictum,
Dixerat inuictum iuuenem,lamentaq; ſæua
Iliadum,mœſtoſq; rogos,cineremq; ſepultum:
Cùm ſubitò in ſomnis Ithaci experientis imago
Viſa uiro,ſic ampla humeros,ſic pectora fundens,
Sed letale gerens uulnus: namq; inſcia nati
Dextera quæſitum per cærula uaſta parentem
Protinus æquoreæ uiroſo trigonos ictu
Perculerat,ſiue ira deûm,ſeu fata iubebant.
Atq; ait: ò magnæ qui princeps debita laudi
Præmia perſoluis,qui lenta obliuia ſeclis
Excutis,& feros famam producis in annos,
An'ne tot exhauſtos nobis terraq; mariq;,
Lethæo merſos fluuio patiere labores?

Nec ſua reddetur uirtuti gloria merces?
Namq; licet uirtus ſemet contenta quieſcat,
Sola tamen iuſtos uirtus adſciſcit honores,
Solaq́; ſe merito laudum fulgore coronat.
Quinetiam ignaris præferre nepotibus optat
Prima facem, ac monſtrare uiam, quæ tendat in altum
Culmen, & è celſo ſcandenti porgere dextram.
Quem neq; poſteritas, neq; tangit fama ſuperſtes:
Nempe alijs exempla, ſibi uitam, inuidet amens.
Ergo ſub Iliacis tractantem prælia muris
Graius Achilleis populus donauerit armis:
Tu uerò emenſo quæ geſſi plurima ponto,
Quæq́; tuli, nullo uates dignabere cantu,
Quem ſolum uocat iſte labor, cui pectore pleno
Defluit illa meæ felix opulentia linguæ.
Incipe, namq; adero, & præſens tua cœpta iuuabo.
Hæc ait, & pariter ſomnusq́;, Ithacusq́; receſſit.
Ille nouo rurſus muſarum percitus œſtro
Concinit abiegnæ Danaos compagibus alui
Occultos, & equi molem, fraudemq́; Sinonis,
Indicijq́; metu præcluſum pollice fauces,
Anticlon Ortygiden, populataq́; Pergama flammis,
Diſiectasq́; rates, patriumq́; à Pallade miſſum
Fulmen, Oiliden q́; ignes, & ſulfura fixo
Pectore proflantem, teq́; importunè Caphareu,
Nec faciles Ciconas, fortunatosq́; ciborum
Lotophagos, uinoq́; grauem Cyclopa per antrum
Exporrectum ingens, humanaq́; fruſta uomentem
Mixta mero, inq́; bouis conſtrictos tergore uentos,
Et Lamium Antiphaten, & uirgam, & pocula Circes,
Cimmerionq́; domos, Euerridenq́; locutum
Vera ſenem, fuſoq́; allectos ſanguine maneis,
Et maris illecebras, uocemq́; impunè canoræ
Virginis auditam, Scyllamq́;, auidamq́; Charybdin,
Lampetienq́; patri uiolata armenta querentem,
Immerſosq́; undis ſocios, ipſumq́; natantem
Littus ad Ogygies, & Atlantidos antra Calypſus,
Neptunumq́; iterum uentosq́; undasq́; cientem,
Leucotheamq́; piam, Cercyræosq́; receſſus
Hoſpitio faciles, ſubitumq́; in gurgite montem,
Aſſertumq́; larem tandem, ultricesq́; ſagittas.
Ergo tegunt geminæ uictricia tempora laurus
Vatis Apollinei, geminis ergo arduus alis
Fugit humo, celſumq́; altis caput intulit aſtris,
Par ſuperis, ipſiq́; Ioui, quò nulla rebellis
Spicula liuor agat, quò nulla aſpiret iniquæ
Tempeſtas fœda inuidiæ. ſic eminet extrà
Liber, & innocuus, toto ſic ille ſereno

Perfruitur

Perfruitur gaudens, magni ceu purus Olympi
Supra imbres uertex, & rauca tonitrua ſurgit,
Deſpectatq; procul uentorum prælia tutus.
Quo nunc diuitias animoſi carminis ore
Exequar? haud illi plena ſe conferat urna
Hermus, & aurata radians Pactolus arena,
Et Tagus, & Durius, latebris quodq; eruit audax
Dalmata, quodq; procul Beſſus rimatur, & Aſtur,
Fuſile Callaica quodq; in fornace liqueſcit,
Decolor in toto quodq; inuenit Indus Hydaſpe,
Quemq; Rhodos fuluis hauſit de nubibus imbrem,
Quodq; manu dea cæca tenet prædiuite cornu.
Vtq; parens rerum fontes, & flumina magnæ
Suggerit Oceanus terræ, ſic omnis ab iſtis
Docta per ora uirûm decurrit gratia chartis.
Hinc fuſa innumeris felix opulentia ſeclis
Ditauit mentes, tacitoq; infloruit æuo:
Omnia ab his, & in his ſunt omnia, ſiue beati
Te decor eloquij, ſeu rerum pondera tangunt.
Nam quæ tam uarium Memphitis ſtamen arundo
Separat, aut quæ ſic Babylonos texta potentis
Solicita pinguntur acu, quæ tanta colorum
Gloria, cum pinnis Zephyri rorantibus adſunt:
Quantus honos uocum, q; multis diues abundat
Floribus, & claris augeſcit lingua figuris?
Siue libet tenui uerſum deducere filo,
Seu medium confine tenet, ſeu robore toto
Fortior aſſurgit: ſeu uena paupere fertur
Aridius, celeri ſeu ſe breuis incitat alueo,
Gurgite ſeu pleno, denſiſq; opulentior undat
Vorticibus, ſiue humentes læto ubere ripas
Dædala germinibus uariat, maiore nec unquam
Sermo potens meminit ſe maieſtate loquentem.
Quòd ſi facta uirûm uicturis condere chartis,
Flectere ſi mauis orando, & fingere mentes,
Hunc optato ducem; non cauſas doctius alter,
Perſonamq;, locumq;, modoſq;, & tempus, & arma,
Remq; ipſam expediat, dum nunc iactantior exit,
Nunc contorta ruit, nunc ſe facundia profert
Simplicior, uaria nunc floret imagine rerum.
Dulcius eloquium nulli, nec apertior unquam
Vis fandi fuit, aut quæ mentibus acrior inſtet.
Indole quemq; ſua pingit, ſua cuiq; decenter
Attribuit uerba, & mores, unumq; tenorem
Semper amat, meminitq; ſui, ſcit & unde moueri,
Et quo ſit prodire tenus, fuſumq; gubernat
Arte opus, & medijs prima ac poſtrema reuincit.
Nunc teneras uocat ad lacrymas, nunc igneus iram

Suſcitat,interdum retrahit,probat,arguit,urget.
Nunc noua ſuſpendunt auidas miracula mentes,
Fœta bonis, ipſum utiliter celantia uerum.
Quicquid honorato ſapiens canit ore uetuſtas,
Doctaq; multiiugæ poſt hunc diuortia ſectæ,
Hinc hauſtum,ſiue infantis cunabula ſecli,
Seu conſpirantes pugnaci fœdere cauſas,
Diſcordemq; fidem,& genitalia ſemina rerum,
Seu potius mundi fines,diuumq; rotatas
Contemplere domos,atq; obluctantia cœlo
Sidera.quæ magnum uis tanta Hyperionis orbem
Torqueat, exhauſtam reparet quo fonte ſororem
Auſam fraternis mediam ſe opponere flammis,
Et ſubitis uiolare diem,lucemq; tenebris.
Conſcia fatorum cùm mens animauerit aſtra,
Vnde tremat tellus,trifida'ne impulſa laboret
Cuſpide Neptuni,cæcis an terga cauernis
Subdat atrox Boreas,noſtrum erupturus in orbem.
Ventorum nunc ille uices,nunc fulminis ortus
Monſtrat,& eliſis crepitantes nubibus auras:
Curq; ruunt imbres,ſubitus cur lumina fulgor
Sic ferit,ut medium credas diſcindere cœlum.
Eſſe deum,mentem immenſam,rerumq; potentem,
Cunctaq; complexum,ſtabili qui lege gubernet
Naturam, mundiq; uices, qui fata ſolutis
Subiuget arbitrijs,qui temperet omnia ſolus.
Eſſe animos lethi exortes, ſed corpore claudi
Ceu tumulo,quos in uarias tamen ire figuras,
Hoc dictante docet tacitæ dux ille cohortis,
Antè ortus memor uſq; ſui,ſibiq; ipſe ſuperſtes.
Quin & præcelſa rationem ſiſtit in arce
Ceu dominam,triſtes in pectore concitat iras,
Viſcera degeneri damnata cupidine paſſus.
Nec tacet,unde æger cruciat dolor,unde rebellem
It furor in rabiem,cur pallent ora timentum,
Genua tremunt,ſtant corda gelu,ſtant uertice crines.
Quæ ſummi ſit meta boni,quæ'ue orbita rectum
Signet iter,quò ſe confundat deuius error,
Quot uirtus fluat in riuos,quo cardine honeſtum
Vertatur,rebus quantum Fortuna caducis
Præſit,ut humanos toleret mens cruda tumultus.
Quæ ciues menſura premat,quo robore leges
Firmentur,plus conſilio res creſcat,an armis
Publica.quas belli tentet dux callidus artes:
Quàm uocum ſit amica fides,q; magna gregandis
Relligio numeris,quantis præſagia ſignis
Conſultes: quantum ſuccos rimata ſalubres
Ardua Pæoniæ ualeat ſolertia dextrę.

Hinc

Hinc & magniloquis uoces creuere cothurnis.
Hinc laſciua datos riſerunt compita ſoccos.
Hinc hauſiſſe iocos teneri creduntur amores,
Quiq; aſtricta breui claudunt epigrammata nodo.
Quin & Apellæos digitis animare colores
Monſtrat, Olympiaco quin is dedit ora tonanti.
Nec faber ille negat, dum nigris mota laborant
Cuncta ſupercilijs, immortalesq; ſequuntur
Aſtra iubas, ſancta dum maieſtate tremendum
Excipiunt, magnoq; aſſurgunt numina patri.
Heroumq; idem facies, & celſa potentum
Ora deûm, uarijsq; horrenda animalia formis,
Diuerſasq; urbes, poſitusq;, habitusq; locorum
Innumeros, ſenſusq; animorum, carmine pulchro
Naturamq; omnem illa ipſa mirante figurat.
Huic aras, huic templa dedit ueneranda uetuſtas.
Hunc ære, hunc ſaxo, fuluoq; colebat in auro:
Hunc unum autorem teneris præfecerat annis,
Rectoremq; uagæ, moderatoremq; iuuentæ:
Hunc etiam leges uitæ agnouere magiſtrum:
Omnis ab hoc doctas ſapientia fonte papyros
Irrigat: hunc proprias olim Gangetica tellus
Tranſtulit in uoces: huius natalia ſeptem
Quæq; ſibi rapiunt ſtudijs pugnacibus urbes:
Hunc & Sithonij patientem iura flagelli
Aſſeruit patrio uindex Ptolemæus ab amne:
Hunc quoq; captiuo gemmatum clauſit in auro
Rex Macedûm, medijs hunc conſultabat in armis:
Hoc inuitabat ſomnos, hinc craſtina bella
Concipere, huic partos ſuetus iactare triumphos.
Et nos ergo illi grata pietate dicamus
Hanc de Pierio contextam flore coronam,
Quam mihi Caianas inter pulcherrima nymphas
Ambra dedit patriæ lectam de gramine ripæ:
Ambra mei Laurentis amor, quam corniger Vmbro
Vmbro ſenex genuit domino gratiſſimus Arno:
Vmbro ſuo tandem non erupturus ab alueo.
Quem ſuper æternùm ſtaturæ culmina uillæ
Erigis, haudquaq; muris ceſſura Cyclopum,
Macte opibus, macte ingenio, mea gloria Laurens:
Gloria muſarum Laurens, monteſq; propinquos
Perfodis, & longo ſuſpenſos excipis arcu,
Prægelidas ducturus aquas, quà prata ſupinum
Lata uidet Podium riguis uberrima lymphis,
Aggere tuta nouo, piſcoſisq; undiq; ſepta
Limitibus, per quæ multo ſeruante moloſſo
Plena Tarentinis ſuccreſcunt ubera uaccis.
Atq; aliud nigris miſſum (quis credat?) ab Indis

Ruminat ignotas armentum diſcolor herbas.
At uituli tepidis clauſi fœnilibus intus
Expectant tota ſugendas nocte parentes.
Interea magnis lac denſum bullit ahenis.
Bracchiaq; exertus ſenior, tunicataq; pubes
Comprimit: et longa ſiccandum ponit in umbra.
Vtq; piæ paſcuntur oues, ita uaſtus obeſo
Corpore ſus Calaber cauea ſtat clauſus olenti.
Atq; aliam ex alia poſcit grunnitibus eſcam.
Celtiber ecce ſibi latebroſa cuniculus antra
Perforat, innumerus net ſerica uellera bombyx.
Ad uaga floriferos errant diſperſa per hortos,
Multiforumq; replent operoſa examina ſuber.
Et genus omne auium captiuis inſtrepit alis.
Dumq; Antenorei uolucris criſtata Timaui
Parturit, & cuſtos Capitoli gramina tondet,
Multa lacu ſe merſat anas, ſubitaq; uolantes
Nube diem fuſcant Veneris tutela columbæ.

ANGELI POLITIANI ELEGIA,
SIVE EPICEDION.

In Albieræ Albitiæ immaturum exitum, ad Siſmundum
Stupham eius ſponſum.

ET meritò, quis enim tantum perferre dolorem?
Aut quis iam miſeris temperet à lacrymis?
Sed tamen heu fruſtra crudelia ſidera damnas
Siſmunde, & fruſtra numina ſurda uocas.
Proh dolor, ah quantos rapta pro coniuge fletus
Ingeminas, quanto perluis imbre genas,
Solicitasq; fratres pios, miſerumq; parentem,
Inq; tuo tota eſt uulnere nigra domus.
Nigra domus tota eſt, flent mœſti ad limina ciues,
Flent socij lacrymis & tua damna pijs.
Ipſe ego qui dudum reges magno ore canebam,
Dardanaq; Argolica Pergama rapta manu.
Heu nil dulce ſonans taceo iam bella, tubasq;,
Et refero ad nigros carmina mœſta rogos:
Ac tecum infauſtus uates conſortia luctus
En repeto, & querulam pectine plango lyram.
Nec Siſmunde tuos gemitus, ægrumq; dolorem
Arceo, ſunt lacrymis funera digna pijs.
Maius habes uulnus ſecreto in pectore, ꝙ quo
Te deceat madidas non habuiſſe genas.
Nam poteras dudum nulli inuidiſſe deorum,
Dum ſubijt uelis aura ſecunda tuis.
Nunc ubi dira ſuum uertit Fortuna tenorem,
Vxor abeſt, animæ portio magna tuæ.

Vxor abeſt, heu heu, ſed qualem nulla tulerunt
 Secula, ſed qualem tempora nulla ferent.
Vni, quicquid habet, dederat natura decoris,
 Vni etiam dederat gratia quicquid habet.
Candor erat dulci ſuffuſus ſanguine, qualem
 Alba ferunt rubris lilia mixta roſis.
Vt nitidum læti radiabāt ſidus ocelli,
 Sæpe amor accenſas rettulit inde faces.
Soluerat effuſos quoties ſine lege capillos,
 Infeſta eſt trepidis uiſa Diana feris:
Siue iterum adductos fuluum collegit in aurum,
 Compta Cytheriaco eſt pectine uiſa Venus.
Vſq; illam parui furtim componere amores
 Sunt ſoliti & facili Gratia blanda manu:
Atq; honor & teneri iam cana Modeſtia uultus,
 Et decor, & probitas, purpureusq; pudor,
Caſta fides, riſus q; hilaris, moresq; pudici,
 Inceſſusq; decens, nudaq; ſimplicitas.
Quæ cuncta in cineres fati grauis intulit hora,
 Mors cuncta immiti carpſit acerba manu.
Occidis Albiere prima fraudata iuuenta,
 Exigeres uitæ cùm tria luſtra tuæ.
Occidis amborum correpta ante ora parentum,
 Occidis ante tui limina mœſta uiri.
Ah dolor, i nunc & rebus confide ſecundis,
 Quas Fortuna leui fertq; refertq; manu.
Tolle animum & uicto molire ex hoſte triumphos,
 Laurigerum morti ſubijciere caput.
Erige Tænareis radiantia tecta columnis,
 Parca tamen rapida te trahet inde manu.
Ingenio, formæ, ualidæ confide iuuentæ,
 Albiera ecce graui morte ſoluta iacet.
Tu mihi nunc tanti fuerit quæ cauſa doloris,
 Attonito uati mœſta Thalia refer.
Annua pelliti referentem ſacra Ioannis.
 Extulerat roſeo Cynthius ore diem,
Cùm celebres linquens Sirenum nomine muros,
 Herculeumq; petens regia nata torum.
Candida Syllanæ ueſtigia protinus urbi
 Intulerat longæ feſſa labore uiæ.
Pro ſe quiſq; igitur pueri, iuuenesq;, ſenesq;,
 Matresq;, & teneræ ſplendida turba nurus
Illius aduentum celebrant, atq; unicus urbis
 Eſt uultus, feſto murmure cuncta fremunt.
Eſt uia, Panthagiam Syllani nomine dicunt,
 Omnibus hic ſuperis templa dicata micant.
Hic domus æthereas perrumpens Lentia nubes,
 Prouehit ad rutilos culmina celſa polos.

Quam propè ridentes ſubmittunt prata colores,
  Pictaq; florifero germine uernat humus.
Hîc dum cornipedes primi ſub carceris oras
  Tyrrhenæ expectant ſigna canora tubæ,
Regia nata leues gaudet celebrare choreas,
  Iamq; nurus certa brachia lege mouent.
Emicat ante alias uultu pulcherrima nymphas
  Albiera,& tremulum ſpargit ab ore iubar.
Aura quatit fuſos in candida terga capillos,
  Irradiant dulci lumina nigra face.
Tamq; ſuas uincit comites,quàm Lucifer orè
  Purpureo rutilans aſtra minora premit.
Attóniti Albieram ſpectant iuueneſq; ſeneſq;:
  Ferreus eſt quem non forma,pudor'ue mouet.
Mentibus Albieram lætis,plauſuq; ſecundo,
  Albieram nutu,lumine,uoce probant.
Vertit in hanc toruos Rhamnuſia luminis orbes,
  Exiguoq; mouet murmura parua ſono.
Tum miſeræ letale fauens,oculiſq; nitorem
  Adijcit,& ſolito celſius ora leuat.
Tantaq; perturbans extemplo gaudia,triſtem,
  Qua pereat uirgo,quærit acerba uiam.
Hîc Febrim æthereas carpentem proſpicit auras,
  Exerere Icarius dum parat ora Canis.
Illam Erebo,Nocteq; ſatam comitantur euntem
  Luctuſq;,& tenebris Mors adoperta caput.
Et Gemitus grauis,& Gemitu commixta Querela,
  Singultuſq; frequens,Anxietaſq; ferox:
Et Tremor,& Macies,pauidoq; Inſania uultu,
  Semper & ardenti pectore anhela Sitis:
Horridus atq; Rigor,trepidæq; Inſomnia mentis,
  Inconſtanſq; Rubor,terrificuſq; Pauor.
Marmariciq; trahunt dominæ iuga curua leones,
  Ignea queis rabido murmure corda fremunt.
Vertice diua feras ardenti attollit echidnas,
  Quæ ſaniem Stygio ſemper ab ore uomunt.
Sanguinei flagrant oculi,caua tempora frigent,
  Colla madens ſudor,pectora pallor obit.
Atq; animi interpres liuenti lingua ueneno
  Manat,& atra quatit feruidus ora uapor:
Spiritus unde grauis tetrum deuoluit odórem,
  Letifera ſtrident guttura plena face.
Sputa cadunt rictu croceo contacta colore,
  Perpetuo naris laxa fluore madet.
Nulla quies,nulliq; premunt membra arida ſomni,
  Faucibus in falſis tuſſis acerba ſonat.
Riſus abeſt,rari ſqualent rubigine dentes,
  Sordida lunato prominet ungue manus.

Dextera

Dextera fumiferam præfulgens lampada quaſſat,
Sithoniasq́ gerit frigida læua niues.
Olli templa olim poſuit Romana propago:
Abſtinuit ſæuas nec tamen inde manus.
Sacra illam Actiaco tenuere palatia Phœbo,
Quiq́ olim uicus nomine Longus erat.
Area quinetiam diræ templa ardua febris
Oſtendit, Marij quæ monumenta tenet.
Hoc ubi crudelis uidit Rhamnuſia monſtrum,
Exacuit ſæuo lurida corda ſono.
Aſpicis hanc, inquit, uirgo ſata nocte puellam,
Cuius & hinc radijs ora ſerena micant.
Quæ gaudet fati, ſortisq́ ignara futuræ,
Quam digito atq́ oculis denſa caterua notat.
Hanc niue tu gelida, rapidis hanc infice flammis.
Sic opus eſt, uires ſentiat illa tuas.
Dixerat, & pariter greſſumq́ auertit, & ora:
Non oculos poterat iam tolerare truces.
Continuò ardentes ſtimulis citat illa leones,
Sæpius & ducto uerſat in orbe facem.
Intereà humentem noctis uariantia pallam
Heſperus in rutilo ſparſerat aſtra polo.
Albiera in patrios iam candida membra penates
Intulerat, molli conſtiteratq́ toro:
Iam tenero placidum ſpirabat pectore ſomnum,
Venit ad obſtruſos cùm dea ſæua lares.
Quò dea? quò tendis? non te lacrymabilis ætas,
Non te forma mouet? non pudor? aut probitas?
Non'ne mouent lacrymæq́ uiri? lacrymæq́ parentum?
Mortalem potes ali perdere ſæua deam?
Limina contigerat, tremuerunt limina, pallor
Infecit poſtes, & patuere fores.
Virgineum petit illa torum, pauidæq́ puellæ
Pectore ab obſcœno talia dicta refert:
Quæ placidam carpis ſecura mente quietem,
Et fati & ſortis neſcia uirgo tuæ:
Nondum ſæua meæ ſenſiſti uulnera dextræ,
Quæ tibi ego, & mecum quæ tibi fata parant.
Stat uacua tua Parca colo moritura puella,
Ne geme, cùm dulce eſt uiuere, dulce mori eſt.
Sic ait, æſtiferamq́ excuſſit lampada, & acres
Virginis iniecit dura ſub oſſa faces.
Tum letale gelu inuergens, guttasq́ ueneni,
Inſerta heu uenis effugit inde nece.
Excitat illa graui geminos clamore parentes,
Aduocat abſentem nuntia fama uirum.
Vicinæ extemplò matres, trepidæq́ puellæ
Conueniunt, teneras imbre rigante genas.

Iam

Iam fera uirgineas populatur flamma medullas,
Iam gelida torpent horrida membra niue.
Liquitur infelix,non ars operoſa medentum,
Non facta à miſero coniuge uota iuuant,
Liquitur,& quanq; diræ ueſtigia mortis
Cernit,& extremum ſentit adeſſe diem:
Corde tamen gemitum premit,& ſpem fronte ſerenat,
Triſtitiamq; acie diſſimulante tegit.
Scilicet augeret trepidi ne dura mariti
Lamenta, & curas anxietate graues.
Iam decima infauſtam referebat lampade lucem
Cynthius,& picea texerat ora face,
Cùm miſeræ extremus iam preſſerat error ocellos,
Fugerat heu uultus,fugerat ore color.
Aſpicit illa tamen dulcem moritura maritum,
Illum acie ſolum deficiente notat.
Illius aſpectu morientia lumina paſcit,
Mens illum è media morte reuerſa uidet.
Quis tibi nunc Siſmunde dolor,cùm uirginis artus
Aſpiceres animâ iam fugiente mori?
Non tamen illa tui,non illa oblita parentum
Te uocat,& tales fundit ab ore ſonos:
Pars animæ Siſmunde meæ,ſi coniugis in te
Quicquam iuris habent ultima uerba tuæ,
Parce precor lacrymis, uixi, curſumq; peregi,
Iam procul à uobis me mea fata uocant.
Immatura quidem morior,ſed pura ſub umbras
Diſcedam & nullis ſordida de maculis.
Diſcedam uirgo,facibus nec uicta maritis
Ceſſi, coniugij nil niſi nomen habes.
Eſt mihi dulce mori,uitamq; impendere famæ.
Edita mortali conditione fui.
At niſi nunc morerer fueram moritura ſubinde,
Eſt mihi dulce etiam te ſuperante mori.
Nil mihi iam poterant anni conferre ſeniles,
Vita breuis longi temporis inſtar habet.
Mi dederat teneri leges natura pudoris,
Mi dederat mores cum probitate pios,
Nil mutari in me cuperes,niſi triſtia fata:
Humanæ uici conditionis opus.
Vidi ègo te ſummi defunctum munère honoris,
Vidi omnem feſta pace nitère dòmum.
Et niſi me gemini poſſunt nil flere parentes.
Parce igitur manes ſollicitare pios.
Parce precor,lacrymis coniux: ſic lætus in auras
Euadet tenues ſpiritus inde meus.
Mœſta ſed amborum nimis ah nimis ora parentum
Solare,heu noſtro torpet in ore ſonus.

Heu

Heu rapior, tu uiue mihi, tibi mortua uiuam,
 Caligant oculi iam mihi morte graues.
Iamq; uale ô coniux, chariq; ualete parentes.
 Heu procul hinc nigra condita nocte feror.
Sic ait, & dulcem moriens complexa maritum
 Labitur, inq; illo corpus inane iacet:
Corpus inane iacet chara ceruice recumbens
 Coniugis, heu fati triſtia iura grauis.
Hoc licuit uobis, ô ferrea pectora Parcæ.
 Credo ego iam diuûm numina poſſe mori.
Quis nunc quis gemitus miſerorum & uerba parentum
 Neſciat in tantis heu repetita malis?
Ora rigat lacrymis frater, rumpitq; capillos
 Mœſta ſoror, teneras & ſecat ungue genas.
Non ſecus Hectoreo Troianæ in funere matres
 Fleuerunt ſciſſis publica ſata comis.
Implentur clamore lares, clamore reſultant
 Atria, luctiſonis fletibus aula fremit.
Heu quid agas coniux? quæ uocem in uerba relaxes?
 Quo fletu incuſes triſtia ſata miſer?
Non lacrymas miſerandus habes, non uerba dolentum,
 Attonitus pigro torpet in ore ſonus.
Extinctæ ingeminas tantùm miſera oſcula, & arctè
 Impedis amplexu frigida membra tuo:
Dilectosq; premis uultus, premis ora, nec ullum
 Inuenit incluſus pectore luctus iter.
Quoq; magis merſum premis alto in corde dolorem,
 Hoc magis ille furit, æſtuat atq; magis.
Sic magis incluſus furit intra obſtacula torrens,
 Quæ ſi dimoueas, lenior inde fluet.
Quin etiam inuiſæ rupiſſes uincula uitæ,
 Coniugis ut manes proſequerere pios.
Sed prohibent fratres, & blandi cura parentis,
 Sed prohibent ſocij pectora fida tui.
Iam uirgo effertur nigro compoſta feretro,
 Deſectas humili fronde reuincta comas.
Heu ubi nunc blandi riſus, ubi dulcia uerba,
 Quæ poterant ferri frangere duritiem.
Lumina ſidereas, ubi nunc torquentia flammas,
 Heu ubi puniceis æmula labra roſis?
Proh ſuperi, quid non homini breuis eripit hora?
 Ah miſeri, ſomnus, & leuis umbra ſumus.
Non tamen aut niueos pallor mutauerat artus,
 Aut gelido macies ſederat ore grauis:
Sed formoſa leuem mors eſt imitata ſoporem,
 Is nitidos uultus, oraq; languor habet.
Virginea ſic lecta manu candentia languent
 Liliaq; & niueis texta corona roſis.

Hic

Hic ceu nulla prius fuerint lamenta, nouatur
  Luctus, & indignis imbribus ora madent.
Præcedit iam pompa frequens, iam mœſta ſacerdos
  Verba canit, ſacris turribus æra ſonant.
Funerea ciues pullati ueſte ſequuntur,
  Et ſpargunt mœſtas ore madente genas.
Denſaq; plebs uidui deplorant fata mariti,
  Atq; illum digito, luminibusq; notat.
O quantum impexi crines, oculiq;, genæq;
  Noctis habent? quantus nubilat ora dolor?
Quid nunc exequias celebres, opulentaq; dicam
  Munera? quid donis templa referta piis?
Omnis ceratis radiat funalibus ara:
  Omnis odoratis ignibus ara calet:
Aeternamq; canunt requiem, lucemq; uerendi
  Sacricolæ, & lymphis corpus inane rigant.
Et tandem gelidos operoſi marmoris artus
  Includit tumulus, & breue carmen habet.
Hoc iacet Albieræ pulchrum ſub marmore corpus.
  Nulla quidem tantùm marmora laudis habent.
Exornat tumulum corpus, ſed ſpiritus aſtra.
  O quanta acceſſit gloria, lausq; Polo.

AD LAVRENT. MEDICEM.

Cùm referam attonito Medices tibi carmina plectro,
  Ingeniumq; tibi ſeruiat omne meum,
Quòd tegor attrita ridet plebecula ueſte,
  Tegmina quòd pedibus ſint recutita meis,
Quòd digitos caligæ diſrupto carcere nudos,
  Permittunt cœlo liberiore frui,
Intima bombicum uacua eſt quòd ſtamine ueſtis,
  Sectaq; de cæſa uincula fallit oue,
Ridet, & ignauum ſic me putat eſſe poetam,
  Nec placuiſſe animo carmina noſtra tuo.
Tu contrà effuſas toto ſic pectore laudes
  Ingeris, ut libris ſit data palma meis.
Hoc tibi ſi credi cupis, & cohibere popellum,
  Laurenti ueſtes iam mihi mitte tuas.

AD EVNDEM GRATIARVM ACTIO.

Dum cupio ingentes numeris tibi ſoluere grates
  Laurenti, ætatis gloria prima tuæ,
Excita iamdudum longo mihi murmure tandem
  Aſtitit arguta Calliopæa lyra:
Aſtitit, inq; meo precioſas corpore ueſtes
  Vt uidit, pauidum retulit inde pedem:
Nec potuit culti faciem dea noſſe poetæ,
  Corporaq; in Tyrio conſpicienda ſinu.
Si minus ergo tibi meritas ago carmine grates,
  Fruſtrata eſt calamum diua uocata meum.

Mox

Mox tibi ſublato modulabor pectine uerſus,
  Cultibus aſſuerit cùm mea muſa nouis.

IN ARIDAM POPVLVM, QVAE REPENTE ante domum Laurentij reuixit.

Quod rediuiua nouas diffundit uertice frondes
  Quæ medicam ſurgit populus ante domum,
Cui quondam Ogygio fierent cùm ſacra Lyæo,
  Admouit rapidas ebria turba faces.
Quid mirum? Herculeis nam cùm Laurentius armis
  Æmulus, Auſonios temperet arte lares,
Ipſe ſuas iuueni Tyrinthius explicat umbras,
  Implicet ut meritum lecta corona caput.
Sic quoniam dextro modulatur Apolline carmen,
  Antè ſuas Lauri circumiere comas.
Nunc igitur duplici crines lambente corona,
  Se bello oſtentet, ſeq; ualere toga.

DE CANE HEBRO AD LAVRENtium Medicem.

Quod canis Heſperio Medices tibi miſſus ab Hebro
  Terribiles uaſto ſtrangulat ore feras:
Aſt hominem pauido metuit contingere rictu,
  Nil mirum, domino conuenit ille ſuo:
Sic tua nam ſontes Laurenti pœna coercet,
  Sic referunt abs te præmia digna pij.

AD FONTIVM M. CCCCLXIX. ætatis ſuæ anno XIII.

Dulce mihi quondam ſtudium fuit, inuida ſed me
  Paupertas laceros terruit uncta ſinus.
Nunc igitur quoniam uates fit fabula uulgi,
  Eſſe reor ſatius cedere temporibus.

CAROLO MARSVPINO.

Carle quid obſtruſas ſapientum quærere mentes,
  Quid properas tetricos conſuluiſſe ſenes?
Te decet exactos mordaci claudere uerſus
  Pumice, delicias & celebrare tuas.
Vt cantata nouo ſe carmine iactet amica,
  Subijciatq; leues nuda Thalia iocos.
Par eſt nequitia iuuenes gaudere proterua,
  Hanc Venus ætatem uendicat ipſa ſibi.
Si ſapis ergo graues procul ò procul exige chartas,
  Non facit ætati muſa ſeuera tuæ.
Vince Philetæos molli cum carmine luſus,
  Inuideat teneris Græcia docta modis.
Sic tibi purpurea geminus cum matre Cupido
  Imponet meritæ myrtea ſerta comæ.
Æternamq; feres ſuper aurea ſidera famam,
  Quæ tibi poſt cineres ſola ſuperſtes erit.

AD PONTICVM M. CCCCLXXII.

Pontice uis noſtro cumulum ſuperaddere amori,
Inq; dies fieri ſemper amabilior?
Vis mihi uel tenera iucundior eſſe puella,
Vis mihi uel geminis charior eſſe oculis?
Mitte leues numeros, calamo nec parce iocoſo,
Mitte tuæ teſtes carmina nequitiæ.
Si facies, charo fies mihi charior auro,
Et nitido Phœbi ſidere fulgidior.
At ſi non facies, uili mihi uilior alga,
Atq; aſini fies ſtercore ſordidior.

IN PAVLVM M. CCCCLXXII.

Quæ tu condideras damnaui carmina nuper,
Nec tua damnaui carmina Paule tamen.
Autor eras, fateor: ſed cùm ſunt edita Paule,
Autoris non ſunt carmina, ſed populi.

ANTONIO BENIVENIO MEDICO
Elegia. M. CCCCLXXII.

Vt ſonipes geminas attollit Martius aures,
Cùm raucæ belli ſigna dedere tubæ:
Sic mihi languenti ſurgunt in pectore uires,
Ingenij laudas cum monumenta mei.
Et meritò, neq; enim tanto ſub iudice tutus
Pertimeo uulgi ſcommata uana rudis.
Nam quoniam Stygiam facile eſt tibi pellere mortem:
Quàm facile inuidiæ frangere colla potes?
Felix cui liceat fati peruertere legem,
Quem propter cymba ſtet leuiore Charon,
Stamina qui ualeas inuita nectere Parca,
Atq; animas uacua reſtituiſſe colo.
Felix grata domus Lycio Beniuenia Phœbo,
Cui ſua conceſſit munera cuncta Deus.
Nanq; Coronidem tibi cedere iuſſit Apollo,
Iuſſit & Æmonium cedere Phylliriden.
Aſt alius ſimili frater uirtute recenſet,
Quæ medicam ſurgens herba miniſtret opem.
Tertius Aonijs ſatur ille Hieronymus undis
Ad querulam docto barbiton ore canit.
Biſſenos alius modò cum tranſcenderit annos,
Pectore iam canos uincit & ore ſenes.
Cederet huic Thamiras docti certamine cantus,
Cederet aurata Calliopea lyra.
Argumenta etiam logicis miranda figuris
Implicat, & magnum uerſat Ariſtotelem.
Dij tibi dent Pyliam longe ſuperare ſenectam
Antoni, Euboicos & ſuperare dies.
Dij tibi dent geminos longùm ſupereſſe parentes:
Dij ſeruent fratres pignora chara tuos.

Tu modò præcipiti quæ nuper carmina penna
Scripſimus,ingenij munera parua mei,
Excipe,meq; tuum memori ſub mente reconde,
Mutuaq; alternus pectora ſeruet amor.

AD XYSTVM CARDINALEM.

Quòd dubia incerto uariantur nubila Phœbo,
Dum petis Hetruſcos maxime Xyſte lares.
Quid mirare?tuæ ſol ipſe umbracula fronti
Obijcit,& radios temperat ipſe ſuos.
Sic te Xyſte uidet,ſic te non lædit,& uno
Tempore,ſic geminum perficit officium.
Iure igitur parent homines,cui ſidera parent.
Spes hominum prima es,primaq; cura deûm.

AD EVNDEM.

Tenderet Hetruſcam nuper cùm Xyſtus in urbem,
Aurea quæ magni ſigna leonis habet,
Viderat aſſiduis pallentes ſolibus herbas,
Et caua limoſo flumina ſicca ſinu.
Viderat & querulis poſcentem uocibus imbres,
Effuſas populum congeminare preces.
Ergo ſalutiferos ſuſpendit in æthere nimbos,
Dum pergit Lydas Xyſtus adire domos.
Inde ubi iam lætus mediæ ſeſe intulit urbi,
Obtulit & Tuſcis ora ſerena pijs.
Ardua laxato diſcuſſit nubila cœlo,
Et liquido arentem nectare pauit humum.
An quiſquam neget eſſe deum te Xyſte,tenentem
Imperium terris,imperiumq; polo?

AD EVNDEM.

Verba dedi Xyſto,decet hæc dare dona poetam,
Æra decet Xyſtum reddere,uerba refert.
Verùm habet ille alios,qui dent ſibi uerba,fatemur,
Æra tamen qui nunc det mihi,nullus adeſt.

AD EVNDEM PROPTER ALIQVOS poetas detractores.

Credebam demens Xyſtum mihi uerba dediſſe,
Fallebar,uates nam mihi uerba dabant.
Nil queror,inſanis mos eſt dare uerba poetis:
Dij faciant ne ſis Xyſte poeta mihi.

AD EVNDEM.

Dicenti te Xyſte deum ſi dona dediſſes,
Quæ petijt,iam te diceret eſſe Iouem.

IN PICTVRAM PVELLAE QVAE IN delicijs Laurentio Med.eſt.

Ne dubita,picta eſt quam cernis uirgo,ſed acres
Hiſce oculis flammas eiaculatur amor.
Hiſce oculis uocem dedit ars,linguæq; negauit,
Heu fuge,ſed nulla eſt iam fuga,uulnus habes.

AD FRANCISCVM SALVIATVM.

Quam peto ſi dederis,dulcis Saluiate ſalutem,
O quàm conuenient nomina tanta tibi.
Parua peto,dare magna ſoles,da parua petenti,
Parua tamen neſcis ſi dare,magna dato.
Parua tibi,ſed magna mihi ſunt iſta,rogamus,
De nobis Xyſto hæc dicere uerba uelis:
Eſt iuuenis,te Xyſte colit,ueneratur,amatq́;,
Spes ſibi tu prima es,primaq́; cura tibi.
Nec malus eſt uates,nec peſſima carmina condit,
Sed nullo hic uates eſt tamen ære grauis.
Hoc ſatis eſt,diuo mandamus cætera Xyſto,
Sat bene perſpiciet,quid tua uerba petant.

DE DOMITIO ET MARSILIO.

Audit Marſilius miſſam,miſſam facis illam
Tu Domiti,magis eſt relligioſus uter?
Quis dubitet?tantò es relligioſior illo,
Quantò audire minus eſt bona,quàm facere.

IN PAMPHILVM.

Mittis uina mihi,mihi Pamphile uina ſuperſunt:
Vis mage quod placeat mittere,mitte ſitim.

IN CORYDONEM.

Sum puer exclamas Corydon,ſubigiſq́; fateri:
In te reclamat ſed tua barba,uir es.

IN MABILIVM.

Innumeræ tibi ſunt Mabili in carmine mendæ,
Atq; ubi ſint quæris,per mare quæris aquam.

DE ANTONIO TVSCO EXTEMPOrali poeta,ad Fabianum.

Tuſcus ab Othryſio Fabiane Antonius Orpheo
Hoc differt,homines hic trahit,ille feras.

IN LAVRENTIVM MEDICEM.

Antè erat informis Laurens tua patria truncus,
Nunc habet ecce ſuum te tribuente caput.
Namq; tuis nimia eſt fræenata licentia nuper
Legibus,hoc patriæ quis nèget eſſe caput?
Cæca fuit quondam tua dicta Fluentia,ſed nunc
Cuncta oculos illi te tribuente uidet.
Ocia namq; pijs ſtatuiſti dulcia muſis,
Quas patriæ ueros dixeris eſſe oculos.
Conſilium dic eſſe aures,quo conſulis illi:
Quod fugit inſidias te duce,nare ualet.
Cùm dederit largas illi tua dextera fruges,
Os habet,hoc totum patria corpus alit.
Impenſis ductuq; tuo Volaterra repulſas
Accepit leges,hæc ſua dextra fuit.
Penè puer læuamq; manum,clypeumq; dediſti,
Cùm tuta à miſera ſeditione fuit.

Præmia certa manent iuſtos,rata pœna nocentes:
Hiſce urbem pedibus comprobat ire Solon.
Præterea auratos poſito ſqualore capillos
Compſit,& aurata candida ueſte nitet.
Hoc decus educti templorum ad ſidera ſumptus,
Hoc Medicæ præſtant ardua tecta domus.
Sic patriam gignis Laurens,educis,& ornas,
Patria ſic uero te uocat ore patrem.

IN EVNDEM.

Cui tua geſta licet breuibus comprendere Laurens,
Ille breui cœlum claudet & aſtra manu.

IN PHILIPPVM FRATREM pictorem.

Conditus hîc ego ſum picturæ fama Philippus,
Nulli ignota meæ eſt gratia mira manus.
Artifices potui digitis animare colores,
Sperataq; animos fallere uoce diu.
Ipſa meis ſtupuit natura expreſſa figuris,
Meq; ſuis faſſa eſt artibus eſſe parem.
Marmoreo tumulo Medices Laurentius hîc me
Condidit,antè humili puluere tectus eram.

AD LAVRENTIVM EXTEMPORAneum Epigramma.

O ego quàm cupio reducis contingere dextram
Laurenti,& læto dicere lætus aue:
Maxima ſed denſum capiunt uix atria uulgus,
Tota ſalutantum uocibus aula fremit.
Vndiq; purpurei Medicem pia turba ſenatus
Stat circum,cunctis celſior ipſe patet.
Quid faciam?accedam?nequeo,uetat inuida turba:
Alloquar?at pauido torpet in ore ſonus.
Aſpiciam?licet hoc,toto nam uertice ſuprà eſt.
Non omne officium turba moleſta negas.
Aſpice ſublimi quem uertice fundit honorem,
Sidereo quantum ſpargit ab ore iubar.
Quæ reducis facies,lætis quàm lætus amicis
Reſpondet nutu,lumine,uoce,manu.
Nil agimus,cupio ſolitam de more ſalutem
Dicere,& officium perſoluiſſe meum.
Ite mei uerſus,Medicíq; hæc dicite noſtro,
Angelus hoc mittit Politianus,aue.

AD EVNDEM.

Inuideo Piſis Laurenti,nec tamen odi,
Ne mihi diſpliceat,quæ tibi terra placet.

IN EVNDEM CVM RVRI QVERNA COROna frontē redimitum uiderem,ex tempore.

Quàm bene glandifera cingis tua tempora quercu,
Qui ciuem ſeruas non modò,ſed populum.

IN EVNDEM VOTVM.

Det tibi Neſtoreos Laurenti Iuppiter annos:
  Neſtoreum quoniam pectus,& ora dedit.

IN LAVRENTIVM MEDICEM

Cùm commiſſa ſibi tellus male fida negaſſet
  Semina,& agricolæ falleret herba fidem:
Protinus optatas patriæ tua dextera fruges
  Obtulit,& celerem iuſſit abire famem.
Nec mora,Piſeis commutas ſedibus urbem
  Seruatam,& nimio tempore lentus abes.
Heu quid agis? patriæ Laurens te redde gementi.
  Non facta eſt donis lætior illa tuis.
Mœſta dolet,malletq; famem perferre priorem,
  Quàm deſiderium patria ferre tui.

IN LAVRENTIVM IVLIVMQVE PETRI filios,fratres piiſſimos.

Nec tanta Oebalios tenuit concordia fratres,
  Nec tanto Atridas fœdere iunxit amor.
Implicuit quanto Medicum duo pectora nexu
  Mitis amor,concors gratia,pura fides.
Vnum uelle animis,unum eſt quoq; nolle duobus,
  Corq; ſibi alterna dant,capiuntq; manu.
Eſſe quid hoc dicam Iuli,& tu maxime Laurens,
  An ne duos una mente calere putem?

IN LAVRENTIVM MEDICEM.

Num tibi littorea collectum Anthedone gramen
  Diuinum extemplò pectus & ora dedit?
Nil mortale ſapis Laurens,ſed pectore cœlum,
  Sed cœlum lingua,mente,animoq; refers.
Cùm referas cœlum,cœlum tibi præmia fiet:
  Tu citò parta tamen præmia ſerò pete.

IN EVNDEM.

Quicquid habet natura,tibi,& fortuna dederunt,
  Sed tamen hæc ſuperas munera conſilio.
Nam ſunt illa quidem paucis communia tecum,
  Maxima conſilij gloria tota tua eſt.
Conſilio quid agis,cupiunt imitarier omnes
  Laurenti rerum maxime,nemo poteſt.

IN MARSILIVM.

Mores,ingenium,muſas,ſophiamq; ſupremam
  Vis uno dicam nomine,Marſilius.

IN LAVRENTIVM MEDICEM.

Neſcio quos media cœli de ſede petitos
  Luminibus radios ſuſpicor eſſe tuis:
Nam quoties oculos in me conuertis amicos,
  Complector cunctas pectore lætitias.
Tunc faciles ſubeunt muſæ,tunc ipſe uidetur
  Purus Apollinei ſideris eſſe nitor.

At quoties oculos à me deflectis amicos,
Complector nullas pectore delicias.
Non faciles ſubeunt muſæ,non ipſe uidetur
Purus Apollinei ſideris eſſe nitor.
Cur ergo auertis Laurenti lumina,redde,
Redde meis quæſo lumina luminibus.
Lætitias mihi redde meas,redde inuide muſas,
Quas tua mi rapiunt lumina,ſed propera.

AD EVNDEM.

O ego ſi poſſem laqueo ſubducere collum,
Et pedicis uinctos explicuiſſe pedes:
Haud equidem dubitem uolucres ſuperare canendo,
Quas aluit campis unda Cayſtra ſuis.
At nunc Phœbeos inter uelut anſer olores,
Agreſtem rauco gutture fundo ſonum.
Sed facilè expediar Medices,fiamq; canorus,
Si modò tu dicas,Politiane ueni.

IN EVNDEM.

Celſa triumphatis Medices Florentia Piſis
Inuidet,ut dominam ſe putet ipſa,redi.

IN GADDIVM.

Delicias tibi Roma ſuas,Florentia Gaddi
Datq; ſuas.ò quàm delicioſus homo es.

IN LIBELLVM ELEGIARVM
Naldi poetæ.

Dum celebrat Medicem Naldus,dum laudat amicam,
Et pariter gemino raptus amore canit.
Tam lepidum unanimes illi ornauere libellum,
Phœbus,amor,Pallas,gratia,muſa,fides.

IN AEDES PVBLICAS OCTO VIRO-
rum Florentiæ.

Si qua fides.ſcelerum procul ò procul ite miniſtri,
Hic uos iuſtitiæ pœna ſeuera manet.

IN EASDEM.

Hos etiam cœlo præfert Aſtræa penates,
Non illi in toto eſt gratior orbe domus.

IN ALBIERAM SISMVNDI STVPHAE
ſponſam,fato immaturo ereptam.

Viuebam,fato ſum rapta Albiera,coniux
Siſmundus uitam reddidit en iterum:
Nam faciem,& claram cælato marmore formam,
Ingenium,& mores carmine reſtituit.

IN EANDEM.

Viua tibi fueram coniux Albiera ſemper
Chara quidem,nunc ſum mortua chara magis.

IN EANDEM.

Debebam uiuens tibi,ſed mage rapta uoluptas
Illa fuit,uerùm hæc proxima relligio eſt.

IN EANDEM.

Morte una geminam ſum nacta Albiera uitam,
Fama etenim terras,ſpiritus aſtra colit.
Fama olim,nunquam ſed ſpiritus occidet,hæc mi
Vita quidem ſemper uiuet,at illa diu.

IN EANDEM.

Mortalis fueram dum uixi Albiera coniux
Siſmunde,at nunc ſum,mortua,facta dea.

IN EANDEM.

Quòd tibi uir tenera ſum rapta Albiera iuuenta,
Ne geme,cùm dulce eſt uiuere,dulce mori eſt.

IN EANDEM.

Quid quereris genitor?uiuit tua filia cœlo
Albiera:an'ne deam progenuiſſe doles?

IN DEMETRIVM CRETENSEM, ET DIOnyſium Parauiſinum,Græcorum uoluminum impreſſores.

Qui colis Aonidas,Graios quoq; uolue libellos:
Namq; illas genuit Græcia,non Latium.
En Parauiſinus quanta hos Dionyſius arte
Imprimit,en quanto cernitis ingenio.
Te quoq; Demetri ponto circunſona Crete
Tanti operis nobis edidit artificem.
Turce quid inſultas?tu Græca uolumina perdis,
Hi pariunt,hydræ nunc age colla ſeca.

IN PVELLAM MORIENTEM.

Quærenti Venerem diu negaſti:
Sed dum mi toties pudet negare,
Tandem occaſio iuſta pernegandi
Inuenta eſt,moreris,uafra es,ſagaxq;.

EIDEM BERNARDO BEMBO VENETO ORAtori,uiro undecunq; elegantiſſimo.

Vt miſeros quondam nautas Acheloia Siren
In pœnam traxit carmine blandiſono:
Sic Bernarde tuo quemuis ſuccendis amore,
Seu quid mente agitas,ſeu geris,aut loqueris.
Si cauſam Veneti tutaris Bembe ſenatus,
Mox Pitho in labris ſtat ueneranda tuis.
Seria ſi tractas,credam tractare Mineruam:
Si ioca,dat puros gratia nuda ſales:
Carmina ſeu cantas,tibi Muſæ in pectore cantant,
Siue taces,tacito ridet in ore lepos:
Si graderis,placido non dura modeſtia uultu
Eſt comes,& dulcis cum grauitate modus.
Blandus honos ueſtem furtim componit,ouansq;
Te circum plena ludit amor pharetra.
Fronte decor,ſedet ore fides,in pectore candor,
Inq; tuis omnes ſunt oculis Veneres.

Sic nos deuincis, nec uinctos Bembe relaxas;
Sic te quiſquis adit, mox tua philtra bibit.
Fruſtra ad te florem Cylleni ferret Vlyſſes,
Sed pro te optaſſet linquere uel patriam.

IN PANAETIVM.

Tantus amor tuus eſt in me, tamq; omne Panæti
Exemplum ueteris uincis amicitiæ:
Vt tibi collatus iuuenis Phocæus Oreſtem
Oderit, & ſpernat Theſea Pirithous:
Sicanium Piladen credatur fallere Damon,
Vixq; bonum frænis Caſtora frater amet.
Non tu unam pro me mortem, ſed mille ſubires;
Pro me Siſyphium non fugeres lapidem.
Nunc ſolum hoc tanto refero mercedis amori,
Quòd me abs te ſolo uictum in amore puto.

IN IOVINIANVM CRASSVM Menopoliten.

Non rara Atthææ quòd amem te gloria linguæ
Cauſa eſt, non Latiæ copia, non Solymæ:
Non acre ingenium, non lingua diſerta, nec oris
Gratia, nec uerſus uena benigna tui:
Sed quòd ineſt rarus tibi Craſſe in pectore candor:
Quem niſi amem, rabida tygride natus ero.
Nec te ut amem cauſa eſt, hæc me abs te cogit amari.
Crede mihi, precium eſt ſolus amoris amor.

IN SIMONETTAM.

Dum pulchra effertur nigro Simonetta pheretro,
Blandus & exanimi ſpirat in ore lepos,
Nactus amor tempus quo non ſibi turba caueret,
Iecit ab occluſis mille faces oculis.
Mille animos cepit uiuentis imagine riſus,
Ac morti inſultans: eſt mea, dixit, adhuc.
Eſt mea, dixit, adhuc: nondum totam eripis illam:
Illa uel exanimis militat ecce mihi.
Dixit, & ingemuit. neq; enim ſatis apta triumphis
Illa puer uidit tempora, ſed lachrymis.

IN EANDEM.

Cùm Simonetta decens media iam morte labaret,
Mors illi quidam iam prope, dixit, adeſt.
Suſtulit illa graues oculos, nec territa dixit:
Hanc animam nobis qui dedit accipiat.
Hactenus & tacuit. repete hic æuum omne uetuſtas.
Nil par huic animo, quod referatur, habes.

IN EANDEM.

Hic Simonetta iacet, iacet hic ſimul omnis amorum
Turba, iacent omnes deliciæ & ueneres.

IN SIMONETTAM IVLII EST SENtentia à me uerſibus incluſa.

Aſpice ut exiguo capiatur marmore, quicquid
Mortali poſſit à ſuperis tribui.
Hic Simonetta iacet, cuius mortalia cuncta
Concipere immenſum non poterant animum,
Quam neq; mors potuit uiſa exterrere, deumq;
Mox petijt, cui ſe nympha dedit moriens.

IN ARCHEANASSAM, PLATONIS EPIgramma è Græco uerſum.

Archeanaſſa mihi meretrix Colophonia nunc eſt,
Cuius & in rugis inſidet acer amor.
Ah miſeri à prima tetigit quos illa iuuenta
Igne ſuo: medij uos rapuere rogi.

SAPPHVS EPITAPHION IN TImadem è Græco uerſum.

Timades hic puluis, quæ dulces ante Hymenæos
Excepta eſt nigro Perſephones thalamo.
Illius heu fato cunctæ de uertice amatam
Æquales ferro ſubſecuere comam.

ANTIPATRI IN HOMERVM è Græco uerſum.

Troiam canens Homere flammis erutam,
Vrbes graui liuore ſtantes concutis.

AD GALEOTTVM PRINCIPEM FAVENTINVM.

Cur promiſſa tibi tuus poeta
Nondum præſtiterit, rogas? poeta eſt.

IN PTOLOMAEI GEOGRAPHIAM E GRAECO

Si cœlum è terra ſpectes, cœlum omne uidebis:
Si terram è cœlo, penitus tibi terra patebit.
Nunc terram penitus cernis, cœlum eſſe putato.

IN HERCVLEM ET ANTAEVM E GRAECO.

Incaluere animis dura certare palæſtra
Neptuni quondam filius atq; Iouis.
Nec certamen erant operoſo ex ære lebetes,
Sed quod uel uitam, uel ferat interitum.
Occidit Antæus, Ioue natum uincere fas eſt:
Eſtq; magiſtra pales Græcia, non Libya.

IN NIOBEN LAPIDEM.

Hoc eſt ſepulchrum intus cadauer non habens,
Hoc eſt cadauer & ſepulchrum non habens,
Sed eſt idem cadauer & ſepulchrum ſibi.

IN MABILIVM NOVATVM INSVBREM.

Quòd ueſtes oleo geris perunctas,
Mucco & puluere ſordidas Mabili:
Quòd lardum madido fluit capillo,
Pleno furfuribusq;, uermibusq;,
Et cadaueribus pedunculorum:

Quòd fuligine ſcatet atra barba,
Quam rodunt tineæ,pulexq́ ſaltans:
Quòd muccoſa tibi ſeges pilorum
Extat naribus uſq; pulypoſis,
Qua ſeptem lepores queant latere:
Quòd gingiuaq́,buxeiq́ dentes
Sordent Ploxonio,ac putente in ala
Educas olidæ marem capellæ:
Quodq́ unguis ſanie rubet cruenta
Sæpe ut lucifugam putem eſſe blactam,
Cœnæ relliquiasq́ pridianæ,
Incrementa manus habent uoracis:
His te ex omnibus eſſe quis poetam,
Vatem,fatidicum neget Mabili?
Tales Cæcilios fuiſſe credo,
Plautos,Pacuuiosq́,Neuiosq́,
Aut ſi quis Curium boues ſequentem,
Traxit uerſibus ulmeum in theatrum.
Cœli numina quòd negas,deumq́,
Lucreti fuit hoc,& Euripidis.
Pædicas,fuit hoc Maronianum.
Pædicauit Anacreon Bathyllum.
Inſanis,Colophonius poeta es.
Iam iam phthiriaſi ſcaturiente
Semeſus cadis,& foraminatis
Membris,hoc Pherecidæ habes tragœdi.
De cunctis male dicis,hoc poeta es.
Es mendax,leuis,inſolens,ineptus,
Inſulſus,petulans,& his poeta es.
Quid multis moror?es poeta totus,
Poſſum hoc indicijs probare centum.
Quo uulgus negat eſſe te poetam,
Id quiddam eſt minimum,neq; adnotandum,
Quòd uexas miſeras ſubide chartas
Plenis uerſibus inficetiarum.

IN EVNDEM MABILIVM OBIICIENTEM ANgelo Politiano,quòd neq; curtum carmen, neq; longum ſciat componere,in quo reſponſo Mabilium ludit, quòd curtum et longum impropriè uſurparit,ſimulq́ obijcit q antepenultima producta poſuerit Mabili.

Quòd me ſcire negas uel curtum ſcribere carmen,
Vel longum,fateor,ſolus utrunq; facis.
Nil breue,nil medium eſt,longum eſt,curtum'ue Mabili
Quicquid habes,quicquid aut geris,aut loqueris.
Proximus à primo tibi pes eſt tempore curtus,
Quando expediuit inſeris hexametro.
Altera curta tibi ſolea eſt,curtumq́ Mabili
Subligar,erumpunt hinc digiti,hinc ueretrum.

Si quis fortè tuas ſtudeat componere laudes,
  Vno longus erit hic quoq; uerſiculo.
At ſiquis ſcribat, quot habent tua carmina mendas,
  Conficiet curtas hic uel hic Iliadas.
Quæ ſemper fellat, dicit periuria ſemper,
  Longa tibi lingua eſt, hac citò curtus eris.
Quod uacat, eſt longum caput, atq; enorme Mabili
  Iudice uel cerebro ſi quod ineſt, rogita.
Verùm alia eſt alijs ſententia, nanq; phreneſis
  Conqueritur capitis de breuitate tui.
Qui cerebro tenus id lacerant, curtum eſſe fatentur,
  Tu quoq; mox curto curtus eris capite.
Quanquam id carnifices nondum ſtatuere, ſed ingens
  De te certamen eſt gladio, & crucibus.
Hoc eſt quod uultur, quod coruus geſtit, & eſcam
  Te fore uterq; ſibi præuidet augurio.
Hoc ſpurci mores, impura hoc uita meretur,
  Obſcœnoq; animus corpore ſordidior.
Quid moror his? nam ſi prolixum ſingula narrans
  In te ego nunc librum ſcripſero, curtus erit.

IN MABILIVM MINITANTEM NOVVM SE fulgur uerosq; tonitrus miſſurum.

Quòd fulgur mihi te nouum Mabili
  Miſſurum, & tonitrus minere ueros,
  Nil eſt: nouimus hos neq; eſſe fictos,
  Nam ueros tuus eſſe odor probauit.

IN EVNDEM MABILIVM.

Si iam carmina noſtra te Mabili
  Vrgent ad laqueum miſer, crucemq;,
  Ne, quæſo, propera mori, tuum ne
  Fraudes carnificem ſuo lucello.
  Nanq; eſt percupidus tui, ac libenter
  Is tantum tibi dempſerit laboris.
  Quid? noſtin' hominem? negas? at idem eſt
  Aurem qui ſecuit tibi ſiniſtram.

IN MABILII INERTEM MAledicentiam.

Ore tibi pauci, ſed nulli in carmine dentes
  Cùm ſint, atq; illi ſint putridi & ueteres:
Allatras, ut cùm nequeas mordere Mabili,
  Latratu oſtendas te tamen eſſe canem.

IN MABILIVM QVOD PERTVRBAtus reſpondeat.

Iratus nimium nobis, ſed iure, Mabili,
  Vrgeris noſtris iam, puto, carminibus.
Ipſe iocor tecum ridens, ſed iure, Mabili,
  Quis non rideret carmina, quæſo, tua?

IN MABILIVM RESPONSVM.

Quòd naſum mihi, quòd reflexa colla
Demens obijcis, eſſe utrumq; noſtrum
Aſſertor ueniam uel ipſe: nam me
Nil naſutius eſt, ſagaciusq;,
In te dum liceat uibrare naſum.
Nam quis te rogo ſic inelegantem,
Inſulſum, illepidum uidens, ineptum,
Verſus ſcribere prorſus infacetos,
Non centum cupiat ſibi eſſe naſos?
Centum rhinocerotas, atq; barros,
Roncbos, auriculas, ciconiasq;
Cum ſplene & petulantibus cachinnis?
Condas te in putidum licet lupanar,
Mergas te in medijs licet cloacis,
Non cedas olida licet latrina,
Quoquò diffugias pauens Mabili,
Noſtrum non poteris latêre naſum.
Prendam te miſer, utq; trux moloſſus
Frangam dentibus imbecille tergum.
Sed naſus ſupereſt tibi Mabili,
Curtus, dimidiatus, oſſeusq;,
In quo pulypus exurit, uel ipſe
Quo cimex poſuit ſibi cubile,
Quo tutas pulices habent latebras,
Qui iam peruius eſt aduſq; frontem,
In quo nidificare ueſpa poſſit,
Qui neutro patet indecens hiatu
Clauſus ſentibus hic quibus: ſed ille
Plenus caſſibus eſt araneorum.
Sed quid te cruciat, reflexa colla
Si interdum gero? num parum uidetur
Si pronos ſtatuis tuos cinædos?
Si pronum ſtatuent miſer Mabili
Mox te carnificis manus, uelut nunc
Pronum te ſtatuunt mutoniati?
Atqui tu reſupina colla demens
Poſthac deſine iam mihi exprobrare.
Nam qui pronus obambulas popinas,
Spurcatum caput erigas libenter,
Si pondus ſinat herniæ Mabili.

IAMBICVM TRIMETRON DE DOMO nuper à Mabilio empta in deſertiſſimo urbis loco, qui ad Caballũ dicitur.

Hæres relictus à parente ſordido,
Ille impudicus, temulentus, aleo,
Spurcus, lutoſus, pedecoſus, hiſpidus,
Pannoſus, unctus, horridus, caprimulgus,

Edax,ineptus, inſolens Mabſlius,
Vno expatrauit patrimonium die
Gula helluante,cunnilingis oſculis,
Vorace culo,& exfututa mentula.
Mox cùm ſuper uix quindecim nummi forent,
Rebus cauendi iam ſuis tempus ratus,
Emit lacertis & colubris hoſpitam
Domum, rigentem ſenticetis & rubis,
Familiarem uulturi & bubonibus.
In qua ſolebat turba mendicantium
Longis coactos eſuritionibus
Mandare terræ turgidi uentris cibos.
Qua contumaces Aeolus uentos ſolet
Punire clauſos: qua recuſet Tantalus
Siticuloſam ditis horridi Styga
Mutare,& Aetnæ centiceps gigas onus.
Nec uendere illam,nec locare,ſi uelit,
Donare nec Mabilius cuiquam poteſt.
Mutare dominum domus hæc neſcit ſuum.
Quantumlibet Mabſlius ſit prodigus,
Profundat ore,pene,podice,& manu,
Quàm nunc ſit,eſſe non poteſt pauper magis,
Fecit lucrum ingens, hanc emens Mabilius.

IN VIOLAS A' VENERE MEA
dono acceptas.

Molles ô uiolæ Veneris munuſcula noſtræ,
  Dulce quibus tanti pignus amoris ineſt.
Quæ uos quę genuit tellus? quo nectare odoras
  Sparſerunt Zephyri,mollis & aura comas?
Vos'ne in Acidaliis aluit Venus aurea campis?
  Vos'ne ſub Idalio pauit Amor nemore?
His ego crediderim citharas ornare corollis
  Permeſſi in roſeo margine Pieridas.
Hoc flore ambroſios incingitur flora capillos,
  Hoc tegit indociles Gratia blanda ſinus:
Hæc Aurora ſuæ nectit redimicula fronti,
  Cùm roſeum uerno pandit ab axe diem:
Talibus Heſperidum rutilant uiolaria gemmis,
  Floribus his pictum poſſidet Aura nemus:
His diſtincta piĳ ludunt per gramina manes,
  Hos fœtus uernæ Chloridos herba parit.
Felices nimium uiolæ,quas carpſerit illa
  Dextera, quæ miſerum me mihi ſubripuit.
Quas roſeis digitis formoſo admouerit ori
  Illi,unde in me ſpicula torquet amor.
Forſitan & uobis hæc illinc gratia uenit,
  Tantus honor dominæ ſpirat ab ore meæ.

Aſpice

Aſpice lacteolo blanditur ut illa colore,
  Aſpice purpureis ut rubet hæc folijs.
Hic color eſt dominæ,roſeo cùm dulce pudore
  Pingit lacteolas purpura grata genas.
Quàm dulcem labris, ꝙ late ſpirat odorem?
  En uiolæ in uobis ille remanſit odor.
O fortunatæ uiolæ,mea uita,meumq́
  Delicium, ô animi portus & aura mei.
A uobis ſaltem uiolæ grata oſcula carpam,
  Vos auida tangam terq́ quaterq́ manu.
Vos lacrymis ſatiabo meis,quæ mœſta per ora,
  Perq́ ſinum uiui fluminis inſtar eunt.
Combibite has lacrymas,quæ lentæ pabula flammæ
  Sæuus amor noſtris exprimit ex oculis.
Viuite perpetuùm uiolæ,nec ſolibus æſtus,
  Nec uos mordaci frigore carpat hyems.
Viuite perpetuùm miſeri ſolamen amoris
  O uiolæ,ô noſtri grata quies animi.
Vos eritis mecum ſemper, uos ſemper amabo,
  Torquebor pulchra dum miſer à domina.
Dumq́ Cupidineæ carpent mea pectora flammæ,
  Dum mecum ſtabunt & lacrymæ,& gemitus.

ODE DICOLOS AD ALEXANDRVM CVRTE-ſium adoleſcẽtem bene literatum, qui ut Politianum uideret,Florentiam petierat,cum ille ſe cõmodùm in Caſaſolanum contuliſſet.

Nil me iam patula iuuat
Seuo lethiferum lumine Syrium
Deuitare ſub ilice,
Exceptum torulo gramineo caput
Bullantem prope riuulum.
Iam ſordet tremulo murmure palpitans,
Illabens aqua calculis.
Longis Dauliados garrula queſtibus,
Iam ſordent auiaria.
Nil blandum eſt oculis,nil placet auribus.
Odi rura,nemusq́,
Et uallem,& Zephyros,& gelidos ſpecus.
O qui mœnibus inferat
Iam me,ô qui medio ſiſtat in atrio
Vrbani cupidum laris
Curteſi,ô placido qui locet in ſinu.
Cur mi non teneros datur
Totis uerſiculos imbibere auribus
Coràm dulciter aſperos?
Cur dextræ cupidam iungere dexteram?
Tu me dulcis amicule,

Tu uiſum propera. ô ſæua neceſſitas.
O cur frangere compedes,
Detrectare mihi cur iuga non licet?
Sed quid fundere iam iuuat
Nequicꝗ ad ſuperos tot querimonias?
Sors cuiq; eſt ſua, cœlitus
Dependens homini, quinetiam Iouem
Vrget dura neceſſitas.
Quod Parcæ annuerint, haud reuocabile eſt.

IN POSTE CVBICVLI SVI.

Blanda quies habitet, duri procul eſte labores.

IN CVBICVLO PRO IVL. SALVIATO.

Pectoris interpres, genij domus, hoſpita curis,
Cellula ſum domini conſcia delicijs.
Hic faciet te Iuno patrem, Cytherea maritum,
Libertas regem, ſemideumq; ſopor.

E GRAECO THEOCRITI, VERSVM PER Angelum Politianum.

Pulchra quidem nobis haud primis pulchra uidentur.

EX EODEM VERSVM.

Et uanis in baſiolis iucunda uoluptas.

EX HESIODO VERSVM.

Ipſa dies nunc eſt genitrix, nunc ſæua nouerca.

EX EODEM VERSVM.

Conſilio perit ipſe ſuo cõſultor iniquus.

IN LEGES, EXTEMPORALE.

Inuentum Attæi dicuntur iura Draconis.
Vera eſt fama nimis, nil niſi uirus habent.

IN THEODORVM GAZAM.

Heu ſacrum caput occubuit Theodorus, & hora
Vna obiere omnes relliquiæ generis.
Nec tamen hoc querimur, nimis eſt potuiſſe uideri,
Non erat hic noſtro tempore dignus honos.
Hoc dolet heu, ꝙ neutra patri eſt nunc lingua ſuperſtes,
Quæ mittat iuſtas manibus inferias.

IN EVNDEM.

Cùm terram hinc noſſet Theodorus, & aera, & undas:
Iam reſtant, inquit, ſidera, terra uale.

IN SOMNOS.

O mihi quanta datis fallaces gaudia ſomni:
Inuideo Endymion Latmia ſaxa tibi.
Iam ſi nil ſopor eſt gelidæ niſi mortis imago,
Omnia mors ſuperat gaudia, uita uale.

BASSO.

Baſſe licet ueterum monimenta reuoluat auorum,
Vix quem fama tibi conferat inueniet.
Omnia nam tibi ſunt, fuerant quæ ſingula priſcis,
Feciſſet triplex qualia uix Erilus.

Tu

Tu mittis Lydos æterna in ſecula faſtos,
Tu conferre audes cum Cicerone manum.
Tu breuibus claudis laſciua epigrammata chartis,
Et tener exiguos ludis amans Elegos.
Idem & Pindaricos gaudes recludere fontes,
Vt Venuſina tibi barbitos aſtupeat.
Ecce Syracuſias tentas inflare cicutas,
Non iam hic in ſyluis Tityrus unus erit.
Iam chaos antiquum, primamq; euoluere molem
Incipis, & grandi protinus ore tonas.
Iam Maro te torua reſpectat fronte, ſecundum
Iam pauet, & ſceptris gloria priſca ſuis.
Vtq; inter biferi ſi uirgo roſaria Pæſti,
Quam primo carpat, uix ſciat illa roſam:
Sic tot fama tuæ cernens miracula laudis,
Palmam cui primùm deferat, in dubio eſt.

EIDEM.

Carmina cùm Baſſo deberem, carmina miſi,
Rettulit ille meis carmina carminibus.
Qualia ſub denſis uolucris nec Daulias umbris,
Eridani in ripis nec canit albus olor.
Sic ſua cum Lycio donaſſet ahenea Glauco,
Aurea Tydides rettulit arma domum.

IN ARGVM.

Quid tibi uis gelidos ſeruans uigil Arge liquores,
Quid nitidum ad fontem ferre gradum prohibes?
Obſcœnos hinc pelle ſues, armenta, ferasq;.
Non pero membra iſtis fontibus abluere.
Non lymphas turbare paro, da tingere fauces:
Exiguo liceat rore leuare ſitim.
Hoſtibus hoc Langia dedit, potumq; uetantes
Ruricolæ in nigro gurgite nunc ſaliunt.
Quicquid adeſt æſtas? quicquid ſitis ipſe? uolensq;
Supplicio infelix Tantaleo frueris?
Iſta quidem diues, ſed non eſt uena perennis,
Iam cuſtoditas perbibet æſtus aquas.
Quod ſerues nil poſtmodo erit, quid inepte moraris?
Vnda perit, bibe tu, uel ſine, quæſo bibam.

IN MABILIVM EPITAPHION.

Flecte uiator iter: fœtet nam putre Mabili
Hac fouea corpus, conditur atq; animus.

IN LALAGEN.

Lætior ut ceruus protracto naribus angui
Exuit annoſo cornua cum ſenio:
Aurea Callaicis ut nuper dempta caminis
Lamna repercuſſo dulcius igne tremit.
Pulchrior Eois ut Phoſphorus emicat undis,
Phoſphorus Idaliæ fax adamata deæ:

Sic mea frigidulo nuper languore ſoluta
  Purpureo Lalage fulgurat ore magis.
Aſpice ſidereis ut blandum arridet ocellis,
  Vtq; ſub his geminam lampada quaſſat amor.
Aureoli ut ludunt per lactea colla capilli,
  Quantus in explicita fronte ſuperbit honos.
Quàm non mortalem ſe fert? quæ hæc ora manusq; ?
  O ſuperi: an'ne Iouis dignior ulla toro?
Nunc lacrymæ, nunc ipſa iuuant ſuſpiria: ſed tu
  Quàm mage formoſa es, tam mage mitis ades.
Omnibus antè alijs, nunc te quoq; pulchrior ipſa es,
  Deq; auida uolucer febre triumphat amor.
Sed tu ne poſthac per tanta pericula formam
  Quæſieris, metam contigit illa ſuam.
Pulchrior eſſe nequis, uel ſi potes, æquius eſt té
  Iam Lalage noſtris parcere luminibus.
Vix te, uix talem ferimus: quòd ſi auxeris illam,
  Fiam ego, qui nunc ſum nil niſi flamma, cinis.

AD LAVRENTIVM PRO SACERDOTIO ACCEpto in templo diui Pauli, cùm adhuc ſub iudice lis eſſet.

Gratatur Laurens uenienti nuper in urbem
  Quantum hominum tota uiuit in urbe mihi.
Vtq; omneis taceam, ſtudium quos copulat, aut tu,
  Quosq; uetus nobis uinxit amicitia.
Caupo, auceps, lanius, piſtor, cocus, inſtitor urgent,
  Hinc me ungit tactu fartor, at inde cocus.
Hic me ueſte trahit, hinc baſior, inde ſalutor,
  Occurro his uultu, lumine, uoce, manu.
Gratamur, Paulum quòd habes, uox omnibus hæc eſt:
  Non habeo Paulum dico. quid ergo? nihil.

IN FLORAM.

Plectron habet citharæ mea Flora, & plectron amoris:
  Hoc mentem plectro percutit, hoc citharam.
Ah miſerum, ſed cui dura eſt, ſi quem aſpicit illa,
  Alter is Anchiſes, alter Adonis erit.

IN INVIDVM.

Carpit libellos inuidus meos quidam,
Gibber, puſillus, criſpulus, macer, blæſus,
Meos libellos, meq; (ſi libet) carpat,
Et calcet, & cõmingat, hæc feram cuncta:
Dum nec libellos inuidus meos iſte
Gibber, puſillus, criſpulus, macer, blæſus,
Nec me auſit unquam baſiare. cur? fellat.

IN EQVVM LAVRENTII Medicis.

Et uolucrem, & Zephyros curſu præuertitur ipſos,
  Quem tibi miſit equum Barbara Laure Nomas.

Ceſſerit

Ceſſerit huic pauidas ſubmittens Pegaſus alas,
 Iamq; deo parens Cyllarus Oebalidę.
Hunc aut carceribus, aut meta cernere in ipſa
 Laure licet, medio non licet in ſtadio.

DOMITII EPITAPHION.

Hunc Domiti ſiccis tumulum qui tranſit ocellis,
 Vel Phœbo ignarus, uel malè gratus homo eſt.
Intulit hic uatum cæcis pia lumina chartis,
 Obſtruſum ad muſas hic patefecit iter.
Hunc Verona tulit docti patria illa Catulli,
 Huic letum atq; urnam Roma dedit iuueni.

DONATI AZAIOLI.

Donatus nomen, patria eſt Florentia, gens mi
 Azaiola domus, clarus eram eloquio.
Francorum ad regem patriæ dum orator abirem,
 In ducis Anguigeri mœnibus occubui.
Sic uitam impendi patriæ, quæ me inde relatum
 Inter maiorum nunc cineres ſepelit.

CAMPANI.

Ille ego laurigeros cui cinxit & infula crines
 Campanus, Romæ delicium, hic iaceo.
Mi ioca dictarunt Charites, nigro ſale Momus,
 Mercurius niueo, tinxit utroq; Venus.
Mi ioca, mi riſus, placuit mihi uterq; Cupido,
 Si me fles, procul hinc, quæſo, uiator abi.

ANGELVS POLITIANVS LAVRENTIO MEDICI PATRONO SVO S.

QVa ode Gentilem noſtrum nuper ſum conſolatus, eandē quoq; ad te mittendam ſtatui. Viſa eſt enim mihi res, quæ nō minus ad te quàm ad eum, atq; ad me ipſum pertineret. Omnia collegi, quę cōmunem hunc noſtrū dolorem, etſi minus tollere, leuare proculdubio aliqua ex parte poſſint. Tu cùm tot uideas tuæ ſaluti tam diligenter inuigilare, potes admoneri, quàm tibi neceſſe ſit, magni te ipſum facere: neque tuam, hoc eſt, publicam totius (ita me Deus amet) Italiæ ſalutem neglectam pati. Lege, & uale.

AD GENTILEM EPISCOPVM,
Ode dicolos.

Gentiles animi maxima pars mei
 Communi nimium ſorte quid angeris?
 Quid curis animum lugubribus teris,
  Et me diſcrucias ſimul?
Paſſi digna quidem perpetuo ſumus
 Luctu, qui medijs (heu miſeri) ſacris
 Illum, illum iuuenem uidimus, ô nefas,
  Stratum ſacrilega manu.

At ſunt attonito quæ dare pectori
Solamen ualeant plurima: nam ſuper
Eſt, qui uel gremio creuerit in tuo
Laurens Hetruriæ caput.
Laurens quem patriæ cœlicolûm pater
Tutum terrifica Gorgone præſtitit.
Quem Thuſcus pariter, quem Venetus leo
Seruant, & draco peruigil.
Illi bellipotens excubat Hercules,
Illi fatiferis militat arcubus,
Illi mittit equos Francia Martios,
Felix Francia regibus.
Circunſtant populus murmure diſſono.
Circunſtant iuuenem purpurei patres.
Cauſa uincimus & robore militum.
Hac ſtat Iuppiter, hac fauet.
Quare ô, cum miſera quid tibi Nænia,
Si nil proficimus? quin potius grauis
Abſterſiſſe bono lætitiæ die
Audes nubila pectoris.
Nam cùm iam gelidos umbra reliquerit
Artus, non dolor hanc perpetuus retrò,
Mordacesúe trahunt ſollicitudines,
Mentis curaq́ peruicax.

IN AMICAM.

Allicis, expellis, ſequeris, fugis, es pia, & es trux:
Me uis, me non uis, me crucias, & amas.
Promittis, promiſſa negas, ſpem mi eripis, et das:
Iamiam ego uel ſortem Tantale malo tuam.
Durum ferre ſitim circùm ſalientibus undis,
Durius in medio nectare ferre ſitim.

IN DOMITIVM SCAZON.

Aſta uiator, puluerem uides ſacrum,
Quem uerticoſi turbat unda Benaci.
Hoc mutat ipſum ſæpe muſa Libethron,
Fontemq́ Siſyphi, ac uireta Permeſſi,
Quippe hoc Domitius uagijt ſolò primùm.
Ille ille doctus, ille quem probè noſti
Dictata dantem Romulæ iuuentuti,
Mira eruentem ſenſa de penu uatum.
Abi uiator, ſat tuis oculis debes.

AD FRANCISCVM DISTICHON.

Scripſit in inuidiam quidam Franciſce poeta,
Tam bene, tam doctè, nullus ut inuideat.

IN AMOREM ARANTEM, EX Græco Moſchi.

Peram humeris habilem, poſito nūc induit arcu,
Et poſita baculum lampade ſumpſit Amor.

Subq́; iugum miſſos ſtimulo citat ecce iuuencos
Improbus,& cultæ ſemina mandat humo,
Suſpiciensq́; polos,imple,inquit,Iuppiter arua,
Ne cogam Europæ te iuga ferre bouem.

INNOCENTIO PONT. MAX.

Si quod arcanis Helicon ſub umbris
Carmen intactum fidibus priorum
Parturit,ſaxis iterum audiendum
Arboribusq́;,
Quale nec triplex Achelois auſa eſt
Cautibus uirgo reſidens marinis,
Nec puer Phœbi Ciconum remoto
Dicere in antro,
Illud attritas repetita chordas
Barbitos docto moduletur arcu,
Dulcis interpres animi, piæq́;
Conſcia mentis.
Namq; te rerum caput Innocenti
Turpe uulgato ceciniſſe plectro eſt,
Cuius aurata triplices refulgent
Fronte coronæ.
Roma cui paret,dominusq́; Tybris,
Qui uicem ſummi geris hic tonantis,
Qui potes magnum reſerare,& idem
Claudere cœlum.
Blanda cui uultu grauitas ſereno
Ridet,inuiſos abigitq́; faſtus,
Mitis,& celſi radios poteſtas
Temperat oris.
Sponte ſublatos uerecunda faſces
Deprimit uirtus,apicata triſti
Nube maieſtas caret,& decoro eſt
Splendida cultu.
Ergo formoſam redit in iuuentam,
Seq́; iam lætos parat ad triumphos
Roma,ſeptenos hilarata colles
Præſide tanto.
Vrbsq́; quæ Phryxi ſpeculatur undas,
Exuet ſæuas properè catenas,
Ac ſuas nobis opulenta palmas
Mittet Idume.
Quippe concordes animos,manusq́;
Deuouent reges tibi,ſeq́; ad arma
Concitat,Turci ſitiens cruoris
Veſper & Arctos.
Scilicet tales meditatus annos
Iuppiter ſeſſo comes it parenti,
Quò tibi ſelix ſimul atq; fauſtum
Proroget æuum.

IN

IN FONTEM VNGARI REGIS.

Vſq; Fluentina uectum eſt hoc marmor ab urbe,
Matthiæ ut regi largior unda fluat.

IN EVNDEM.

Tuſca manus, Tuſcum marmor, rex Vngarus autor,
Aureus hoc Iſter ſurgere fonte uelit.

IN CICCHAM SENENSEM.

Mnemoſyne audito Senenſis carmine Cicchæ,
Quando, inquit, decima eſt nata puella mihi?

IN FONTEM LAVRENTII MEDICIS Ambram.

Vt furtiua ſuo furtim daret oſcula lauro,
Ipſa ſibi occultas repperit Ambra uias.

IN EVNDEM.

Traxit amatrices hæc uſq; ad limina nymphas,
Dum iactat laurum ſæpius Ambra ſuum.

AD LAVRENTIVM MEDICEM IVNIOREM epiſtola pené extemporanea.

Quæ petis omnifera Laurenti dulcis ab Ambra
Carmina, præpoſita mitto ſalute tibi.
Ille domi ueſtræ tenero nutritus ab ungui:
Sed tuus ante omnis Politianus amor.
Si quid agam quæris: ualeo, ruriſq; benigni
Seceſſu gaudens ocia lenta tero.
Et modò paſcentes ſpeculor de colle iuuencas,
Nunc repeto ductus proſilientis aquæ:
Iactaq; magnificæ miror fundamina uillæ,
Sæpe fruor ſtudio, uerſiculiſq; meis:
Aut ego florentem moneo, ne ceſſet, alumnum,
Ardua Pieridum per iuga ferre gradus:
Aut uarias cantu procul alliciente uolucres
Captamus, uiridi tectus uterq; caſa:
Te tamen abſentem mea mens, oculiq; requirunt,
Et deſiderio torqueor uſq; tui.
Nam puerũ iuuenis (potes hoc meminiſſe) colebam,
Qui nunc te iuuenem uir quoq; factus amo.
Indolis iſtius iam tum præſagia uidi,
Scilicet & uatem uera monebat auis.
Viderat hæc eadem, pueri cognomine gaudens,
Publica res uno quo ſtabilita manet:
Cùm ſibi te comitem lugubria patris habentem,
Seu pede ducebat, ſiue iter eſſet equo:
Exemploq; ſui ſtudium probitatis alebat,
Ne labes annos tangeret ulla rudes.
Ergo à ſe factis fruitur quoq; moribus autor,
Iudicioq; ſibi iam placet ipſe ſuo.
Quare aut pontificem magnis de rebus adire,
Atq; galeritos te iubet ille patres.

Aut

Aut ſua dat Gallo regi mandata referre,
Impoſitq; humeris pondera tanta tuis.
Nam tibi nec grauitas,nec amica gratia frontis,
Nec deeſt proceri uerticis altus honor:
Ingeniumq; capax,& par ciuilibus actis,
Quæq; animi largas lingua miniſtret opes.
Iudice cùm facias & Apolline carmina primus,
Prima fauore tamen noſtra Thalia tuo eſt.
Vtq; lyguſtra nouo ſuperas candore,niuemq;
Præfers carminibus carmina noſtra tuis.
Ne'ue meæ pereant cura eſt tua maxima nugæ;
Cogis & inuito me patre ferre diem.
Ne'ue nihil ſcribam, blandè noua carmina poſcis,
Officioq; foues qualiacunq; pio.
Et nunc quæ magnum longè teſtentur amorem,
Scripta repentino fuſa calore damus:
Non ut ab his noſtrum cenſeri debeat orſis
Ingenium ſumma deficiente manu:
Sed tamen ut ſtudium uatis tibi conſtet amici,
Lapſa putes animo nec tua dicta meo.

En tibi quam flagitabas elegiam,penè illam quidem extemporaneam, ſiquidem manè dum ſe rei diuinæ ſacerdos parat inchoatam , abſolui dein poſt meridiem dum rediēs carrucæ adequito. Quod etiam unum, ſtylus quoq; ipſe ſatis ſuperq; probabit. Vale dulce decus meum.

ODE. M.CCCCLXXXII.

Iam cornu grauidus præcipitem parat
Afflatus ſubitis frigoribus fugam
Autumnus pater,& deciduas ſinu
Frondes excipit arborum.
Cantant emeritis Bacche laboribus
Te nunc agricolæ,ſed malè ſobrios
Ventoſæ querulo murmure tibiæ
Saltatu ſubigunt frui.
Nos anni rediens orbita ſub iugum
Muſarum reuocat dulce ferentibus,
Porrectisq; monent ſidera noctibus
Carpamus uolucrem diem.
I mecum docilis turba biuerticis
Parnaſſi rapidis per iuga paſſibus,
Expers quò ſenij nos uocat,& rogi
Conſors gloria cœlitum.
Nam me ſeu comitem, ſeu iuuenes ducem
Malitis,uenio: nec labor auferet
Quærentem tetricæ difficili gradu
Virtutis penetralia.

IN QVENDAM.

Hunc quem uidetis ire faſtoſo gradu
Seruis tumentem publicis,

Vel

Vel hinniente per forum uehi capax
  Equo, quod omnes deſpuant:
Turbam ſuperbo præterit faſtidio
  Qui ciuium ſtomachantium,
Grauiq; cunctos ora torquentes retrò
  Deſpectat inſolentia:
Intraq; tutum mœnibus pomerium
  Agros patentes poſſidet,
Villamq; diues publicó peculio
  Inſanus urbanam ſtruit,
Vbi ocietur inter obſcœnas lupas,
  Ne turpiora dixerim:
Vbi ampla pergræcetur inter pocula,
  Senex podagra rancidus.
Hunc uos putatis ſtirpe ſorſan inclyta,
  Virtutis aut inſignibus
Ad hoc uolaſſe protinus faſtigium.
  Falſum putatis hoſpites.
Molas hic intet natus eſt aquaticas,
  Gratus ſodalis muribus.
  Nigris ſodalem muribus
Fortuna ludens furfuris plenum tulit
  Ad uſq; ſupremos gradus,
Monſtrare gaudens, arroget quantum ſibi
  Mortalis impudentia.
Ergo iſte tantis arduus ſuffragijs
  Nunc immemor natalium,
Vt quemq; longo ſtemmate clarum uidet,
  Aut dote rara nobilem,
Triſti ueneno ſpargit, & todit ſtatim
  Rubiginoſis dentibus.
Non ipſe ſe, fortuna non ipſum capit
  Aura fauoris ebrium:
Sic culmen altum lubrico premens pede,
  Ventiſq; turbidis patens,
Caſurus uſq; nutat, & iamiam cadet,
  Sed non gradatim ſcilicet.

IN INVIDVM CARMEN.

Quiſquis es obſcuro uatem qui dente laceſſis
  Maiorem triſti degener inuidia,
Vſq; late, lucemq; paue, blactarius autor,
  Liuidior Græcis, barbariorq; tuis.
Quoſq; fames opicis ad nos emiſit Athenis,
  Hos audi, gens eſt auribus apta Midæ.

DE ANGELI PVELLA.

Puella delicatior
  Lepuſculo & cuniculo,
  Cæaq; tela mollior,
  Anſerculiq; plumula.

Puella

Puella qua laſciuior
Nec uernus eſt paſſerculus,
Nec uirginis blandè ſinu
Sciurus uſq; luſitans.
Puella longè dulcior
Quàm mel ſit Hyblę, aut ſaccarum,
Ceu lac coactum candidà,
Vel lilium, uel prima nix.
Puella cuius non comas
Lyæus æquaret puer,
Non paſtor ille Amphryſius
Amore mercenarius,
Comas decenter pendulas,
Vtroq; frontis margine,
Nodis decenter aureis
Nexas, decenter pinnulis
Ludentium Cupidinum
Subuentilantibus uagas,
Quas mille criſpant anuli,
Quas ros, odorq; myrrheus
Commendat, atq; recreat.
Puella cuius duplices
Sub fronte amica fulgurant
Amoris arcani faces,
Quas contueri non queo,
Nec ſtare contrà, uel procul,
Quin occuper flamma graui
Miſer miſer, quæ mollibus
Furtim medullis adſilit.
Non non ocellus hoſpites
Ille eſt, & ille, ſed faces,
Faces Amoris igneæ:
Quas læta ſuſcitat Venus:
Quas blanda paſcit Gratia.
Quid narium dulcem modum,
Vel quid genarum leuium
Dicam roſam cum lilio?
Labella quid corallijs
Rubore prænitentia,
Tam ſæpe, tam longum mihi
Mordente preſſa baſio?
Quid margaritas dentium
Præcandidorum proloquar?
Linguamq; perplexabilem,
Vtcunq; iuncto anhelitu,
Amanti amantem copulans
Feſtinat ad calcem Venus,
Cum ſuauè olentem ſpiritum

Semiulca ſugunt oſcula,
Lenocinante gaudio
Subinde murmurantia,
Mentum'ue quid tornatile?
Gulamq́ teretem,& lacteam,
Et quæ lacertis millies,
Vt arbor hedera incingitur,
Incincta ceruix eſt meis.
Nam quæ tibi mamillulæ
Stant floridæ,& protuberant
Sororiantes primulum,
Ceu mala punica arduæ
Quas ore toto preſſeram,
Manuq́ contrectaueram,
Quem non amore allexerint?
Cui non aſilum immiſerint?
Quem non furore incenderint?
O qui lacerti, quæ manus?
Quos Iuno, quas Aurora habet.
O quale pectus, & latus,
O uenter, ó crus, ó femur,
O qui Thetim decent pedes:
Pedes choreis nobiles,
Saltatibus mirabiles,
Statu,gradu ſpectabiles.
O uerba iucundiſſima,
Tam nequiter ludentia,
Arguta,plena aculeis,
Decore,ſuauitudine,
Dicacitate,gratia.
O carminum dulces notæ,
Quas ore pulchra melleo
Fundis,lyræq́ ſuccinis:
Vt non Thalia blandius,
Non ipſe Apollo doctius
Feras canendo mulceant.
Fluenta uertant in caput,
Et ſaxa cum ſyluis trahant,
O cuncta ſalſa,& dulcia,
Feſtiua,læta,& mollia,
Referta amœnitatibus,
Amoribus lubentia,
Proteruitate,luſibus,
Riſu,ioco,leporibus.
O quicquid eſt pulchrum & decet
Puella ſola continens.
O præpotens cultu nimis,
Nimisq́ non culta placens,

Quis

Quis te deus mihi inuidet?
Quæ te mihi ſors eripit?
Quò te repentè proripis?
Quid, quò fugis belliſſima,
Riſu ſerenans æthera;
Heu mea uoluptas, mel meum,
Meum puella corculum,
Mihiq́ longè charior
Auro, lapillis, purpura:
Ac nec lapillis charior,
Auroq́ ſolũ, & purpura,
Sed ſpiritu mi charior,
Sed charior mi ſanguine.
Memento tu tamen, precor,
Memento formoſiſſima
Amoris, atq; compedum,
Quas à tenellis unguibus,
Mecum tibi circundedit,
Heu lacrymis amantium heu
Suſpirijs ridens Venus.

DE SEIPSO SEMPER AMANTE.

Sex ego cùm plena perago trieteride luſtra,
Nec placet in ſpeculo iam mea forma mihi:
Nec reſponſurum ſpes improba fingit amorem,
Blanditijsq́ leuem ſuſpicor eſſe fidem:
Cùm tamen hęc ita ſint, capior miſer illice uultu,
Et nunq̃ à dura compede ſoluor amans.
Iamiam militia noſtræ contenta iuuentæ
Deſinat, aut ceſton cõmodet alma Venus.

DE ALCONE ET SERPENTE.

Vidit ut implicitum puero pater anxius anguem,
Intendit dubia cornua flexa manu:
Inq́ feræ fauces calamum ſic torſit, ut audax
Terruerit natum non minus angue ſenex.
Sed nunq̃ pius errat amor: puer hoſte perempto
Saluus erat, ſtupuit morte dirempta ſalus.
Victor ab hac pharetram quercu ſuſpendit, & arcum
Fortunæ, atq; artis, quæ monumenta ſuæ.

IN PVELLAM.

Nix ipſa es uirgo, & niue ludis, lude, ſed antè
Quàm pereat candor, fac rigor ut pereat.

AD FVRES.

Ite aliò fures, nulla hic occaſio lucri:
Nam fida eſt cuſtos addita pauperies.

AD HIRVNDINEM NIDIFICANTEM SVB Medeæ ſtatua.

Medeæ ſtatua eſt miſella hirundo,

Sub qua nidificas,tuos ne credas
Huic natos rogo, quæ ſuos necauit.

DE LECTVLO MERETRICIO
è Lucretio.

Vnius effugi torum,
Vt omnium fierem torus.

DE LAVRO SECVRI CAESA.

Cùm Mars Daphne ſe miſcuit,
Apollo tunc ubi fuit?

DISTICHON.

Spem ſimul & Nemeſin poſita dicat Eunus in ara,
Scilicet ut ſperes omnia nil habeas.

IN OLEAM VITIBVS
implicatam.

Quid me implicatis palmites
Plantam Mineruæ,non Bromi?
Procul racemos tollite,
Ne uirgo dicar ebria.

EPITAPHIVM.

Stirpe fui,forma,natoq́ꝫ, opibusq́ꝫ, uiroq́ꝫ
Felix,ingenio,moribus,atqꝫ animo:
Sed cùm alter partus iam nuptæ ageretur, & annus,
Heu nondum nata cum ſobole interij.
Triſtius ut caderem,tantùm mihi Parca bonorum
Oſtendit potius,perfida, q̃ tribuit.

IOANNAE ALBIERAE VXORI INCOMPA-
rabili, Laurentius Tornabonus
poſ. B. M.

IN FONTE BAPTISMATIS
Florentiæ.

Quicquid ab antiqua manauit origine morbi,
Purgabunt iſtæ(ſi modò credis)aquæ.

IN MICHAELEM VERINVM.

Verinus Michael florentibus occidit annis,
Moribus ambiguum maior,an ingenio.
Diſticha compoſuit docto miranda parenti,
Quę claudunt gyro grandia ſenſa breui.
Sola Venus poterat lentò ſuccurrere morbo,
Ne ſe pollueret,maluit ille mori.
Sic iacet,heu patri dolor,& decus,unde iuuẽtus
Exemplum,uates materiam capiant.

IN DAPHNEN.

Complexus uirides frondoſæ uirginis artus,
Sic quoqꝫ mutata,dixit Apollo, fruar.
Vtq́ꝫ nouas guſtu baccas tentauit, eandem
Hei mihi ſeruat,ait,nuñc quoqꝫ amaritiem.

PRAEFATIO IN MENAECHMOS.

Heus heus tacete ſultis uos,ego ut loquar,

Nam noſtra cōducta eſt huc lingua, ueſtri oculi
Vos ſpectare decet, nos loqui & fabulam agere,
Alioqui capite ipſi hunc ornatum ſcenicum,
Atq; exporgite lumbos, tum nos ſeſſum ibimus.
Spectabimusq́;, nos taciti, aut ridebimus.
Aut ſi actio frigebit, dormitabimus.
Comœdiam Menæchmos acturi ſumus
Lepidam, & iocoſam, & elegantē, ut nihil ſuprà:
Sed mendoſa alicubi tamen culpa temporum
Ingerunt in ea nonnulla, ne nobis quidem
Satis intellecta, ſed hæc erunt pauca admodum.
Quæ ſi minus placebunt auribus, expuite,
Aut deuorate ceu ſoletis catapotia.
Romanus eſt hic ſermo, Romani ſales,
Nihil inuenuſtum, aut ineptum, aut Græculum,
Quale ſolent nugari molitores cæteri,
Quorum nec ullis uerſibus comœdiæ,
Nec argumento conſtant perplexabili,
Nec quicq; habent comœdiæ præter titulos,
Non ipſæ ſecum congruunt, nec adeſt fides
Rebus agundis, ac nec perſonis indoles,
Tantumq; ſi quid furtiuum eſt in eis, placet:
Quippe alienis inſidiantur laboribus.
Facient profectò maiora operæprecia nunc
Longè adoleſcentes iſti, ſiquidem inſueuerint
Puro ſermoni Romę urbis uernaculo,
Quàm ſi magiſtris freti triuialibus,
Linguas tenellas polluant ſtribiligine.
Si quidem ita traditum eſt à laudatis uiris:
Latinè uellent etiam ſi Muſæ loqui,
Nullis uſuras niſi Plautinis uocibus.
Quòd ſi qui clamitent, nos facere hiſtrionicam:
Atq; id reprehendant, minimè diffitebimur,
Dum nos ſciant diſciplinam antiquam ſequi.
Etenim formando comœdo ueteres dabant
Pueros ingenuos, actionem ut diſcerent.
Sed qui nos damnant, hiſtriones ſunt maxumi,
Nam curios ſimulant, uiuunt bacchanalia.
Hi ſunt præcipuè quidam clamoſi, leues,
Cucullati, lignipedes, cincti funibus,
Superciliosum, incuruiceruicum pecus.
Qui quòd ab alijs habitu & cultu diſſentiunt,
Triſteſq; uultu uendunt ſanctimonias,
Cenſuram ſibi quandā & tyrannidem occupant:
Pauidamq; plebem territant minacijs.
Sed iam ualete ſpectatores, & gregi
Fauete noſtro, uobis quod uortat bene.

Recitata Florentiæ.

Ang. Polit.

IN ANVM.

Huc,huc iambi.arripite mi iam mordicus
Anum hanc furenti percitam libidine,
Tentiginoſam,catulientem,ſpurcidam,
Grauedinoſam,uietam,olentem,rancidam,
Cadaueroſam,fronte rugoſa,coma
Cana,atq; rara,depilatis palpebris,
Glabro ſupercilio,labellis defluentibus,
Oculis rubentibus,genis lacrymantibus,
Edentulamq;(ni duo nigri & ſordidi
Dentes ſuperſint)auriculis exanguibus
Flacciſq;,mucco naribus ſtillantibus,
Rictu ſaliua undante,tetro anhelitu,
Mammis ſenecta putridis,prægrandibus,
Araneoſis,deciduis,inanibus:
Laxoq; uentre,diſſipato & fiſſili:
Cunno ulceroſo,uerminante podice,
Natibuſq; macris,aridis,& oſſeis:
Vtroq; ſicco crure,utroq; brachio,
Talo,genuq; utroq; procul extantibus,
Calcaneoq; pernionibus graui:
Vt nil ſit aſpernabilius,nil tetrius
Monſtroſiuſq;, aut nauſeabundum magis.
Quam piſtor olim, caupo,calo,baiulus,
Et inſtitores,& lanius,& carnifex,
Et muliones permolebant,& coci,
Ceu proſtitutam & ſellulariam meram.
Nunc nemo iam uult uiſere,nemo colloqui:
Faſtidit unuſquiſq;,& habet ludibrio
Anum ſubante perditam prurigine:
Sed audet impudens tamen,audet impudens,
Procax,proterua: nec iam anus,ſed mortua:
Vtcunq; prurit (prurit autem iugiter)
Se poſtulare,ut comprimam,ſibi ut arrigam:
Quaſi ipſe uerres,quaſi aſinus ſim,uel canis.
Abi hinc, abi anus in maximam malam crucem:
Abi ſceleſta,obſcœna,ſiue uera anus,
Seu terriculum es,ſeu larua buſtuaria.
Nam ſi optio mi detur,ædepol magis
Scrofam futuam q̃ te,uel aſinam,uel canem.

ANGELI POLITIANI IN DIVAM uirginem hymnus.

O uirgo prudentiſſima
Quam cœlo miſſus Gabriel
Supremi regis nuntius
Plenam teſtatur gratia.
Cuius deuota humilitas

Gemmis

Gemmis ornata fulgidis
Fidentis conſcientiæ
Amore deum rapuit.
Te ſponſam factor omnium
Te matrem dei filius
Te uocat habitaculum
Suum beatus ſpiritus.
Per te de tetro carcere
Antiqui patres exeunt:
Per te nobis aſtriferæ
Panduntur aulæ limina.
Tu ſtellis comam cingeris,
Tu lunam premis pedibus,
Te ſole amictam candido
Chori ſtupent angelici.
Tu ſtella maris diceris,
Quæ nobis inter ſcopulos,
Inter obſcuros turbines
Portum ſalutis indicas.
Audi uirgo puerpera
Et ſola mater integra,
Audi precantes quæſumus
Tuos Maria ſeruulos.
Repelle mentis tenebras,
Diſrumpe cordis glaciem,
Nos ſub tuum præſidium
Confugientes protege.
Da nobis in propoſito
Sancto perſeuerantiam,
Ne noſter aduerſarius
In te ſperantes ſuperet:
Sed & cunctis fidelibus,
Qui tuum templum uiſitant,
Benigna mater dexteram
Da cœleſtis auxilij. Amen.

ALIVS HYMNVS EIVSDEM.

Ecce ancilla domini,
Quam pater ipſe omnipotens
Elegit ante ſecula
Quietum tabernaculum.
Ecce cui ſacras nuptias
Fortis indixit angelus:
Ecce quam ſanctus ſpiritus
Alto repleuit numine.
Ecce uirgo concipiens
Intacta dei genitrix,
Ecce Ieſſea uirgula,
De qua flos pulcher emicat.

Huc huc omnes accurrite
  Emanuelem uiſere,
  Quem iacentem præſepio
  Bos adorant & aſinus.
Cuius natali iubilant
  Celſi regis exercitus,
  Et magnum nocte gaudium
  Adnuntiant paſtoribus.
Videte ſtellam præuiam
  Sanctis Eois regibus,
  Qui uagienti domino
  Aurum, myrrham, thus offerunt.
Heu iam tenellum ſanguinem
  Fundit ex lege ueteri,
  Dum Symeonis gremio,
  Deſideratus incubat.
Videte matrem uirginem.
  Herodis metu pauidam,
  Latentem cum filiolo
  Aegypti regionibus.
Cernite mox ſollicitam,
  Cùm puer templo diſputat:
  Cernite rurſus hilarem,
  Dum ſacras replet hydrias.
Spectate miſerabilem,
  De cruce nati pendulam,
  Cõmendatam diſcipulo,
  Cor ſæuo fixam gladio.
Videte tandem radijs
  Magna uincentem ſidera,
  Vndantem plena gratia,
  Splendentem clara gloria.
Regina cœli maxima,
  Sanctiſſima, pulcherrima,
  Suſtenta tuos ſeruulos,
  Defende tuum populum. Amen.

HERODIANVS LATINITATE A POlitiano donatus, in laudem traductoris ſui canit hendecaſyllabum.

Qui me tranſpoſuit Politianus,
Verbis omnia reddidit latinis,
Pulchro ſenſa reueſtiens nitore:
Mirum, tranſtulit Atticos lepôres
Contextu, numeroq; blandiori.
Romanus (iuuat hoc) recens amictus
Concinna ſpeciem ferens ab arte,
Nobis conciliat patentiori

Gentes

Gentes quæ Latium ſonant in orbe,
Vt poſthac mihi latius uagari,
In plures liceat manus uenire.
Felix hiſtoriæ fides renatæ,
Felix exoriente luce tanta
Olim publica res Latina ſurget.
Iam debes ſtudioſa turba plauſus.
Laudis munere gratiam referto.
Aeger deſinat utiles malignis
Liuor carpere dentibus labores.

EPITAPHION IOCTI PICTORIS.

Ille ego ſum, per quem pictura extincta reuixit,
Cui ꝙ recta manus, tam fuit & facilis.
Naturæ deerat, noſtræ quod defuit arti,
Plus licuit nulli pingere, nec melius.
Miraris turrem egregio ſacro ære ſonantem,
Hæc quoq; de modulo creuit ad aſtra meo.
Deniq; ſum Ioctus, quid opus fuit illa referre?
Hoc nomen longi carminis inſtar erat.

OB. AN. M.CCCXXXVI. CIVES POS. B. M. M.CCCCXC. FLORENTIAE IN TEMPLO DIVAE REPARATAE.

MONODIA IN LAVRENTIVM MEDICEM, intonata per Arrighū Iſac.

Quis dabit capiti meo
Aquam? quis oculis meis
Fontem lacrymarum dabit?
Vt nocte fleam,
Vt luce fleam.
Sic turtur uiduus ſolet,
Sic cygnus moriens ſolet,
Sic luſcinia conqueri.
Heu miſer, miſer,
O dolor, dolor.
Laurus impetu fulminis,
Illa illa iacet ſubitò,
Laurus omnium celebris
Muſarum choris,
Nympharum choris.
Sub cuius patula coma
Et Phœbi lyra blandius,
Et uox dulcius inſonat.
Nunc muta omnia,
Nunc ſurda omnia,
Quis dabit capiti meo
Aquam? quis oculis meis
Fontem lacrymarum dabit?

Vt nocte fleam,
Vt luce fleam.
Sic turtur uiduus ſolet,
Sic cygnus moriens ſolet,
Sic luſcinia conqueri.
Heu miſer, miſer,
O dolor, dolor.

AMOR FVGITIVVS E GRAECO Moſchi.

Cùm Venus intento natum clamore uocaret,
Si quiſquam in triuijs erantem uidit Amorem:
Hic fugitiuus, ait, meus eſt: pretium feret index
Baſiolum Veneris: quòd ſi ad me duxeris illum,
Non ſimplex dabo baſiolum, plus hoſpes habebis.
Inſignis puer eſt, at totam agnoſce figuram:
Corpore non niueus, uerùm igneus imitatur, ocelli
Acres, flammeoli, mala mens, ſuauiſſima uerba.
Quod loquitur, non ſentit idem, uox mellea: ſed cùm
Ira inflammatur, tum mens illi effera, fallax,
Fraudator, mendax, ludit crudele puellus.
Criſpulus eſt olli uertex, facieſq; proterua,
Exiguæq; manus: procul autem ſpicula torquet,
Torquet in umbriferumq; Acheronta, & regna ſilentum.
Membra quidem nudus, mentem uelatus, auiſq;
More citans pennas, nunc hos, nunc aduolat illos,
Sæpe uiri preſſans præcordia, ſæpe puellæ.
Arcum habet exiguum, ſuper arcu impoſta ſagitta eſt.
Parua ſagitta quidem, ſed cœlum fertur aduſq;:
Parua pharetra olli dependet & aurea tergo:
Sunt & amari intus calami, quibus ille proteruus
Me quoq; ſæpe ferit matrem, ſunt omnia ſæua,
Omnia, ſeq; ipſum multò quoq; ſæuius angit.
Paruula, fax olli, ſed & ipſum Hyperiona uincit.
Verbere, ſi prendes age, ne miſerare puellum.
Si flentem aſpicies, ne mox fallare caueto:
Sin arridebit, magis attrahe, & oſcula ſi fors
Ferre uolet fugito, ſunt noxia & oſcula, in ipſis
Suntq; uenena labris, ſi fors ita dixerit, heu tu
Accipe, nempe tibi cuncta hæc mea largior arma:
Ne quicquam attigeris, fallacia munera Amoris.
Omnia namq; igni ſunt infecta illius arma.

IN LAVDEM CARDINALIS Mantuani.

O meos longum modulata luſus,
Quos amor primam docuit iuuentam,
Flecte nunc mecum numeros, nouumq;
Dic lyra carmen.

Non

Non quod hirſutos agat huc leones;
Sed quod & frontem domini ſerenet,
Et leuet curas, penitusq́; doctas
Mulceat aures.
Vindicat noſtros ſibi iure cantus
Qui colit uates, citharamq́; princeps;
Ille cui ſacro rutilus refulget
Crine galerus.
Ille cui flagrans triplici corona
Cinget auratam diadema frontem,
Fallor? an uati bonus hæc canenti
Dictat Apollo?
Phœbe quæ dictas, rata fac, precamur;
Dignus eſt noſtræ dominus Thaliæ,
Cui celer uerſa fluat Hermus uni
Aureis urna.
Cui tuas mittat Cytherea conchas
Conſcius ſibi Phaethontis Indus,
Ipſa cui diues properet beatum
Copia cornu.
Quippe non gazam pauidus repoſtam
Seruat Aeæo ſimilis draconi,
Sed uigil famam ſecat, ac perenni
Imminet æuo.
Ipſa Phœbeæ uacat aula turbæ
Dulcior blandis Heliconis umbris,
Et uocans doctos, patet ampla toto
Ianua poſte.
Sic refert magnæ titulis ſuperbum
Stemma Gongazæ recidiua uirtus;
Gaudet & faſtos ſuperare auitos
Aemulus hæres.
Scilicet ſtirpem generoſa ſucco
Poma cōmendant, timidumq́; nunq̄
Vulturem fœto Iouis acer ales
Extudit ouo.
Curre iam toto uiolentus amne
O ſacris Minci celebrate Muſis,
Ecce Mecœnas tibi nunc, Maroq́;
Contigit uni.
Iamq́; uicinas tibi ſubdat undas
Vel Padus multo reſonans olore,
Quamlibet flentes animoſus alnos
Aſtraq́; iactet.
Candidas ergo uolucres notarat
Mantuam condens Tiberinus Ocnus,
Nempe quem parcæ docuit benignæ
Conſcia mater.

ZENOBIVS ACCIAIOLVS STVDIOSIS OMNIBVS FELICITATEM.

ANGELI Politiani græca epigrãmata, ſicut in Archetypo uolumine ſcripta erant, publicanda curaui. non quòd ea cenſerem iudicio autoris ad æternitatem probata, ſed ut bonis adoleſcẽtibus ad certam ſpem profectus extarent: cùm Politianũ uiderent, in hoc quoq; genere ſcriptionis, in quo Latini paulũ modò muſſitantes gloriari ſolemus, eò tamen ſtudio ac diligentia proceſſiſſe, ut horũ permulta penè puer conſcripſerit. Quędam uerò inambulanti etiam, aut cœnanti ueluti repentino calore fuſa ipſi ſciamus. In queis tamen ipſis (ut mihi quidem uidetur) eiuſmodi multa ſunt, quorum ſi facilitatem ac copiam reputaris, magni quidem ingenij Politianum, ſed & multæ lectionis fuiſſe oſtẽdant, planeq; indicent, quantũ uir ille operæprecium facere potuerit, ſi perficere quæ cogitabat per importunum obitum licuiſſet. Vt quod effecit, laude digniſſimus, quod non potuit, uenia ac commiſẽratione cenſendus ſit. Florentiæ Calend. Decemb. M.CCCCXCV.

M.CCCCLXXI. ætatis meæ anno XVII.

IN INVIDVM QVENDAM.

Ω φίλε χαῖρε λέγεις, ὅτε σὸν ποτὶ δῶμα καθήκω,
αὐτὰρ ἐμ' οὐκ ἔλαθον ῥῆμα χαριζόμενον.
οὐδ' ἐθέλεις φθονερὸς χαίρειν ἐμὲ, ὅτι φιλεῖς με.
καὶ γὰρ σημαίνει τοῦτο τὸ χαῖρε δύο,
ἐσὶν σώζεσθαι χαίρειν, ἐσὶν δ' ἀπολέσθαι.
τοὶ γὰρ ἔγωγε λέγω σοὶ φίλε χαῖρε μάλα.

IN CORYDONEM.

Sum puer exclamas Corydon, ſubigisq; fateri:
In te reclamat, ſed tua barba, uir es.

Græcè.

Εἰμὶ λέγεις παῖς ὦ κορύδων, δεῖ τοῦτο λέγειν με,
ἀνὴρ δ' εἶ, περὶ σοῦ σὸν τὸ γένειον ἔφα.

M.CCCCLXXII. anno ætatis XVIII.

Εἰς χάρολον Βερξίνα.

Σοὶ γ' ἔτι παιδαρίῳ κροτάφους περίδησεν ἀπόλλων
κωρυκίοις δάφνης πλέγμασι χρυσοκόμης.
καὶ σ' ἐχρυσμολόγει γλυκερῶν κοσμήτορ' ἀοιδῶν,
μέλλονθ' ἱππόβοτον ἐς κλέος ἄργος ἄγειν.
νῦν δέ μ' ἐς ἀθανάτους ἐπαείρειν θυμὸς ἀνώγει
τοῦτο βάθρος χάρολε μέχρι γε πλητόμενον.

AD PAMPHILVM.

Mittis uina mihi, mihi Pamphile uina ſuperſunt:
Vis mage quod placeat mittere? mitte ſitim.

Græcè.

Οἶνον μοι πέμπεις, τοῦ δ' ἐσθ' ἅλις, εἰ δέ τι μᾶλλον
λῇς γε χαρίζεσθαι, πέμψ' ἅμα δίψαν ἐμοί.

M.CCCCLXXII. XVIII anno. AD IOANNEM Baptiſtam Boniſignium.

Ἤδη δὲ πέρα μὲν χειμὼν, πέρα δ' ἄσπετος ὄμβρος,
ἐγχρονίμοι τ' ἔφυγον, μεστὰ δὲ πᾶσα πόλις.

σὺ

σὺ μόνος ἀγάζεις ποταμοὺς καὶ ὄρεα φύλλα
ποσσὶ πρὸς ἁπαλοῖς. σὺ μόνος ἄντρα νέμει
νῦν μὲν ἄρ' ὠτώεντα λαγὼν, νῦν δ' ἄγριον αἶγα
εἰς τὰ λίν' ἐμβάλλων καρχαρόδοντι κυνί.
νύμφας τ' ἰοφόρους θέλγων πολυδενδρέα ὕλη.
γλώττης τ' ἠδὲ λύρης ἄμβροτον ᾆσμα χέας.
δεῦρο φίλος, μὴ φεῦγε φίλους, καὶ χαῖρε κομεῷ·
πικρὰ ἄνευ γε φίλων, σὺν καὶ ἀμβροσίη.

M. CCCCLXXII. AD EVNDEM.

Εἰς σοφίαν παράκλησις.

Νῦν γε νότος πνέει μελανόπτερος ἄσπετον ὄμβρον
ἄδη καὶ νεφέλας Θρὴξ Βορέας συνάγει
φηγῶν καὶ πτελεῶν ἐμαραίνετο φύλλ' ἐπὶ γαίῃ,
χεῖμα δὲ καρποτόμον ὥρησι κεῖρε κόμας·
πολλάκι ἄκαρποι ἔασιν ἀειθαλέες περ ἐοῦσαι,
ὑψίκομοί τ' ἐλάται καὶ θανάτοιο φυτόν.
ἀλλὰ καὶ ὡς δάφνη τε καὶ ποικίλον ἔρνος ἐλαίας
φύλλων καὶ καρπῶν χαίρουσι βεβριθοσύνῃ.
πάντα γὰρ ἄλλα χρόνου κρατεροὶ κατέλυσαν ὀδόντες,
ἄφθαρτος δ' ἡμῖν ἐστὶ μόνον σοφίη.

XVIII. ætatis anno. AD EVNDEM.

ὦ πόποι ὅσσον ἔγωγε σὲ μάζονα ἐκπέπασμαι
πλῆρες ἐπὶ μουσῶν τὸ στόμα καὶ χαρίτων.
καὶ σοὶ ἄρ' αὐτομάτως κροτάφους περιέδραμε δάφνη
βεβαμμένα πετάλοις ἄνθεα λευκὰ χέει.
ἀλλά σε ποῦ εὑρήσω τὰ σὰ ἴχνια μαιόμενός περ
κύματα, γῆν, αὔρας, ναὶ, ποδὶ, πτέρυγι,
αἰεὶ ἐγὼ περὶ σὲ γλυκερῷ βεβολημένος οἴστρῳ
ὡς βόες ὑλοφάγοι ἔνθα καὶ ἔνθα θέω.
ῥῖνα μὲν ἐγκλίνων ἐπὶ γῆν, τὰ δ' οὔατ' ἀείρων,
ὄμμασι παπταίνων, πλαζόμενος δὲ ποσί.
γούνατα δὴ κάμετον, ποῖ γοῦν ἄλαόν σε διώξω
ποῖ δ' οὕτω φεύγεις τὸν φιλέοντα φίλος,
ἀνδρὶ ἄτερ γε φίλου δνοφερή τ' ἠὼς ἀνατέλλει
πικροὶ δ' οἱ χαδῦνες, πᾶς δ' ὁ βίος θάνατος.
χωρὶς δ' ἂν κείνου οὐδ' ἀθάνατός γε θέλοιμι
ἔμμεναι, οὐδ' αὐτῶν κοίρανος ἀθανάτων.

XVIII. anno ætatis. AD EVNDEM.

Ὅσσον μὲν χαίρουσιν ὑφ' ἀλκυόνων ἐπὶ καλῇ
ναῦται ποντοπόροι μαλακὸν πλόον ἀγγελλουσῶν.
ὅσσον δ' ἐχθίστην βασιλεὺς πόλιν ἐξαλαπάξας
ὅσσον τις χαλεπὴν φεύξας νόσον, ὅσσον ἐραστὴς
παρθενίοιο φίλος γλυκερὸν λέχος εἰσαναβαίνων,
τόσσον ἐπεὶ εὐθὺ σέθεν ἀγάλλεται ἡμέτερον κῆρ
σόν τε πρόσωπον ἰδὸν, καὶ σεῦ ἐπὶ μῦθον ἀκοῦον.
ὦ λευκοῦ λίθακός τε καὶ ἄσματος ἄξιον ἦμαρ,

ἦμαρ μνήμης ἄξιον ἐς πολιὰς λυκάβαντας.
ὦ μέλιτος γλυκίων φίλε ὦ χαρίεσσα πρόσοψι
χαῖρ' αἰεὶ καὶ σοὶ ζεὺς ὄλβια πάντα πόροι.
τέρψιν δ' ἐπάλληλον ἀεὶ στήθεσφιν ἔρωτα.

XVIII. ætatis anno. προσευχὴ πρὸς τὸν θεόν.

Ὦ πάτερ ἀμέτερε χρυσόθρονε αἰθερεναίων
ὦ πάντων βασιλεῦ θεὸς ἄφθιτε αἰθέρι παν
πάντα ἰδὼν καὶ πάντα κινῶν, καὶ πάντα κατέχων
πρεσβύτερός τε χρόνου πάντων ἀρχή τε τέλος τε.
παμμακάρων δ' ἀπεδὸν καὶ οὐρανίων σέλας ἄστρων.
σὺ πάτερ ἠέλιόν τε μέγαν λαμπράν τε σελήνην
πηγάς καὶ ποταμούς, καὶ γῆν, καὶ πόντον ἔτευξας
πάντα ζωογονῶν σῷ πάντα πνεύματι πληρῶν.
οὐράνιοι χθόνιοί τε καὶ οἱ ὑπένερθε καμόντων
πάντων ὑποχθόνιοι σὴν ἐκτελέουσιν ἐφετμήν.
νῦν δὲ κικλήσκω σὲ τὴν κτίσις, ἔνθα χαμευνὰς
ἄθλιος ὠκύμορος θνητὸς γήϊνος ἀνθρωπίσκος
ἀλγέων ὢν ἦμαρ τόν τε καὶ δάκρυα χεύων.
εἰ δ' ἄγε μοι λίτομαι πάτερ ἄφθιτε ἵλαος ἴσθι
ἐξ ἐμέθεν δὲ κόσμου θελξινόοιο ἔρωτα
δαίμονος ἠδ' ἀπάτης καὶ ἀτάσθαλον ὕβριν ἔλαυνε.
δεῦε δ' ἐμὴν κραδίην, σοῦ πνεύματος ἀσπέτῳ ὄμβρῳ.

XVIII. anno. AD IOVIANVM Monopoliten.

Τί στάχυας δήμητρι, τί κύματα δοῦν ἐθέλῃς μοι
πρωτεῖ ποντοπόρῳ, νυκτελίῳ τε βότρυς;
σὺ μόνος ἐκ γλώττης γλυκερὸν μέλι, σὺ μόνος αὐδὴν
ἀμβροσίην στόματος ἐκ λιγυροῖο χέεις.
τὴν μὲν καὶ σκόπελοι, καὶ οὔρεα μακρὰ ἐφέπονται,
ὡς πότε θρηικίης ἄμβροτον ἆσμα λύρης.
εἰ δέ μοι ὠκυπέτης ἑρμείνιος οὔνομα θῆκεν,
ὥστε ῥωμαίοις θεῖον ὅμηρον ἄγειν.
σὺ δ' ἄρ' ἔχεις μεγάλου διὸς οὔνομα παμβασιλῆος,
ὥστε σ' ἄνακτα πάσῃ ἔμμεναι ἐν σοφίῃ.
σὸν γὰρ νεκταρέοιο γάλακτος λαιμὸν ἔπλησαν
ἐννέα δὲ θύγατρες μνημοσύνης καὶ διός.
αὐτόματος δὲ τεὴν περιπέπταται ἀμφὶ ἕδραν
κισσὸς τηλεθάων ἄνθεα πολλὰ χέων.
ὦ μάκαρ, ἀθανάτοισι βροτῶν, ὦ φίλτατε πάντων,
χρυσοκόμων θεράπων ὄλβιε πιερίδων,
ὦ χαῖρ' ἱερὴ κεφαλὴ λιγύφωνος ἀοιδῆς
τέρπε δ' ἀμέτερον αἰὲν ἔρωτα φίλος.

XIX. ætatis anno. AD IOANNEM ARGYropulum, Doricè.

Ὅσσον διψάων ἔλαφος κράνᾳ μελανύδρῳ
ἅδεται, ὅσσον ὄϊς θέρεος μέσῳ, εὐσκίῳ ἄλσει

ὅσσον

ὅσσον ἄλω μάρμαξ, ὅσσον κώδνοισι μέλισσα,
ὅσσον ἀηδόνι τέττιγος, ὅσσον δ' ἁ ὀλολυγὼν
ὅσσον δ' ἁ λαλιά τε χελιδόνις ἔαρι πρᾶτον,
τόσσον νῶϊ πάντων μουσάων εὐφράνθεν ὀπαδοί.
χ' ἄμμες δ' ἐν πράτοις ὅτε τοῦ ἀγγέλλου νόσου
τᾶς ἱερᾶς κεφαλᾶς, σοφίας πρόμου ἀργυρόπυλε.
κοὐδ' οὕτω Βορέω χρυσοπτέρυγας ποκα κούρως
Φινέα φαντὶ ποθεῖν, ὡδ' ἁρπυίας ἀπελαύνειν,
ὡς τό γε πάντες νῶϊ σοφίας μαιήτορες ὅσσοι
ἀθανάτω πελόμεσθ' ὁμοθυμαδὸν ὧδε ποθεῦμες
ὥστε νόῳ βλεφάρων ἀχλὺν λιγγάδες τ' ἀπεβάλλομεν.
νῶϊ γὰρ φεῦ σχέτλιοι λοξῆσι πλανώμεσθ' ἀταρποῖς
κοὐχ οἷόν τε τυφλῶς εὑρεῖν εὐκαμπέα οἶμαν
ὀρθοπόρω βιότοιο, καὶ ἐξυπαλύξαι βάραθρον
ἀνδρομέας ἀνοίας πολύφλοισβόν τε κυδοιμὸν
εἰ μὴ χεῖρα λαβὼν σύ γε νῶϊ πάτερ ἄμμιν ὁδαγοῖς
πυρσὼς ἀτρεκέων ὑποθημοσυνάων ἅψας.
ἀλλὰ τί τ' ἀσπούδας ἐνθὼν, τί δ' ἄρ' οὐχ ὑπακούσας.
πάντες κοινᾶ κοινὸν ἐπὶ κληΐζομες ἐλθεῖν
ἐνθεῖν, οἷα βρέφη ποθ' ἑὸν κνυζῶντα τιθηνόν.
πάντων δ' αὖ πολὺ αὐτὸς ἐπ' ἐλπίδι τάκομαι, ὥς τις
πιδακόεσσα λιβὰς σέλας ἀελίω ἀνίκα φρύγη.
ἦ μὰν καὶ λευκῷ λίθακος καὶ ἄσματος ἔσαι
τῆνο τὸ ἆμαρ ἐμοὶ πάνυ ἄξιον, ὁππόκα κῆνον
αὖ ἐπανοστήσαντα φίλαν ὁράοιμι πρόσοψιν.

XIX. ætatis anno. AD EVNDEM.

Α μὲν ἐν ἀθανάτοισι φατίζεται πότνια ἥβα
νέκταρ χρυσέοις οἰνοχοεῖν δέπασιν,
σοὶ δ' ἄρ' ἐν ἀνθρώποισι θεὸς πόρεν ἀργυρόπυλε
χρυσέου ἐκ στόματος νᾶμα χέειν σοφίας.
ἀλλὰ βίον μὲν ἀγήραον ἀθανάτοισι φυλάττει,
τὺ δ' ἄρα καὶ θνατῶν ἐξελάσεις θάνατον.

XXI. ætatis anno. Εἰς Θεόδωρον τὸν γαζῆν.

Κεῖνο μέγας ποτ' ἀγὼν γαζῆ θεοδώροιο ἀμφὶ
μούσαις τ' αὐσονίαις, ἠδ' ἑλικωνιάσι.
ταῖς μὲν γὰρ γηρειὴν, ταῖς δ' αὖ θρεπτήρια ὄφλεν.
ἑλλὰς γὰρ τίκτε τόνγ', αὐσονίη δ' ἔτραφεν.
ἶσον δ' ἀμφοτέρων σοφίη, γλώττῃ τ' ἐκέκαστο.
τὸν δ' οὔτ' αὐτὸς ζῶν, οὔτ' ἄρ' ἐκεῖνος θανὼν,
ἀλλὰ καὶ ἰταλίας μεγάλης ὑπὸ ἑλλάδι κεῦθαι
εἷλεν, ὄφρα κλέος ξυνὸν ᾖ ἀμφοτέρες.

Μονόστιχον εἰς τὴν σελήνην.

Νυκτιφανὴς ἀκτῖνας ἐς ἡμᾶς πέμπει σελήνη.

Ang. Polit.

Εἰς Θεόδωρον τὸν Γάζη.

Ἑλλὰς μὲν Θεόδωρε σὲ μᾶλλον κλαῦσε θανόντα,
τούρκιον ἢ ὅτε μιν ἐξαλάπαξε γένος.
καὶ γὰρ ἑὸν τὸ σκῆπτρον ποθ' ὁ βάρβαρος εἷλε τύραννος.
νῦν δὲ κλέος γλώττης ἔκλεψας μοῖρ' ὀλοή.
ἀλλά νυ καὶ ῥώμης ὑπὸ πρὶν πολέμῳ δεδάμασαι
πρῶτον δ' αὖ γλώττης πτῶμα τόδ' οἱ συνέβη.

Εἰς τὸν αὐτόν.

Τῆνο τὸ Καλλιόπας ἱερὸν στόμα ἀνίδε σιγᾷ,
τὸ κλέος Ἑλλήνων φεῦ πόνος, νῦν δὲ γόος.
ἀδυεπὴς Θεόδωρος, ὃς ἐν κραδίῃ ἔχε πάντα
τοὔνεκα καὶ πάντων κεῖται ἐνὶ κραδίαις.
τῷδε καὶ ἐν στόματι πρίν γ' ἔμφρονα πάντα διάνθα,
ἔμφροσι νῦν κεῖνος πᾶσι διὰ στομάτων.
ἀλλά τινα κραδίαν; τί φάμεν στόμα; τῷδε θανόντος
πᾶν στόμα φεῦ βύεται πᾶσ' ἀχρεῖ κραδία.

Εἰς Δημήτριον μέτρον φαλαίκιον.

Ἐξ οὗ δὴ Θεόδωρος οὐρανόνδε
βῆ, καὶ ὥς γε χελιδόνος νεοσσοὺς
μαστὸς χερσὶ βρεφυλλίους θανούσης
ἀπτῆνας λίπεν ὧδ' ὑπὲρ καλιᾶς
μὰψ δ' ἦν μάστακα τῷδε προσδοκῶντας.
ὦ Δημήτριε πάντες ἄθλιοί γε
νῦν γινόμεθα. σὺ δὲ πρᾶος ἐλθὼν
πανῶσιν τροφέας ἐδητὺν ἡμῖν
δὸς, σὺ νῦν μόνος εἶ γλυκὺς τιθηνός.

Εἰς Κορνήλιον ἰαμβικός.

Οὐκ ἐμὰ λέγεις ἐμμελῆ ὅσα σοὶ γράφω ἔπη
Κορνήλι ἀλλ' ὅμως ἀοιδόν ἐμὲ καλεῖς.
σὺ γοῦν βόας τε μὴ φύσει κερασφόρους
λέξας, ὅμως δὲ βόας καλέσεις τοὺς βόας.
τοῦτο δ' ἔτυχε λέξας ἐπεὶ μέτρον ὕπο γράφεις.
οὕτω βραδύπους ὄνος ἐλάφους ὄντας ταχέας
ἀρνεῖται, οὕτως ὁ λαγωὸς θρασὺν λύκον.

Εἰς τοὺς αὐτοδαίους.

Φεύγετε Πιερίδων ἀδινοὶ θεράποντες ἄρουραν,
πᾶς Ἑλικωνιάδων ἦλθε πόλινδε χορός.
αἱ δέ τις αὖ κείνας θαλάμοις ἐν δώματ' ἐρευνᾷ,
χαλκιοκονδύλου ἤθεα ναιετάει.

Περὶ τοῦ αὐτοῦ.

Σειρήνων ἔφυγεν λιγυρὸν ποτὲ ῥυθμὸν Ὀδυσσεύς
ὦ Δημήτριε σὸν δ' οὐκ ἂν ἔπος γε φύγεν.
καὶ γὰρ ἐγὼ γλυκεροῖο ποτὲ δόρπου τε χατίζων
χθὲς τεὸν οὐδ' ἀΐων ἆσμ' ἔπιον καὶ φάγον.

Δίστιχον περὶ Παύλου καὶ ξένου ἀρχιερέων.

Ἀρχιερεὺς ἀγαθὸς Παῦλος ποθ' ἦν, ἀλλὰ κακὸς φώς.
νῦν δ' ἀγαθὸς ξένος φώς, κακὸς ἀρχιερεύς.

Εἰς

Εἰς παῦλον τὸν ἀστρονόμον.

Στῶ μὲν ποσὶ γῆς, νῦν δ' οὐρανὸν ἀστερόεντα
  παῦλος, ὁ θνητὸς ἐὼν ἅμα κ' ἀθάνατος.
ὦ θεοί, ὦ μοῖραι μὰ βλέπετε, καὶ δύτ' ἐπαυρεῖν
  τοῦ μὲν ἐπιχθονίους, τοῦ δ' ἅμ' ἐπουρανίους.

Ερωτικὸν δωρικί.

Διπλὸς ἔρως ὠνιᾶμε, δυοῖν ὑποτάκομαι παίδοιν
  ἴσοις τοι χαροποῖν, ἴσον ἐπαφροδίτοιν.
λευκὸς ὁ μὲν γ' ἴτακός θ' ὅδε παρθένῳ ἴκελος ὄψιν
  ἄμφω ὁρῶντας ὁμῶς ἀπονεῦον μαλακῶς,
τοῦ δὲ κόμαι ἰοειδέες ἐκ κρανίοιο τέτανται,
  τῷ δ' ἑτέρῳ ξανθαὶ σείεται αἱ πλοκαμίς.
τὰ πλεῦς' οὐδὲν ὁμοίῳ, ἀμαλιχίῃ δὲ θ' ὁμοίω.
  νικᾷ δ' οὔτ' ἄλλος κάλλει καὶ χάρισιν.
ἄμφω δ' οὐχ οἷον θ' ὑποπελῶν κύπρει. τὺ δ' ἄρα σύμμιξ
  βούλευσον ποτέραν ταῖνδε φέροιμι φλόγα.

Ομήρου ὑποκριτάς.

Ἄλλους μὲν ῥα σοφούς τε λιγυφθόγγους τε ἀοιδούς,
οὓς δ' αὖ ῥαψῳδικῆς στρατὸν λαμβάνω δρέποντας.
οὓς δ' ἄρ' ἅμ' αἰρῶ κουροτρόφον ἐπειπ' ἀέθλαν
ἡσυχίην ἀγορήν τε. μόνον δέ με φοῖβος ἀπόλλων
κηρύττειν πόλεμόν τε κακὸν καὶ φύλοπιν αἰνήν.

M.CCCCLXXX. Ζαμπέτρῳ ἀρριβαβήνῳ πλάτωνος.

Χείλεα νηπιάχου βάψαι ποτὲ φαντὶ πλάτωνος
  ξουθὰς μελιτοπίῳ πλησαμένας μέλιτι.
εὐστιχέος δ' ἤεισεν ἀπὸ στομάτεσσιν ἀηδών,
  δάγματα μειλιχίης ἀμφοτέρου χάριτος.
ἀλλὰ σὺ ὄντινα γ' ὄρνιν ἐφιζάν, ὅτι μελίσσας
  πεύθομαι, ἀλλ' αὐτὰς ζαμπέτρε πιερίδας.
οὐκ αὖ δὴ λοιβῆς καὶ αὐτὸς γεύσατ' ὁ δυσσεβής,
  εἰ οὔγε τοῖος ἔην, οἷος ὁ σεῖο λόγος.

M.CCCCLXXXI. Ερωτικὸν περὶ τοῦ χρυσοκόμου.

Βλέψον μ' οὐρανόθεν τὸν ἐμὸν παῖδ' ἀγκὰς ἔχοντα,
  καὶ μὰ ζεῦ φθονέει, κἤπερ ἐγὼ φθονέω.
στέρξον ζεῦ στέρξον γανυμήδεα, τὸν δ' ἄρα φαιδρὸν
  χρυσόκομόν μοι ἄφες τοῦ μέλιτος γλυκίω.
ὄλβιος ὦ τρὶς ἐγὼ καὶ τετράκις, ὃς ἐφίλασα
  ὃς ἔτι καὶ φιλέω σὸν στόμα παῖ χαρίεν.
ὦ στόμα, ὦ κόμαι, ὦ μειδίαμα, ὦ φάος ὄσσοιν
  ὦ θεοί, ἆρά σ' ἔχω παῖ φίλε ἆρά σ' ἔχω.
ἆρά σ' ἔχω τὸν ἐμὸν, τὸν ἐρωτύλον, ὅσσα μογήσας,
  ὅσσα παθὼν, ὅσσα δρῶν τοῦτ' ὄπαθλον ἔχω.
θυμὲ τί νῦν θορυβεῖς ὡς καὶ πρίν, ὅτις ἔτ' ἐστὶ
  κίνδυνος, οὐκ ἔτι χρὴ σὲ κραδίην τρομέειν.
καὶ γὰρ ὁ ἐκπτερύσας ἡμᾶς πόκα καὶ πεφοβηκὼς,
  ληφθεὶς ἀγκάλαις ἐνὶ δ' ἡμαῖς δέδεται.

Ang.Polit.

τὰν δ' ἄρα, τὰν φάσσαν λάβε δὴ θεά, τὼς δ' αὖθι βωμῷ,
καὶ τόδ' ἐμοὶ σάσιμον κύπρι τὸ χάρμα δίδου.
τὺ δ' ἄγε μοι μαλακῶς ὅσον δύνῃ ἐμπνεῖ ἔρωτας,
καὶ γλῶτταν γλώττῃ τοῦ περίπλεκτον ἔχε.

M. CCCCXC. LATINVM NESCIO CVius Roma aduectũ, quod nos rogatu Ciampolini Gręcum deinde fecimus.

Eruta ſignorum uaſtis fragmenta ruinis,
Et quæ uirtutis ſunt monumenta tuæ:
Roma parens ignoſce breui ſi condit Hypætro
Hæc domus & domino ſic oneroſa ſuo.
Cedere non facilè eſt meritis, & tanta uidentes
Haud cupere: in magnis & uoluiſſe ſat eſt.

GRAECVM ANG. POLITIANI M. XD. die XXVIII. Iunij, in domo Ciampolini inſculptum.

Εἰκόνας ἡμιτόμους ἃς καὶ γῆς χῶμα κέκευθε
μυρίον, ὦ ῥώμη, λείψανα σῆς ἀρετῆς.
εἰ μὲν ὧδε στενῷ κρύπτει δόμος οὗτος ὑπαίθρῳ
καὶ βαρὺς ὧδε λίαν, ἵλαθι μῆτερ ἐμή.
ἔστιν δ' οὐ ῥᾴδιον, καὶ μὴ ποθέειν τάδ' ὁρῶντας.
ἀρκεῖ δ' ἐν μεγάλοις καὶ τὸ θέλημα μόνον.

M. VIID. Εἰς ἀλεξάνδραν τὴν ποιήτριαν.

Ἠλέκτρην ὑπεκρίνεν ὁπότ' ἄζυξ ἄζυγα κούρην
κούρη ἀλεξάνδρη τὴν γε σοφοκλείην,
θαμβέομεν πάντες πῶς εὐμαρὲς ἀτθίδα γλῶτταν
ἔπνευσ' ἀπταίστως αὐσονὶς οὖσα γυνή.
πῶς δέ γε μιμηλὴν ποιεῖ καὶ ἐτήτυμον αὐδὴν
τἀκριβές ἐν τέχνῃ τήρει πῶς θυμελῆς.
πῶς ἦθος δ' ἐφύλαττεν ἀκήρατον ὄμματα γαίῃ
πήξασ' οὐδ' ὁρμῆς ἤμβροτεν οὐ βάσεως.
οὐδ' ἀχνυμένη φωνὴν βαρύδακρυν ἱεῖσα,
βλέμματι μυδαλέῳ σὺν δ' ἔχεν θεατάς,
πάντες ἄρ' ἐξεπλάγημεν. ἐμὲ ζῆλος δ' ὑπένυξεν,
ὡς τὸν ὅμαιμον ἐοῖς εἶδον ἐν ἀγκαλίσιν.

Εἰς τὸν παῖδα.

Μή με πολυστροφάλιγξι κατάφλεγε νεύμασι κοῦρε,
ἄγχι φίλος αἰεὶ πυροβόλων κραδίης.
σοῦ γὰρ ἔρως γελάοντος ἐν ὄμμασι δᾷδας ἀνάπτει,
ὦ ἐμὲ δὸς ἐς ὅλας ζῶντ' ἔπι πυρκαϊάς.

M. VIID. Εἰς ἀλεξάνδραν τὴν ποιήτριαν.

Εὕρηχ' εὕρηχ' ἣν θέλον, ἣν ἐζήτεον αἰεί,
ἣν ἤτευν τὸν ἔρωθ', ἣν καὶ ὀνειροπόλευν.
παρθενικὴν, ἧς κάλλος ἀκήρατον, ἧς ὅγε κόσμος,
οὐκ ἀπὸ τέχνης, ἀλλ' ἀφελοῦς φύσεως.

παρθενι-

τυῤῥηνικὴν, γλώττῃσιν ἐπ' ἀμφοτέρῃσι κομῶσαν,
ἔξοχον ἔν τε χοροῖς, ἔξοχον ἔν τε λύρῃ.
ἧς ποδὶ σωφροσύνη τ' οὐκ χαρίτεσσι θ' ἅμιλλα,
τῇ καὶ τῇ ταύτην ἀντιμεθελκομένας.
εὗρηκ', οὐδ' ὄφελος. καὶ γὰρ μόλις εἰς ἐνιαυτὸν
οἱ στρέφοντι φλογεροῖς ἔστιν ἅπαξ ἰδέειν.

ALEXANDRAE SCALAE RESPONSVM.

Οὐδ' ἐγὼ ἄξ' ἦν αἴνοιο τοῦ ἔμφρονος ἀνδρὸς ἄμαινον,
κἂν στέφων αἶνος, ἔμοιγ' οἷον ἄειρε κλέος.
πολλοὶ θεοβόλοι παῦροι δέ τε μάντιές εἰσιν,
εὗρεν, ἆρ' οὐχ εὗρεν, οὐδ' ὄναρ ἠντίασας.
φῦ γὰρ ὁ θεῖος ἀοιδὸς ἄγει θεὸς ἐς τὸν ὁμοῖον,
οὐδὲν ἀλεξάνδρης τοῦ δ' ἀνομοιότερον.
ὡς σύ γ' ὁποῖα δαναύβιος ἐκ ζόφου ἐς μέσον ἦμαρ
καῦθις ἐπ' ἀντολίην αἰπὰ ῥέεθρα χέεις.
φωναῖς δ' ἐν πλείσταις σύν τοι κλέος περ ἐλαστρεῖ
ἑλλάδι, ῥωμαϊκῇ, ἑβραϊκῇ, λυδίῃ.
ἄστρα, φύσις δ' ἀριθμοί, ποιήματα, κύρβις, ἰατροί,
ἀλλήλοισιν κάλλεα σ' ἀντιμεθελκόμενα.
τἀμὰ δὲ τυῤῥηνικῆς συνδλάσματα, παίγνια φασί
βόκχοις οὐκ εἴποι, ἄνθεα καὶ δρόσους ὥς.
τοὶ γάρ μοι δ' ἐλέφαντος ἐναντία βόμβον ἀείρει,
αἴλουρον παλλάς, καὶ σύ γ' ὑπερφρονέεις.

Εἰς ἀλεξάνδραν τὴν ποιήτριαν.

Τίπτε μοι ὠχρὸν ἴον πέμπεις; ἦ οὐχ ἅλις ὠχρὸς
ξάνδρα, τοῦ καὶ ἅπαν αἷμα πέπωκεν ἔρως.

Εἰς τὴν αὐτήν.

Καρπὸν ἐμοὶ ποθέοντι, σὺ δ' ἄνθεα φύλλα τε μοῦνον
δωρεῖ, σημαίνουσ' ὅτι μάτην πονέω.

Εἰς τὴν αὐτήν.

φύλλα δίδουσ' ὁράοντι καὶ ἄνθεα ἦρος ἀπ' ἀρχῆς.
αὐτὸ ἐπαγγέλλει σοῦ ἔαρ ἡλικίης.

Aedem Reparatæ inambulans, amicis ſtipatus, hæc compoſui extempore.

Ἔχει σημωνίδεω οἶκος δύο λάρνακας ἔνδον,
τὴν μὲν τοι μισθοῦ, τὴν δ' ἑτέραν χαρίτων.
ἣν δ' ἡ μὲν χαρίτων κενεή, πλεία δ' ἥγ' ἐπίμισθος.
σύ γ' οὖν δὴ πάντων ξεῖνε λαβὼν ὁράνον.

Αὐτοσχέδιον ἕτερον.

Ἦν ποτέ τις πολίτης ἀγαθὸς καλαῖς ἐν ἀθήναις,
ὃν σὺ κόθορνον ἔφης ἀτηρὲ ξεινοφόων.
οὗτος ἀρειστήεσσι καὶ αὐτοῖς ἐφήρμοσε δήμοις
τοὔνεκα καὶ θάνατον πρὸς οὐδ' ἀπὸ κριτίου.

M.CCCCXCIII. Αὐτοσχέδια ἐν τοῖς περιπατοῖν.

Μὴ κύε μ' ὑγροπότα, τὰ γὰρ ὀδμὰ χείλεα κόρων
εἰωθὸς φιλέειν τάς σύ γ' ἀποστρέφομαι.

Εἰς ὄργανα.

Οὐκ ἀΐεις δονάκων μέλος ἄσπετον, ἦρά γε τλήμων
 τὰν ὄπα τῆς κύκνων μουσικᾶς φθεγγάσα.

Προτρεπτικόν.

Οὐ θέλω δολιχὸν ἀεὶ φυγέειν δοκέεσσιν
 εἰ φράξαι σπεύδεις ἄγγελε, τεῖνε δρόμον.

Ἀπόκρισις.

Τεῖναι κεὶ δρεπάνῳ, τότε γάρ με μᾶλλον ὀλισθεῖ,
 ὁππόθ' ἑλῶ δοκέω ἴκελος ἐγχέλυϊ.

Προτρεπτικόν.

Οὕτως ὀτρύνω μὲν ἀμοιβαδὶς, ὅττι μαχαίρας
 φᾶ λόγος ἀρχαίων ἔστι μακρὰ ἀκόνα.

Εἰς ἄγγελον τὸν πρεσβύτερον.

Ὅσσον ἐμοὶ φίλος ἐστὶν ὁ ἄγγελος ἠνὶ τὸ δᾶγμα,
 καὶ πολλὸν πιπτέειν εἵνεκ' ἐμοῖο θέλει.

Allusio ad antiquum Græcum epigramma.

Ἐκ πολέμου φυγόντα μάχας τὸν ἑὸν παῖδ' ὡς φθόνος σφε
 σπαρτιάτης μάτηρ φασγάνῳ ἀντίασεν.
καὶ κτάνε τὸν δύστανον ὃν ἔτρεφεν, ὃν τέκεν αὐτὴ
 ταῦτα δ' ἐκφωνέμεν λόγ' ὑπ' ὀδυρομένα,
ἀ ποῖον σ' ἰδόκευν οὐκ ἂν τέκον. ἔρρε λακαίνας
 ὡς παῖς οὐκ ἐθέλων ὡς λακεδαιμόνιος.

Alludit ad Græcum epigramma.

Τυφλὸς, ἄπους τ' ἤστην ἀλλήλοιιν θεράποντε.
 τυφλὸς ὁδηγεῖτο, νωτοφορεῖτο δ' ἄπους.

Εἰς τοὺς τέσσαρας ἀγῶνας.

Ζηνὸς ὀλύμπια νικῶντες φύλλον ἀγριέλαιαν,
 μῆλα δ' ἀπόλλωνος πυθικὸς ἔργον ἀγών.
ἰσθμιακῆ δὲ πίτυν πόρεν ἰνῶος μελικέρτης,
 σὺ δὲ σέλιν' ἐτίθεις ἀρχίμορος ἐν νεμέα.

GERMANICI EPIGRAMMA.

Thrax puer aſtricto glacie dum ludit in Hebro,
 Frigore concretas pondere rupit aquas.
Dumq; imæ partes rapido traherentur ab amne,
 Abſcidit tenerum lubrica teſta caput.
Orba quod inuentum mater dum cōderet urna:
 Hoc peperi flammis, cætera, dixit, aquis.

POLITIANI EPIGRAMMA.

Παῖς ἕβρῳ ἐπὶ βρωσῆι πεπηγότι τυτθὸς ἀθύρων,
 κρυσταλλὸς δ' ἐάγη μαρμαρόφεν δάπεδον.
χ' ὁ μὲν ὀλισθαίνων πέσεν εἰς βυθὸν, ἀλλ' ἀδιάντου
 κρατὸς ἔκοψε δέρην ὀστρακόεις παγετός.
σκῆνος ἄρ' ἐν δίνῃσι χρόνον ῥοθίῳ ταχὺς ἐσπάσεν ὁλκὸς,
 τὸ πυρὶ δ' ἡ μάτηρ μοῦνον ἔδωκε κάρη.

ἀπι

ἔπειδ' ὑπεσχάχοσα, τί δύσμορος ἡδὺ ἔπεξα;
ἀξ ὡς σταχύων βρῶμα γλύσιο δνοφῶν.

Antiquum contra illud græcum.

Ἀμφοτέρους ἀδικεῖς, καὶ πλουτία, καὶ φαέθοντα,
τὸν μὲν ἔτ' ἀσπορέων τὸν δ' ἀπαλφιτόμενον.

POLITIANI GRAECVM
epigramma.

Οὐδετέρους ἀδικῶ, τὸ γὰρ ἄπνοον οὐκ ἔτι λεύσσει
ἥλιον, ἔμπνου γ' αὖ πλουτεῖ οὐδὲ μέλει.

M.CCCCXCIII. ALLVSIO AD GRAEcum epigramma.

Παιδὶ λάκαινα σάκος πελωμιόωντι διδοῦσα,
τοῦ, ἔφη, ἢ σὺν τῷ δ' ἢ ἐπὶ τῷ δε νέου.

Παῤῥόκλου ἀποκριτής.

Μὴ μέμφοιο θ' ὕπο δουρί. τὸ γάρ τοι ἐυσθενέων ἔκτως
αἴτια, ὅτ' ἐσιδῶν, μὴ ἔτι καὶ φορέειν.

Εἰς Βαρῖνον τὸν καμοστία γραμ-
ματικόν.

Ἑλλάδι τοῖς ἰδίοις πεπλανημένη ἐν λαβυρίνθοις
οὐ μίτον ἀλλὰ βίβλον προὔθετο δαιδάλεον,
οὐχ ἕλλην, ἰταλὸς δὲ γαρῖνος. ἔστι γε θαῦμα,
ἄγε νέοι τὴν γραῶν ἀντιπελαργιόμενοι.

Εἰς ἀλεξάνδραν τὴν ποιήτριαν.

Αἰ μὴ δ' ἀθαθρεῖν, αἰ μὴ δ' ἔξεστιν ἀκούειν,
ἀξ οὐδὲ γραπτῆς τοὔξομ' ἀρκέσσαις;

Εἰς τὸν πικον μιρανδουλέα.

Καὶ τοῦτ' ἀστρολόγοις ὑπομέμφομαι ἠδ' ὀλέγχεις,
ὅτι σοφὸς πίκος μοι φθονέουσ' ὁ ἀέρος.
καὶ γὰρ ὁ ἐνδικέας τούτων τὸν λῆρον ἐλέγχων
μυνάζει ἐν ἀγρῷ δηρὸν ἑκὰς πόλεως.
πῖκε τι σοὶ καὶ τούτοις; οὐσ' ἐπέοικεν ἀγύρτους
ἀντᾶραι τὴν σὴν εὐτυχίαν γραφίδα.

Εἰς ἀλεξάνδραν τὴν ποιήτριαν.

Δεῦρο τὸν ἐξ ὀστοῦ δάμαλι κτένα τὸν τριχοτάκτην.
δὸς δὲ τὸν ἐκ σαρκὸς τόν γε τριχωτὸν ἐμοί.

Εἰς τὸ ὄργανον.

Χάλκεον δονάκων ὁρόω στίχον, ἀλλὰ τίς αὐτῶν
τεχνᾶται βρύειν τὸν πολύθρουν κέλαδον;
οὗτος ὁ τοῖς πλαγκτῆρσιν εὔτροχα δάκτυλα παλμοῖς
δινεύων βομβάς τ' ἀμφιβόων σελίδας.
ἀλλὰ πολυανθρώπων πόθεν οἱ τόσος ἐσμὸς ἀητῶν,
οὐκ ἀθρεῖς ἀσκὸς διχθαδίους ὄπιθεν;

Versus hos ponè ſcripſi in libro Ducis Vrbinatis, cum mihi cõmodatum remitterem.

Ἡ δὲ βίβλος τίνος ἐστί; νέου τινός. ὃς καλὸς ὄψιν,
σῶμα δὲ ῥωμαλέος. καὶ γὰρ τέχνη τε βίη τε

ἀθλεύων πάντεσσι μετὰ πρέπε αἰζηοῖσιν
ἱπποσύνῃ καὶ ὅπλοισι μέγ' ἔξοχος, οὐκ ἀμελῶν δὲ
οὐδὲ βίβλων, σοφίην ἀσκῶν διδυμάονι γλώττῃ
πρᾶος, ἐλευθέριος, γλυκύς, οὐκ ἀποσύγρος, εὔφρων.
αἰνῶ τύχην, Βασιλεῦ, ἀρκεῖ τάδε, τὸν γείδωνα
ἅπας ἀνικάτοιο πατρὸς γόνον, ἡγεμονῆα
ὄρβιο μεγάλοιο, θεοῖς ἐναλίγκιον ἄνδρα.

Εἰς τὸν πῖνον.

Πολλάκι τοξευθεὶς φλεχθεὶς θ' ὑπὸ πῖνος ἐρώτων
  οὐκ ἔθλη προτόφρω, πάντα δ' ἀφείλεθ' ὅπλα
τόξα, βέλη, φαρέτρας, καὶ νηΐδας τάδε πάντα
  ἅψεν ὁμοῦ σωρὸν λαμπάσι λαιδίοις.
σὺν δ' αὐτοῦ μάρψας ἀμφίλυκα χρυσόδεια δῆσεν
  ταῖς νεύραις μέσσῃ δ' ἔμβαλε πυρκαϊῇ.
καὶ συνεφλέξε τὸ πῦρ. τί δ' ὦ ἄφρονες αὐτὸν ἔρωτα
  τὸν πῖνον μυσαρὸν εἰσποτᾶσθε πρόμον.

Κύπρις ἀναδυομένη.

Κύπριν ἀπελλαίας ἔργον χθὸς ὡς ἴδον, ἴσαν
  δαρὸν θαμβαλέος τὰν ἀναδυομέναν.
τᾶς ἔτι πρωθυνικᾶς, ἔτι τε φιλοπαίγμονος αἰδῶς
  τὰν ὄψιν μίγδαν ἔλλαχεν ἠδὲ γέλως.
καὶ τᾶ μὲν ῥαθάμιγγας ἁλιβρέκτοιο καρήνου
  δεξιτερᾶ θλίβεν, καὶ κελαρύζεν ἀφρός.
ἦν δ' ἄρα τᾶς νοτίδος τίς ἐμοὶ φόβος, ἄδε γε λαιᾶ
  ἔσκεπε τὰν ἥβαν, τὰν ἔθ' ὑποβρύχιον.
καὶ γὰρ ἕως λαγόνων ὕφαλος πέλε, καί ἐς ἐπι φρίξ
  μαζὸς ἀπ' ὠδίνων ὄμφακα μασὸν ἔλεν.
αἱ τοίαν ποτὲ ἄρης ἔχε δεσμὸς οὐκ ἐκδῦναι
  οὐδ' ἀφαιρείας ἤθελ' ἀλυκτοπέδας.

Εἰς ἀφροδίτην ὡπλισμένην.

Ἐς τί σάκος κρατέεις παφία, λόγχαν τε τινάσσεις,
  καὶ θώρακ' ἐνέδυς, καὶ κόρυν ἀμφίφαλον;
μέμφασ' ὅτι οὐ σοὶ δέδοται πολεμήια ἔργα
  τὰ τρυφερά, δίπτεις δ' ἱμερόεντα γάμον,
ἀλλ' οὐκ ἐς δᾶριν θωρήσομαι. ὅπλα δ' ἄρηος
  ἐνδύομ' ὡς κ' ἄρης ἐκλελάθοιτο μάχας.
ἐν γὰρ ἐμοὶ μόνα τε τεύχεα, καὶ κύπριν εὕρων
  οὔ ποτ' ἐμῶν θαλάμων ἔσσετ' ἀπαυλόσυνος.

LATINVM EPIGRAMMA PVLICIS ANtiqui poetæ, Græcum feci, id tale eſt.

Cùm mea me genitrix grauida geſtaret in aluo,
  Quid pareret, fertur conſuluiſſe deos.
Mas eſt, Phœbus ait, Mars fœmina, Iunoq; neutrum.
  Cumq; forem natus, Hermaphroditus eram.
Quærenti lethum dea ſic ait: Occidet armis,
  Mars cruce, Phœbus aquis, ſors rata quęq; fuit.

Arbor

Arbor obumbrat aquas: aſcendo, decidit enſis,
Quem tuleram, caſu labor & ipſe ſuper.
Pes hæſit ramis, caput incidit amne, tuliq́
Fœmina, uir, neutrum, flumina, tela, cruces.

GRAECVM POLITIANI, IN QVO VT de tertia pœna de Hermaphrodito narratur. M.CCCCXCIIII.

Ἔγκυος ἐοῦσα γυνὴ τέκνοιο πέρι φοῖβον, ἄρηα,
ἥρην, τοὺς ἅμα τρεῖς ἐξερέεινε θεούς.
ἄρσενα φοῖβος, ἄρης θῆλυν φάτο, κοὐδέτερον δὲ
ἥρη, πάνθ' ὑγιῶς. ἀνδρόγυνος γὰρ ἔφυ.
εἰρομένης δὲ μόρον, μόρος οἱ ξίφος ἔχραεν ἥρη,
σταυρὸς ἄρης, φοῖβος κύματα, πάντ' ἀπέβη.
δένδρεῳ ἐφεστήκει, πέσε δ' οἱ ξίφος, αὐτὸς ἐπ' αὐτοῦ
ἤριπεν εἰς ποταμὸν κύμβαχος, ἐκ δὲ ποδοῖν,
ἤρθη ἀπ' ἀκρεμόνων. θάνε γοῦν θῆλύς τε, καὶ ἄρρην
κοὐδέτερον, σταυρῷ, κύμασι, καὶ ξίφεϊ.

M.CCCCXCIII. Εἰς τοὺς κώνωπας.

Τοὺς κώνωπας ὁρᾶν μᾶλλον πρέπει, ἢ τοὺς ἄνδρας
φῦντας τῶν γονίμων ὡς κύπρις ἐξ ὑδάτων.
καὶ μιμνησκομένους ἁβροπότιδον ὀρῶντα
εἰρεσίαις πτερύγων, τοῦ τ' ἐμοῦ αἱμοπότας
τὸν κῶμόν τ' ᾄδοντας ἐγρεσιγύναικα πλανήτην,
αἰνῶς ὑπνάπατα τῶν ἱεμένους ὀάρων.
ἐς λέχος ἐμπταίοντας, ἐπ' αὐτοῦ πολλάκι μαστοὺς
κἀμφαφόωντας ὅλας ἅψεα θηλυτέρης.
ἀγρύπνους, ἰταμούς, σκοτοδρομίας, ἄρα τις ἀνδρῶν
ὅσσα γε κώνωπες δείγματ' ἔρωτος ἔχει.

FINIS EPIGRAMMATVM.

ANGELI

ANGELI POLITIANI DE PACTIANA IN LAVRENTIVM ET IVLIANVM FRATRES, VNIuerſamq; Medicæam gentem coniuratione, Hiſtoria ſiue Commentarius.

PActianam coniurationem paucis deſcribere inſtituo: nam id in primis memorabile facinus tempeſtate mea accidit, parumq; abfuit, quin Florentinã omnem Remp. penitus euerteret. Cum is igitur eſſet eius urbis ſtatus, ut omnes boni à Laurentio & Iuliano fratribus, reliquaq; Medicum familia ſtarent, Pactiorum una gens, ac Saluiatorum nonnulli, cœpere pręſentibus rebus clàm primò, mox etiam palàm aduerſari: inuidebant enim Medicæ familię, eiusq; ſummam noſtra in rep. auctoritatem & priuatum decus, quantum in eis eſſet, obterebant. Erat Pactiorum familia ciuibus plebiq; iuxtà inuiſa, nam præterquàm quòd amariſſimi eſſent omnes, neq; eorum contumax atq; inſolens ingeniũ ſatis ęquo animo tolerari poterat: eius familiæ princeps Iacobus Pactius, equeſtris ordinis uir, diem noctemq; aleæ uacare, ſicubi malè iactus caderet, deos atq; homines diris agere, nonnunquã & alueolum teſſerarium, aut quod aliud irato offerretur, temerè in proximũ quemq; iaculari. ipſe pallidus atq; exanguis, caput iactare ſemper, & quod leuitatis maximũ foret argumentum, nunq̃ ore, nunq̃ oculis, nunq̃ manibus conſiſtere. Duo in homine ingentia uitia, eaq;, quod mirum eſſet, maximè inter ſe contraria eminebant, multa auaritia, multa perdendi patrimonij uoluptas: domum paternã magnificè extructam à fundamentis diruit, nouàm deintegro ædificare aggreſſus eſt. ſæpè ille mercenarias operas conducere, neq; tamen integrum ſoluere, pauperculos homines miſerè ſibi uix manuum labore uictum quærentes defraudare, & corruptam ſuillam pro mercede apponere ſolitus. quare omnibus erat inuiſus, neq; is, neq; eius maiores gratioſi populo unquam fuerant. Erat præterea ſine legitima prole: quapropter à ſuis neceſſarijs, quippè qui hominis hæreditatem captarent, præter cæteros colebatur. incuria in homine maxima, maximaq; rei familiaris negligentia. cum'que hi eſſent hominis mores facilè rem fracturus uidebatur, quod ipſi homini ad maturandum facinus calcar maximum, faces'que ſubdidit: non enim ſperabat homo inſolens & ambitioſus, decoctoris ignominiam æquo animo ferre poſſe. ſtudebat itaque uno incendio ſeſe, ſuam'que omnem patriam concremare. Franciſcus autem Saluiatus, homo repentè fortunatus, quippè qui Piſanum haud multò antea Archiepiſcopatum eſſet adeptus, uix ipſe ſeſe, ſuamq; fortunam capiens, cœperat ſupra quàm dici poteſt, ſecundis rebus inſoleſcere, omniaq; ſibi de ſeſe ſuaq; fortuna polliceri. Is Franciſcus homo fuit (id quod dij atq; homines ſciunt) omnis diuini atq; humani iuris ignarus & contemptor, omnibus flagitijs & facinoribus coopertus, luxuria perditus, & lenocinijs infamis: aleæ & ipſe ſtudioſus, maximus præterea adulator, multæ leuitatis ac uanitatis. idem audax, promptus, callidus, & impudens. quibus artibus (adeò nihil fortunã puduit) & Archiepiſcopatum eſt adeptus, & cœlum iam ipſum uotis captabat. Hic unà cum Franciſco Pactio, quòd propter inſitam animo uanitatem, ingenteis ſpes ſibi propoſuerat, conſiliũ Laurentij ac Iuliani necandi, occupandæq; Reip. multò antea Romæ dicitur agitaſſe: tandem in ſuburbana Iacobi Pactij uilla, quod Montughium dicitur, unà omnis factio in facinus coniurant: eius coniurationis formulam Saluiatus ipſe pręſcribit. Princi-

pes

pes coniurationis poſt Saluiatum, Iacobus & Franciſcus Pactij. Franciſcus ipſe ex Antonio Iacobi fratre erat natus: qui cùm contumacis homo ingenij eſſet, magnos ſibi ſpiritus, magnam arrogantiā ſumpſerat, mirificè indignari, præferri ſibi Medicam familiam, ſemper Laurentio, ſemper Iuliano obtrectare, eosq; paſſim traducere, nulli maledicto parcere, nullis contumelijs, nihil penſi habere, dum illis, quantum in ſe eſſet, iniuriam faceret: Romæ plurimùm ad nummariam Pactiorum menſam ætatem agere: nam Florentiæ nihili ſuam eſſe authoritatem ſentiebat, propter eam quam ſibi Medices germani pietate & bonis moribus uendicarant. Erat autem & ipſe, quod Pactijs omnibus peculiare fuit, ſuprà quàm dici poteſt, ad excandeſcentiam procliuis, ſtatura fuit breui, gracili corpuſculo, colore ſubliuido, candida coma, cuius & in cultu nimium ferebatur occupatus. Is uerò eius corporis uultus'que habitus hi geſtus erant, ut facilè intelligeres, hominis incredibilem inſolentiam, quā tamen ipſe, primis maximè congreſſibus magnopere obtegere conabatur, neq; id ſatis ex ſentētia ſuccedebat. Sanguinarius præterea homo erat, & qui dum rem quamcunq; is animo uolueret, expeditum iret, nullo honeſtatis, nullo religionis, nullo famæ aut nominis reſpectu detineretur. Iacobus deinde Saluiatus, homo ad captandos hominū animos maximè factus, ſemper ijs arridere, modis omnibus lautè omnes accipere, ſcortis & comeſſationibus intentus agere: mercaturæ tamen & ſtudioſus & gnarus ferebatur. In his erat & Iacobus tertius, Poggij illius eloquētiſſimi uiri filius: hic & ob anguſtiam rei familiaris, æsq; alienum, quod grande conflauerat, & ob ingenitam quandam ſibi uanitatem, rerum nouarum cupidus erat: eius præcipua in maledicendo uirtus, in qua uel patrem maledicentiſſimū hominem referebat: ſemper ille aut principes inſectari paſſim, aut in mores hominum ſine ullo diſcrimine inuehi, aut cuiuſque docti ſcripta laceſſere, nemini parcere: ipſe ex multa hiſtoriarum memoria, magnaq; loquendi copia, mirificè ſuperbus eſſe, eas omnib. circulis coroniſq; uel ad ſatietatem audientium ingerere. Patrimonium quod ipſi amplum ex hæreditate paterna obuenerat, totū paucis annis profuderat: quare & egeſtate coactus, Pactijs Saluiatoq; ſe totum addixerat: erat enim, quod ſemper fuit, cuicunq; emptori uenalis. Fuit in his & quartus Iacobus, archiepiſcopi frater, omnino uir obſcurus & ſordidus. Bernardus præterea Bandinus, perditus homo, audax, impauidus, quem & ipſum dilapidata res familiaris, in omne flagitiū præcipitem ageret: ſeptem ij fuere ciues, qui facinus ſuſciperent. Additi his, Ioannes Baptiſta, ex oppido Monteſicco, & Hieronymi comitis familia: Antonius Volaterranus, quem uel patrium odium, uel facilis quædam hominis, leuisq; ad obſequendum natura in facinus ſollicitabant. Stephanus preterea ſacerdos, Iacobi Pactij ſcriba, homo impudicus, & malè audiens omni crimine, qui & in Iacobi domo haud ſatis honeſtè uerſari ferebatur: eius enim unicam filiam, adulterio conceptam, literas docebat. Coniurationis huius & Renatum & Guilhelmum Pactios nō ignaros fuiſſe compertum eſt: Guilhelmus ipſe Blancam, Laurentij Medicis ſororem in matrimonium duxerat, eq; ea amplam iam ſobolem ſuſceperat: quare à duabus, quod dicitur, ſellis ſedere putabatur. Hic eius, quem ſæpe diximus, Franciſci maior natu erat germanus. Renatus autē ex Petro, equeſtris ordinis uiro, Iacobi atq; Antonij fratre genitus, Guilhelmi & Frāciſci patruelis. Erat hic homo haud incallidus, maximus odij atq; iræ diſſimulator, animi uerò maximi: neq; tamen audax, ſed qui rem maturius, quamcunq; is animo agitaſſet, expeditū iret. Tenax idem, & pecuniæ auidus: quapropter & multitudini minimè charus. Cliens preterea Guilhelmi Neapolio Franceſius, non ultimas partes in eo negotio aſſumpſerat.

pſerat. Interfuere ei facinori & nonnulli obſcuriores, partim ex archiepiſcopi, partim ex familia Pactiorum. Hos inter & Brigliernus quidam, homo extremæ conditionis, & Nannes notarius Piſanus, uir ſceleſtus & factioſus. ſed qui ex peregrinis primas partes ſuſceperat, is erat, quem diximus, Ioannes Baptiſta, Hieronymi familiaris. hic rem totum biennium iam antè agitatam, in quintum Calend. Maias, anni à Chriſtiana ſalute octaui & ſeptuageſimi, ſupra mille & quadringentos, inq; ipſum Dominicum ante Aſcenſionem diem reiecerat. erat is magni uir ingenij, conſilij, & ſagacis animi, ad obeundas res maximè dexter, neq; uerò in ijs non ſæpe exercitatus: magnam in eo fidem Saluiatus, magnam coniurati omnes habuerant. Res ipſa iam poſtulat, uti coniurationis conſilium explicemus.
Medicum familia cùm pleriſque in rebus ſplendida ſemper magnificentiſſimaq; eſt, tum uel maximè in claris hoſpitibus accipiendis: nemo unquam uir clarus Florentiam aut Florentinum agrum petijt, in quem non illa domus hoc magnificentiæ genere uſa ſit. Cùm igitur in ſuburbano illo Iacobi rure (ubi ſuprà coniurationem factam oſtendimus) Raphael fortè Cardinalis, ex Hieronymi Comitis ſorore natus, haud multo antea diuertiſſet, hanc tanti facinoris anſam coniurati occupant, nunciant Cardinalis nomine geminis fratribus, uti ſe Fæſulis, quæ ipſorum ſuburbana uilla eſt, accipiant: eò Laurentius atq; egomet cum puero Petro, Laurentij filio, accedimus. Iulianus quòd ualetudine impediretur, domi reſtitit, id quod rem in ipſum, quem diximus diem, diſtulit. Iterum familiarius homini nuntiant, cupere Cardinalem & Florentiæ cõuiuio accipi: urbanæ domus ornamenta, ueſtem, aulea, gemmas, argentum, pretioſam omnem ſupellectilem inſpicere. Nullum optimi iuuenes dolum ſuſpicantes, domum parant, ornamenta depromunt, ueſtem explicant, argentum, ſigna, toreumata in propatulo collocant, producunt gemmas in promptuarium, magnificẽtiſſimè conuiuium apparatur. Ecce tibi, ante tempus, coniuratorum manus ſcitantur, ubi Laurentius? ubi Iulianus? dicunt in templo diuæ Reparatæ eſſe ambos. eò contendunt, Cardinalis in ſuggeſtum chori de more ſubducitur: dumq; Euchariſtiæ myſteria celebrantur, archiepiſcopus cum Iacobo Poggio, et duobus Iacobis Saluiatis, alijſq; nonnullis comitibus in curiam cõtendit, uti dominos Florentinos arce deturbet, ipſe curiam occupet, reliqui in templo ad facinus obeundũ remanent. Deſtinatus ad Laurẽtij cædem Ioannes Baptiſta negotiũ detractarat, Antonius Volaterranus Stephanusq; ſuſceperant, reliqui in Iulianum tendebant. ibi primùm peracta ſacerdotis communicatiõe, ſigno dato, Bernardus Bandinus, Franciſcus Pactius, alijq; ex coniuratis orbe facto, Iulianum circundant. princeps Bandinus enſe per pectus adacto, iuuenem tranſuerberat. is aliquot paſſus fugitare, illi inſequi, iuuenis deficiẽte ſpiritu, terræ cõcidit, iacentẽ Franciſcus repetito ſæpe ictu, pugione traiecit, ita pium iuuenem neci dedunt. qui Iulianum ſequebatur famulus, terrore exanimatus, in latebras ſe turpiter coniecerat. Interim & Laurentium delecti ſicarij inuadũt, ac primò quidem Antonius manum ſiniſtro eius humero inijcit, ictum in iugulum deſtinat. ille imperterritus humeralem amictum exuit, leuoq; aduoluit brachio, ſimul gladium uagina liberat, uno tamẽ ictu petitur: nam dum ſeſe expedit, uulnus in collo accipit: mox ſe homo acer & animoſus, ſtricto gladiolo, ad ſiccarios uertere, circumſpectare ſe cautè, & tueri: illi exterriti fugam capiunt. neq; uerò ſegnis in eo tuendo Andreæ & Laurentij Caualcantis (quibus ille pediſſequis utebatur) opera fuit. Caualcantes brachium uulneratur, Andreas integer ſuperat. Videre erat tumultuantem populum, uiros mulieres'que, ſacerdotes, pueros fugitantes paſſim quò pedes uocarent, omnia fremitu plena

& gemitu

& gemitu, nihil exaudiri tamen expreſſæ uocis. fuere & qui crederent templum corruere. Qui Iulianum trucidarat, Bernardus Bandinus, nō contentus ſuis partibus; ad Laurentium contendit: ille ſe commodùm cum paucis in ſacrarium conieceerat. Bandinus obiter Franciſcum uirum prudentem, & mercaturis Medicæ familiæ præfectum, enſe per ſtomachum adacto, uno uulnere peremit. eius cadauer ſpirans adhuc, idem in ſacrarium quo ſe Laurentius receperat, inuectū eſt. Tum ego, qui eodem me contuleram, alijq; nonnulli, ſores quæ alienæ ſunt, occludimus. ita periculū quod à Bandino ingrueret, propulſauimus. dum fores ſeruamus, trepidare intus alij, de Laurētij uulnere ſolliciti eſſe. Ibi Antonius Rodolphus Iacobi filius, egregius adoleſcens, Laurentij uulnus exſugere. ipſe nullam ſuæ ſalutis rationem ducere, ſed rogitare continenter, ecquid Iulianus ualeat? Interdum uerò & indignabundus minari, queriq;, quod à quibus minimè æquum fuerat, ſua uita peteretur. Continuò iuuenum globus, qui Medicæ domui fidi eſſent, ad ſacrarij fores cum telis conſtipantur, clamant unanimes, amicos ſeſe, & neceſſarios, exeat, exeat Laurentius antequàm aduerſa factio robur capiat. Nos trepidi intus ambigere, hoſtes an amici forent: rogitare tamen, an incolumis Iulianus? Ipſi ad ea nihil reſpondere. Tum Sigiſmundus Stupha, egregius iuuenis, & qui Laurentio iam inde à puero, miro amore, mira pietate eſſet cōiunctus, ſcalas aſcendit, ſpeculamq; qua in templum deſpiceret, ubi & organa eſſent muſica, feſtinans petit. facinus continuò ex Iuliani cadauere, quod proſtratum uiderat, intelligit. qui pro foribus aſtabant, uidet eſſe amicos, iubet aperiri. Illi frequentes Laurentium in armatorum globum accipiunt, domum per diſpendia, ne in Iuliani cadauer incideret, perducunt. Ego rectà domum perrexi, Iulianumq; multis confectum uulneribus, multo cruore fœdatum, miſerabiliter iacentem offendi. ibi titubans, & prę doloris magnitudine uix ſatis animi compos, à quibuſdam amicis ſubleuatus, domum que ſum deductus: omnia ibi armatorum plena erāt, omnia fauentium clamoribus perſonabant, ſtrepitu & uocibus tectum omne reſultabat. uideres pueros, ſenes, iuuenes, ſacros ac prophanos uiros arma capere, domum Medicam quaſi publicam omnium ſalutem defenſare. Interim Piſanus præſul, Cæſarem Petrutium, uexilliferum, quod aiunt, Iuſtitiæ, remotis arbitris, in colloquium uocat, eo conſilio, ut hominem trucidet, uelle ſe, ait, nonnulla pontificis referre nomine. Quidam ex Peruſinis proſcriptis, qui hominem facinoris conſcij, in curiam comitabantur, in publici cubiculum ſcribę ſe conijciunt, uti locum idoneum teneant. fores concludunt cubiculi, neque eas, ubi res poſtulat, aperire queunt. ita neque ſibi, neq; ſuis auxilio eſſe. At Cæſar, ubi titubantem Saluiatum contemplatur, dolum ſuſpicatus, lictores ad arma concitat: Saluiatus metu perturbatus, è cubiculo ſe proripit. Ille in Iacobū Poggij filium incidit, eumq;, ut eſt homo ingentis animi, capillo correptum, humi deturbat, cuſtodibusq; ſeruandum mandat. Mox ad ſummam turrim cum dominorum manu feſtinus euadit: ibi, quantum in ſe eſt, correpto è culina ueru (nam id ei telum metus atque ira obtulerant) fores tuetur, ſuam atque publicam ſalutem acriter defenſat: idem alij pro ſe quiſq; uiriliter agunt. Crebræ in Florentina curia ſunt ianuæ. eæ à lictoribus occluſæ capita coniuratorum ſeparant. ita illi in multos diducti riuulos impetum perdunt. interea omnis intus curia fremere, pauci ex ciuibus eò conuenire. Iacobus autem Pactius, ubi ſpem Laurentij necandi ſe ſefelliſſe intellexit, haud ignarus, quantum ſceleris in ſe admiſiſſet, utraque palma ſuam ipſe faciem ceciderat. mox dum ſe domum è templo corriperet, ad terram præ anguſtia collapſus eſt: tandem ubi rem in anguſto eſſe uidet, fortunam tentare aggreſſus, cum

paucis & neceſſarijs rectà in forum contendit, populum ad arma conuocat: nihil ſuccedere illi, uerùm omnes hominem ſceleſtum, & tum præ formidine uix ſonũ uocis qui exaudiretur erumpentem, contemptui habere, facinuſ que deteſtari. is ubi nihil in populo auxilij uidet, trepidare, animoq; deſtitui. qui in ſummam curiæ arcem receperant ſe, ſaxa ingentia, telaq; in Iacobum iaculantur, homo pauitans, domum ſe refert. Eódem & Franciſcus, acceptis in eo tumultu grauibus uulneribus, repentè confugerat. Interim Laurentiani curiam recipiunt: Peruſini effracto oſtio trucidantur, tum in reliquos ſæuitum. Iacobum Poggium è feneſtris ſuſpendunt. Cardinalem còmprehenſum, magno præſidio in curiam ſubducunt, ægreq; hominem à populi impetu tuentur. qui eum aſſectari conſueuerant, plerique à plebe occiſi, omnia direpta, cadauera ipſa fœdè lacerata. Iam ante Laurentij fores caput humanum lanceæ præfixum, iam humeri partem attulerant: nihil tamen undique magis exaudiri, quàm populi uoces, Pilas, Pilas (id enim Medicæ familiæ inſigne eſt) clamitantis. At Iacobus Pactius fuga ſibi conſulit: portam quę ad Crucis dicitur, cum armatorum manu petit: inde erumpit. interim ad Medicum ædes, miro ſtudio, miro fauore populus confluere, proditores ad ſupplicium flagitare, nulli maledicto, nullis minis parcere, dum ad pœnam ſceleratos rapi cogerent. ibi Iacobi Pactij domus à direptiõe defenſa. Petrus Franciſcus nudus ac ſaucius à Petri Corſini globo ad laqueum capitur penè ſemiuiuus. non enim facile aut pronum erat, furenti populo temperare. Mox & Piſanus præſul ex eadem qua & Franciſcus Pactius feneſtra pendebat: ſupra ipſum exanimum corpus ſuſpendit. Cùm deijceretur, id quod mirũ quidẽ omnibus uiſum iri arbitror, nemini tamen ignotum eo tempore extiterit, ſiue id caſus aliquis, ſiue rabies dederit, ipſum illud Franciſci cadauer dentibus inuadit, alteramq; eius mamillam uel cũ laqueo ſuffocatus eſt, apertis furialiter oculis mordicus tenebat. Poſt hunc & duo Iacobi ex Saluiatorum familia laqueo guttur franguntur. Memini me tum uenire in forum: nam domi quieta iam res erat, ibiq; multa cadauera fœdè lacerata paſſim uidere proiecta, multa in ea populi ludibria, multæ deteſtationes: erat enim Medica domus multis cauſis populo grata. Tum Iuliani cædem deteſtari omnes, indignum facinus clamitare, iuuenem egregium, delicias Florentinæ iuuentutis, per ſcelus, per dolum ac proditionem, à quibus minimè oportuit interemptum, familiam impotentem ac ſacrilegam, dijs hominibuſ que infeſtam, tantum facinus perpetraſſe. Stimulabat plebem & memoria recẽs eius uirtutis. nam cùm paucis antè annis equeſtre illud cataphrattorum equitum certamẽ celebraretur, mira uirtus Iuliani extiterat, palmamq; & ſpolia domum reportauerat: quæ res magnopere uulgi animos conciliat. Ad hæc & facinoris indignitas accedebat: neq; enim quicquam tam ſceleſtè dici aut excogitari poterat, quod huius atrocitatem ſceleris adæquaret. Fremebant omnes, iuuenem pium, innocentem, in templo, inter aras & ſacra crudeliter trucidatum, uiolatum hoſpitiũ, uiolata ſacra, pollutum humano ſanguine templum: ipſum autem Laurentium, in quem unum Florẽtina omnis Reſpublica recumberet, ipſum illum Laurentium, in quo ſpes omnes opeſ que populi ſitæ forent, ferro petitum. Id uerò indigniſſimum clamitabant. Iam ex omnibus municipijs, ut quæque urbi uiciniora eſſent, magna uis armatorum in forum, in triuia, in Medicam pręcipuè domũ confluere, oſtẽtare pro ſe quiſque ſuum ſtudium, ciues cateruatim cum liberis & clientibus polliceri ſuam operam, ſuas uires atq; opes. Omnes ex uno Laurentio publicam & priuatam pendere ipſorum ſalutem dictitare. Videre erat, continuos aliquot dies undique in domũ Laurentianam arma conuehi, importari carnes & panes,

quæq;

quæq; eſſent uictui opportuna. Ipſe Laurentius non uulnere, non metu, non do-
lore, quem ex fratris nece maximum ceperat, impediri, quo minus rebus ſuis
proſpiceret: prehenſare ciues omnes, gratiam ſe ſingulis habere, ipſis omnibus
ſuam dicere ſalutem referre acceptam, populo ſeſe de ipſius ſalute anxio, nõnun-
quam è feneſtris oſtentare. ibi acclamare omnis populus, manus ad cœlum attol
lere, gratulari eius ſaluti, exultare gaudio. ipſe rebus omnibus intentus agere, ne-
que animo, neq; conſilio deſtitui. Dum hæc aguntur, nuntiatum Ioannem Fran-
ciſcum Tollentinaten, fori Liuij præfectum, cum delecta equitũ manu, in noſtrũ
agrum ex ipſis fori Liuij finibus irrupiſſe: idem mox & Tiphernatem feciſſe Lau
rentium, qua parte Senenſium fines Florẽtinum diſterminant agrum, multorum
nuncijs literiſq; admonemur: tum utrunq; à noſtris pulſum, domum ſuam rece-
piſſe ſe. nocte atra, uigiliæ per urbem diſpoſitę, domus Laurẽtiana diligenter cu-
ſtodita, ſtationes armatorum in quadruuijs, in foro, tota urbe. Poſtridie eius diei
Ioannes Bentiuolus Bononienſis eques, ſuæq; princeps Reipublicæ, uir multis
officijs familiæ Medicum cõiunctiſſimus, in Mugellanum cum aliquot equitum
turmis, multis' que peditum cohortibus auxilio uenerat. iamq; tota urbs pediti-
bus expleri cœpta, ſed ueriti Octouiri, ne quid milites prædæ auidi tumultuaren
tur, delectis qui cuſtodiæ urbis præeſſent, reliquos ut primùm in urbem uenerãt,
ſuam quemq; domum, aut ſicubi uſum fore decernerent, regredi iubent. Rena-
tus interim Pactius, qui pridie eius diei, quo facinus geſtum eſt, in uillam Mugel-
lanam ſe receperat, ibiq; milites cogebat, cum duobus fratribus, Ioanne & Nico
lao captus ducitur. Guilhelmi ac Franciſci frater Ioannes Pactius, in horto quo-
dam ſuæ domui contiguo deprehenditur. qui Iacobum ſequuti ſunt ab omnibus
iam deſtitutum, in Caſtaneto uico comprehendunt. qui primus hominem aſſecu
tus eſt, is fuit Alexander quidam agricola, annos plurimùm uiginti natus, ipſe ho
mini manum inijcit. At Iacobus ſeptem prolatis aureis, obſecrare ruſticũ incipit,
uti ſe neci dedat: neq; uerò id homini perſuadet. ut uerò magis hoc magiſq; pre-
cibus cõtendit, à fratre Alexandri ſcipione uerberatur. tum intellexit homo pa-
uidus, uerum eſſe quod dicitur, Ducũt uolentem fata, nolentem trahunt. Ibi Flo-
rentiam cum præſidio Octouirorum ne plebi laniaretur, in curiam perlatus, ex-
preſſa nullo tormento totius facinoris confeſſione, paucis poſt horis laqueo pœ
nas luit. Hic homo iam leto uicinus, haudquaquam ſui illius rabidi furioſiq; inge
nij obliuiſcitur: Manes ſuos aduerſo dæmoni dedere ſe clamat. Poſt eum & de
Renato ſupplicium ſumptum, reliqui fratres in uincula cõiecti, eorum minimus
natu, Galeotus impubes adhuc, muliebri ſtola amictus, fugam trepidus molieba-
tur: ibi agnitus, in eundem carcerẽ conijcitur. Eodemq; haud multo pòſt, & An-
dream Pactium Renati fratrẽ, ex fuga retractũ, obtrudunt. Bandinus fugiens in
Tiphernatem incidit, à quo in aciem receptus, Senas peruaſit. Neapoleo à Petro
Veſputio equite adiutus, fuga ſibi conſuluit. Aliquot poſt dies & de Ioanne Ba-
ptiſta ſupplicium ſumptum. Qui Laurentium percuſſerat Antonius Volaterra-
nus, & Stephanus, in Florentina abbatia aliquot dies latuere: id ubi reſcitũ, con-
tinuò gregatim eò populus cõuolat, uixq; ab ipſis monachis, quod religiõe pro-
hibiti non eos indicaſſent, manũ abſtinet, arreptos ſiccarios fœdè lacerat. ibi dè-
mum mutilato naſo, truncis auribus, multis colaphis contuſi, ad laqueũ poſt con
feſſionem ſceleris rapiunt̃. Præmia deinde publicè his decreta, ac per præconem
denuntiata, qui Bandinum & Neapolionem aut occiderẽt, aut uiuentes agerent
captiuos. Guilhelmus Pactius, qui affinitate fretus in Laurentianam domũ con-
fugerat, unà cum liberis eius uigeſimum trans quintum ab urbe lapidem proſcri-

bitur. ubi reſcitũ eſt à Petro Veſputio Neapolionẽ adiutũ, continuò & ipſum capiunt: hic iam tamen à pueritia bona paterna dilapidauerat: quare & hæreditatis iure parẽtis teſtamẽto mox cecidit. domi erat illi ſumma inopia, foris grande æs alienũ: quamobrẽ & præſenti repub. offendebatur, & rerũ nouarum cupiẽs erat. Atq; is ut primũ Iuliani cædes tranſacta, cœpit, ut erant hominis ſubita ac repentina conſilia, Pactiorum facinus uerbis attollere. Mox ut omnem populum, omnes ciues uidit à Laurentio ſtare, confeſtim ſe ad diripiendam Pactiorum domũ corripuit, nactusq; prædam inhiantes milites, parum abfuit, niſi Petrus Corſinus egregius iuuenis eius ferociæ occurriſſet, quin ciuitatem omnem, ſacra, prophana omnia in ſummum periculum adduceret: adeò homo præceps & furioſus, populum militesq; omnes ad prædam animauerat. demùm & ipſe in carcerem coniectus, & Marcus filius ad quintum ab urbe lapidem proſcriptus. Multę prętere a inſecutæ cædes, atq; omnes conſcij partim cæſi, partim in uinculis habiti aut proſcripti ſunt. Romæ ubi nuntiatum eſt, maximus dolor, multæ undiq; legationes, mira omnium de Laurentij incolumitate exultatio. Funus Iuliano magnificè ductum, & iuſta manibus in diui Laurentij templo perſoluta: pleraq; iuuentus ueſtẽ mutauit, ipſe undeuiginti uulneribus transfoſſus erat: annis uixerat quinq; & uiginti. Paucis pòſt diebus cũ iuges pluuię eſſent inſecutę, repentè ex omnib. agris magna uis hominum in urbem confluit, noxas eſſe clamant, Iacobi Pactij cadauer in ſacro conditum: ideo tam diu perpluiſſe, quòd hominem tam ſceleſtum, & qui ne in morte quidem, religionis ullam, aut Dei rationẽ habuerit, contra ius faſq; in templo cõdiderint. officere id, quæ ruſticorũ uetus eſt ſuperſtitio, lactentibus adhuc frumentis. Idem & populus omnis, ut in tali re aſſolet, paſſim dictitare. tum ad ipſum ſepulchri locum conueniunt frequentes, erutum cadauer in pomerio defodiunt. Poſtridie eius diei, id quod monſtri ſimile uiſum eſt, puerorum ingens multitudo, uelut quibuſdam furiarum arcanis facibus accenſa, conditum rurſus cadauer effodiunt, prohibentem neſcio quem, parum abfuit, quin lapidib. necarent. eum quo fuerat ſuffocatus laqueo apprehendunt, multisq; conuitijs ac ludibrijs per omnes urbis uicos paſſim raptant. Hic alij per ridiculum pręeuntes, decedere uiæ obuios iubere, quòd ſe equitem inſignem dicerent adducere: alij baculis ſtimulisq; increpitantes monere hominem, ne præſtolantibus ſe in foro ciuibus eſſet in mora. Mox ad ſuas eductum ædes, oſtium capite pulſare ſubigũt, ſimul exclamant & quis intus ſit? ecquis redeuntem magno comitatu dominum excipiat? In forum uenire prohibiti, ad Arni fluuium contendunt, eoq; cadauer abijciunt. Id cum ſupernataret, magna uis ruſticorum conuitia fundentes ſubſequebantur. Vnde & quidam nõ irridiculè dixiſſe fertur, Fuiſſe illi omnia ex ſententia ſucceſſura, ſi quem extinctus habuit populi comitatum, & uiuens habuiſſet. Ex hac tanta rerum commutatiõe ſæpe ego de humanæ fortunæ inſtabilitate ſum admonitus, maximéque admiratus incredibilem omnium de Iuliani interitu dolorem: cuius quæ forma corporis, quíue habitus, qui mores fuerunt, paucis perſtringam. Statura fuit procera, quadrato corpore, magno & prominenti pectore, teretibus & muſculoſis brachijs, ualidis articulis, compreſſo aluo, amplis femoribus, ſuris aliquanto plenioribus, uegetis oculis, acri uiſu, ſubnigro colore, multa coma, capillo nigro & promiſſo, atque in occiput à fronte reiecto. Equitandi iaculandiq; gnarus, ſaltu & palæſtra excellens, uenatu mirum in modum delectari ſolitus. Magni animi, & maximæ conſtantiæ, religionis & bonorum morum cultor. Picturam maximè amplectebatur, & Muſicam, atque omne munditiarum genus. Ingenio erat ad Poeſin non inepto. Scripſit nonnulla He-

truſca

truſca carmina, mirè gratia, & ſententiarum plena. Amatoria carmina libens lectitabat, & facundus erat, & prudens, minimè tamen promptus. Idem & urbanitatum mirus amator, & ipſe non inurbanus. Mendaces magnopere oderat, & iniuriarum memores. Tum cultu corporis mediocris, mirè uerò & elegans & lautus: obſequij erat multi, multæ humanitatis, miræ in fratrem obſeruantiæ, magni roboris & uirtutis. Hæc illa, atque alia, charum populo, charum ſuis, dum uixit, reddebant. Hæc eadem nobis omnibus luctuoſam egregij iuuenis, atque acerbiſſimam memoriam relinquunt. Deum tamen optimum maximumq́, ne prohibeat precamur, Hunc ſaltem euerſo iuuenem ſuccurrere ſeclo.

IN SALVIATVM.

Quid tam furca doles, laqueus cum geſtiat? Heu heu
Saluiatum eripuit celſa feneſtra meum.

IN EVNDEM.

Saluiatus mitræ ſceleratus honore ſuperbit,
Et quenq́ cœlo credimus eſſe Deum?
Scilicet hæc ſcelera, hoc artes meruere nephandæ?
At laqueo en pendet. Eſtis, Io, ſuperi.

IN EVNDEM.

Et laqueum & geſtans rutilum Fortuna galerum,
Vtrum, inquit, mauis, accipe Saluiate.
Reſpondit: Sat mitra caput decet. Ipſa quid inde
Conueniat collo, tu quoq; Cæca uides.

LATINA INTERPRETATIO EORVM QVAE GRAECE HABENTVR IN ANGELI POLItiani operibus, aut ex authoribus citata, aut ab ipſo conſcripta.

PAgina ſecunda. τὰ μὲν κοινὰ,&c.) Cōmunia quidem noue, noua uerò communiter.

Pag. 3. νύμφαι,&c.) Nymphæ gratijs ſimiles,
Fæſula & Coronis, bene coronataq; Cleia,
Phœboq; ſuauis, & Eudore habens longum peplum,
Nymphæ quas Hyadas uocant genera hominum.

Pag. 4. ὦ Ζεῦ,&c.) O Iupiter plue calamitates.

Pag. 5. χάλκεια χρυσείων.) æera aureis. ὡς ἐπιχώριοι τοῖς Ἕλλησιν ἀττικισμοί.) Vernaculi Græcis atticiſmi.

Pag. 6. πολλάκι,&c.) Sæpe ſagittatus, incenſusq; Picus ab amoribus,
Non tolerauit ultrà, omnia uerò abſtulit arma,
Arcus, ſagittas, pharetras, & congregans hæc ſanè omnia,
Accendit ſimul aceruum flammis edacibus.
Ipſos uerò corripiens debiles manulas ligauit
Funiculis, in medium uerò iniecit ignem:
Et igne combuſſit ignem. Quid uerò ô inſipientes ipſum amores
Ad Picum Muſarum uolaſtis principem?

Pag. 7. συμφράδμονας.) Conſiliarij

Pag. 11. τοὺς δὲ μετ᾽,&c.) Poſt hos autem quàm primū, deinde Genetæi Iouis arcem
Flectentes, acti ſunt præter Tibarenida terram:
Vbi poſtquàm utiq; ſuſtulerunt ex uiris filios uxores,
Ipſi quidem ſuſpirant, lectis decumbentes,
Capita reuincti: illæ autem rurſus nutriunt epulis
Viros, & lauacra partualia his laborioſe miniſtrant.
ἄγχι δὲ,&c.) Propè uerò habitant affluentes agnis Tibareni.
Iouis hoſpitalis Genetæam ſuper arcem.
εἵπετο δ᾽,&c.) Sequebatur autem Eurytionq; & robuſtus Eribotes
Filij hic quidem Theleontis, ille uerò Iri Actoridę
Nempe hic quidem Theleontis inclytus Eribotes:
Iri autem Eurytion, ſimul & tertius erat Oileus.

Pag. 12. ἀντιστρέφειν.) Retorquere.

Pag. 14. προκοιλίους.) Ventricoſos. πατρόκλου,&c.) Patrocli deſiderans utilitatem & robur bonum.

Pag. 17. ἄϊδι προϊάπτει.) Præmittit in orcum.

Pag. 18. τὴν ἀπ᾽ ἀρότρου.) Vulnus ab aratro

Pag. 23. φιλοπονίαν.) Charum laborem. θαυμαστόν.) Admirandum. τῆς ἑλληνικῆς παιδείας χάριν.) Græcanicæ doctrinæ gratia. οὐδὲν γλυκύτερον, ἢ πάντ᾽ εἰδέναι.) Nihil dulcius, quàm omnia ſcire. πᾶν ἐπ᾽,&c.) Totus in ueritate effigiatus ex Ioue ramus. τῶν μουσῶν,&c.) Muſarum ſpirante & uegeto ore.

Pag. 24. χρύσεα χαλκείων.) Aurea æreis. ἑκατόμβοια ἐννεαβοίων.) Centū bobus taxata, ſcilicet Glauci Lycij: nouem bobus taxatis, ſcilicet armis Diomedis. Homerus Iliad. ζ. ἐνθουσιασμόν.) Afflationē diuini numinis, aut diuinæ ſubſtantiæ. ῥαψῳδεῖν.) Decantare, νυμφόληπτον.) Lymphatū. διθυραμβικώτερον.) furioſius.

Pag.

Pag.25.αὐτὸ τῷ,&c.) Ad ipſam menſuram,& melius. πολιτικώτατον.)Ciuiliſſimum. εἰς ταυτὸν,&c.) In unum cogens conuerſatio.
τᾶς μοὶ πᾶς,&c.)Quo mihi tota ſit plena domus: neq enim ſomnus;
Neq uer derepente dulcius, neq apibus
Flores, quantum mihi muſæ Politiani gratæ.
Pag.26.περὶ ψυχῆς,&c.)De anima,& quid ſit,& quæ eius eſſentia.
Pag.27.ἀλλ' ὅμως,&c.) Veruntamen (melior enim miſerantibus inuidia) ne dimitte honeſta , & rege iuſto temone.
Pag.30.τὰ διδακτρα ἀντιπελαργεῖν.) Mutuam officij uicem rependere, ciconiarum inſtar.
Pag.34.κεκαπυρῷ σόματι.) Anhelante ore.
Pag.36.κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων.)Cõmunia enim amicorum:
Pag.60.ἀπὸ τῆς οὐρᾶς.) à cauda.
αἰσχρὸν τοῦτ' ἐστὶν.)Turpe hoc eſt.
Pag.66.εἰς ἀφροδίτην,&c.) In Venerem emergentem.
Venerem Apelleæ opus,manus,ut uidi,ſteti
Diu attonitus, Venerem,inquam,Anadyomenan.
Nunc uirginis,nunc etiam iocis indulgentis,pudor
Ipſam faciem ſortitus eſt,& riſus.
Et manu quidem guttas ſalo perfuſi capitis
Dextra ſtringebat, & ſtrepitabat ſpuma.
Erat uerò utiq humoris quidam mihi horror.at ſiniſtra quidem
Tegebat pubem adhuc demerſam.
Etenim laterum tenus in mari erat,& quidam adhuc horror
Matris ex partus doloribus acerbum uberh abebat.
Si talem olim Mars habuiſſet uinctus,non exui
Ne Vulcanias quidem uoluiſſet pedicas.
Pag.67.εἰς ἀφροδίτην ὡπλισμένην,&c.) In Venerem armatam.
Ad quid ſcutum tenes Paphia, haſtam uerò quatis:
Et loricam induta es,& galeam criſtatam?
Memento quòd non tibi data ſunt bellica opera
Delicatæ,curam uerò habes dulcium nuptiarum.
At non ad pugnam armor, arma autem Martis
Induor,ut Mars obliuiſcatur.
In enim me ſola & arma,& Venerem nactus,
Nunq à meis cubilibus ſecubabit.
Εἰς λάκαιναν,&c.) In Lacænam.
Effugientem prælium filium ſuum ut cognouit
Spartana mater enſe occurrit.
Et interfecit miſerum, quem nutrierat,quem pepererat ipſa.
Huiuſmodi autem conuitijs inſectata eſt torue intuens:
Si talem te putaſſem,non peperiſſem,peri Lacænæ
Vt filius, nolens ut Lacedæmonius.
Εἰς τὸ ὄργανον,&c.)In organum.
Æreum fiſtularum conſpicio ordinem: ſed quis in ipſo
Efficit occultè multiſonum ſtrepitum?
Is qui citis uiciſſim motos digitos motibus
Verſat,tremulasq utrinq agitat tabellas.

Sed diſperſoru m unde ipſum tantum agmen flatuum?
Non uides folles geminos retrorſum.
Εἰς παῖδα.)In puerum.
Puer Hebro inſiluit concreto paruulus ludens,
Glaciei uerò fractum eſt marmoreum ſolum.
Et ſic quidem labens cecidit in profundum, aſt immadefactum
Capitis abſcidit collum teſtacea glacies.
Corpus utiq; abditum fluctuũ traxit præceps uorago,
Igni autem mater ſolum dedit caput.
Dixit uero ingemiſcens, Quid infelix filium peperi?
Vtiq; ut elementorum cibus fieret duorum.

Pag.68.μὴ γένοιτο.)Ne fiat, abſit.

Pag.69.πληιάδων,&c.)Pleiadibus ab Atlante genitis exorientibus. ἄνδρα μοι,&c.)Virum mihi dic Muſa perq; exercitatum, qui ualde multa. τὴν ἀναδυομένην,&c.)Anadyomenen & ut Lacedæmonius. ὄμφακα μαζόν;) acerbũ uber. ἐπεὶ κεφαλὴν,&c.)Quoniam caput & genua Syrius deſiccat.

Pag.71.πολυγραφότερος.)Qui plura ſcripſit.

Pag.77.σὺν λόγους,&c.)Libros & editos & nõ editos. ζῶσαν φωνήν.)Viuam uocem. ἐγκυκλοπαιδείας.)Cyclicæ doctrinæ.

Pag.78.ἱμαίρων,&c.)Cupio & fumum exilientem noſſe.

Pag.90.εἰ σαυτὸν γινώσκεις.)Si teipſum cognoſcis.

Pag.91.ψευδόμενον.)Fallacem.

Pag.99.ἃ μὲν ἀν',&c.)Hæc quidem per pergulas frequentat uaſtans uuam.

Pag.120.πολλοὶ μαθηταὶ,&c.)Multi diſcipuli meliores præceptoribus. ἀσπάζομαι.)Saluere iubeo.

Pag.123.τὸν ἐν διαθέσει λόγον.)In affectu orationẽ. τὸν ἐν προφορᾷ.)In eloquentia, ſiue in enuntiatione.

Pag.126.ἄλλα μὲν,&c.)Alia enim Leucon, alia Leuconis filius.

Pag.127 θάλασσαν ἀγαθῶν.)Mare bonorum.

Pag.130.ὑποζυγιώδη.)Iumento indigentẽ. ἀδύνατον.)impoſſibilem. αἰθίοπα λευκαίνειν.)Aethiopem dealbare. ὁ μὲν γὰρ,&c.)Ipſa oratio admiranda, qui autem dicit, non credendus.

Pag.131.ἄνθρωπος,&c.)Homo homini deus, aut dæmoniũ. αὕτη ἡ,&c.)Iſte funis nihil attraxit. χερσαῖος ὤν,&c.)Terreſtris cum ſis, ne quęras mare: & cùm non ſis Syrus, ne Syriſſes: et nouos amicos parans optime, ueterum ne obliuiſcaris. ὁ γὰρ ἔχων,&c.)Nam qui multum piperis habet, admiſcet uel holeribus.

Pag.163.Βίβλον,&c.)Librum Iuſtinianus imperator conſtruxit hunc,
Quem utiq; Tribonianus magno elaborauit omnium imperatori.
Qualiter quis Herculi uarium ſcutum fabricatus,
In quo ſplendent imagines omnes legum.
Homines uerò, Aſiæq; captiuæq; Libyæ,
Europæq; confidunt totius imperatori mundi.

Pag.168.μονόκερως μόσχος.)Vnicornis uitulus.

Pag.169.ἀσφαλὴς.)Firmus.

Pag.171.ἄκυρα.)Impropria. ὑποσόλοικον.)Subſolœcum, & uerè ſolœciſmum, ſubabſurdum.

σὺν κώνωπας,&c.)Culices amare magis decet, q; uiros
Productos fertilibus ut Venus ex aquis.

Et imi-

Et imitatos altiuolum Amorem
Remigio alarum, ut ſint ſanguinis potores
Comum cantantes ſuſcitatorem mulierũ uagum
Grauiter ſomno captarũ cupidos mulierum,
Ad lectum inuolantes, ad ipſas ſæpe mammas,
Et contrectantes totius membra fœminæ
Tangentes labraq́, & exugentes faciei
Splendores, linguamq́ paulatim guſtantes,
Vigiles, impudentes, tenebris uidentes: nunquis uirorum
Quanta ſanè culices ſigna amoris habet?

Pag. 172. ἀεροπότητον.) In aere uolantem.

Pag. 173. ἀεροπότητος.) In aere uolans. ὄμματα.) Oculi acres & flammantes.

Pag. 274. ἐχθρὸς γὰρ, &c.) Hoſtis enim mihi ille perinde ac inferorum portæ: Qui aliud quidem celat in præcordijs, aliud uerò dicit.

Pag. 175. ἀγέλαστος.) à riſu alienus.

Pag. 177. γαίης κνώδαλα δίπτερυγα.) Terræ beſtias binis alis præditas.

Pag. 179. Ἄγγελος ὁ, &c.) Angelus Politianus Raphaeli Volaterrano S. In admirationẽ tuę literę Raphael me adduxerũt, & nimirũ diu ſuſpenſum, dubiũq́ tenuerũt, fieri ſcilicet me nulla ratione poſſe exiſtimantẽ, ut ex inſperato ad ſummũ Atticiſmũ ita ſis prouectus. Qui enim mihi facile credendũ fuit, ex tua ipſius officina adeò exactã epiſtolã, Atticoq́ refertã exijſſe, quẽ ipſe ſuperiore anno græcę norim linguę penitus expertẽ? Supra modũ igitur ſum admiratus, unde nam inuentu rem ita difficilẽ ſubitò cõpereris, quibuſq́ modis tantillo tẽporis momẽto ipſum percurreris ſtadiũ, quem nondũ ne in carceribus quidẽ cõſpeximus. Incredibile ſanè, ut ita dicã, paradoxũ. Quinimò quanq́ ego grauiſſimis uigilijs totam ætatẽ inſudaui, ac propemodũ uoluendis græcarũ literarũ libris cõſenui, nõ protinus tantũ mihi ꝓfeciſſe uideor, quantũ tu ipſe modò annũ neq́ ſolidũ in ſtudio uerſatus: idq́ per ſolitudinẽ, & citra omnẽ præceptoris operã. Quis igit, quæſo, deorũ compendiariã tibi, breuiſſimãq́ uiam indicauit: aut qua ratiõe factũ eſt, ut ita repentè nobis ex Romano Græcus euaſeris? Quæ nam uerò apes cũctos iſtis labellis fauos hymettios expreſſerũt? Vereor, ita Mercurius me amet, ad te Raphael interim reſcribere, ac mihi uideor ridiculus fore, antea & præceptor uocitatus, & Græcorũ eminẽtiſſimo cuiq́ ſeculi noſtri collatus. Neq́ enĩ ſolũ accuratã tuæ epiſtolæ diligentiã amplector: quandoquidẽ & multo ueluti agmine pręcipitatus effluis, torrentiſq́ in morẽ defereris, à Gratijs tñ, ne digito quidẽ tranſuerſo diſcedẽs, quin potius uarijs ubiq́, & illecebroſis oblectamẽtis perpetuò ſcaturiens. Sed de his hactenus. Librorũ indicẽ in pręſentia quidẽ ad te mittere nõ licet. Miſcellanea enim, ac cõfuſa iacent omnia, aſſeruantur tñ utcũq́ recõdita, quoad ſuprema bibliothecæ manus impoſita fuerit. Nihil eſt præterea ꝙ Robertũ mihi cõmendes: cum namq́ habeo uel filij loco, pigellũ tamen, & remiſſiorẽ, quemadmodum tu ais, cęterum moribus inculpatis, & omni prorſus crimine alienis. Vale, Florentiæ octauo Idus Maij.

Pag. 181. καλλίμαχος τὸ.) Callimachus piaculũ, ludicrũ, ligneũ commentum,
Autor, qui ſcripſit ætia Callimachi.

Pag. 185. εἰς τουτονὶ, &c.) In hoc certamen ueniſti. φιλία, &c.) Amicitia excuſationem non admittit. εἰ δὲ μὴ.) Si uerò non.

Pag. 186. τὸ τοῦ φωκυλίδου, &c.) Iuxta illud Phocylidis: Sæpe enim percutiens inuitus necem perfeciſti, ἀμφὶ δὲ, &c.) Circa autẽ hominũ mentes errores innumeri pendent.

Pag.

Pag.187. Αγγελε τῶν, &c.) Angele bonorũ utilitas magna, & ualde bona,
Omnibus incredibilis exiſtens Angele admiratio mortalibus.
Atq; iuuenum lumen, ſolq; diſcentium.
Vnus equidem Mineruæ amiciſſimus, unus uerò ſapiens.
Salue charum caput, & ut in longè uiuas,
Thebani quidem ſuper Tireſiæ uitam.
Immortales hunc quidem ſeruate cauſa multorum,
Sophiæ uerò maxime, & doctrinæ.
Ne tantum uerò auferte bonum, quæſo, inuidentes.
In hunc etenim omnes ſuſpicimus.
Exiſtens enim in hominibus, omnibus par alijs.
Veſtri quiſpiam igitur dignus eſt eſſe generis.
Sed tu in tenebris, utiq; iacentia omnia doce
Vt Deus ex cœlo magno labens.
Ambroſia uerò utiq; terram & nectare aſperge.
Hæc enim ex ore, aliaq; pulchra fluunt.

Pag. 199. Ερμόλαος ὁ βάρβαρος ἰουστίνῳ, &c.) Hermolaus Barbarus Iuſtino Decadio S. Et quòd mirificè amas, & ob uim ipſius amicitiæ, cui in amore uiciſſim reſpondeatur, digniſſimus es, quũ id præſertim tute ingenti ſtudio efflagites. ego primũ à uobis quidem me plus æquo laudari certò ſcio. Ignoſcendum tamen tibi falſa ſcribere nunc primũ aggredienti. Huiuſmodi enim rerum authorẽ expl oratum habeo te haudquaq; extitiſſe, ſed illum cuius uerbis facilè adductus imprudens laudandi leges præuaricatus es, & minimè ueram de me ſentẽtiam acceptã præterijſti, nec id tamen inuitus. Quomodo enim credere oportuit, homini talia tantaq; de nobis decantanti, & non inſanire potius ipſum narrantem autumare? Auguſti mentem excuſſerunt amici, excuſſerũt inquam. Teſtabitur de his ô præclare, intercedẽte etiam iureiurando nihil ueri, quum uir alioqui generoſus ſit, & mendacij abſtinens, hoc uno impudens, & rimoſus ubiq;, & uanus uidebitur. Veruntamen gratias ei permultas habeo, quòd de me cũ laude & benedicẽtia nunquam non meminerit: perpendeat tamen Euripideum illum: Quum enim laudantur, inquit, boni, neſcio quomodo laudantes odio proſequuntur, ſi plus ſatis laudent. Eſto. Quòd autem dicis, quando per multam locorum intercapedinem non tibi licet nec me cognoſcere, nec à me cognoſci, iterum uidelicet ad nos literas ſcribere uelle: ſcribe quæſo, chariſſime mihi Iuſtine, creberrimas: & uenti, q̃d dici ſolet, impos, remos arripe. Cæterũ cùm reliqua omni ſedulitate, animiq; alacritate, tum uerò reſcribendi cura & diligentia nunq; abs te comperiar ſuperari. Quòd ſi coràm tueri aliquando nobis datũ fuerit, quod dijs forſan bene iuuantibus breui ſuccedet, quemadmodũ nunc & amore, & literis, ſic tum quoq; pro uirili beneficijs proſequi non deſinam: utrunq; ſimul arguere contendens, tum cognomen, quòd Barbarus non ſim, tum parœmiam, quòd etiam in Barbaro gratiæ. Vale, quintadecima Iulij.

Pag. 200. Ερμόλαος ὁ βάρβαρος ἀντωνίῳ πυροπύλῳ, &c.) Hermolaus Barbarus Antonio Pyropylo medico philoſophoq; clariſſimo S. Et ex multis, & ſæpe audire nobis licet, referentibus generoſum illud tuum, et philoſopho digniſſimũ inſtitutum, amoremq; non tam in cæteras diſciplinas, q̃ mathematicas, & phyſicam, & huius partem dignitate præcellentem medicinam: deniq; quòd unus omnium hominum ſis huiuſmodi, quem ſibi parare amicum, & coràm cõpellare nullus non certatim eniti debeat, & huic pulcherrimo certamini cætera omnia poſt-

habere

habere,nullumq́ laborem hoc præſtantiorem exiſtimare,quãdo multis & ingentibus uirtutibus ſic anteis,& emines,duplici mœrore, & quidẽ ſummo cõficior, & quòd in periculum adducor,ne tibi tanto uiro perpetuò ſim ignotus, & quòd id quidẽ mutuis curare epiſtolis licet. Quippe tua olim cõſuetudine utendi ſpes me omnis deſtituit.Eſt tamẽ nobis medela doloris reliqua,minima quidẽ illa, dij boni: unica uerò,& alioqui gratiſſima,in tuas cõtinuò laudes ire,& ſępiſſimè ad te literas dare,modò id tibi moleſtũ non ſit futurũ.At rectè & tibi maximè d eſideranti forſan præſtabit.Nec ego quidẽ tam hebeti ſum ingenio, & rudi,ut huiuſce amicitiæ me lateat inæqualitas,quodq́ emolumentum mihi abs te maius q̃ tibi à me ſit obuenturũ. Verumenimuero quando amicitiæ operępreciũ animorũ magis eſt,nec utilitatis modo uenit metiendũ,ut uos philoſophi aſſeritis,magni uiri fuerit,& morib.præditi grauiſſimis, ac modeſtiſſimis, amicorũ in albũ admittere ultrò ſeſe ingerentes,qui neq; barbari ſint,neq; improbi.Deniq; cum ſis ipſe honeſtus,& probus,ſi quiſquã alius,tui ſtudioſos puto redamabis: ſin ſecus,tui certè amorẽ admirationemq́ certò ſcio te nobis nequaq; adempturũ. Nam tui meminiſſe,memoriamq́ colere noſtri eſt arbitrij. Quòd autẽ me abs te in amicitiam aſcitũ,& hoſpitẽ tibi factũ eſſe lætabundus exultem,id in te ſitũ eſt. At ſi iam non in te eſt,quomodo poteris, quũ uir ſis optimus, & ſapientia ſingularis,reluctari, & hominem ita tibi affectum & addictum non admittere? Vale, Venetijs octauo Idus Ianuarij.

Pag.205.ἑώθινα.) Matutina.

Pag.230.ὦ φίλε,&c.)O amice Cliniæ & Dinomaches fili.

ἀλλ' ἄγε,&c.) Verũ age,iam progredere, & equi ſtructuram cane
Lignei quem Epeus fabrefecit cum Minerua.

δουράτεον, &c.) Ligneũ magnũ equũ,ubi cõſidebant omnes præſtantiſſimi.

Pag.234.ἀλλ' ἤτοι,&c.)Sed ſummam quidem ad extremitatem habitant
Prope columnas Mauruſidis gentes terræ.

Pag.235.ὥστε καὶ ἐκωμῳδήθησαν.) Ita ut etiam comœdijs ſint decantata. ὁ δὲ τοὔνομα δοῦλος, καὶ τῇ προαιρέσει.) Et nomine ſeruus,& inſtituto.

Pag.236.μοῦνον δὲ συῶν,&c.)Solum aũt aprorũ noluit conſpicere oblectamentum,utpote uates,quoniam apri ſub imagine Mars dentiũ letale uirus proijciens præ zelotypiæ inſania paraturus erat necem Adonidi.

Pag.237.καὶ τυρίας,&c.) Et Tyriæ ſpecta infectas ueſtes concha
Purpureis ſplendoribus micantes maris.
Vbi canis curſitans in maris littoribus mandens,
Abditum ſublucentibus faucibus admirandum piſcem,
Niueas rubefacit maxillas intra concham,
Labra purpuriſſans roranti igne, quo olim ſolo
Amœna purpuratorum rubefiebat ueſtis regum.

Pag.238.οὐ ναῦλα,&c.)Non naula luctibus, non lyra grata.

Pag.243.ἀσκοπήρα,&c.) Aſcopera marſupium uel ſacculus.

Pag.244.ἀχὼ φίλα,&c.)Echo chara mihi aſſona aliquid.   quid?
Amo puellam,illa uerò me non amat.   amat.
Faciendi uerò tempus occaſionem non patitur.   patitur.
Tu igitur ipſi dic quòd amo.   amo.
Et fidem ipſi pecuniariam tu da.   tu da.
Echo quid reliquum? an uoto potiri?   potiri.

Pag.246.μέλπω δὲ, &c.) Modulor uerò anus hoſpitæ mores.

ὁ φθόνος,&c.) Inuidia Apollinis in aures clandeſtina dixit,
Non admiror illum cantorem,qui neq; quanta pontus canit.
ἐγκαλεῖ δὲ,&c.)Accuſat per hoc inuidos cauillantes,in eum nõ poſſe condere magnum poema,unde eſt coactus condere Hecalen.
Pag.247.κἤν με,&c.)Et ſi me comederis ad radicẽ,tñ adhuc fructũ ꝓducam,
Quantum inſpergi tibi hirce immolato. (ſupple, ſatis)
Pag.248.κἤν με.) Et ſi me comederis ad radicẽ, tamẽ fructum producam,
Quantum infundi Cæſari immolato. (ſupple,ſufficit)
Pag.249.κορίνθιαι,&c.) Corinthiæ fœminæ egreſſæ ſunt domos:
Ne mihi quippiam crimini uertatis: noui enim multos mortalium
Honeſtos factos,illos quidem ab oculis,
Hos uerò in extremis, ſed homines ab otioſo pede
Infamiam ſibi contraxerunt,& ignauiam.
εἴτ' ὤφελ',&c.) Vtinam Argus non peruolaſſet nauigium
Colchorum in terram , Cyaneas Symplegades,
Neq; in ſyluis Pelij cecidiſſet unquam
Secta picea,neq; remos egiſſent manus
Virorum præſtantiſſimorum , qui aureum uellus
Peliæ petierunt: non enim hera mea
Medea ad turres terræ nauigaſſet Iolcidis,
Amore animum perculſa Iaſonis.
Pag.250.κού τις.) Et quædam uetula miniſtrarum opinata fortaſſe,
Vel Panos iras,uel alicuius deorum mouere
Vlulauit.
οἰστρηθεὶς,&c.) Agitatus Athamas inſano Panos uerbere
Semper uerò ipſi intra aurem.
πανιάδος,&c.)Panici Saturnici inſonat bombus flagelli.
Pag.251.ὃ αἴθει, &c.) Cuius inflammauit quondam animum umbo clypei.
ὃς σβέσεν,&c.)Qui extinxit arrogantiam eiuſdem nominis
Cum auicida,à Tyriaq; abſtulit.
σφῆκες.) Veſpæ. κἀναστράψω ποππύζουσιν.) Et affulgurabo poppyſſantibus.
ἔθος.) Mos fulgetris poppyſſare. ποππύζεται ζωγλάτρις.)Poppyſſat mulier aurigans. κἄν τις.) Vel ſi quis inarticulatus ſtrepitus ut in poppyſmatis.
Pag.255.μεταβαίνειν, &c.) Tranſire uerò tempus ad celeria abſq; tentione & uiolentia: curſus uerò ſunt talia,& umbratiles pugnæ.
ὁμοίως δὲ,&c.) Similiter autem & hoc, quod dici ſolet,Sub umbra pugnamus, fœdum nihil ſignificat,& præterea neq; ipſum compoſitũ,quod eſt ſciamachein, id eſt,in umbra pugnare. ὄργανον.) inſtrumentum.
Εὐήμερος,&c.)Euemerus ſenex inſolens iniquos libros effutiens.
Pag.256.Κρῆτες,&c.)Cretes ſemper mendaces: etenim ſepulchrũ ô rex tuum Cretes extruxerunt,tu uerò non interijſti: es enim ſemper.
πρὸς Κρῆτα,&c.)Aduerſus Cretenſem Cretizare.
Pag.257.δάκτυλοι,&c.) Dactyli Idæi Cretenſes,quos olim nympha
Anchiale Dictæo in antro utraq; manu
Capiens terram Oaxida produxit.
Pag.259.εἰ δὲ πάτρα.)Nouit patria Phœniſſa,quæ nã inuidia,ubi & Cadmus Ille,ex quo ſcriptam Græcia habet paginam.
γραμματικὴ,&c.) Grammatica huius nulla contemplatio, neq; conſpectio

Viro

Viro edocto Phœnicica ſigna Cadmi.

Pag.260.βίβλον,&c.) Librum Iuſtinianus imperator molitus eſt hunc,
Quem utiq; Tribonianus magno elaborauit omnium imperatori:
Veluti quiſpiam Herculi uariegatum clypeum fabricatus.
Vbi refulgent imagines omnes legum.
Homines uerò Aſiæ,ſubiectæq; Libyæ,
Europæq; parent totius rectori mundi.

Pag.262.ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν.)In floribus uernis.

Pag.268.τετραέτης,&c.) Quadrimus prima fundamenta Phœbus iecit,
Pulchra in Ortygia orbiculari in lacu.
Diana uenata cornua aſſiduè caprarum
Cynthiadum tulit,ipſe uerò connexit aram Apollo.
Extruxit quidem cornibus fundamenta,compegit autem aram
Ex cornibus,corneos uerò circunduxit parietes.

Pag.269.μνημονικὸν ἁμάρτημα.)Memoriæ uitium.

Pag.280.ἐπ' ἄκρον,&c.)In ſummum trahens uelut extrà refrigerans.

Pag.282.ἤ με Κόνων,&c.) Vel me Conon uidit in aere Berenices
Crinem, uel illa omnibus poſuit deis

μέμνηται,&c.)Meminit & ipſorum Callimachus. Chalybũ ut pereat genus, à longè exorientem malum germen, qui ipſum demonſtrat.

οὐδέ γε,&c.)Nihil quidem Otos,nihil Oarion bonas nuptias ambierunt.

Βοιωτῷ,&c.) Boeto parans malum fatum Oarioni.

οὐ γὰρ,&c.) Non enim naturam Oarioneam ſortitus eſt.

ὀρείαν,&c.)Montanam à columbis non longè Oariona accedere.

πρὸ τὸ,&c.) A conuerſando cum mulieribus.

Pag.285.ὀρτυγίδες,etc.)Ortygides autem Anticlus quem ibi mortuum
Equo lacrymantes ſepeliuerunt Achiui.

ἄντικλος,&c.) Anticlus uerò cùm ſtimulum accepiſſet Laódamiæ,
Solus reſpondentem incepit uocem aperire,
Sed Vlyſſes irruit.

Pag.288.εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος.) In lauacra Palladis.

ὄλβιε,&c.) Felix Tireſia,tu quidem uidiſti citra perniciem
Nudam inuitæ miſericordis formam Mineruæ.

ζωοῖς,&c.) Viuis tuorum oculorum perdito lumine, ueſtrorũ uerò oculorum
Splendorem,cum mente commutauit Pallas.

Pag.296.ἐν τῷ περὶ ζώων ἀποχῆς.) In libro de Animalium abſtinentia.

Pag.299.ἄμμες, &c.) Nos quondam fuimus robuſti iuuenes. Et: Nos uerò erimus longè meliores. Et: Nos uerò ſumus, ſi autem uis, reſpice. Et: Iam olim fortes erant Mileſii.

Pag.303.κεῖτο μέγας, &c.) Proponebatur olim magnum certamen de Theodoro Gaza,
Muſiſq; Auſonijs, & Heliconiadibus.
His quidem natiuitatem, illis autem nutritoria præmia debebat.
Græcia enim genuit hunc, Auſonia uerò nutriuit.
Ex æquo autem utriuſq; ſapientia, linguaq; excelluit.
Hoc neq; ipſe uiuens,neq; certè diremit mortuus:
Sed & in Italia magna Græcia iacere
Voluit,ut gloria cõmunis ſit utriq;.

Ang.Polit.

Pag.304.ἱκάνις Ⓐ,&c.)Præſtantiſſimus hic fuit hominum ad dicendum
Quando eſſet ingreſſus;quemadmodum boni curſores,
Sexdecim pedibus ſuperabas orans ipſos rhetoras.
Velox ad dicendum quidem: ad namq; ipſius uelocitatem
Pitho quædam inſidebat in labris,
Ita demulcebat, & ſolus oratorum
Aculeum reliquit audientibus.
μόνῳ δὲ,&c.)Solius uerò pitho quædam inſidebat in labris.
Pag.305.χρύσεα,&c.)Aurea pro æreis,quæ centũ boum,pro quę nouē boum.
Pag.307.καὶ ὡς ἔτυχεν.)Et ut contigit.
Pag.448.εὐτύχει μουσηγέτα.)Felix eſto muſarum dux.
Pag.466.περὶ τῶν,&c.)De his quæ in harmonica ſunt iudicijs.
Pag.475.ἀπάθειαν.)Indolentiam.
Pag.478.οἱ μὲν σεῦ,&c.) Diceris à multis Colophonis alumnus Homere,
Hic te Smyrneum credit, & ille Chium:
Quin & Ion quidam,quidam Salamina ſuperbam,
Theſſaliam multi te genuiſſe ferunt.
Sunt & qui memorent alijs te ſedibus ortum:
Sic uarijs natus crederis eſſe locis.
Dicere ſi liceat mihi Phœbi oracula: cœlum
Certa tibi patria eſt,Calliopea parens.
Pag.479.ὡς εἰπὼν,&c.)Sic fatus coegit nubes,turbauit uerò pontum,
Manibus tridentem capiens, cunctas autem concitauit procellas
Variorum uentorum, nubibus uerò contexit
Terram ſimul,& pontum, irruit autem cœlo nox.
ὡς εἰπὼν, οὗ παιδὸς,&c.) Sic fatus, ſuum puerum appetijt clarus Hector.
Cæterùm puer in ſinu ſuccinctæ nutricis
Sedit clamans,patris chari aſpectu exterritus,
Horrens æs & galeam equinis ſetis criſtatam.
αὐτὰρ ὁ,&c.) Sed ipſe exutus eſt pannis prudens Vlyſſes:
Inſiluit autem magno limini,habens arcum, & pharetram
Sagittis plenam: celeres uerò effudit ſagittas
Ibi ante pedes,ſubinde autem procis dixit.
κεῖται,&c.)Iacet Patroclus: cæterùm de cadauere certant
Nudo, ſed ipſa arma habet bellicoſus Hector.
ὠκεανός,&c.)Oceanusq́; quemadmodum origo omnibus eſt.
Pag.480.ἀλλ' ὑμεῖς,&c.)Sed uos quidem omnes aqua & terra fueritis.
τρεῖς γὰρ,&c.Tres enim ex Saturno ſumus fratres,quos peperit Rhea,
Iupiter & ego,tertius uerò Pluto mortuis imperans.
τριχθὰ δὲ,&c.)Tripliciter omnia diuiſa ſunt, unuſquiſq; aſſecutus eſt honorē.
εἶμι γὰρ,&c.) Sum enim ego uiſura feracis fines terræ
Oceanumq́; deorum originem,& matrem Tethin:
Hos ſum uiſura,& eorum indiſcretas lites ſoluam.
κόσμον,&c.) Mundum,& terræ fines.
ἀκροτάτῃ,&c.) Summo cacumini ardui olympi.
ὦ φίλοι,&c.)O amici: non enim ſcimus ubi tenebræ,neq; ubi aurora,
Neq; ubi ſol lumen ferens mortalibus it ſub terram,
Neq; ubi aſcendit.

ὡς δ' αὖ ἥλιος.) Splendidus uerò ut ſol.
ἦμος δ',&c.) Quandò uerò ſol medium cœlum emenſus fuerat.
ἠέλιος θ',&c.)Solq; qui cuncta uides,& cuncta audis.
δύσομαι εἰς,&c.)Cadam ad inferos,& inter mortuos appareo.
ἠέλι' ἤτοι,&c.) Sol nempe tu immortalibus appare,
Et mortalibus hominibus ſuper fertilem terram.
πληϊάδας,&c.)Pleiadasq;,Hyadasq;,roburq; Orionis.
γαιήοχον.) Terræ contentorem. ἐνοσίχθονα.)Terræ concuſſorem.
ζεὺς δ',&c.)Iupiter aūt noctem pernicioſam obtendens forti pugnæ.
οὐ δέ κε,&c.)Neq; diceres,
Neq; unq; ſolem ſaluum eſſe,neq; lunam:
Caligine enim tenebantur.
Pag. 481.ζεῦ πάτερ,&c.)Iupiter pater,ſed tu libera de caligine filios Achiuos:
Fac uerò ſerenitatem,da autem oculis uidere.
αὐτὰρ ἐγὼ,&c.)At ego zephyri,& procelloſi Noti
Feram ex mari moleſtam tendens tempeſtatem.
οἱ δ' ἔρρεον,&c.)Fluebant aūt flatu ſtridulo nubes turbantes retrorſum.
τοῦ μὲν,&c.)Illo quidem deſinente menſe,hoc uerò inſtante.
ἆ δειλοί,&c.)Ah miſeri,quid malum hoc admittis,nocte quidem ueſtra
Velantur capitaq;,uultusq;,infraq; genua.
Vmbris uerò plenum ueſtibulum,plena uerò & aula.
Euntibus Erebus quidem ſub tenebris: ſol uerò
Ex cœlo perijt,mala autem inceſſit caligo.
ἀνέμων μένος,&c.)Ventorum robur ſemper flantium.
σὺν δ',&c.)Simul uerò Eurusq;,Notusq; ruit,Zephyrusq; uiolentus,
Et Boreas ſudificum magnum fluctum uolutans.
κὰδ δ' ὑψόθεν,&c.)Ex alto demiſit rores
Sanguine humidos,ex æthere.
αἱματοέσσας,&c.)Sanguineas uerò guttas effudit in terram.
τῶν μὲν αἷμα,&c.)Ipſorum quidem ſanguinem nigrū pulchrè fluentē apud Scamandrum
Diſperſit acer Mars,animæ aūt ad inferos deſcendebant.
ἀστράψας δ',&c,)Fulgurans uerò multum ſtrepuit.
ζεὺς δ' ἄμυδις,&c.)Iupiter uerò ſimul tonuit,& iniecit naui fulmen.
ῥεῖα ζώοντες.)Placidè uiuentes.
οὐ γὰρ σῖτον,&c.)Non enim cibum comedunt, non bibunt ardens uinum,
Vnde exangues ſunt, & immortales uocantur.
ἦ καὶ κυανέῃσιν,&c.)Nempe nigris ſupercilijs innuit Saturnius,
Ambroſii uerò pili uibrati ſunt regis
Capite immortali,magnum autem tremefecit Olympum.
εἷς κοίρανος ἔστω.)Vnus dominus ſit. εἷς βασιλεύς.) Vnus rex.
Pag. 482.πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.) Pater hominum atq; deorum.
ὦ πάτερ,&c.)O pater noſter Saturnie:princeps regnantium.
ὅσσον ἐγὼ,&c.)Quantum ego ſupraq; ſum deos,ſupraq; ſum homines.
εὖ νυ καὶ ἡμεῖς,&c.) Bene profectò & nos ſcimus,quòd robur non ſubditum.
εὗρε δ' εὐρύοπα,&c.)Inuenit autem latè ſonantem Saturnium.
ἀλλ' ἤτοι μὲν,&c.) Verumenimuero ego quidem conſiſto in receſſu Olympi,
Sedens ubi conſpiciens animo oblectabor.
ἀλλὰ ζεὺς πρότερος,&c.)Sed Iupiter prior fuit,& plura nouit.

γνῶ δ' αὖτ' ἀλλ' γνόντα.)Hinc autem alia intellexit.
μέλουσί τε μοί,&c.)Mihi curæ ſunt, licet pereuntes.
πῶς ἂν ἔπειτ', &c.)Quomodo poſthac Vlyſſis ego diuini obliuiſcar.
οὐ γὰρ σχέτλια,&c.)Non enim impia opera dij beati diligunt,
Sed pœnas luunt,& facta hominum iniqua.
μοῖραν δ' οὔ τινα,&c.)Fatum uerò neminem dico fugere uirorum
Non malum,neq; quidem bonum,quando prima fuerint.
Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.) Iouis perficiebatur conſilium.
ἔνθά κε καὶ δύστηνος, &c.)Hic uerò & infelix fato perijſſet Vlyſſes,
Niſi in præcordijs poſuiſſet dea oculos glaucos habens Minerua.
Vtraq; autem manu impulſus apprehendit ſaxum,
Cui hærebat ſuſpirans,donec magnus fluctus præterijt.
ψυχὴ δ' ἐκ,&c.)Anima autem ex membris uolans, inferos adijt.
ἦλθε δ' ἐπὶ,&c.)Subijt autem anima Thebani Tireſiæ,
Aureum ſceptrum habens.
εἰσόκ' ἀϋτμὴ,&c.)Donec euaporatio in pectoribus ſola.
ψυχὴ δὲ κατὰ,&c.)Anima uerò in terra uelut fumus.
Pag. 483. ἕως ὁ ταῦτ',&c.)Quouſq; hæc concitauit in præcordijs, & in animo.
τέτλαθι δὴ,&c.)Suffer utiq; corde,& peius aliud aliquando tolerasti.
ἀλλά με γαστὴρ,&c.)Sed me uenter præmiſit maleficus.
γαστέρα δ',&c.)Ventrem uerò non licet tegere furentem.
καρδίη δὲ,&c.)Cor autem ipſi intus latrat.
τέο μέχρις,&c.)Quouſq; conquerens & dolens corrodis animum?
καρδίη δέ μοι,&c.) Cor autem mihi extra pectus exilit,
Subtremunt autem fortia membra.
καρδίην ἄλληκτον,&c.)Corde inceſſanter bellare & pugnare.
ἀχνύμενος,&c.)Triſtatus,furore autem ualde præcordia circum nigra
Implentur,oculi uerò ei igni ſplendenti ſunt ſimiles.
χλωροὶ ὑπαὶ,&c.)Pallidi præ timore,& pallidus timor occupabat, & ſubtremiſcunt fortia membra.
ὡς φάτο σὺν,&c.)Sic locutus eſt,ſeni aũt mens confuſa eſt,tenuit aũt grauiter.
Recti uerò capilli conſtiterunt in curuis membris.
ζεὺς γὰρ, &c.) Iupiter enim ſuccenſeat mihi, quando cum præſtantiori uiro pugnauero.
Διὶ μῆτιν ἀτάλαντον.)Ioui prudentiam æquabilem.
τίπτε δεδάκρυσαι,&c.)Cur lacrymaris Patrocles ueluti puella?
ἀλλὰ χρὴ,&c.)Sed oportet ipſum quidem ſepelire qui moriatur,
Immitem animum habentes.
ὡς ἔρις ἔκ τε,&c.)Vt lis ex dijs hominibusq; pereat.
μή τι φόβον,&c.)Nihil metum inceſſe,quoniam neq; te paſſurum puto.
Pag. 484. τρῶας μὲν,etc.)Troas quidē tremor grauis ſubijt per mēbra unumquemq;
Hectoremq; ipſum animus in pectore percellebat.
ἐμὸν δὲ,&c.)Meum uerò riſit charum cor.
χεῖρας,&c.)Manus leuantes riſu perierunt.
δωτῆρες ἐάων.) Datores bonorum. δύστηνον.)Infelicem.
αἰναρέτη τις, &c.) O uirtute grauis abs te alius iuuabitur poſt naſciturus,
Niſi Argiuis moleſtam peſtem arceas.
ἀλλ' ἧμαι,&c.)Sed ſedeo apud manes inutile pondus terræ,

Talis

Talis exiſtens, qualis nullus Achiuorum ære tunicatorum.
χαῖρε δὲ, &c.) Gaudebat uerò Minerua prudenti uiro iuſto.
τοίου γάρ, &c.) Talis enim patris qui & prudenter loqueris.
τοὔνεκά με, &c.) Quare me præmiſit doceri hæc omnia,
Verborumq́ rhetorem eſſe, factoremq́ operum.
ἑνάδω.) Vnitatem. δυάδω.) Binarium.
οὐκ ἀγαθὸν, &c.) Non bona res multorum dominatio, unus dominus ſit.
τὸ δίχα βάζεις)Duplicia loqueris.
τῶν δ' ἐννέα, &c.) Ipſorum uerò nouem omnes ſurrexerunt.
ἐννέωροι γάρ, &c.) Nouem annorum enim hi.
ἐννέα πήχεων, &c.) Nouem cubiti erant latitudine, ſed longitudine fuerunt nouem ulnæ.
ἐννῆμαρ, &c.) Nouem diebus quidem per exercitum iuerunt tela Dei.
ἐννῆμαρ ξείνισσεν.) Nouem diebus ſunt hoſpitati.
ἐννέα βοῦς, &c.) Nouem boues ſacrificauit.
τῶν μὲν πεντήκοντα, &c.) Horum quidem quinquaginta naues uenerunt, in uerò unaquaque
Filij Bœotiorum centum & uiginti ibant.
πεντήκοντ' ἔσαν ἀνδρῶν.) Quinquaginta erant uiri.
Pag. 485. χίλι' ἄρ' ἐν, etc.) Mille utiq; in cãpo pyra urebat, apud uerò unũquenq;
Quinquaginta fuerunt uiri.
καί τι ἔπος, &c.) Et quoddam uerbum præmiſit, quod indictum melius.
Τρῶες μὲν, &c.) Troes quidem clangore clamoreq́ ibant ut aues,
Sed ipſi ibant ſilentio robora ſpirantes Achiui.
αὐτὰρ ὁ, &c.) Ac ſimulacrum fabrefecit argenteum habens arcum Apollo.
ἕπου θεῷ.) Sequere Deum.
ὅς κε θεοῖς, &c.) Quicunq; dijs paruerit, ualde uerò exaudierunt eum.
μηδὲν ἄγαν.) Ne quid nimis.
καὶ δ' ἄλλῳ, &c.) Et alij quidem ſuccenſet, qui nimium quidem amauerit:
Nimium uerò oderit, meliora autem legitima omnia.
Τυδείδη, μήτ', &c.) Tydide, neq; utiq; me laudes, neq; item uituperes.
γνῶθι σαυτόν.) Noſce teipſum.
Αἴαντος, &c.) Aiacis uitauit pugnam Telamonij.
δειλαί τοι, &c.) Miſeræ ſane miſerorum quidem fideiuſſiones fide iubere.
ἴσον ἐμῇ κεφαλῇ.) Aequale meo capiti.
Pag. 486. νῦν αὖτέ μιν, &c.) Nunc uerò ipſum filij Achiuorum
In palmis ferunt iudices, quiq; leges
Ab Ioue obſeruant.
τῷ μή τις, &c.) Ideo nullus unquam prorſus uir iniuſtus ſit.
Sed hic tacitè dona deorum habeat, quodcunq; derit.
βουλὴν δὲ πρῶτον, &c.) Conſiliũ uerò primũ magnanimorũ conſtituebat ſenum.
Pag. 487. ὡς ἐγώ, &c.) Quòd ego neq; uolẽs in tuã domũ, neq; deſiderãs ueni.
ἀμφότερον, &c.) Vtrunq;, rexq; bonus, fortisq; bellator.
λαῶν δ' οἷσιν, &c.) Populis aũt ſuis imperabat, pater uerò q̃ humaniſſimus erat.
Neq; aliqua faciens indecenter, neq; quicquam loquutus
In populo, hæc eſt iuſtitia diuinorum regum.
Εἰς Ἔχετον, &c.) Ad Echetum tyrannum hominibus pernicioſum, omnibus
Qui naſum amputarit, & auriculas ſæuo ære.

οὐδὲ τοκεῦσι,&c.) Neq; parentibus alimenta charis dedit.
εἷς οἰωνὸς,&c.) Vnum augurium optimum defendere patriam.
ἀφρήτωρ,&c.) Inciuilis,ſine lege,ſine domo eſt ille,
Qui bellum amat ciuile horrendum.
ἐχθρὸς γάρ,&c. Inimicus enim mihi ille,perinde ac inferorum portæ,
Qui aliud quidem celat in præcordijs,aliud uerò dixerit.
Ἥρη μὴ δὴ,&c.) Iuno ne utiq; omnes meos ſperes ſermones ſcire.
μή πως μοι,&c.) Ne mihi poſthac ſuccenſeas,ſi tacitè
Abeam ad ædes profundiflui Oceani.
Pag. 488. ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ,&c.) Medicus enim uir multis par alijs.
ἰητρὸς δὲ,&c.) Medicus uerò unuſquiſq; doctus ſupra alios.
φάρμακα πολλά.) Medicamẽta multà quidẽ bona,cõmixta, multa uerò noxia.
τοῖα Διὸς,&c.) Talia Iouis filia habebat medicamenta ſalutaria.
οὐ γὰρ σῖτον,&c.) Non enim cibum edunt,non bibunt ardens uinum:
Ideo exangues ſunt,& immortales appellantur.
τίς νύ σε,&c.) Quæ te ſors domuit duræ mortis.
An longus morbus,an Diana ſagittis gaudens
Suis miſſilibus attingens interemit?
εὗδε δ',&c.) Dormiebat autem recubãs, reſoluta uerò ſunt ei membra omnia.
νηπενθές τ',&c.) Illuctuoſamq;, ſine bileq; malorũ inducentẽ obliuionẽ omniũ,
Infuderit uerò crateri,& uos omnes perdat.
Pag. 489. φήμην τίς μοι,&c.) Nomen quis mihi demonſtrat ſurgentiũ hominũ
Intus,foris uerò Iouis prodigium aliud apparuit mihi.
νῦν δὲ δὴ,&c.) Nunc uerò utiq; Aeneæ uis Troianis imperabit.
Et filiorum filij quicunq; ſunt poſt naſcituri.
οὐ νέμεσις,&c.) Non eſt reprehenſio, Troas,& bene ocreatos Achiuos
Tali pro muliere diu dolores pati.
ἀνδρὸς μὲν,&c.) Viri quidem hoc eſt monumentum olim defuncti:
Quem quondam ſtrenuè bellantem interfecit clarus Hector.
Ἕκτορος ἥδε,&c.) Hectoris hæc uxor, qui optimè ſe gerebat pugnando,
Troum equorum domitorum,quando Ilion oppugnabant.
τὴν γρηῦς,&c.) Hanc anus manibus prõmis accipiens
Agnouit abſtergens: pedem autem dimiſit ferri.
Rurſum uerò in partem alteram inclinata eſt,at in terram effuſa eſt aqua.
Huius autem ſimul gaudium & dolor inuaſit mentem,eius uerò oculi
Lacrymis impleti ſunt,dulcis uerò ipſi hæſit uox:
Contingens autem mentum, Vlyſſem ſalutauit.
Certè Vlyſſes es chare fili: neq; quidem te
Prius agnoui,quàm totum regem meum contrectaui.
Quippe & Penelopen inſpexit oculis,
Indicare uolens,&c.
Pag. 513. ἐξ ἁμαξῶν.) è plauſtro.
Pag. 624. ὦ φίλε χαῖρε,&c.) O amice chere dicis, quãdo ad tuã domũ deſcẽdo:
Sed me non latuit uerbum blandiens.
Neq; uis inuidus ſaluere me,neq; amas me.
Etenim ſignificat hoc uerbum Chære duo,
Eſt ſaluum eſſe,eſt & perire.
Quapropter equidem dico tibi amice, uale prorſus.

Εἰς

Εἰς κάρολον Βριξιέα, &c.) In Carolum Brixienſem.
Tua quidem adhuc adoleſcentuli tempora circumligauit Apollo
Coricijs lauri ſertis auricomi,
Et te uaticinabatur dulcium principem poëtarum,
Futurumꝗ equos alens in gloriam Argos euehere.
Nunc autem me ad immortales extollere animus iubet
Hoc onus, Caroli uerbere ſtimulatum.
ἤδη τοι πάρα, &c.) Iam utiꝗ adeſt hyems, adeſt uerò immenſus imber,
Agreſtesꝗ fugerunt, plena autem omnis urbs.
Tu ſolus perennes fluuios, & montanas frondes,
Pedibus tranſis mollibus, tu ſolus antra habitas:
Nunc quidem auritum leporem, nunc uerò agreſtem capram
In retia inijciens dentibus aſpero cane.
Nymphasꝗ uioliferas mulcens arboroſa ſylua,
Linguaꝗ & lyra immortale carmen fundis:
Huc ades amice, ne fuge amicos, & cede tempori,
Amara ſine quidem amicis eſt, & ambroſia.
Pag. 625. Εἰς Σοφίαν πρόκλησις, &c.) In Sophiam exhortatió.
Nunc quidem Notus ſpuit nigras habens alas immenſum imbrem;
Iam & niues thrax Boreas colligit.
Phagorum & ulmorum emarcuerunt folia in terra:
Hyems uerò mordens montibus totondit comas,
Piceæ ſine fructu ſunt, licet ſemper uireant,
Alticomæꝗ abietes, & mortis arbor.
Sed & laurus, & uarius ramus oliuæ
Frondium, & fructuum gaudent pondere.
Omnia enim alia temporis uiolenti edunt dentes:
Nunꝗ interitura uerò nobis eſt ſolum Sophia.
ὦ πόποι ὅσσον, &c.) O dij, quanto duco te maiorem, ꝗ crediderant.
Plenum tibi Muſarum os & Gratiarum.
Et tibi utiꝗ ſponte tempora circumcurrit laurus
Onuſta frondibus, flores candidos fundit.
At tandem inueniam tua ueſtigia, perluſtrans
Fluctus, terram, auras: naue, pede, ala.
Semper ego ad te dulci ictus ſtimulo,
Vt boues per ſyluas paſcentes, huc & huc curro,
Naſum quidem inclinans in terram, aures uerò extollens,
Oculis ſpectans, errans autem pedibus.
Genua iam feſſa ſunt, quò igitur uagum te ſequor?
Quò uerò ſic fugis amantem amice?
Homini ſine amico obſcura etiam aurora oritur.
Amari uerò faui, omnis uerò uita mors.
Sine rurſus illis, neꝗ immortalis uelim
Eſſe, neꝗ ipſorum rex immortalium.
ὅσσον μὲν χαίρουσιν, &c.) Quantũ quidẽ delectanť ab halcedinibus uoce amœna
Nautæ pontiuagi mollem nauigationem nuntiantibus:
Quantum uerò hoſtilem rex urbem depopulatus,
Quantum quis grauem uitauit morbum, quantum amat

Virginis charæ dulce cubile aſcendens.
Tantum in pectoribus exultat noſtrum cor,
Tuamq́ faciem uidens,& tuum uerbum accipiens.
O albo lapilloq́,& cantu dignum diem,
Diem memoria dignum in multos annos.
O melle dulcior,ó grata facies,
Salue ſemper,& tibi Iupiter beata omnia prębeat.
Serua uerò mutuum in pectore amorem.

Pag.626.προσευχὴ πρὸς τὸν θεόν,&c.) Oratio ad deum.
O pater noſter in aureo ſolio ſedens,in æthere habitans,
O omnium rex deus immortalis,æthere Pan
Omnia uidens,& omnia mouens, & omnia continens
Antiquiorq́ tempore,omnium principiumq́ & finis,
Felicium ſolum,& cœleſtium lumen aſtrorum.
Tu pater & ſolem magnum,lunamq́ micantem,
Fontes,& fluuios,terram,pontumq́ creaſti,
Omnia uiuificans,tuo omnia ſpiritu implens.
Cœleſtes,terreſtresq́,& infernè mortui
Omnes ſubterranei tuum perficiunt pręceptum.
Nunc inuoco te,tua creatura,hic humi iacens
Miſer,caducus,ó Deus,terreſtris homunculus,
Dolens ob ea quibus offendi te,& lacrymas fundens.
Eia age mihi,rogo,pater æterne propitius ſis,
Et ex me mundi animum allectantis amorem,
Dæmonis & fraudes,& pernicioſam libidinem pelle.
Perfunde autem meum cor tui ſpiritus immenſo imbre,
Vt ſemper te ſolum colam princeps imperantium.

τί σὲ στάχυας.) Quid ſpicas Cereri, quid fluctus dare uis me
Proteo mariuago,Nyctelioq́ racemum?
Tu ſolus ex lingua dulce mel,tu ſolus uocem
Ambroſiam ore ex dulci fundis:
Hanc quidem ſcopuli, & montes magni ſequuntur,
Vt quondam Thraciæ immortale carmen lyræ.
Quod ſi mihi uolucer Mercurius nomen poſuit,
Vt ad Romanos diuinum Homerum agam:
Tu uerò habes magni Iouis nomen omnium regis,
Vt tu rex omni ſis in Sophia.
Tuas enim nectareo lacte fauces implerunt
Nouem filiæ Mnemoſynes & Iouis.
Spontanea uerò tuam circũ extenditur cæſariem
Hedera uireſcens flores multos fundens.
O felix,immortalibus hominum gratiſſime omnium
Auricomarum cultor beate Pieridum,
O ſalue ſacrum caput canore poeta:
Serua autem noſtrum ſemper amorem amicus.

ὅσσον δὲ διψάων ἔλαφος,&c.)Quantũ ſitiens ceruus fonte cœruleo
Delectatur,quantum ouis æſtatis medio opaco nemore,
Quantum area formica, quantum hortis apis,

Quantum arbore cicadæ, quantum uerò ulula:
Quantum uerò garrula hirundo uere primo:
Tantum nunc omnes muſarum lætati ſunt ſequaces:
Et nos uerò in primis quando tui nuntiabatur reditus
Sacri capitis, Sophiæ princeps Argyropule,
Et neq; ſic Boreæ aureas pennas habentes unq; filios
Oſſiuagum aiunt deſiderare, ut Harpyias expellant.
Vt hoc omnes Sophiæ candidati quotquot
Immortales ſumus, unanimiter hic deſideramus,
Vt animo oculorum tenebras, caliginemq; abijcias:
Nunc enim heu miſeri obliquis erramus uijs:
Nec eſt poſſibile cæcis inuenire ſinuoſum iter
Rectæ uitæ, & effugere barathrum
Humanæ ſtultitiæ, multifremumq; tumultum,
Niſi manu apprehendens tu quidē nunc pater nos dirigas,
Faces uerorum præceptorum accendens.
Sed quid nō properas profectus? quid uerò non auſcultas?
Omnes publica publicum uoce uocamus ſemper
Venire, ut infantes ad ſuum gannientes nutricium:
Super omneis uerò ipſe ob ſpem liqueſco, ut quæpiam
Humida gutta, iubar ſolis quando torruerit eam.
Nempe & niueo lapillo, & carmine erit
Ille dies mihi admodum dignus, cùm te
Reuerſum amica uiderim facie: id eſt,
Cùm tuam ipſius reuerſi amicam faciem uiderim.

Pag. 627. Ἀ μὲν γὰρ ἀθανάτοισι.) Ipſa quidē immortale dicit̃ ueneranda Hebe
Nectar aureis infundere poculis:
Tibi inter homines Deus dedit Argyropule
Aureo ex ore poculum fundere Sophiæ.
Illa uitam quidem non ſeneſcentem immortalibus ſeruat;
Tu uerò etiam à mortalibus arces mortem.

Εἰς θεόδωρον τὸν γαζῆν, &c.) In Theodorum Gazam.
Propoſitum fuit quondam magnum certamen de Gazæ Theodoro
Muſisq; Auſonijs, & Heliconiadibus.
His quidem natiuitatem, illis uerò nutricia præmia debebat.
Græcia enim peperit hunc, Auſonia uerò educauit.
Ex æquo autem utriuſq; Sophia, linguaq; excelluit.
Sed hoc neq; ipſe uiuens, neq; diremit mortuus:
Sed & Italiæ magna in Græcia iacere
Voluit, ut gloria cōmunis ſit utriq;.

Μονόστιχον εἰς τὴν σελήνην, &c.) Singulare carmen in lunam.
Nocturnos radios in nos mitte Luna.

Pag. 628. Εἰς θεόδωρον τὸν γαζῆν, &c.) Ad Theodorum Gazam.
Græcia quidem Theodore te magis luxit mortuum,
Turcarum q; quando ipſam uaſtauit genus.
Etenim ei ſceptrum quondam Barbarus abſtulit tyrannus:
Nunc uerò decus linguæ ſurripuit mors pernicioſa:
Sed & Romæ antea bello ſubacta eſt.
Primū uerò linguæ caſus dic ipſi contigit.

Aeque gratioſis,æque uenuſtis.
Acer ille quidem,improbusq́; hic uerò uirginis ſimilis aſpectu,
Ambo amores tamen inſpirant molliter.
Illi comæ ſubnigræ ex capite paſſæ dependent,
Alteri uerò flaua uentilatur cæſaries
In plurimis nihil ſimiles,aſperitate uerò ſimiles:
Vincit autem neuter forma & gratijs.
Ambos autem non poſſibile eſt ferre ô Venus: tu igitur mihi
Conſule utram harum feram flammam.
ὁμήρου ὑποκριτής,&c.) Homeri actor,ſeu repræſentator.
Alios quidem doctos,& canoros poetas
Hos uerò rurſum rhetorices amabile pratum carpentes.
Hoc utiq; ſimul pacem iuuenum nutricem decebat canere
Otium,forumq́,ſolum uerò me Phœbus Apollo
Tuba ſonare,bellumq́; malum,& pugnam grauem.
ζαμπέτρῳ ἀῤῥιβαβήνῳ,&c.)Zampetro Arriuabeno,Doricè.
Labra infantis tinxiſſe olim aiunt Platonis
Rutilas apes Mopſopio implentes melle:
Steſichori uerò cecinit in pectoribus luſcinia
Signa ſuauis utriuſq; Gratiæ.
Sed tibi neq; ullam auem inſidere,neq; apes
Credo,ſed ipſas Zampetre Pieridas.
Nempe lotum & ipſe guſtaſſet Vlyſſes,
Si talis quidem fuiſſet,qualis tua oratiò.
Ἐρωτικὸν περὶ τοῦ χρυσοκόμου,&c.)Amatorium de Auricomo puero.
Aſpice me cœlitus meum puerum in ulnis habentem,
Et non Iupiter inuideas,& nemini ego inuideo.
Contentus eſto Iupiter Ganymede,hunc utiq; amœnum
Auricomum mihi dimitte melle dulciorem.
Beatus ô ter ego,& quater: nempe oſculatus ſum
Profectò,& adhuc oſculor tuum os,ó puer gratioſe.
O os,ó comæ,ó riſus,ó lumen oculorum,
O dij,nempe te habeo puer chare,certè te habeó.
Certè te habeo meum,amaſium,quot tolerans,
Quanta paſſus,quanta faciens hoc præmium habeo.
Mens,quid nunc tumultuaris ut etiam prius? nullum amplius eſt
Periculum,non amplius oportet te cor tremere.
Etenim qui debellauit nos aliquando,& qui terruit
Captis ulnis nunc meis uinctus eſt.
Hanc igitur palumbem cape dea hanc ſuper aram,
Et hoc mihi ſtabile ó Venus gaudium da.
Tu autem age mihi molliter quantum potes,inſpira amores,
Et linguam linguæ implicitam habe.
Pag.636.Εἰς ἀλεξάνδραν τὴν ποιήτριαν.) In Alexandram poetriam.
Electram quando agebat iniugis iniugem puellam
Puella Alexandra illam Sophocleam,
Stupebamus omnes qualiter facile Atticam linguam
Exprimebat abſq; errore,Itala cum ſit genere:

Qualiter quidem expreſſam emittebat,& ueram uocem,
  Accurationem artificioſæ ſeruabat qualiter ſcenæ,
Quomodo mores uerò obſeruabat incorruptos, oculos terræ
  Figens,neq; motu errabat,neq; gradu.
Neq; indecore ſe habebat uocem querulam emittens,
  Vultu madido confundebat uerò ſpectatores.
Omnes igitur perculſi ſumus,me inuidia autem ſtimulauit,
  Vt Germanum eius uidi in ulnis.
  Εἰς τὸν παῖδα,&c.) Ad puerum.
Ne me uertiginoſis combure nutibus puer
  Ad charum ſemper faces iaculans cor.
Tuus enim amor ridentis in oculis faces accendit,
  Heu me redigens in totos uiuentem adhuc ignes.
  Εἰς ἀλεξάνδραν τὴν ποιήτριαν,&c.) In Alexandram poetriam.
Inueni,inueni,quam uolebam,quam quærebam ſemper,
  Quam petebam amore,dè qua etiam ſomniabam:
Virginem,cuius pulchritudo immortalis, cuius cultus quidem
  Non ſit artis,ſed ſimplicis naturæ.
Virginem,linguam ob utramq; inſignem,
  Excellentem & in choris,excellentem & in lyra.
De cuius modeſtia ſit Gratijs certamen,
  Hinc & hinc certatim habentibus.
Inueni,neq; utilitas:etenim uix in anno
  Inſano ardentes licet ſemel uidere.
  Pag.631.*οὐδὲν ἄρ' ἦν αἴνοιο*,&c.) Nihil utiq; fuit laude à prudenti uiro præſtantius,
  Et ex te laudatio mihi qualem extulit gloriam
Multi trioboli,pauci uerò uates ſunt.
  Inueniſti,certè non inueniſti,neq; in ſomnijs occurriſti.
Dixit enim diuinus poeta,agit deus ad ſimilem.
  Nihil Alexandræ te uerò diſſimilius.
Nam tu qualia Danubius,ex Occaſu in Meridiem,
  Et rurſus in Orientem alta fluentia fundis.
Vocibus uerò in plurimis tua gloria caliginem expellit,
  Græca,Romana,Hebraica,Lydia.
Aſtra,natura,numeri,poemata,tabulæ,medici
  Herculem uocant te certatim trahentia.
At mea uirginis ſcripta,ludicra,ut aiunt,
  Bocchoris dixerit,flores uti & ros.
Neq; enim contra elephantem bombum excito,
  Aelurum Pallas,& tu quidem contemnis.
  Εἰς ἀλεξάνδραν τὴν ποιήτριαν,&c)Ad Alexandram poetriam.
Cur mihi pallentem uiolam mittis? numquid ſatis pallida
  Xandra,cuius etiam uniuerſum ſanguinem ebibit amor.
  Εἰς τὴν αὐτὴν,&c.)Ad eandem.
Fructum mihi cupienti,tu uerò flores,foliaq; ſolum
  Das,denotant quòd fruſtra laboro.
  Εἰς τὴν αὐτὴν,&c.)Ad eandem.

Folia

Folia dans amanti & flores ueris primitias
Ipſum profiteris tuæ uer ætatis.
ἔσχε σιμωνίδεω,&c.) Habuit Simonidis domus duas capſas intus:
Alteram quidem muneris, alteram uerò gratiarum.
Erat quidem gratiarum ipſa uacua, plena autem mercenaria.
Tu igitur omnium hoſpes acceperis munus.
Αὐτοσχέδιον καὶ τοῦτο,&c.) Extemporaneum & hoc
Erat quondam quidam ciuis bonus Athenis,
Quem tu Cothurnum dixiſti Attice Xenophon:
Hic proceribus & ipſi ſe accõmodabat populo,
Quare & ad mortem à Critia traditus eſt.
Αὐτοσχέδιον ἐν τῷ περιπατεῖν.) Extemporaneum inter ambulandum.
Ne me oſculeris lotij potor, etenim rodentia labra puerorum
Solitus oſculari tua quidem auerſor.
Εἰς ὄργανα,&c.) In organa.
Non audis fiſtularum melodiam immenſam? nempe illis
Vocem quæpiam cygnorum myrias inſtillat.
Προτρεπτικὸν,&c.) Hortatorium.
Externam linguam ſemper fugere apparentem,
Si aſſequi properas Angele, intende curſum.
Ἀπόκρισις,&c.) Reſponſio.
Intende, & non aſſequor. tunc enim etiam magis labitur,
Quando capere uideor, ſimilis anguillæ.
Προτρεπτικὸν,&c.) Hortatorium.
Sic hortemur uiciſſim, quoniam machæræ
Inquit prouerbium antiquorum, eſt machæra cos.
Εἰς ἄγγελον τὸν πρεσβύτερον,&c.) In Angelũ presbyterũ, ſeu ſeniorẽ.
Quantum mihi amicus eſt Angelus, ecce ſignum
Etiam lutum calcare mei cauſa uult:
ἐκ πολέμου φυγόντα μάχας,&c.) Fugientem è prælio ſuũ filium ut intellexit
Spartana mater, enſe occurrit:
Et occidit infelicem, quem nutrierat, quem pepererat ipſa.
Talibus uerò dictis inceſſit torue intuens:
Si talem te exiſtimaſſem, nequaꝗ peperiſſem, peri Laſcænæ
Vt filius, non uolens ut Lacedæmonius.
τυφλὸς, ἄπους.) Cæcus, pedibusq́ captus erant ſibi inuicẽ ſeruiẽtes,
Cæcus uiæ duxerat, dorſo ferebat pedibus captus.
Εἰς τοὺς τέσσαρας ἀγῶνας.) In quatuor certamina.
Iouis in Olympico certamine uictores ferebant oleaſtrum:
Mala uerò Apollinis Pythicum tollebat certamen.
Iſthmiacam autem pinum dabat Inous Melicerta,
Tu uerò apium ponebas Archemore in Nemea.
Παῖς Ἕβρῳ ἐπιθρώσκει.) Puer Hebro inſiliebat concretò paruulus ludẽs,
Glaciei autem fructum eſt marmoreum ſolum:
Et ipſe quidem labens cecidit in profundũ, cæterũ non aſperſo aqua
Capite abſcidit collum teſtácea glacies.
Corpus itaq; abditum undæ præceps attraxit tractus,
Igni autem mater ſolum dedit caput.

Dixit uerò lacrymans, quid infelix filium peperi?
Certè ut elementorum cibus eſſet duorum.
Pag. 633. Ἀμφοτέρους ἀδικεῖς, etc.) Vtrūq; offendis, & Plutonē, & Solē,
Hunc quidem intuens, ab illo autem abſens
οὐδετέρους ἀδικῶ, &c.) Neutrū offendo, etenim pars mortua non amplius inſpicit
Solem, uiua autem Plutoni non eſt curæ.
παιδὶ λάκαινα, &c.) Filio Lacæna ſcutum pugnaturo dans
Fili, inquit, uel cum hoc, uel in hoc redi.
πατρόκλου ὑποκριτής.) Patrocli actor.
Ne incuſetis ob haſtam: hanc enim neq; potuit Hector
Contra, neq; uidere, nedum etiam ferre.
εἰς βαρῖνον τὸν καμερτία.) In Varinum Camertem Grammaticum.
Græciæ proprijs erranti in labyrinthis
Non filum, ſed librum præpoſuit Dædaleum.
Non Græcus, ſed Italus Varinus, nec mirum quidem
Si iuuenes uetulæ beneficium rependimus.
εἰς ἀλεξάνδραν τὴν ποιήτριαν.) Ad Alexandram poetriam.
Si neq; intueri, ſi neq; licet audire,
An neq; ſcriptam conſequar remiſſionem?
εἰς τὸν πῖκον μιρανδουλαῖα.) In Picum Mirandulanum.
Et ob id aſtrologos incuſo nebulones,
Quòd doctas Pici mihi inuident conſuetudines.
Etenim ipſe magnopere iſtorum nugas carpens,
Solitarius eſt in agro diu longè ab urbe.
Pice quid tibi & iſtis? non re decuit in circulatores
Erigere tuum felicem ſtylum?
εἰς ἀλεξάνδραν τὴν ποιήτριαν.) Ad Alexandram poetriam.
Suſcipe ex oſſe ó iuuencula pectinem capillorum comptorem:
Da autem ex carne ipſam quidem comam mihi.
εἰς τὸ ὄργανον.) In organum.
Aereum fiſtularum uideo ordinem, ſed quis in ipſo
Efficit occultè multiforem ſtrepitum?
Hic uagis uolubiles articulos pulſibus
Agitans, tremulasq; utrinq; mouens tabellas.
Sed diſperſorum unde tantum agmen flatuum?
Non uides folles duplices à tergo?
ἡδὲ βίβλος τίνος ἐστὶ.) Hic liber cuius eſt? iuuenis cuiuſdā, qui pulcher aſpectu,
Corpore uerò robuſtus: etenim arte & ui
Certans omnes præſtans iuuenes,
Arte equeſtri, & armis maximus, non negligens,
Neq; libros, Sophiam exercens duplici lingua,
Comis, liberalis, dulcis, non inaffabilis, prudens.
Dic fortunam. rex. ſatis ſint hæc, illum Guidonem
Dixiſti inuicti patris filium, ducem
Vrbini magni, deis ſimilem uirum.
Pag. 634. Εἰς τὸν πῖκον, &c.) In Picum.
Sæpe ſagittatus, incenſusq; Picus ab amoribus
Non pridem tolerauit, ſed omnia abſtulit arma,
Arcus, ſagittas, pharetras, & cōgregans hæc omnia

Accendit ſimul aceruum flammis edacibus:
At ipſos comprehendens, debiles manus ligauit
Neruis, medio uero iniecit igni,
Et igne combuſſit ignem. quid autem ô ſtulti ipſum amores
Ad Picum muſarum uolaſtis principem?
κύπρις ἀναδυομ. &c.) Venus Anadyomene (id eſt emergens)
Venerem Apelleæ opus manus ut uidi, ſteti
Diu attonitus, illam Anadyomenen
Partim ut uirginis, partim ut mundanæ pudor
Aſpectum ſortitus eſt, & riſus,
Et manu quidem guttas mari perfuſi capitis
Dextra ſtringebat, & reſonabat ſpuma,
Erat utiq; humoris quidem horror: at læua
Tegebat pubem adhuc demerſam.
Etenim ad latera uſq; ſub mari erat, & quidam adhuc horror
Matris à partus doloribus acerbum uber occupabat.
Si talem olim Mars habuiſſet uinctus, non diſſolui
Neq; Vulcanias uoluiſſet pedicas.
Εἰς ἀφροδίτην ὡπλισμένην, &c.) In Venerem armatam.
Ad quid clypeum tenes ô Venus, haſtamq; quatis?
Et loricam induta es, & galeam criſtatam?
Memento quòd non tibi data ſunt bellica opera
Delicatæ, at præes dulcibus nuptijs.
Sed non ad pugnam armor: arma autem Martis
Induor, ut etiam Mars obliuiſcatur pugnæ.
In me enim ſola, & arma, & Venerem nactus,
Nunq; à meis ſecubabit thalamis.
Pag. 635. Εἰς τοὺς κώνωπας &c.) In culices.
Culices amore capi magis decet, q; uiros
Productos fertilibus, ut Venus, ex aquis.
Et imitantes aeriuolum Amorem
Remigio alarum, & quòd ſanguinem bibant.
Comum decantantes mulierum excitatorem uagum,
Grauiter ſomno oppreſſas cupientes fœminas
Ad lectum illabentes, ſupra ipſas ſæpe mamillas,
Et contrectantes totius membra fœminæ
Vigiles, improbos, in tenebris uidentes: quis igitur uirorum
Quot quidem culices, ſigna amoris habet?

Ang. Polit.

AVTORES IN ANGELI POLITIANI LVCVBRATIONIBVS CITATI.

A Bammon
Achilles
Acro Gram.
Aeſchylus
Africanus
Alciphron
Alexander philo.
Ambroſius
Ammianus
Ammonius Gram.
Aphthonius
Apollodorus
Apollonius
Apollonij interpretes
Appianus
Apuleius
Aquila
Ariſtides
Ariſtophanes
Ariſtoteles
Arrianus
Artemidorus
Artemon
Aſconius Pediaſus
Athenaeus
Atticus
Auguſtinus
Auicenna
Auſonius

B

B Aſilius
Boetius
Brutus

C

C Allimachus
Calliſtratus
Capitolinus
Catullus
Cenſorinus
Cicero
Clemens
Cleomedes
Claudianus
Columella
Cor. Celſus
Cor. Nepos
Cor. Tacitus
Cyprianus

D

D Exippus
Diodorus Siculus
Diogenianus
Dion
Dionyſius
Dionyſius Halicarnaſ.
Dioſcorides
Donatus
Doxapater

E

E Picharmus Comicus
Epictetus
Euenus
Euripides
Euſebius
Euſtathius
Eutropius

F

F Auſtus
Feſtus
Fulgentius

G

G Alenus
Gaudentius
Gauradas
Gellius
Germanicus Caeſar

H

H Elianus
Heliodorus
Hephęſtion
Heraclitus
Herodes
Herodianus
Herodotus
Heron
Heſiodus
Hieronymus
Hilarius
Homerus
Horatius
Hyginus

I

I Amblichus
Io. Boccatius
Ioſephus
Iulianus
Iulius Firminus
Iul. Frontinus
Iul. Pollux
M. Iunius Nyphus
Iunius Philargyrus
Iuſtinianus
Iuuenalis

L

L Actantius
Laertius
Libanius
Licentius
T. Liuius
Lucanus
Lucianus
Lucilius
Lucilius Tarrhaeus
Lucretius

M

M Acrobius
Marcellus
Martialis
Martianus
Maximus
Maximus tyrius

N

N Onius Marcellus
Nica
Nicetes
Nicephorus
Nymphodorus
Nonnus

O

O Rpheus
Ouidius

P

P Aulinus Ambroſij
diſcipulus
Paulus Aegineta
Paulus apoſtolus
Pauſanias
Perſi interpres
Perſius
Petronius
Philadelphus
Phalaris
Philo
Philoponus
Philoſtratus
Pindarus
Plato
Platonius
Plautus
Plinius
Plinius iunior
Plutarchus
Pollux

Porphy-

Porphyrius
Poſidippus
Priſcianus
Probus
Proclus
Procopius
Propertius
Prudentius
Ptolemæus.
Q
Quintilianus.
R
Rufinus.
S
S Eneca
Seruius
Seuerianus
Sextus Pompeius
Sidonius
Silius Italicus
Simplicius
Solinus
Sophocles
Sozomenus
Statius
Strabo
Suetonius
Suidas
Symmachus
Syneſius.
T
T Erentius
Tertullianus
Themiſtius
Theocritus
Theodoritus
Theon
Theophraſtus
Thucydides
Tibullus
Triphyſiodorus
V
V Alerius Flaccus
Valerius Max.
Varro
Vergilius
Vibius Sequeſter
Vitruuius.
X
Xenophon.
Z
Z Enodotus
Zezes
Zoſimus.

LOCORVM EX AVTORIBVS A POLITIANO VEL EXPLICATORVM, VEL A MENdis purgatorum Index.

Acronis Grāmatici locus, fol. 309
Apollonij 11
Appiani 155
Apulei 240.246
Ariſtophanis 234. & 235.253 299
Ariſtotelis 301.302
Arriani 251
Athenæi 181
Auicennæ 19
Auſonij 258. 259. 260. 265 275.270.280
Callimachi 246
Catulli 228. 242. 281. 282 284. 285. & 296
Cenſorini 273
Ciceronis 241.242.246 247. 248. 249. 352. 254 255. 268. 279. 298. 299 304
Claudiani 236
Columellæ 255.258
Cypriani 256
Dauidis prophetæ 296
Dominici Calderini 253. & 254
Eſaiæ prophetæ 238
Euſtathij 3
Fabij Quintiliani 269.270 280.299.304
Gellij 242.256.261
Herodiani 273
Heſiodi 3
Homeri 230. 243. 268. 307 446. 475. 479. 480
Horatij 103. 228. 235. 240 251. 261. 275. 279. 283
Hygini 249.250
Iuſtiniani iurecōſ. 260. 297. 305
Iuuenalis 77. 80. 100. 102 155. 156. 181. 182. 231. 234 235. 239. 241. 242. 243. 291. 252. 253. 254. 257. 261. 263. 281. 297
Liuij 305
Luciani 164. 239. 240. 269 270
Lucretij 230
Macrobij 278
Martialis 100. 101. 154. 230 239. 244. 245. 251. 253 258. 262. 263. 266. 267 268. 270. 273. 274. 277 279. 306
Martiani Capellæ 263.270
Nonnij poetæ 236. 237. 250
Ouidij 20. 154. 182. 183. 238 239. 240. 244. 251. 256 267. 277. 278. 280. 283 285. 286. 296. 297. 298
Pauli iureconſulti 102. 287
Pauſaniæ 270. 271
Perſij 229. 239. 241. 252. 259 262. 307
Petronij Arbitri 251
Plauti 157. 262. 281. 307
Plinij 3. 19. 24. 164. 188. 246 253. 264. 265. 267. 271
Plutarchi 246
Pompeij 259
Priſciani 56. 62. 63. 233. 242 247
Propertij 288. 295
Prudentij 261
Senecæ 231. 241. 258. 278 298. 307
Seruij 275. 299
Sophoclis 253
Statij 73. 246. 258. 263 273. 280
Suetonij 243. 248. 307. 308
Syneſii 250
Theocriti 99
Theodori Gazæ 301. 302. 303
Terentij 279
Valerij Flacci 10. 11. 250
M. Varronis 255. 256. 279
Vergilij 103. 170. 236. 240 248. 257. 261. 264. 266 267. 272. 282. 283. 299
Vlpiani iurecōſ. 260. 295. 306

A

ABima die num dicendum folio 99
Abron Dexandri hoſpes 437
Accidens 517
Accurſius iureconſultus 140
Acetum cur frigore non conſtringatur 431
Acheus Satyricus ſecundus ab Aeſchylo 514
Achilles num Patroclo ſenior. 263
Achillis tumulus 355
Aconitum 278
Actæonis formoſitas 437
Actæonis interitus ibid.
Ad aliquid, prædicamentum 518
Ad & At, quomodo differant 56
Adgredior pro aggredior ibid.
Adlocutio ibid.
Adonidis cum Marte fabula 236
Adoptandi ratio atq; ritus 292
Ad Pyrrhonios deficere prou. 14
Adq; pro atq; 56
Adulatiõis punitæ memorabile exemplum 376.490
Adulatores urbe à Pertinace exacti 330
Adulãdi uerbum unde deductũ. 63
Adulefcens pro adoleſcens 60
Adulefcens num cũ litera u ſcribendum 63
Adulefcens tertiam in fine ſyllabam contra originis naturam producit ibid.
Aedilium apud Rom. creatio 298
Aegyptus calidiſsima regio cũ ſit, frigidum gignit uinum 419
Aelij Sentij lex 296
Aemiliani Aſiæ ducis contra Seuerum imp. res geſtæ 340
Aer cũ mouetur, cur tactu nobis frigidior uideatur 428
Aeſchylus ob nugacitatẽ à Platone taxatus 41.263
Aeſchylus Satyricus ſummus 514
Aeſculapius 19
Aeſtatis deſcriptio 474
Aethiopes cur plerunq; criſpos habeant capillos 411
Aethiopes febricitantes cur pluriimum extinguantur 422
Aethiopici tauri deſcriptio 270
Affectatio ſtyli 62
Affectibus humanis qua ratione imperandum 395.399
Affectionũ mediocritas Peripateticis & Homero probatur 483
Affectuum omnium in homine ratio 406.407
Africa 379
Africani libri quæſtionum 72
Agitatores 470
Agon quid 278
Agriculturæ certa ratio, atq; principium 469
Agrippæ uaporarium & ſudatoriũ 258
Alba linea prouer. 161
Albanorum cum Rom. bellũ 271
Albanus mons 389
Albinus à Seuerianis militib. uictus atq; fugatus 344
Albinus in direptiõe Lugduni à Seuerianis militibus captus atque obtruncatus 344
Albinus Seueri inſidijs grauiſsimè periclitatur 342
Albini amici turpiter à Seuero tractati atq; interfecti 345
Albini contra Maximinum triumphus 391
Albini contra Seuerum res geſtæ. 342. & 343
Albini cũ Maximo de imperio contentio 392
Albini de Seuero prope Lugdunum uictoria 344
Albini occiſi caput Romam miſſum atq; in patibulũ ſuſpẽſum. 344
Albini pro Maximo imp. ſacrificia 390
Albini res geſtæ 338.383
Albino Romani imperij gubernatio à Seuero commiſſa 338.339
Alcibiadis labdaciſmus 64
Alcippi matrimoniũ et liberi. 439
exilium ibid.
Alexander ab Antonino adoptatur 366
Alexander ab Antonino cæſar declaratus 367
Alexander Alexianus prius dictus 366
Alexander Aphrodiſeus Ariſtotelis opinionum mirificus ſpeculator 435
Alexãder Farneſius Cardinalis 98
Alexander imp. cum matre in tabernaculo à proprijs militibus obtruncatur 375
Alexander imp. ob Mammeæ matris auaritiam cunctis inuiſus. 375
Alexander poſt interfectum Antoninũ imperator declaratur. 368
Alexander Rom. imp. iunctis inter ſe nauigijs pontem in Rheno facit 373
Alexander Rom. imperatoris ſancta educatio 367.368
Alexander Sarcius Bononienſ. 90
Alexander ſextus Hiſpanus, pont. max. 506
Alexander tertius pont. max. Federici imp. ceruicem pede calcauit 509
Alexandri Aphrodiſei lucubrationes 26.27
Alexandri Aphrod. naturales queſtiones 226
Alexandri Clementis ſtromatum libri 113
Alexandri cum Antonino conſulatus 367
Alexandri cum Maximino de imperio contentio 374
Alexandri imp. ad Artabanum literæ 369
Alexãdri imp. ad Artaxerxem pro pace impetranda legatio 371
Alexandri imp. ad milites oratio. 370
Alexandri imperatoris aduerſa ualetudo 372
Alexandri imp. contra Artaxerxẽ expeditio 370
Alexandri imp. humanitas, & in rebus gerendis innata clementia 375
Alexandri imp. in bellis gerendis timiditas 374
Alexandri imp. in Mediã irruptio 371

Alexandri

Alexandri imp. nimia in matrem pietas 369
Alexandri imp. uxor à Mammæa in Africam relegatur ibidem
Alexandri optime à Mammæa educati uirtutes 367
Alexādri ad Ariſtotelē epiſtola 76
Alexandri Magni de Homero iudicium 490
Alexandri Seueri in bellicis cōſultationibus conſuetudo 499
in Alexandro Magno quid culpandum 209
Alexandrinorum dicacitas 356
Alexandrinorū in Antoninū imp. conuicia 956
Alexandrinorum iuuentus ab Antonino malis artib. trucidatur 357
Alexianus 366. *ab Antonino adoptatur* ibidem
Alexianus ſolis ſacerdos 363
Alfonſus Siciliæ rex Ferdinandi filius 510
Alpium anguſtiæ à Seuero occupatæ 343
Alpium deſcriptio 336. 385. 386
Amantes cur uehementius ſuſpirent 414
Ambra nympha 304
Amicitia nulla firmior quàm quæ uirtute & ꝓbitate cōciliatur 25
Amicitia quid 23
Amicitiæ infucatæ natura 176
Amicitiæ uis 8. 9
Ammonis in Libya templum 267
Amoris uis atq; potentia 4. 85
Amori cur cæcitas tribuatur 84
Amphictyonis exilium 438
Amphora 146
Anadyomene 66
Analyticorum priorum liber ſecundus quedam adulterina tractat 522
Analyticorū poſteriorū ſumma 523
Andreas Laurentij Medicis pediſſequus 638
Andreæ Magnanimi de Politiani miſcellaneis iudicium 57
Andronicus Rhodius libros Ariſtotelis primus edidit 227
Angelus Politianus Georgij Merulæ æmulus 148. 149
Angeli Politiani Centuriæ 180
Angeli Politiani cum Merula contentio 153. 154
Angeli Politiani in ius ciuile & medicinæ autores cōmētaria 460
Anibalis Afri ſtatua 356
Animalia inſecta cur oleo pereant 420
Animalium extremæ partes cur modo frigidæ, modo calidæ 423
Animantia cur caudas moueant notos agnoſcentia 434
Anima immortalis atq; alis prædita 482
Animæ partes 483
Animæ uis triplex 463
Animi dolore cur nonnulli exanimentur 413
Animi partes tres ſeu uires 455
Annulorū uſus à Lacedæmonijs inuentus 257
Anthuſa 2
Antigenides tibicen 460
Antigonus rex diuinos ſibi ipſi honores aſcribit 315
Antimachi de Lyde carmen 183
Antiocheni totum per annum ludos celebrant 333
Antiochia à Seuero capta & Laodicenis adiudicata 343
Antiochia Romani imperij ſedes 353
Antoninus ab Alexandrinis multis conuicijs aſperſus 356
Antoninus contra patrem & fratrem germanū fraudulenter ambit imperium 350
Antoninus Getam fratrem ſupra matris pectus obtruncat 353
Antoninus imperator alter Alexander dictus 355
Antoninus imp. aſtrologiæ atq; magiæ ſtudioſus 358
Antoninus imperator à ſuis militibus obtruncatus 368
Antoninus imperator honorificè ab Alexandrinis exceptus 356
Antoninus imp. Parthorum regis filiæ nuptias fruſtra ambit 357
Antoninus imp. ſolis & lunæ nuptias ambit 366
Antoninus imp. uenationibus plurimum delectatus 358
Antoninus in Siciliā relegatur 349
Antoninus parentis ſui medicos obtruncat 350
Antonini ad Artabanū Parthorum regem literæ 357
Antonini ad patres conſcriptos de fratre à ſe interfecto oratio 354
Antonini apud Parthos res geſtæ 358
Antonini Cæſaris cum Germanis amicitia 355
Antonini Cōmodi ad milites oratio 316
Antonini Commodi imp. natiuitas ingenium & indoles 314. 315 Vide Cōmodum
Antonini congiarium & ſpectacula 365
Antonini cum Geta germano de imperij diuiſione contentio 353
Antonini filius Romanum ambit doloſe imperium 364
Antonini imperatoris in Aſia res geſtæ 355
Antonini imperatoris crudeliſsimi cædes 359
Antonini imp. diuortia 365. *inceſtus* ibid. & 366
Antonini imp. iam interfecti cadauer crudeliter tractatum 368
Antonini imp. impietas 366
Antonini imp. in Alexandrinorum iuuentutē magna crudelitas 357
Antonini imperatoris luxus atque mollicies 365
Antonini imp. popularitas 355
Antonini imperatoris uecordia & inſolentia 367
Antonini in Getæ familiares crudelitas 354
Antonini in Getam germanum fatale odium 353
Antonini iunioris contra Macrinū expeditio 364
Antonini prodigalitas 354
Antonini Seueri filij ferocitas 352
Antonius eremita Satyrū uidit 515
Antonius Panormitanus 68
M. Antonius philoſophus imp. 70
Antonius Pactius Iacobi frater, & pater Franciſci 637
Antonius Rodolphus Iacobi filius 639
Anton. Volaterranus Laurentium Medicē in iugulo uulnerat 638
Antonius Volaterranus Pactiorum ſocius 637
Antonius Zenus 92

Antonij

Antonij Codri de Politiani epigrã-
matum libro iudicium 68.69
Antonij Cordri de uerſiculis ſcriben
dis iudicium ibidem
Antonij Lollij de circumciſione ora
tio 110
Apathia 5
Apelles qua in re à Protogene ſupe-
raretur 494
Apellicon Ariſtotelis libros emen-
dans, multos errores introduxit
227
Apelliconis bibliotheca ab Atheni-
enſibus Romam translata ibid.
Apes cur oleo pereant 420
ἀποδλός 102
Apollinis Clarij templum 183
Apollinis lyra cur ſeptenis conſtet
fidibus 169
Apollinis natiuitas 169
Apollinis oraculum 387
Apollinis Palatini templum 274
Apollodori Athenienſis bibliothe-
ca 265
Apollonij Molonis de Cicerone te-
ſtimonium 226
ἀποφθέγματα ex Homero
485
Appetitus promiſsiones 395
Aqua calida puteo indita, cur redda
tur frigidiſsima 419
Aqua calida folijs cõmota cur cali-
dior uideatur 428
Aqua cur citius quàm uinum aut a-
cetum congeleſcat 431
Aqua cur ſerpentes pellantur 427
Aqua dulcis cur in locis maritimis
inueniatur 414
Aqua frigida cur hominibus plus no
ceant quàm poma cum ſint eiuſ-
dem habitudinis 419
Aqua putealis cur omnium frigidiſ-
ſima ibidem
Aqua putealis per brumam unde ca
lida, per æſtatẽ uerò frigida 415
Aqua ſtans, quæ in ſuperficie, non
autem in profundo terræ ſit, la-
pide per eam iacto, cur multos
circulos efficiat 432
in Aquis cur rerum imagines tan-
quam in ſpeculo uideantur, ibid.
Aquileia ci. 386
Aquileiæ deſcriptio ibidem
Aquileiæ obſidio 388
Aquilius Gallus iureconſultus 70
Arabia à Seuero imperatore miſerè
depopulata 346
Arabia bonis herbis refertiſs. ibid.
Arati phænomena à Cicerone olim
latinis ciuibus exhibita 435
Arcadij de teſtibus liber 72
Archiæ in Acteonem amor 437
Archimedes Syracuſanus 56
Architæ Pythagorei dicta 455
Architectura 468
Architecturæ ratio quæ requirat
469
Argyropylus Byzantius Politiani
in philoſophia preceptor 224
Argyropyli Byzantij philoſophi
laus 217.224
Arietini teſticuli 279
Ariſtarchus Homeri interpres 393
Ariſtide Meleſiaca 240
Ariſtippus Vlyſſem Homericũ imi
tatur 485
Ariſtobulus de geſtis Alexandri hi-
ſtoriam compoſuit, quam rex, eo
quòd pleraq; falſa eſſent, in Hy-
daſpen fluuium demerſit 504
Ariſtoclea à Stratone & Calliſthe-
ne plurimum adamata 436
Ariſtocleni inſana libido 438
Ariſtophanis laus 455
Ariſtophanis lucerna 229
Ariſtoteles fabularũ ſtudioſus 361
Ariſtoteles in Homerum cõmenta-
rios ſcripſit 491
Ariſtotelis & Platonis eadem hæ-
reſis 227
Ariſtotelis laus 205
Ariſtotelis liber Peri hermenias dif-
ficillimus 461
Ariſtotelis libri ab Apellicone mag
na pecunia coempti 227
Ariſtotelis libri à Neleo Scepſio cõ
portati ibidem
Ariſtotelis libri ad Sullæ uſq; tempo
ra Athenis abſconditi ibidem
Ariſtotelis libri errorib. pleni, ibid.
Ariſtotelis in ſcribendo uoluntaria
obſcuritas 76.77.128
Arithmetica 463
Arithmetica proportio 169
Arithmeticæ laus 453
Arithmeticam Pythagoras pluri-
mum excoluit 484
Armeniorum contra Romanos res
geſtæ 376
Artabæ menſura 146
Artabanus Parthorum rex, inſidijs
Antonini deceptus, fuga tantum
uitæ conſuluit 358
Artabani in Oriente res geſtæ 369
Artabani Parthorum regis cum An
tonino imp. affinitas 357
Artabani regis contra Antoninum
expeditio 359
Artabani regis cum Macrino con-
flictus cruentiſsimus 360.361
Artaxerxes ad Perſas imperium
tranſtulit 370
Artaxerxis ad Romanos ſuperba le
gatio 371
Artaxerxis Perſarum regis contra
Parthos res geſtæ 369
Artaxerxis præclara de Romanis
uictoria 372
Artaxerxis regis legati ab Alexan
dro ignominioſe in Phrygiam
relegati 371
Artes liberales philoſophiæ pediſ-
ſequæ 529
Artium diuerſarum nomina 470
Aſcomaniæ natura 410
Aſcopera Neronianæ ſtaturæ collo
deligata 243
Aſcopera ſacculi genus ibidem
Aſellus Ocni 295
Aſinus typhoni ſacer 169
Aſpiratione parciſsimè in uocali-
bus uſi ueteres 242
Aſſentationis peſtis 317
Aſtrolabij inuentio 467
Aſtrologia 453
Aſtrologia genethliologica 467
Aſtrologiæ gnomonicæ partes 466
Aſtrologorum inſania 61
Aſtrologorum ſuperſtitiones 134
Aſtronomia 466
Aſtronomici inſtrumenti deſcriptio
54
Atella ciuitas Oſcorum 514
Atellanæ ab Oſcis ad Romanos de-
ductæ ibidem
Athanaſii Magni in Pſalmos opu-
ſculum 439
Athenarum luſtratio 170
Athenienſium ruſticorum mos 513
Atlas 259
Atlas nanus 245
Atra bilis 266

Atreni à Seuero imperatore grauiter obſeſſi 346
Atrenorum regio à Seuero depopulata 346
Atrenorum ſagittarij 339
Attegiæ quid 233
Audentius oblatum abnuit, propter ſenectutem, imperium 359
Audentij præfecti res in Oriente geſtæ 358
Augari Oſrhoenorum regis contra Seuerum res geſtæ 345
Augurium ſalutis 237
Auguriorum uanitas 397
D. Auguſtini de ſcriptoribus canonicis iudicium 75
D. Auguſtini de Tertulliano iudiciũ 52
Aubus cur natura ueſicam & renes denegarit 427
Aub. cur pēnæ à natura datæ 409
Auicennæ inſcitia 19
D. Aurelius Auguſtinus Ciceroniana lectiõe plurimũ delectatus 225
Aurelius Ariminenſis 243
Auris cur omne humidum toleret, excepta aqua 420
Automata 307
Automaton ibidem
Autumni deſcriptio 475

B

Bacchanalia Athenienſium 513
Bacchus purgandis ſenſibus præeſt ibidem
Baccius Vgolinus 243
Baccij laus 79
Baptæ quid 234
Baptiſtæ Leonis de architectura libri 142
Baptiſtæ Leonis Florẽtini laus 142
Barba philoſophorũ ornamentum 454
Barſemius Atrenorum rex à Seuero imp. debellatus 345
Bartholomeus Soxinus Senẽſis præclarus iureconſultus 72
Bartholomæi Scalæ dignitates 176
Baſsianus ſolis ſacerdos 363
Baſsiani dignitas 347
Baſsiani ſacerdotis ueſtitus 363
Baſſus ſophiſta 239
Battulus tibicen 239
Baucalis Græcorum pocula 425
Bel deus 387
Belli gerẽdi uarius apparatus 469
Beneficij reponendi lex 24
Berenices reginæ crines 281
Beroaldi cum Politiano epiſtola 17
Bernardinus Valla 245. 295
Bernardus Bandinus cum Pactijs cõiurat 637
Bernardus Bandinus Iulianum Medicem enſe conficit 638
Bernardus Bembus 85
Bernardus Michelotius 245
Bernardus Riccius Florentinus 44. 82. 148
Bibliotheca Apelliconis L. Sullæ temporibus Romam tranſlata 227
Bibliotheca Matthiæ Pannoniæ regis 117
Bibliotheca Sixti quarti pontificis Max. 202
Bilis atra 422. 474
Bilis flaua 417. 424
Binarius numerus fœcundus 169
Binarius principiũ Pythagoricum 484
Bitumen 61
Blanca ſoror Laurentij Medicis, uxor Gulhelmi Pactij 637
Bleſci pueri mors 74
Bœotia an Boetia ſcribẽdũ 14
Bona triplicis Peripateticis 484
Bos ſoli ſacer 169
Branchus 431
Briglierius cũ Pactijs cõiurat 638
Britannia à Barbaris depopulata 349
C. Bruti nummus 282
Buſiris ab Iſocrate laudatus 34
Byzantium à Nigro contrà Seuerum imp. occupatum 339
Byzãtiũ à Seuero expugnatũ 343
Byzãtiũ imperij Romani ſedes 353
Byzantij op. encomium 339

C

Cacoethes 77. 80. 156. 263
Cadmus literarum primus inuentor 259
Cadmi filiæ ibidem
Cadmi Mileſii de ſoluendis amoribus libri 240
Ceneus uulneribus inuiolabilis 393
Ceſar Petrutius 639
Cæſaris Carmenti de Politiani Miſcellaneis iudicium 51
Calculi cur pueris in ueſica, ſenibus uerò intra renes naſcãtur 427
Caliditas cur crebra motione magis incendatur 428
Callimachus 14
Callimachus Cacizotechnos dictus, quid ineleganter conſulto ſcriberet 494
Callimachi Aetia 181
Callimachi de Hecale carmẽ 246
Callimachi Græci ſine accentibus uerſiculi 289
Calliſthenis Aliartij in Ariſtocleam amor 436
Calliſtratus iureconſultus 72
Caluicies cur in priore potiſsimum capitis parte 410
Calui poetæ in Pompeium uerſiculi 231
Camelopardalis Cæſaris dictatoris temporibus Romæ primum uiſa 229
Canes cur poſt coitũ uinciãtur 422
Canes cur ſoli per æſtatem rabie laborent 422
Canicies hominibus cur in ſenectute proueniat 410. 411
Cantus animæ rationalis delectatio 422
Capelliani apud Carthaginenſes res geſtæ 382. 383
Capelliani Mauritaniæ procuratoris res geſtæ ibidem
Capelliani cum Gordiano ſimultates ibidem
Capilli criſpi unde hominibus proueniant 411
Capillorum in homine diuerſitas unde naſcatur ibidem
Capitolina quercus 156
Capitolini ludi 391
Caratinæ aræ 267. 268
Caregia uilla 46
Carminũ conſcribendorũ ratio 69
Carminũ diuerſorũ ſtructura 279
Carna organi ſpecies 238
Carnes quæ noctu ſub plenilunio fuerint, cur putreſcant 420
Carpatinæ crepidæ 228
Carræ op. 359
Carthaginienſis pro Carthaginenſis 63
Carthaginis opulentiſsimæ ciuitatis deſcriptio 379
Caſtratis cur rarior barba proueniat 411. cur pedes diſtorqueantur, ibid. Vide Spadones

Caſtro-

Caſtorum templa 367.368
Catonianus riſus prouerb. 5
Catoptica 467
Catullianus paſſer 230
Cauſarij milites 305
Cauſarum apud rhetores genera tria 472
Cerealium ludorũ primordia 297
Cerata cornua 269
Ceratia 145
Ceratinæ 269
Ceſtus Veneris 236
Chalcodontis Eubœenſium regis interitus 438
Chiron Thetidis pater 73
Chœnica 146
Choliambi uerſus 279
Chori fabularum 513
Chriſtophorus Landinus Politiani præceptor 62. Vide Landinum
Chryſogonus 156
Chus menſura 146
Cicero 59
Cicero Græcæ linguæ peritiſſ. 226
Cicero in ſcribendo interdum diſsimillimus 59
Cicero in ſcribendo qua ratione imitandus 113.114.115
Cicero non ſatis omnia, quæ de Oratoria arte ſcripſit, pbauit 494
Ciceronis de Senectute libellus non infeliciter in Græcam linguam tranſuerſus 304
Ciceronis epiſtolæ in quem ordinem reſtituendæ 246
Ciceronis ingeniũ ac eloquẽtia 225
Ciceronis lapſus 268.269
Ciceronis laus 114
Ciceronis præceptores 495
Ciceronis pro Milone oratio aliter eſt ſcripta quàm dicta 210
Ciceronis rhetorici libri rudes & inchoati 494
Ciceronianæ lectionis cõmendatio 224.225
Ciconia concordiæ ſymbolum 281
Cicuta 278
Cincia lex 71
Circenſes ludi 297
Circenſes ludi Antonini crudelitate innocẽtũ ſanguine maculati 355
Ciſthon pro hedera 19
Citare pro mouere 171
Claudia uirgo Veſtalis miraculoſe pudicitiam teſtatur 321
Cleander Phryx ex ſeruo, Cõmodi imperatoris cubicularius factus 322. ad imperiũ aſpirat ibid.
Cleander ſeditioſus ſecuri percutitur 323
Cleandri contra populum Rom. in urbe pugna cruentiſsima 322
Cleãdri filij et amici trucidãtur 323
Cliſthenæ 235
Clitorius fons 266
Cocyton 234
Cœli natura puriſsima 480
Colaphis icti cur ignẽ cernãt 419
Comœdia ab Homero emanauit 489
Comœdia antiqua 513
Comœdia iocoſa & ſcommatibus plena 513
Cõmodus à Perennij inſidijs liberatur 320
Cõmodus imp. diuinos ſibi honores aſcribit 325
Cõmodus imp. eodem quo & Caligula die natus eſt 505
Cõmodus imp. publicis ſpectaculis plurimum delectatus 325
Cõmod. imp. ſagittãdi peritiſſ. 324
Cõmodi imp. crudele facinus 505
Cõmodi imp. ebrietas 326
Cõmodi imp. forma & habitus corporis 318
Cõmodi imp. genus et natiuitas 314
Cõmodi imp. mors 326.327
ſepultura ibidem
Cõmodi imp. ſtatuæ 324
ſpectacula ibidem
Commodi imp. ſtatuæ reſtaurantur 332
Cõmodi imp. uecordia atq; petulantia 324
Compremo 60
Congiarium Seueri imp. 338
Congius 146
Coniugij quieti ſymbola 281
Conniuere qui dicantur 281
Contingens 521
Contradictio 520
Contraria 519
Conuiuandi optima ratio 401
Conuiuij celebrandi præcepta 402
Conuiuij ſplendidi deſcriptio 698
Coquinaria 470
Cornea fibra prouerb. 15
Cornix apud ueteres cur poſt hymenæum inuocata 281
Cornix cõcordiæ apud ueteres ſymbolum 281
Cornicum natura & indoles 281
Coronæ lemniſcatæ 289
Cor principatum in homine obtinet ſecundum Stoicos 483
Corpus animæ carcer 482
Corporis uniuſcuiuſque tria interualla 408
Coſmi Medicis funus 47
Cottidie pro quotidie 102.103
Cotula 146
Cotula menſura 146
Cotyttia ſacra 234.235
Cottyto dea 235
Crambe braſsicæ genus 254
Crãbe herba ebrietati contraria ib.
Crambe op. 253
Crambus Scytharum rex ibidem
Craſsi diuitiæ 283
Cratino falſo ſcenarũ Satyricarum inuentio attribuitur 514
Crepidæ Carpatinæ 278
Cretenſes mendaces 91.256
Crines in pedibus cur rarius caneſcant 434
Crines mortuorum cur ad tempus adaugeantur ibidem
Criſpina Cõmodi imp. uxor 319
Criſpini contra Maximinum res geſtæ 386.387
Criſpini facundia 387
Critici 460
Crocodilites 270
Cteſiphon 346
Cucuma 291
Culcita pro culcitra 102
Culex in fœminino genere 170
Culices unde naſcantur 172.173
Culleus 146
Cullei ſymbolum & pœna 243
Cupiditas quid 455
Cupiditatum remedia 401
Curia Florẽtina ianuis referta 639
Cyame menſura 146
Cyathus 146
Cyprianus ſua ſcripta de Tertulliani fontibus irrigauit 52

D

Democritæ exilium 439
Dantes Aligherius poeta 243
Danubius fl. 373

Danubij

Danubij natura admirabilis 373
Daunia urſa 452
Decij imperium 467
P. Decij Muris tertius conſulatus. 187
Decumana ous 298
Decumanus fluctus 298
Dedititij libertini 297
Definitio quid 524
Degeneris ſigna 403
δεῖγμα 103
Delatores à Macrino patibulo affixi 362
Delatores à Pertinace urbe exacti. 330
Delatores exilio à Gordiano damnati 380
δέμας, uiuentis corpus 482
Democriti ſimulacra unde 485
Demoſthenes 59
Denarius numerus 169
Deſiderij Longobardorum regis edictum 3
Detrectatoribus quomodo reſiſtendum 401
Deus intelligibilis 482
Deus mens omnium ſciens eſt, omniaq; gubernans ibid.
Deus unus 481
Deorum in numerum imperatores quib. ceremonijs aſcribātur 352
Dijs quare corpora humana poetæ attribuant 481
Diadumenus cum patre occiditur. 364
Diagondæ Thebani lex 235
Diagramma 466
Dialectica à M. Varrone primū latinitate donata 471
Dialectica duplex 528
Dialectica eiusq; partes 471
Dialectica opinionem reijcit, ſcientiam tantum admittit 528
Dialectica Platonica ibid. & 529
Dianæ Epheſiæ templum 266
feſtum ibid.
Dianæ multimammiæ effigies 266
Diathecæ 393
Didymi contra Cic. ſcripta 228
Dies cur Planetarum nominibus appellitentur 231. & 232
Dies Dominicus & ſabbati 232
Differentia 517
Digiti cur in maximis rigoribus nigreſcant & decidant 417
Digitorum ſingulorum certa nomina 279
Dinocrates inſignis architectus. 117
Diocletiani egregium dictum 505
Dionis Chryſoſtomi liber de regno unde deſumptus 487
Dionis Pruſiei eloquentia 454
Dionyſii Siciliæ tyrāni luxus 315
Diophanis ad Deiotarum regem de Agricultura libri, 204
Dioſcoridis editio 196
Dioſcoridis laus 21
Diphthongi ſeptem apud antiquos. 261
Diſcipulorum officia 139
Ditis ara 272. & 273
Diuinatio eiusq; partes 473
Diuinationis duæ ſpecies 489
Diuinationibus quomodo oporteat uti 400. 401
Docti hominis conditio 45
Doctrinæ commendatio 202
Doctrinarum omnium tria genera 462
Dodonides 473
Dolentes cur uehementius ſuſpirēt. 414
Dolentium ſuperficies cur palleſcat (419
Dolore affecti cur pallore afficiantur 420
Dolore animi cur quidam moriantur 413
Dominicus Beniuenius 167
Dominicus Grimanus 53. & 54
Domitius Calderinus à Polit. notatus 41
Domitius Vlpianus iureconſ. 71
Domitij Calderini laus 33. 34
Domitij Calderini mors 40
Domitij Calderini errores 285
Domitij Calderini Veronenſis encomium 232 natura & ingenium ibid. in Martialem atq; Iuuenalem commentaria 233 itē in Ouidium et Statium ibid.
Dramatum & fabularum differentia 513
Driadei 61
in Duce belli quæ potiſsimū requirantur 469
Durateus equus 230
Duella 145

E

Ebrietate cur multi exanimentur. (413
Ebrij nonnulli cur gemina uideant. 430
Eccleſiarū magiſtri ſupercilioſi 52
ἐχεμυθία 485
Echo Græcula 244
Ectomum herbā 266
Educatio mala 453
Educationis ingenuæ memorabile exemplum 367. & 368
Electus Commodi imperatoris cubicularius 325
Elementa quatuor amœno figmēto ab Homero expreſſa 480
Elenchorum Ariſt. ſumma 528
Eloquentiæ nomē quib. cōpetat. 37
Eloquentiæ uis 119
Ema ciuitas 385
Emeſa ciuitas 362
Emanuel Adramytteus 90
Ennij poetæ Medea 248. 249
Ennij ſacra hiſtoria de Euhemero in Latinum conuerſa 255
Entelechia quomodo à Cic. expoſita 164
Entelechia an Endelechia ſcribendum 227
Entelechiæ uocabulū apud Ariſtot. quid ſignificet 224
Epaminondæ cōtra Lacedæmonios res geſta 438
Epaphroditus Nerōis amicus 394
Ecphraſis quid 203
Epialtes 473
Epicteti dictum 5
Epicteti laus 393
Epicteti lucerna fictilis trib. drachmarum millibus coempta. 394
Epicurus in omni doctrina αὐτομαθὴς fuiſſe perhibetur. 529
Epicuri ſummum bonum ex Homeri ſcriptis defluxit 485
Epiſtula pro Epiſtola 63
Epithetorū in carmine uſus 69
Equus Lunæ ſacer 169
Equus Troianus 230
Equorum apud Sybaritas ſaltatiões artificioſiſsimæ 239
Equorū ulcera quomodo purgāda, & abſq; pilorum mutatione curanda 434
Eribotes Telontis filius 11
Eridanus fl. 390
Eruditionis cōmendatio 202
Eſſentia quinta 480
Eſt, uerbum 520

Eubulides Mileſius 269
Euhemeri antiquiſsimi autoris lucubrationes 255
Eunuchi cur plerũq; imberbes 411 uide Spadones.
Eupolidis Baptæ 234
Eupolidis poetæ uerſus 304
Euripidis Medea ab Ennio conuerſa 248.249
ἐξ ἁμαξῶν prouerb. 513
Excandeſcentia 475
Excrementorum in ſenibus frequentiam quid excitet 411
Exercitationũ uaria genera 257
Exodia 514
Ex plauſtris loqui, prouerb. 513
Extremum dialecticum quid 521

F

Fabius Dorſennus 182
Fabij Sabini iureconſulti apud Alexandrum imp. dignatio 71
Fabij Vrſini inſignis pueritia. 165
Fabularum utilitas 451
Faciebat, & Non fecit, cur in ueterum artificum titulis inueniatur 264
Facies cur amicto toto corpore, ſola ſit nuda, & hyemis tempore minus afficiatur frigore 416
Facies prodit ingenium 475
Fæſula Bacchi nutrix 3
Faſula nympha ibid.
Fæſulæ primordia ibid.
Fæſulani à Florentinis in ciuitatem accepti 2
Fæſulanum ſuburbana Medicũ uilla 638
Fadilla Commodi imp. ſoror 322
Fadillæ ad Cõmodum imperatorem oratio ibid.
Falcidia lex 71
Fames Romanorum 322
Famoſus digitus 279
Farina hordeacea, quæ ſua natura frigida, cur pituitates reſoluat. 415
Fatum Homeri 482
Fauſtus Meleuitanus Manichæorũ propugnator 232
Fauſtina Auguſta 318
Fauſtinæ Auguſtæ nummus 281
Febricitantes cur aliquando cutem nigerrimam habeant 425
Febris quartana à Fauorino laudata 34
Febris quotidianæ natura 422
Febrium diuerſitas unde naſcatur. ibid.
Febrium differẽtia unde potiſsimũ naſcatur 412
Federici Vrbinatis laus 31
Felicitatis ſummæ ſcopus 455
Ferdinãdus filius Alfonſi Siciliæ regis 510
Ferdinandus Siciliæ rex, Alfonſi pater ibid.
Ferdinandi regis interitus 22
Ferrariæ oppugnatio 90
Ferrumen pro bitumine 61
Ferruminis nomine quid intelligendum 64
Ferruminator 58.60
Ferruminatoris uocabulum cur uideatur exoſum 64
Ferruminandi uis & natura perpaucis cognita 61
Ferrumino 59
Feſcennini uerſus Satyrici 514
Feſti Antonini liberti mors et ſepultura præclara 356
Figuræ & modi Dialectici 521
Finis rerum in omnib. potiſsimum ſpectandus 399
Flantes cur calida refrigeremus, calefaciamus frigida 420
Flaua bilis 417.424
Florentia ad Romæ imaginem condita 2
Florẽtinæ ciuitatis primordia. ibid.
Florentini Inſtitutionũ libri 72
Fluctus decumanus 298
Fluentini 3
Fœminæ cur ocius caneſcant 411
Fœnũ in cornu habet, prouer. 505
Formicæ cur oleo pereant 420
Franciſcus Gaddius Florentinus 8
Frãciſcus Medicũ mercaturæ præfectus à Bandino necatur 639
Franciſcus Pactius 636
Franciſcus Pactius Antonij filius, et nepos Iacobi 637
Franciſcus Pactius è curia uulneratur 639
Franciſcus Pact. ſuſpenſus à Saluiato dentib. impetitur 640
Franciſcus Puccius 75
Franciſcus Saluiatus archiepiſcopus Piſanus, cum Pactijs aduerſus Medices conſenſit 636
Franciſcus Saluiatus coniurationis Pactianæ princeps 637
Franciſcus Saluiatus Cæſarem Petrutiũ interficere conatur 639
Franciſcus Saluiatus archiepiſc. à Medicis capitur, & è feneſtris curiæ ſuſpenditur 640
Franciſcus Saxettus Florẽtinus negotiator 245
Franciſcus Soderinus 112
Franciſci Pactij mores, & uitæ genus 637
Franciſci Puccij de Politiani Miſcellaneis iudicium 77
Fraterculus Gigantis 241
Friderici imp. encomium 207
Friderici imp. Rom. in literas atq; homines literatos amor 210
Frigidum omne neruis infenſum. 420
Fugare pro Citare 172
Fumus Troes, unde tractum 299
Fulguris cauſa 481
Funerum imagines 351
P. Furius Anthianus iureconſ. 72

G

Galenus medicorum omnium princeps 21
Gallicanus interfecto Gordiano bellum Romæ ciuile concitat. 384
Gallicani res geſtæ ibid.
Gallus fl. 321
Galli ſacerdotes 321
Gallorũ cantus intẽpeſtiuus 102
Ganymedis raptus 321
Gauradæ poetæ echo 244
Gaudentes cur lacrymas effundant 415
Gaudentes cur rubore ſuffundantur 420
Gaudẽtib. cur ſudor excitetur 412
Gaudium 484
Gaudio repentino cur quidam exanimentur 414
Genus quid 517
Genera decem ibid.
Geneteum promont. 1.
Genius 001
Geodeſia 466
Geographia 471
Geometria 453.466
Georgius Merula 82
Georgij Merulæ contra Polit. Miſcellanea liber 147
Georgij Merulæ & Politiani contentiones 148.149

Georgij

Georgij Merulæ in Iuuenalem anno tationes 161
Georgij Merulæ laus 146
Georgij Merulæ natura & ingenium 233, mors 153. 157
Germania olim regio parum culta 377
Germani natandi peritiſsimi ibid.
Germanorū in Italiā irruptio 373
Germanorum in ſcribendo barbaries 120
Geta ſupra matris pectus à germano fratre obtruncatur 353
Getæ cum Antonino de imperij diuiſione diſceptatio 353
Getæ ingenium & mores 352
Getæ Seueri imperatoris filij res geſtæ 350
Gigantis fraterculus 241
Gigantes cur terræ filij eſſe fingantur 242
Giraſæ animalis deſcriptio 228
Gladiatorum diuerſæ ſpecies 470
Glaphyrus 156
Gloria uirtutis premium 500
Gloriæ inanis contemptus 402
Gloriæ inanis ſtudium ſapienti fugiendum 396
Gnaphalij herba 98
Gnathonis Siculi luxus 200
γνῶμαι ex Homero 485
γνῶθι σεαυτόν, è cœlo delapſum 512
Gordianus ex proconſule imperator declaratur 379
Gordianus ſibi infert manus 382
Gordiani ad Romanos literæ 380
Gordiani cum Capelliano ſimultates 382
Gordiani imperium 392
Gordiani liberalitas & magnificentia 380
Gordiani ſtatuæ & imagines 379
Graculatim 12
Græcæ linguæ penuria 226
Græca qua ratione in linguam latinam cōmode transferenda 203
Græcorū ſeditiōes pernicioſ. 340
Grammatica eiuſq; diuiſio 471
Grammatiſtæ 460. 471
Grammaticorum officia 460
Grylli cum Vlyſſe diſputatio 18
Guido dux Vrbinatum 103
Guilhelmus Pactius Frācíſci frater, maior natu 637
Guilhelmus Pactius Laurentij Medicis ſororem Blancam in uxorem duxit ibidem
Gulæ remedia 401
Gymnici 470

H

H literæ uſus 242
Habere 519
Habitus 519
Harmonia cœleſtis 231
Harmoniarum canonicæ rationes (466
Harmonides 169
Harpagía Græcorum uaſa 425
Harpocrates 295
Harpocrates cur Aegyptiorum ſacris adhibitus 296
Harpocratis admirabilis natiuitas
Harpocratis ſilentiū, ibid. (296
Harpocratis ſtatus & ſimulachrū ibidem
Hebræorum domus 115
Hecales erga Theſeum hoſpitalitas 246
Hecaleſion ſacrum ibidem
Hedera à ciſtbo quomō differat 19
Hederæ deſcriptio 20. 24
Heliogabalus deus etiam à Romanis cultus 365
Heliogabali ſacerdotes 363
templum ibidem
Hemina menſura 146
Hemitheon Sybarita cinædus 239
Heracliti ad Hermodorum epiſtola 266
Herbam porrigere prouerb. 13
Herculea concha 237
Herculeus menſis 324
Herculeus nodus 182
Herculei labores 64
Hercules atra bile uexatus 302
Herculis cum Pygmæis pugna 65
Herculis inuicti ſtatua 56
Helena meretrix quæſtuaria cur dicta 285
Helena à Zeuſe Heracleote depicta 284
Hermolaus Barbarus patriarcha Aquileienſis 9
Hermolaus Contarenus 32
Hermolai Barbari de fato, caſu & fortuna diſputationes 42
Hermolai Barbari in Plinium caſtigationes 204. in Themiſtij paraphraſin præfatio 200
Hermolai Barbari in Plinium annotationes 164
Hermolai Barbari in Plinium lucubrationes 189
Hermolai Barb. laus 42. 61. 301
Hermogeniani epitomatum in iure libri 72
Herodes Atticus 2
Herodianus à Politiano in latinum conuerſus 58. 80. 82
Herodiani laus 80
Herodiani uerſio ab Auguſtino Maffeo emendata 80. 81
ab Herodiano quàm fœliciter imperatorum hiſtoria deſcripta 313
Herodotus 59
Heſiodi in reponēdis beneficijs lex 24
Hieronymus Balbanus 112
D. Hieronymus Ciceronianus 59
Hieronymus Donatus 42
Hieronymus Ferrarienſis inſignis theologus 48
Hieronymi comitis familia cum Pactijs coniurat 637
Hieronymi Donati laus 301
Hieronicarum mos 308
Hieropolis ciuitas 394
Hiſtoria eiuſq; diuiſio 471
Hiſtoria ornate eſt ſcribenda 139
Hiſtoriæ laus 201. 499
Hiſtoriæ uarietas lectorem delectat 503
Hiſtoriæ utilitas ibidem
Hiſtoriæ qua ratione, & quo animo à diuerſis conſcriptæ 314
Hiſtorici officium 504
Hiſtorici & legumlatoris idem finis 501
Hiſtoricorum, qui de Romanis imperatorib. ſcripſere, nomina 506
Hiſtriones Romā ex Hetruria acciti 514
Hiſtoricus ſtylus 471. 501
Homerus futurorū præſcius 489
Homerus in rhetoricis excellentiſſimus 486
Homerus picturæ magiſter 489
Homerus ſimulacrorum primus inuentor 481
Homerus tragœdiæ & comœdiæ author 489
Homerus uariè de iiſdem rebus ſen-

tit 485
Homeri de omni genere uitæ præcepta 486.487
Homeri encomium 477.478
Homeri hymni 164
Homeri laus, ex Plinio 490
Homeri laus, ex Quintiliano 486 item ex Dione Chryſoſtomo ib.
Homeri opera Indi ſua lingua habent 491
de Homeri patria contentio 478
Homeri ſcripta qua ratione legenda 479
Homeri uerſio 108
Homericæ lectionis utilitas 479
Homericus ſtylus 479
Homo animalium omnium cur ſapientiſsimum 455
Homo nil aliud eſt quàm anima 482
Homo quid 405.406
Hominis fragilitas 456
Hominis indocti miſera conditio 404
Hominis uera imago 393
Homini reuera quæ propria 394
Homines breui ſtatura cur procèris ut plurimũ ſint prudẽtiores 415
Homines cur frequentius & uehementius quàm bruta ſternutent 454
Homines ſtolidi cur prudentes ac robuſtos gignant liberos 415
Hominum ſtercus cur peſsimè omnium oleat 415
Horatius cur in ueteres poetas inuectus 41
Horatius in ſatyris laudatiſſ. 516
Hordeacea farina frigida cũ ſit, cur pituitates reſoluat 415
Hordeo exuſto & ſicco equorũ ulceribus impoſito, cur non albus cicatricibus pilus, ſed reliquo cõcolor innaſcatur 434
Hortenſii eloquentia 454
Hoſpitalitatis uiolatæ memorabile exemplum 437.438
Humeri cur facile pruriant 419
in Humidioribus locis herbæ cur nõ proueniant 411
Humorum in corpore humano ratio 412
Hyades 3
Hydaſpes Aethiopum rex 228
Hydraulica organa 468
Hyemis deſcriptio 475
Hypochondrij morbus 46
Hyſca 194

I

Iabolenus iureconſultus 70
Iacobus Antiquarius 27
Iacobus Pactius princeps Pactiorũ homo nequiſsimus, omnibusq; inuiſus 636.637
Iacobus Pactius è curia uulneratur 639
Iacobus Pactius fuga ſibi conſulit 640
Iacobus Poggij filius cum Pactianis coniurat 637
Iacobus Poggij filius in carcerẽ cõijcitur 639
Iacobus Poggius è feneſtris curiæ ſuſpenditur 640
Iacobus Saluiatus, frater Iacobi archiepiſcopi Piſani 637
Iacobus Puſterella 45
Iacobus Rufinus 51
Iacobi Saluiati laqueo ſuffocantur 640
Iamblichus Platonicus philoſophus 458. eiusq; egregium figmentum ibidem
Iani ſacrificia in Calend. Ianuarij fieri ſolita 325
Ictericí cur difficile deijciãt, & deiectio ijs alba ſit 424
Ictericis cur dulciſsima queq; amara uideantur 426
Ignis cur imperatoribus antiquitus præferrebatur 380
Ignis cur non omnium lapidum attritu eliciatur 419
Ignem cur cernere putent qui colaphis tractantur 419
Imaginationi quomodo moderandum circa ea quæ fugienda ſunt 397
Imagines funerum 351
Imitari debemus plurimos, eosq; optimos 495
Imitationis legittimæ præcepta 113
Imolare, prima breui 13
Imperare bene, difficillimum, Diocletiani dictum 505
Imperatorum poſt mortem conſecrationes 351
Imperium uenale 331
Indiuidua 517
Infantes æſtate cur ſiderentur, aut æſtu laborent 426
Infantes cur moueantur obdormientes 430
Infantes cur natura excrementoſi 411
Infantes cur non ita facile ut uiri luxentur 430
Infantes, iam editi cur in fletum prorumpant 420
Infantes nutricis cantum audientes cur uagitum ſiſtant 430
Infantum in utero materno conditiones 417
Inguen cur pedum offenſione tumeſcat 427
Innocentij 8. Pont. in Politianũ gratitudo 105
Intellego 60.63
Intercutis morbo laborantes cur uehementius bibant 422
Interlego 63
Inteſtinorum difficultatibus laborantes cur papirum conglobatam in anum inijciant 425
Inuidiæ deſcriptio 216
Inuidiæ natura 38
Ioannes Baptiſta ex oppido Monteſicco coniurationis Pactianæ particeps 637.638
Ioannes Laurentius Venetus 264 284
Ioannes Medices 49
Ioannes Tornabonus 10.102
Ioannis Benedicti Fulginatis miſerabilis caſus 186
Ioannis Pici hexameron 196
Ioannis Pici Mirandulæ laus 310
Ioannis Portugalliæ regis res geſtæ 136
Ioannis Zezis Grammatici laus 3
Iocaſta Antonini imp. mater 356
Iolai & Herculis hiſtoria 85
Ionum deliciæ atq; luxus 240
Iphinoe Prœti filia quo remedio à furore liberata 265
Ira quid 426
Ira erectæ naturæ interdum argumentum 475
Ira unde proueniat 483
Iræ natura 475.476
Iracundiæ remedia 410.476
Iraſcentes cur uehemẽtius ſuſpirent 414

Iraſcen-

Iraſcentib. cur oculi ignei fiãt 426
Iris uentos præcedit 481
Irrupta copula prouerb. 12
Iſicium cur difficilius concoquatur 414
Iſsicus ſinus 341
Iſthmia certamina 156
Iudicium amici 24
Iulia Antonini imp. mater ſibi ipſi infert manus 359
Iuliæ Auguſtæ ad filios de imperio contendentes oratio 353
Iulius Celſus iureconſultus Hadriani imp. conſiliarius 70
Iulius Frontinus 2
Iulius Paulus iureconſultus 71
Iulij Pollucis ad Cõmodum imp. de Grãmatica lucubrationes 204
Iulianus 1
Iulianus larga pecunia Romanum emit imperium 332
Iulianus Medices 49.636
Iulianus Medices à Bandino in templo D. Reparatæ necatur 638
Iulianus præfectus 364
Iulianus princeps 67
Iuliani imp. ad Seuerum literæ 336
Iuliani cædes 35
Iuliani interfecti caput ad Macrinũ delatum 364
Iul. imp. luxus atq; mollities 332
Iuliani Medicis in equeſtri certamine uirtus 640
Iuliani imp. mors 337
Iunij Norbani lex 296.297
Iunius Philargyrus 300
Iupiter Hecalus 246
Iupiter Olympicus Phidiæ unde deſumptus 481
Iupiter Triphylus 255
Iupiter ξένιος 11
Iouis Capitolini ludi 319
Iouis Capitolini templum 383
Iouis Genetæi promontorium 11
Iouis educatio atq; ſepulchrum 256
Iouis in Creta antrum 256
Iouis Triphyli templum 255
Iuramenti apud Romanos ſanctitas 391
Iuriſconſultorum de Homero opinio 491
Iuriſconſultorum in tradendis legibus inconſtantia 135
Iuriſconſultorũ omniũ elenchus 70
Ius ciuile Romanum 468
Ius Pontificium 469
Iuris ciuilis primi conditores 70
Iuſiurandum 401
Iuſti conſtitutionum libri 72
Iuſtiniani Cæſaris in legibus promulgandis ſtudium 140
Iuſtiniani digeſtorum archetypus in Florẽtina curia obſeruatur 260
Iuſtiniani inſtitutiones iuris à quibus conſcriptæ 296
Iuſtitia omnium uirtutũ mater 511
Iuuenalis 516
Iuuenalis Quintiliani diſcipulus 497

L

Labeonis Antiſtij natura & ingenium 70
Lacena 67
Lacedæmonij annulorum inuentores 257
Lacedæmoniorum chorus triſatus 299
Lacedæmoniorũ horrendus terræmotus 439
Lacedæmoniorum nudorum atq; unctorum exercitationes 258
Lacedæmoniorum ſaltationes 257
Lacerna quid 154
Lachrymas cur gaudentes aut ridentes effundant 415
Lactantij de Tertulliano iudiciũ 52
Lactantij in ſcribendo ſtylus qualis 123
Lada herba 20
Lætus à Seuero propter proditionẽ grauiter mulctatus 344
Lætus Cõmodi imp. militum præfectus 325
Læti præfecti de morte Cõmodi imperatoris ad milites oratio 328
Læti Seueri imp. ducis contra Albinum res geſtæ 344
Lampetra 194
Lampreda ibidem
Landinus Politiani præceptor 62
Landini cum Politiano amicitia 61
Latinus num à mœchis cæſus 101
Laureatæ uirgæ 380
Laurentius Caualcantis Laurentij Medicis pediſſequus in brachio uulneratur 638
Laurentius Medices 636
Laurentius Medices alter Mecœnas 162
Laurentius Medices amicorum manu ex templo deducitur 639
Laurentij Medicis ante mortẽ præclara confeſsio 47
Laurentij Medicis encomium à Politiano decantatum 46.49
Laurentij Medicis funus 50
Laurentij Medicis laus 31.301
Laurentij Medicis mors 45
Laurentij Medicis mors à Politiano eleganter deſcripta 47.48
Laurentij Tornaboni in equitũ certamine fortitudo 167
Laurentij Vallæ laus 33.34
Legumlatoris & hiſtorici idem finis 501
Lemniſci 283
Leonis natura 434
Lex Cincia, Falcidia & Vellia 71
Lex Romana in Satyricos 515
Libanius 1
Libertatis ſtatus 324
Libertas uera 397
ad Libertatem uia expeditiſs. 397
Libertini deditij 297
Libra Attica 145
Libra Romana ibidem
Libræ nota 146
Lictorum officium 307
Ligno procul uapulante, cur ictum cõtinuo uideamus, ſonum autem exaudiamus ſerius 416
Linea quid 408
Lippus cur ſanum lippitudine afficiat 416
Liquere prima breui 14
Literæ primum à Cadmo in Græciam ex Phœnicia allatæ 259
Literarum cõmendatio 202.
de Literis triumphare qui dicantur 66
Liuius Andronicus primus ad legẽ Fabularũ Satyras reuocauit 514
Liuij in ſcribendo ubertas 114
Liuoris deſcriptio 216
Logica & dialectica differunt 529
Lolio uictitare 281
Lucianus 1
Lucianus Syrus Epicteti lucernam tribus drachmarum millibus emptam narrat 394
Lucilla à Perennio occiditur 319
Lucilius poeta Satyricus 515

L. Lucullus quomodo in ſapientiſsimum ducem euaſerit 499
Lucij Phoſphori pontificis Signini de Politiani epiſtolis iudiciū 33
Lucretij in ſcribendo ſtylus 125
Lucretij lucubrationes quo ſtylo cō ſcriptæ 123
Ludi ſcenici apud Romanos, cum peſtilentia laborarent 514
Ludi ſeculares 271. & inde
Ludi theatrales 274
Ludorum diuerſus apparatus 470
Ludi ſtudium omnibus innatum 18
Ludouicus Bologninus inſignis iureconſultus 162
Ludouici Sfortiæ uicecomitis laus 146
Lugdunum Galliæ oppidum à Seuero imperatore captum atq; direptum 344
Luna ſilens 308
Lunæ curſus 305.306
Lunæ equi 169
Lunæ incremēta et decremēta 170
Lunæ in Meſopotamiæ tēplū 359
Lunæ natura 420
Lunæ templum ab Antonio imperatore ædificatum 366
Luſcini 422
Luſcioſi 281
Lycurgus legum ſuarum ex Homero exempla deſumpſit 486
Lydius lapis prouerb. 13
Lyſimachi regis facies in nomiſmatis cur cornigera 286
Lyſippus Sicyonius artifex 265
Lyſippe Prœti filia furibunda quomodo ſanata 265

M

Macarij Mutij de miſcellaneis Politiani iudicium 86
Macedo ob inſignem perfidiam ſupplicio afficitur 376
Macedo ob interfectū hoſtem à Maximino ſupplicio afficitur 376
Macedonis Oſrhœnorū præfecti, in Quarcinum crudelitas 376
Macri iurecōſulti lucubrationes 72
Macrinus ab Antonino fugatur 364
Macrinus imp. Marci æmulus 364
Macrinus interfecto Antonino inuadit imperium 359.360
Macrini contra Antoninum bellum 364
Macrini cum Artabano rege conflictus 360 fœdus 361
Macrini ex Antiochia ad S.P.Q.R. literæ 361
Macrini imp. ad milites de reſiſtendo Artabano oratio 360
Macrini imperatoris ueſtitus & inceſſus 362
Macrini in oriente res geſtæ 358
Macrini luxus & mollicies 362
Macrobius propter rapſodias ſuas notatur 180
Magiſtri eccleſiarū ſupercilioſi 52
Magnetis natura 410
Magni Patricij cōtra Maximinum imperatorem res geſtæ 376
Mammea cum filio Alexādro à militibus obtruncatur 375
Mammea Mœſæ filia 362
Mammeæ auaricia 369.375
Manilius Rallus Græcus 284
Manius 241
Manius Valerius Tarentinus 272
Manſuetudinis præcepta 403
Manto dea 304
Manumiſsionis ius & ceremoniæ 297
Manumiſsi patronorum nominibus appellati 292
Marcellus iureconſultus 70
Marcus Varrò familiam ſuam ratione certa à peſtilentia uindicauit 98
Marci Antonini Veri imp. morituri ad ſuòs oratio 315. mors 316
Marianus Genazanenſis theol. 52
Mars Romanæ originis autor 3
Martis apud Florentinos templū 3
Martis cum Adonide fabula 236
Martis Vltoris templum 3
Martis zelotypia 236
Marſilius Ficinus mortui Platonis Aeſculapius 83
Marſilij Ficini encomium 217
Marſypium 243
Martiæ contra Cōmodum maritum querelæ 326
Martialis Antonini centurio ad cædem imperatoris à Macrino incitatur 359
Martialis poema Longobardis characteribus conſcriptum 245
Martialis de Quintiliano preconium 498
Martianus iureconſultus 70
Martiatum unguentum 188
Martij panes ibidem
Martij paſtilli ibidem
Mater deorum ex Peſsinunte Romam translata 321
Maternianus 358.359
Maternus Cōmodo inſidias ſtruens ſecuri percutitur 321
Materni militis contra Cōmodum res geſtæ 320
Matrimonij quieti ſymbola 281
Matthæi Franci encomium 144
Matthiæ Pannoniæ regis bibliotheca 117
Matthiæ Pannoniæ regis encomiū 116
Matutæ matris ſimulachrum de cœlo lapſum 321
Matutinus, prioribus correptis 13
Mauri cædis auidiſsimi atq; periculorū omniū contemptores 341
Mauri iaculatores ibidem
Mauri iaculatores optimi 373
Maurifii iaculatores excellentiſsimi 376
Maximiliani Cæſaris laus 207 208. res geſtæ 209
Maximiliani regis in bonas literas atq; literatos amor 210
Maximinus ex molli māſuetoq; imperio ad tyrānidis crudelitatem uertitur 375
Maximinus, ex opilione miles, ex milite imperator factus 375
Maximinus oblatum à militibus imperium recuſat 375
Maximinus ob rerum geſtarū gloriam à militibus imperator contra Alexandrum electus 374
Maximinus pontem ſupra flumen contra Germanos ædificat 376
Maximini auaricia & crudelitas 377. ſacrilegia 378
Maximini contra Aquileienſes res geſtæ 386. & inde
Maximini contra Gordianū ad milites oratio 381
Maximini cum Germanis pugna 377
Maximini imp. interitus 380.389
Maximini imperatoris militaris fortitudo 377

Maxi-

Maximini in Germanos expeditio 376
Maximini in Italiam profectio 385
Maximini in re militari ſtudiũ atq; fortitudo 374
Maximini in Sirmio hyberna 377
Maximini interfecti caput Romam miſſum 390
Maximi ad milites oratio 391
Maximi contra Maximinum conſpiratio 384
Maximi cum Albino de imperio cõtentio 392
Maximi res geſtæ 383
Maza 188
Mechanicæ artes 467
Mecœnatis res geſtæ 384
Media regio à Romanis depopulatur 371
Mediæ deſcriptio 371
Medicamenta uniformia cur interdum uim habeant contrariam 427
Medicina circa quæ uerſetur 488
Medicina Homero maximè probatur ibidem
Medicina naturalis philoſophiæ alumna 463
Medicina practica in tribus conſiſtit 488
Medicina quid ibidem
Medicus digitus 279
Medicum apud Florentinos inſignis bibliotheca 26.103
Medicum familia hoſpitalitate inſignis 638
Medicũ familiæ inſigne, Pilæ 640
Medici ueterinarij 463
Medicorum inſcitia perniciofiſſima 19
Medimnus 146
Medium dialecticum quid 521
Melampodion hellebori genus 265
Melampus paſtor Prœti filiarum purgator 265
Melampodis diuinationes ibidem
Melinæ in urbe Romana domus 264
Melo fl. 259
Mel ſua natura dulce cur ictericis amarum uideatur 426
C. Memmij ædilis apud Rom. ludi 297
Memoria duplex 472
Menander iureconſultus 72
Menedemus philoſophus 514
Menephili in Italia res geſtæ 386
Menſium nomina à Cõmodo imp. mutata 324
Menſurarum uaria genera 145
Mercurius cur non ex omnì ligno fingatur 447
Merula Homeromaſtix 75.76
Merulæ uita & mors 75.76
Metrica muſica 465
Metus unde 483
Metu nimio cur nonnulli extincti 413
Mileſii delicijs atq; luxu notabiles 240
Mileſii lapides 339
Mileſiorũ in ueſtitu mollicies 240
Milliens 63
Mineruæ Itoniæ ara 439
Mineruæ natiuitas 300
Mineruale munus 243.244
Mingentes cur flatũ etiã edãt 416
Mingentes cur horrore concutiantur 429
Miſericordia cõtraria Nemeſi 483
Modeſtini reſponſorum libri 72
Modius 146
Modulationis tropi 465
Mœſa Phœniſſa 362
Mœſa poſt obitum in dearum numerum relata 368
Mœſæ diuitiæ ampliſſimæ 363
Momus 4
Momi perſonam induere 5
Montium deſcenſus cur aſcenſu facilior 420
Morgantes 61
Mors omnibus hominibus cõmunis 331
Mors unde hominib. terribilis 395
cum Mortuis non eſt cõcertandum 40
Mulæ cur ſteriles 433
Mulieres cur acuta ſint uoce 425
Mulieres cur citius caneſcant 411
Mulieres cur non barbatæ ibidem
Mulieres cur poſt decimumquartũ annum dominæ uocitentur 403
Mulieres literis pollentes 38
Multociens 63
Mundus quid, ſecundũ Stoicos 482
Mundi forma, magnitudo, etc. ab Homero amenis figmentis expreſſa 480
Munerum corruptio 331.332
Mures opici 155
Murium ſalacitas 306
Muſca à Luciano laudata 34
Muſcæ cur oleo pereant 420
Muſica à natura hominibus inſita 430
Muſica & eius uariæ diuiſiones 464
Muſica Pythagoræ & Homero laudatiſſima 485
Muſicæ uſus & utilitas 422
Muſicæ cõmutationes 465
Muſicalium inſtrumentorum uariæ ſpecies 238
Muſicalium uocum differentia 485
Q. Mutius Scæuola iureconſ. 70
Myſtron menſura 146

N

Nabla organi ſpecies 238
Nannes notarius Piſanus coniurat cum Pactijs 638
Narciſſus Cõmodi imperatoris interfector 326
Narrationis rhetoricæ uirtutes & uicia 472
Naturæ uoluntas 399
Naula inſtrumentum muſicum 238
Naulia ibidem
Neceſſarium 521
Neleus Scepſius librorum Ariſtotelicorum comportator 227
Nemei ludi 156
Nemeſis contraria miſericordiæ 483
Neptunus contra terræmotus à ſuperſtitioſa gẽtilitate cultus 169
Neptuni ſtatua 73
Neptuni inſignia 169
ſacrificia ibidem
Neratij Priſci regularum & membranarum libri 70
Nero cur à philoſophiæ ſtudio à matre reuocatus 454
Neronis imp. crudelitas 315
Neronianæ ſtatuæ aſcopera collo deligata 243
Neuel inſtrumentum muſicum 238
Nicander Colophonius 183
Nicolaus Leonicenus Galeni interpres 18
Nicolai Leoniceni de Plinio iudicium 22

Nicolaus Nicolus 256
Nicolaus Perottus 309
Nicolai quinti Pontificis max. de poetis ſui tēporis dicteriū 204
Nicolaus Valorius 77
Nicoſtratæ natiuitas 439
Niger Cōmodi imp. æmulus 332
Niger Romani imperij uindex 332
Syriæ præfectus ibidem
Conſul Romanus ibidem
Niger acie à Seuero uincitur 340
Niger contra Iulianum imperator declaratur 333
Nigri in ludis edendis magnificentia ibidem
Nigri contra Seuerum imp. expeditio 339. ad populum Antiochenum oratio 333
Nigri fuga & mors 342
Nigri amici à Seuero ſupplicio affecti ibidem
Nigra bilis 422
Nilotica papyrus 259
Nilus fl. 259
Ninus Bononienſis 29
Nobilitas uera in quibus potiſsimū conſiſtat 361
Noctu cur dolores magis intendantur 429
Noctua cur ab omnibus auibus ſalutetur 461
Nomen quid 519
Nomina prænominaq; unde hominibus indita 292
Nonæ Caprotinæ 182
Nonus numerus pangendis arboribus & gignendis liberis aptus 169
Nouenarius numerus 484
Numidæ iaculatores & equites optimi 382
Numerus par infelix 484
Numerus impar felix eſt ibidem
Numerorū diuerſorū rationes 169
Numiſmatum fides 56
Nutrices colendæ 531
Nymphales 61

O

O, litera eſt nouitia 63
Oaxia ciuitas 257
Oaxida inſula 257
Obolus 145
Obruſa 76
Obſcœnum, uocabulum, unde deductum 514
Obſides 340
Occaſionis ſimulachri deſcriptio 265
Ocni aſellus 295
Octauus numerus ſuibus & bubus caſtrandis accōmodatus 169
Oculi ulcera 428
Oculi animi ſpeculum 420
Oculos uerentes cur deijciant ibid.
Oculos ſtrabos habentes cur gemina non cernant 430
Officia habitibus penſantur 400
Oleum epotum cur uomitum moueat 431
Oleo cur animalia inſecta pereant 420
Olympica certamina 453
Opici 155
Oppoſita 478.518
Optica 467
Optimates Homerici 487
Oratio 519
Orationis uirtutes & uitia 122
Orationis rhetoricæ partes 472
Oratoris & philoſophi differentia & pugnantia 121
Oratoriæ artis utilitas 496
Organorum uaria nomina 238
Orgia feſta 321
Orichalcum ſecunda breui 14
Orphica ſacra 235
Oſrhoœnorum militum à Maximino imperatore defectio 376
Oſrhoœnorū contra Germanos res geſtæ 373.376
Oſcitantem uidentes cur ipſi quoq; oſcitent 416
Oſtentationis uitium fugiendū 403
Ouidius Priapei carminis autor 276
Ouum ſi aſſetur cur rumpatur, ſi uerò bulliat in aqua, minime 427
Oua decumana 298
Oxis fl. 257
Oxybaphus menſura 146

P

Patientiæ præcepta 403
Pacis apud Rom. templum 280
Pacis templum incendio conſumptum 323
Pacificatoris ſtatua qualis 280
Pactianæ coniurationis principes 637
Pactiorum familia Medicis infeſta 636
Pactiorum natura 637
Pacuuij Atreus 474
Paladium ex Troiano incendio Romam aductum 324
Palatina bibliotheca 56
Palearum natura 429
Palladis lauacra 288.289.292
Palladis & Tireſiæ fabula 288
Palladis apud Romanos ſimulachrum 264
Palladis ſimulachrum ab Antonino imp. in aulam translatum 366
Palliditas cur timorē ſequatur 412
Palliolum 155
Pallor cur magnum dolorem ſequatur 420
Pandulphus Oricellarius 245
Pandulphi Collenutij laus 98.99
Pandulphi ad Maximilianum oratio 99
Pane magno deuorato cur ſingultientibus, ſpiritus retentio ſingultum reſoluat 418. cur triſte aliquid audientes non ſingultiant ibidem
Pan Romanis belligerantibus adfert auxilium 251
Panici terrores 249.250
Panici tumultus 250
Panicorum phantaſmata ibidem
Panniculus minoris notæ mimus 101
Panthera animalis deſcriptio 228
Papinianus iureconſultus 70
Papinianus iuris aſylum 70
Papinianus eo quod parricidiū excuſare noluiſſet à Caracalla occidi iuſſus 71
Papiniani apud Seuerum imperatorem exiſtimatio atq; potētia, ib.
Papinianiſtæ 70
πάππος Silenorū quis, & quomodo in fabulis inducitur 514
Papyri uaria genera 283
Parentes Homerici 487
Parricidij pœna 243
Parthicum bellum 361
Parthorum regio à Romanis miſerè depopulatur 372
πάθη ad cor pertinent 483
Pathici 231
Patroclus, Achille iunior 263

Patrocli

Patrocli mors & præclara ſepultura 356
Pauor 302
Pedalij gẽs Indorũ, nihil à dijs aliud in ſacrificijs poſcunt, quàm iuſtitiam 512
Perennius prætorianorum Cõmodi imp. præfectus 318
Perennij crudelitas 319
Perennij in Cõmodum imp. inſidiæ 319.320 mors ibid.
Perfidiæ punitæ memorabile exemplum 376
Peripateticæ ſectæ placita unde petenda 205
Peroratio rhetorica 472
Perſarum belligerandi ratio 371
Perſius ſatyricus 516
Perſius Satyras ſuas de Platonis Alcibiade effinxit 229
Perſii uita 516
Perſonæ fabularum 513
Perſuadendi ratio in quibus conſiſtat 124
Pertinax imperatoris poſſeſsionibus nomen ſuum inſcribi prohibet 330
Pertinax poſt Commodũ interfectũ ad adminiſtrationem imperij uocatur 327.328
Pertinax uectigalia ſuis remittit. 330
Pertinax innocenter à prætorianis militibus occiſus 331
Pertinacis Itali encomium 327
Pertinacis popularitas 330
Pertinacis morum uitæq; modeſtia atq; humanitas ibid.
Pertinacis in reb. aduerſis magnanimitas 331
Pertinacis ad ſenatũ oratio 329
Pertinacis ad milites ſeditioſos, ſibiq; maximè inſidiantes oratio. 331
ſine Perturbatione externis rebus quomodo abſtinendum 396
Perturbationum declinatiões 395
Perturbationum omniũ in homine ratio 406.407
Perturbationibus humanis quomodo reſiſtendum 395.399
Peruſini proſcripti, Pactiorũ ſocij, curiam occupant, ibiq; à Medicis trucidantur 639.& 640
Pes Romanus 146
Peſsinũtia dea Romã trãſlata 321
Peſtilentia laborantes cur alij pereant, alij minimè 423
Peſtis ingens 322 remedia ibid.
Peſtis remedia certa 98
Petrus apoſtolus 507
Petri ſucceſſor 508
Petrus Contarenus 30.32.244
Petrus Franciſcus laqueo ſuſpenditur 640
Petrus Leo propter obitum Laurentij Medicis ſeſe in puteum præcipitauit 45.& 50
Petrus Medicès 49 eius laus 46
Petri Medicis in certamine equeſtri fortitudo 3.& 167
Petrus Pactius frater Iacobi & Antonij Pactiorum 637
Phæcaſii dij 155
Phalaris 1
Phidiæ Iupiter Olympicus 481
Phidon Peloponneſiorum principatum ambit 437
Philadelphus 2
Phliaſius Timon 455
φιλαυτία 24
φιλαυτία à natura homini inſita 512
Philippus Valor Florentinus 116
Philippi Beroaldi de Politiani in Statiũ annotationib. iudiciũ 76
Philocommodus 326
Philoſophia quid 452
Philoſophia actualis 463 moralis 468 naturalis 463 rationalis ibid.
Philoſophia medicina animi 455
Philoſophia uerborum pompa non indiget 124.127
Philoſophiæ laus 446.447
Philoſophiæ utilitas 201
Philoſophiæ fructus 404 diuiſio ibid. & 462
Philoſophiæ iucunditas 458
Philoſophiæ ſtudium longè facillimum 456
Philoſophiæ ſtudiũ qua ratione amplectendum 398
Philoſophiæ præmia 457
Philoſophiæ ſtudium cur à multis damnatum 454
Philoſophiæ inſectatores 454
à Philoſophiæ ſtudio quæ hominem auocent 398
ad Philoſophiæ ſtudium quæ commoda ingenia 447
Philoſophi & oratoris differentia & pugnantia 121
Philoſophi ueritatis amatores 454
Philoſophi diuitiarum contemptores 457
Philoſophi abſque hiſtoria parum poſſunt 501
Philoſophi cur Roma & ex tota Italia ex Domitiano pulſi 454
Philoſopho quæ fidẽ conciliẽt 124
Philoſophorum ſcripta qualia 123
Philoſophorum ueterum de Homero iudicium 490
Philoſophica uita qualis 454
Philoſtratus 1
Philoxenus luxus 200
Philyra quid 283
Phoci Bœotij hiſtoria 439
Phoci interfectores bello capti comburuntur 439
Phœdus Thebanorum princ. ibid.
Phœnices literarũ primi inuentores 259
Phyſionomia 475
Picus Mirandula literarij theatri alter Roſcius 54
Pici Mirandulæ muſæ 4 uerſiculi amatorij ab autore cõbuſti 6
Pictura muta poeſis eſt 489
Picturæ ratio 470
Picturæ magiſter Homerus 489
Pietatis ueræ officia 400
Pilæ inſigne Medicæ familiæ 640
Pileus libertatis ſymbolum 282
Pili in pedibus cur rarius caneſcant 434
Pilumnus deus 300
Piper cur nũc calefaciendi, nũc contrariam uim habeat 413
Piſana litera 140
Piſiſtratus tyrannus Homeri Rhapſodias collegit 304
Pitho dea ibid.
Pituita quartana cur diuturnior q̃ quotidiana 422
Pituitæ in pueris cauſa 411
Pitylíſma 257
Pitylizare 258
Pitylizin ibid.
Pitys 257
Pityſma 257

Planetarum nomina cur diebus indita 231
Platonis & Ariſtotelis eadem hereſis 227
Platonis de Anyto et Melito ſententia 404
Platonis de Hom. iudicium 491
Platonicorum de Aſtrologia ſententia 134
Plautianus malis artibus ambit imperium 347.348
Plautiani natura & ingeniũ. 347
Plautiani interitus 349
in Plauti Menæchmos prologus 95
Plebs Homerica 487
Plinius Dioſcoridis & Theophraſti imitator 21
Plinius iunior Quintiliani diſcipulus 497
Plinianæ epiſtolæ 1
Plinij ſenioris laus 22
Pliniana hiſtoria multis erroribus referta 194
Plotinus Platonicorũ ſummus 529
Plutarchi aliquot opuſcula à Ludouico Odaxio in latinam linguã conuerſa 31
Pluuiæ ex humidis uaporib. gignuntur 481
Pœnitentia uoluptatũ comes 456
Poeſis eiusq; partes 472
Poeſis pictura loquens eſt 489
Poetæ qui & quomodo legẽdi 513
Poetarum interpretibus quàm multa legenda 229
Poeticæ laus 532
Poggius homo maledicentiſs. 637
Politianus eccleſiaſtes 57
Politianus ducentos aureos pro Herodiani uerſione accepit 105
Politiani laus 33.34.& 37
Politiani laus à corporis & animi dotibus deſumpta 65
Politiani præceptores 17.& 259
Politiani cũ Beroaldo amicitia 17
Politiani in Ariſtot. prælectiões 83
Politiani epigrammatum liber. 66
Politiani epiſtolæ Petri Medices impulſu ab autore collectæ 1
Politiani in Merulã ſcriptum 75
Politiani Miſcellanea ante editionẽ à multis deſiderata 15
Politiani Miſcellaneorum laus 86
Politiani de ſuis Miſcellaneis iudicium 40
Politiani Nutricia 110
Politiani de laudibus poeticæ carmen 118
Politiani annotationes in Statij Syluas. 73.88
Politiani in Terentium lucubrationes 183
Politiani de ſuis lucubrationibus iudicium 61
Politiani amor fugitiuus. 92.et 93
Vide Angelum Polit.
Pollices in fauendo cur premantur, fauorẽ uerò denegando uertantur 261
Pollij uilla 74
Pollio 156
πολυαίνδgια 487
Polyanthus Cyreneus 266
Polyrrhizum herba 265
Poma aquæ innatantia cur maiora quàm ſint appareant 416
Cn. Põpeius uno digito ſcalpere caput ſolitus 231
Pomponius Lætus 262
Pomponij Læti laus 56
Põponij Melæ editiones corruptiſſimæ 204
Ponderum uaria genera 145
Populus Homericus 487
Poppyſma quid 253
Poppyſmis adorandi fulgetras mos ibid.
Porphyrius Ariſtotelis in Dialecticis æditumus 517
Porta Crucis Florentiæ 640
Poſsidonij lucubrationes 226
cum Potentioribus qua ratione uiuendum 401
Prædicabilia 471
Prædicamenta ſex poſteriora ab Ariſtotele leuiter attinguntur tanquam nota 518
Præfecti prætoriani duo à Cõmodo inſtituti 320
Prænomina unde priſcis Romanis indita 292
Præſepia 155
Priapei carminis autor non Vergilius, ſed Ouidius 276
Principes plerunq; uitioſi 505
Principia rerum duo Pythagoræ. 484
Principis inſtitutio 47
Priſcianus nobiliſſimus Grammaticus 63
Priuantia 519 Prius ibid.
Problema quid 409
Problemata obſcuriora quomodo ſoluenda 410
Probus Grammaticus 254
Prodigia 232. 439
Prodigia Laurentij Medicis mortẽ nuntiantia 50
Proditiõis punitæ memorabile exemplum 376
Prœti filiæ ab Aeſculapio ſanatæ. 266
Prœti filiæ furentes à Melampo paſtore ſanatæ 265
Proficientis ſigna 804
Pronunciatio rhetorica 472
Propoſitio demonſtratiua & Dialectica differunt 520
Propoſitionum copia 522
Proprium 517
Proſerpinæ ara 272.273
Proſeucha 291
Prouidentia ex ſententia Homeri 482
Prurientes cur ament feruida 419
cur balneas ibid.
Pſalterium organi ſpecies 238
Pſalteria ut libidines incitentur conuiuijs adhibita 238
Ptolemæi Philadelphi de Homero iudicium 490
Ptolemæi regis libido 315
Puccij Florentini laus 97. 98
Pudor cur ruborem excitet 413
Pudor cur ſudorẽ in hominibus excitet 412
Pueri cur acuta ſint uoce 426
cur à natura excrementoſi 411
Pueri cur nõ ita facile ut uiri luxentur 430
Pueri pubeſcentes cur circa annum 14 hirquiant 431
Puerorum ingenia unde dijudicanda 475
Purpuræ inuentio 237
Pygmæorũ cũ Hercule pugna. 65
Pyrrhonis dogma unde 485
Pythagoræ in numeris ſtudium. 484
Pythagoræ ſilentium 495
Pythones 473
Pytiſſare 151

Quadrati

Q

Quadrati cum Lucilla amores 319
Qualitas 518
Quantitas ibid
Quarcinus contra animi uoluntatē imperator ſalutatus, à contubernali per inſidias occiditur 376
Quarcini contra Maximinū imp. res geſtæ 376
Quarcini caput Maximino à Macedone dono oblatum ibid.
Quaternarius numerus nuptijs deputatus 169
Quindecimuirorū cōmētarij 272
Quinquatria ludi 243.244
Quinta eſſentia 224.& 226
egregiè ab Hom. expreſſa. 480
Quintiani in Commodum imp. inſidiæ 319
Quintilianus Domitiani Auguſti nepotum ex ſorore præceptor. 498
Quintilianus Plinij iunioris & Iuuenalis præceptor 497
Quintil. Senecā odio habuit. 498
Quintilianus uiginti annis Rhetoricam Romæ docuit ibid.
Quintiliani elucubrationes ibid.
Quintiliani Oratoriæ inſtitut. Ciceronis Rhetoricis pleniores & uberiores ſunt 494
Quintiliani uita 496.497
Quintiliani uxor & liberi 498
Quodannis pro Quotannis 56
Quotiens 60.62.63

R

R litera natura aſpera 60
Radagaſius Gotthorū rex apud Feſulanos trucidatus 3
Radicula comeſa cur alij fœtidum eructent, alij minimè 417
Raphael Cardinalis 638
Ratiocinatio perfecta in prima duntaxat figura reperitur 521
Ratiocinatio propriè ſumpta 520
Redemo 60
Regis mores 487
Regnādi libidinis memorabile exemplum 391
Renatus Pactius patruelis Guilbelmi 637
in Renibus ulcerum curatio cur tam difficilis 428
D. Reparatæ templū Florētiæ 638
Rhenus fl. 373
Rheni fluuij admirabilis natura. 107.373
Rheni pons ab Alexandro imp. factus 373
Rhetoricæ eiusq; multiplex diuiſio 472
Rhinocerotis deſcriptio 270
Rhintho 154
Rhythmus 465
Ridētes cur lacrymas effundāt 415
Rigentia igni admota cur uehementius doleant 417
Riſus 401.402
Riſus Catonianus 5
Robertus Saluatus 309
Roma noua 3
Roma pernicioſo deformatur incendio 324
Romæ triplex nomen 2
Romanorū militaris fortitudo 336
Romanorum nocturna ſacrificia. 235
Romanum imperium poſt interfectum Pertinacem uenale 331
Romani imperij amplitudo 336
Roſa ueneris 236
Rufini iureconſ. Regularū libri 72
Rumoti 272
Ruſticæ uitæ laudes 543

S

Sabadius deus 235
Sabecca organi ſpecies 238
Sabinus iuriſc. ab Heliogabalo occiſus 71
Sabinus pater, aut filius de iure libros ſcripſerit, dubitatur 72
Sabini urbis præfecti interitus 381
Sacerdus pro ſacerdos 63
Sacrania 334
Sacræ literæ ad monendum accommodatiſsimæ 123
Sacrificia decet eſſe pura 400
Salis natura 413
Saltationes Lacedæmoniorū 257
Saltatores ab Antonino imp. inſtituti 367
Salutis augurium 237
Saluſtij laus 60
Sambuca inſtrumentū muſicū 238
Sapientiæ cōmendatio 455
Saturnalia 325
Saturnalitium ſportulæ 244
Saturniæ leges 388
Saturnini pro Plautiano res geſtæ 347
Saturnus cur cœli filius fingatur (242
Satyra antiqua 516
Satyra hilaritatē lacrymis miſcet 513
Satyra Romanis peculiaris 514
Satyræ origo 513
Satyræ uariæ etymologiæ 516
Satyræ Menippeæ Varronis 516
Satyri qui dicantur 515
Satyrici recentiores 516
Satyrici ſcriptores, teſtimonio Socratis, præcipuè legendi 513
Satyrici ueteres 514.516
Satyricus ſtylus 516
Scæuolæ iurecōſ. lucubratiōes 70
Scalarū deſcenſus cur facilior quàm aſcenſus 420
Scauri eloquentia 277
Scazōtes uerſus 279
Scedaſus ſibiipſi infert manus 438
Scena Satyrica 513
Scenographica 467
Scepticorum hæreſis unde 485
Sciamachiæ quid 255
Sciētia ex duabus reb. emergit 523
Scortari quid 279
Scortes ibid.
Scripta doctorū non immaturè publicanda 64
Scrupulus 145
Scrupuli nota 146
Scruta 291
Seculares ludi à Seuero imp. editi 345
Seculares ludi quoties apud Rom. celebrati 273
Secularium ludorum origo & ritus 271.272.274
Seneca à Gellio notatus 41
Senes cur plerūq; tremuli 413
Senes cur potiſsimum excremētoſi & uigiles 411
Senarij numeri ratio 169
Septenarij numeri ſanctitas ibid.
Serbidius Scæuola iureconſ. 70
Serra 272
Serapio Arabs 21
Serapionis errores ibid.
Sermonis congruentia 403
Serpētes cur aqua expellātur 427
Serui Sulpitij apud Romanos ſtatua 98

Seruitus

Seruitus uera 397
Seuerianus de lunæ atq; ſolis factura cõmentum 305
Seuerus Afer Romanum ambit imperium 334
Seuerus, Auguſtus & Pertinax à militib. appellatus 335
Seuerus imperator Rom. declaratur 337
Seueri Rom. imp. arcus triumphalis 274
Seueri Afri ad milites oratio 335
Seueri Afri de Pertinace ſomnium. 334
Seueri congiarium 338
Seueri cõtra Albinum oratio. 343
Seueri cum Albino apud Lugdunũ pugna 344
Seueri de diuerſis populis præclarus triumphus 346
Seueri de Nigro uictoria 340
Seueri imp. ad milites oratio. 337
Seueri imp. contra Nigrum expeditio 339
Seueri imp. defuncti corpus Romã aduectum 351
Seueri in Albinum inſidiæ ac fraudes 342
Seueri in amicos Albini crudelitas 345
Seueri imp. in Arabiam expeditio. 345. & 346
Seueri in Armenia res geſtæ 345
Seueri in Britanniã expeditio 350
Seueri in Britannia res geſtæ 344
Seueri in milites munificẽtia 345
Seueri in amicos ſeueritas 342
Seueri imp. ſtratagema 338
Seueri imp. uirtutes ibid.
Seueri magnificentiſsima ſpectacula 345 mors 350
Sextarius 146
Sextarij menſuræ notà 146
Sextulæ pondus 145
Sextus Empiricus 266
Sextum numerum cur puellis inutilem, maribus autem generandis utilem philoſophi crediderint 169
Sibyllina oracula 275. 276
Sicyonij calcei 122
Sidera per ſudum cur brumà clariora uideantur 429
Sidonius Apollinaris 1
Sigiſmundus Stupha 639
Signorũ duodecim domicilia. 467
proprietates ibid.
Silentij commendatio & utilitas 401
Silij Italici de Homero præconium. 490
Siliquæ 145
Simul 519
Singultum quid moueat & quid ſiſtat 418
Sirmium op. 377
Sitientes cum interdum balneũ intrent, exeant autem non ſitiẽtes 417
Sixti quarti pontificis max. bibliotheca 202
Smyndiridis Sybaritæ uoluptates. 239
Socrus Mæſæ filia 362
Soæmidis mors 368
Socrates genium ſibi familiarẽ habuit 489
Socrates Homeri diſcipulus 490
Socratis erga ſophiſtas ironia 454
Socraticorum conſuetudo 64
Sol cur ceram emolliat, limum uerò induret 423
Sol cur hominem nigrum, linum uerò candidum reddat 423
Sol deficit interiectu lunæ 481
Solis ſacerdotes 363 temp'ũ ibid.
Solis templum ab Antonino ædificatum 366
Solinus ut parum de Plinio gratus reprehenditur 180
Solon Homeri imitator 486
Somniorum interpretatio 473
Somnus laſsitudines tollit 488
Somnus quomodo ex humiditate proueniat 411
Sonorũ in muſica diuerſitas 464
Soſtratus Cnidius Phari Aegyptiaci architectus 504
Spadones 154
Spadones cur acutiores habeant uoces 411. & 412
Spadones cur rem ueneream aliquo modo affectent 412
Spectaculorũ diuerſus apparatus. 470
Spectaculis quomodo utendũ 401
Specula uitrea cur uehementius ſplendeant 432
Species quid 517
Speluncæ puræ cur uocis imaginem gignant 432
Sportæ 279
Statarij ſoni 464
Statius Syluas ſuas indignas quæ ederentur cenſuit 493
Statij Syluæ à Polit. annotationibus illuſtratæ 73. 74
Stellarũ curſus ab Homero expreſſus 480
Stellarum errantium uocabula cur diebus indita 231
Stephanonis in ludis ſecularib. ſaltationes 273
Stephanus ſacerdos, Iacobi Pactij ſcriba, cũ Pactijs coniurat. 637
Stercus ferarum cur haud ita male oleat 415
Sternutatiões uehementiores unde hominibus proueniant 414
Sthenobæa Præti filia furens à Melampo ſanata 265
Stoicorum mores ac uita 5
Stolidi homines cur prudẽtes ac robuſtos gignent liberos 415
Strabones cur gemina non cernant 430
Strages cruentiſsima 342
Stratocles cur Athenienſib. uictoriã mendacioſe nuntiauerit 34
Stratonis Orchomenij in Ariſtocleam amor 436
Strobini pop. 11
Struthocameli natura 410
Studiorum humanitatis commẽdatio 202
Sturio 194
Sturnatim 12
Stylus nimis elegans reprehenſione uix caret 494
Stylus Satyrorum & Comicorum ueterum idem 516
Styli affectatio 62
Suada dea 304
Subalterna 517
Subſtantiæ primæ & ſecundæ 517
Subſtantiæ nullæ re uera ad aliquid ſunt 518
Subſtantiarũ cõmunitates & proprietates 518
Succularum ſidus 3
Sudores in corpore humano unde proueniant 412

Sue

Sues cur fimo delectentur 433
cur ſurſum ſpectantes taceant cum baiulantur ibid.
Suetonius breuis, emēdatus & candidus ſcriptor 505
Suetonij de Grammaticis & Rhetoribus claris libellus 254
Suetonij in hiſtoria laus 503
Suetonij modeſtia et prudētia 504
Sulpitianus Romanum ambit imperium 332
Sulpitius Apollinaris Gellij praeceptor 183
Sultanus Aegypti rex 228
Superficies quid 408
Succini natura 410
Surenas magiſtratus apud Perſas nomen 240
Surdi cur plerūq; etiam muti. 433
Sybaritarum deliciae 239
Sybaritici libelli ibid.
Sybarinda qui primus compoſuerit ibid.
Syllae ſtatua 356
Symmachi epiſtolae 1
Syrorum ingenia & mores 335
Syrorū leuitas & incōſtantia. 333
Syſtemata 465

T

Taddaeus Vgoletus Parmenſis 230.245
Talentum Atticum 145
Tarentini ludi 272
Taruntius Paternus iureconſ. 72
Taurus mons 339
Tauri Aethiopici deſcriptio 270
Tauri mōtis munitiones à Seueria nis militibus expugnatae 341
Tauri natura 434
Temperantiae commendatio. 447
Templa Caſtorum 367. & 368
Terentius Clemens 72
Terminus ne Ioui quidē cedere uoluit 256
Terpander Homeri imitator fuit. 485
Ter pulchrum, quod ter lectum placet, prouer. 110
Terrae filij 241. & 242
Terrae natura 413
Terraemotus horrendus 439
Tertullianus iureconſ. 72
Tertulliani laus 270
Tertulliani lucubrationes 52
Teſticuli arietini 279
Tetraones aues 271
Teuthrātia turba 251
Teutones impreſſores 59
Thalamegos nauis 181
Themiſtij uita 203
Themiſtocles diuitiarum contemptor 457. 458
Theodori Gazae lapſus 300
Theogonia 170
Theologia quid 462
Theologorum de Hom. exiſtimatio 491
Theophraſtus ab anicula notatus 2
Theophraſti libri ab Apellicōe magna mercede coempti 227
Therſites à Libanio laudatus 34
Theſei apud Hecalē hoſpitiū 246
Theſpiae primordia 291
Thymele mima 100.101
Tibarenorum mos 11
Tiberius in ſcribēdo moroſus fuiſſe perhibetur 494
Timantes pictor 5
Timor cur cauſa palliditatis. 412
Tireſiae caecitas 288
Toni tredecim 465
Tonitrui cauſa 481
Topicorum Ariſtot. ſumma 524
Totiens... 60.62.63
Tragoedia ab Hom. defluxit. 489
Tragoedia luctuoſa 513
Trechedipna ueſtis 181
Tremoris in ſenib. quae ratio 413
Triangula procul cernentibus cur rotunda putentur 416
Tribonianus iureconſ. 396
Triphoniani diſputationū libri 72
Triumphantium ſcommata 514
Triumphare de literis qui dicantur 66
Triuulci Mediolanēſ. nuptiae. 598
Troes fuimus, unde natum 299
Troianus equus 230
Troiani equi fabrica 285
Troia quando capta 308
Tryphiſiodori de Ilio capto ſcriptum 285
Tyburtina uilla 73
Tydeus Acciarinus 75
Tyrannion Grammaticus Ariſtotelis libros primū publicauit 227
Tyrannus Homericus 487
Tyrāni ueri deſcriptio. 377. 378
Tyrannorum res lubricae 378
Tyrij infecturae puniceae inuentores 237

V

Valens iureconſultus 70
Valeriae Romanae familiae origo 271
P. Valerius Publicola ludorum ſecularium primus apud Rom. autor 272
Valeſus Valeſius 271
Varro à multis aemulis notatus 37
Varro Citarinus Satyricus poſt Lucilium 516
M. Varro πολυγραφώτατος à Cic. appellatus 279
M. Varro Satyras Menippeas ſeu Cynicas compoſuit 516
M. Varronis ſciamachia 255
Vaticinijs quomodo utendū. 400 401
Vectigalia populo Rom. à Pertinace remiſſa 330
Vellia lex 71
Venationis laudes atq; praecepta. 469
Venus Apellea 66
Venus armata 67
Veneris ceſtus 236
Veneris roſa ibid.
Venereis rebus qua modeſtia utendum 401
Ventus in anguſtis locis cur uehementior 422
Venti poſt motum terrae uehementius ſpirant 481
Venti unde gignantur 481
Ventorū imminentium certa praeſagia 420
Ventorum ordo 481
Venulei ſtipulationum libri 42
Venuſia Apulorum 10
Veratrum nigrum 265
Verbum quid 519
Vergilius aut Virgilius num ſcribendum 60. 62. 286
Vergilius non eſt autor Priapei carminis 276
Vergilius num à uerēdo dictus 62
Vergilius uerſus aliquoties caudā trahentes effinxit 13
Vergilij Aeneida contra ipſius teſtamentum ſeruata 159
Veris deſcriptio 474

Veritas

Veritas omnium bonorũ fons 512
Verſuũ ſcribendorum ratio 69
Veſtæ templum incendio conſumptum 324
Veſtales uirgines uiuæ ab Antonino innocentes defoſſæ 355
Victoriæ apud Rom. ara 384
Victorinus Cæianus 89
Victus tenuitas ab Homero cõmendatur 438
Videndi uis in longo interuallo extenditur atq; reſoluitur 418
Vigiliarum in ſenibus cauſa 411
Vinum cur frigore rarius conſtringatur 431
Vinum & aqua alieno tempore febricitantibus data, cur phrenitin efficiant 425
Vinum terræ ſanguis 278
hominí uenenum ibid.
Vini uſus 488
Vino uendibili ſuſpenſa hedera nõ eſt opus, prouer. 8
Vinolentia cur multi exanimentur 413
Viri boni dijs amici 484
Virtus abſoluta in dijs reperitur. 483
Virtus ad felicitatẽ perducit. 484
Virtus ſine cæteris bonis, & citra uſum ipſum elangueſcit 484
Virtutum omnium triplex gradus. 406
Virga laureata 380
Viſus auditum præuertitur 416
Viſus ebrij cur interdum conduplicatus 430
Viſus diuerſæ rationes 413
Viſus diuerſitas unde 422
Vita hominis mercatui ſimilis 452
Vitaliani interitus 380.381
Vitia belluis attribuuntur 483
Vitrum per brumam cum calidum inijciatur, cur rumpatur. 429
Vitruuij ad Auguſtũ de Architectura libri 204
Vlcera rotunda cur difficilius curentur 426
Vlcerum in renibus cur tam difficilis curatio 428
Vlpianus Alexandri imp. conſiliarius 7
Vmbricius 155
Vncia 145
Vnciæ nota 146
Vngues mortuorum cur adaugeantur 434
in Vnguibus ſi qui affectus exiſtũt cur uehementius cruciant 418
Vnitas, principium Pythagoricum 484
Vocabula ſordida 200
Vocalium aſpirationes unde. 242
Vocis mutatio circa annum decimumquartum unde hominibus contingat 431
Vocum reuerberationes in ſpeluncis, montibus aut ſyluis unde naſcantur 432
Volatilibus cur pennas natura dederit 409
Volatilibus cur natura ueſicam & renes denegarit 427
Voluptatum remedia 401
Voluptatũ comes pœnitẽtia. 456
Voluptatibus quomodo reſiſtendum 402
Voluſius Metianus iuriſc. 70
Vomitus cur epoto oleo moueatur. 431
Vraniæ ſimulacrũ ab Antonino impiè uiolatum 366
Vrinam reddentes cur ferueſcant. 429
Vrſa Daunia 452
Vſus uerus ſcribendi magiſter 13
Vulcanus ſelectorum deorum ſeptimus 300
Vulcani natiuitas ibid.
Vulgi in rebus gerendis inſtantia. 380. 381
Vulua 155
Vxores uiris ſubditas eſſe decet, nec arcana curare 437
Vxorum erga maritos officium 403

Z

Zachariæ Calui mors 392
Zelotypia 35
Zenobiæ in hiſtorijs diligẽtia 499
Zenobius præſul Florentinus 3
Zeuſis Heracleotis pictura. 284
Zodiaci diuiſio 467
Zoilus Homeromaſtix à Ptolemæo necatus 490

FINIS.

SERIES CHARTARVM.

*ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ abcdef ghiklmnopqrstuxyz AaBb CcDdEeFfGgHhIi KkLl Omnes terniones, præter * duernionem, & Ll quaternionem.

BASILEAE, APVD NICOLAVM EPISCOPIVM IVNIOREM, ANNO M. D. LIII.


EPI SCOP.